BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
13
11 D
6

13-20 fl. 39

Digitized by Google

C. 14. f

PRIVILEGIORUM
IN PERSONA
SANCTI PETRI
ROMANO PONTIFICI
A CHRISTO
DOMINO
COLLATORUM
VINDICIÆ
PARS III. TOMUS VI.
SIVE DE POTESTATE ECCLESIASTICA
APPENDIX.
AUCTORE
FR. HIEREMIA A BENNETTIS
CAPPUCCINO.

CARMELITANI SCALZI
BIBLIOTECA
ROMA
DI S.M. DELLA SCALA

ROMÆ MDCCLXI.
TYPIS HÆREDUM JO: LAURENTII BARBIELLINI

SUPERIORUM FACULTATE.

APPROBATIONES.

FR. SERAPHINUS CAPRICOLLENSIS *Totius Ordinis FF. Minorum S. FRANCISCI Capuccinorum Miniſter Generalis (licet immeritus .)*

CUm Opus , cui Titulus eſt *Privilegiorum in Perſona S. Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ . Pars III. Tomus VI.* ſive *De Poteſtate Eccleſiaſtica Appendix* : a R. P. *Hieremia a Bennettis* , Ordinis noſtri ex Lectore , ac Pedemontanæ Provinciæ Cuſtode elucubratum , a duobus ex Ordine noſtro Theologis de mandato noſtro ſedulo , luculenterque reviſum , approbatum , præloque omnino dignum exiſtimatum fuerit: Hinc præfato Ejuſdem Operis Auctori permittimus, ut illud, ſervatis ſervandis , Typis mandare valeat .

In quorum fidem præſentes noſtras ſollito Officij noſtri Sigillo munitas dedimus Romæ die 25. Novembris 1760.

F. SERAPHINUS , *qui ſupra* .

DE Mandato Reverendiſſimi Patris SERAPHINI CAPRICOLLENSIS totius Ordinis noſtri Capuccinorum Generalis Miniſtri. Nos infraſcripti ejuſdem Ordinis Exprovinciales, ac Generales Deffinitores, Opus perlegimus a R. P. Hieremia à Bennettis Capuccino S. Theologiæ olim Lectore , ac Pedemontanæ Provinciæ Cuſtode elaboratum , atque hoc titulo inſignitum : *Privilegiorum in Perſona S. Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ . Pars III. Tomus VI,* ſive *De Poteſtate Eccleſiaſtica Appendix* . Quumque nihil in eo prorſus offenderimus , quo ſive Morum pietas , ſive Catholicæ Religionis Doctrina lædi vel leviter poſſit , dignum Prælo , quomodo priores quinque Tomos , perinde cenſemus .

Romæ e Conventu Capuccinorum 8. Kalend. Decembris anno 1760.

Fr. Hilarion à Feroleto Exprovincialis , & Deffinitor Generalis Capuccinus .

Fr. Joſeph Mariæ a Savorniano Exprovincialis , & Deffinitor Generalis Capuccinus .

JUssu Reverendiſſimi P. Magiſtri Sac. Pal. Apoſtol. legi Partem Tertiam Tomi Sexti continentis *Vindicias Privilegiorum in Perſona S. Petri Romani Pontificis a Chriſto Domino collatorum &c.* Auctore Admod. Rever. P. Hieremia a Bennettis Theologo Ordinis Fratr. Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum. Opus eſt eruditum, ac ſolidum; nihilque in eo reperire potui, quod a Fide Catholica, aut bonis Moribus alienum ſit.

Ex Araçœli 5. Decembris 1760.

Fr. Johannes de Luca Epiſcoporum Examinator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro.

D. Archiep. Nicomediæ Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſt. Ricchinius Sac. Pal. Apoſtol. Magiſt. Ordinis Prædicatorum.

ELENCHUS

PARTIS TERTIÆ

VINDICIARUM,

SEU

APPENDICIS.

Articulus I. *De Poteſtatis Eccleſiaſticæ, & Civilis Originibus; & Officiis.* a pag. 1

Articulus II. *De Poteſtatis Eccleſiaſticæ a Civili independentia, quinimo ſupra Civilem præſtantia.* 70

Articulus III. *De Poteſtate Eccleſiæ in propria Loca, Perſonas, at Res, ſive de Immunitate Locali, Perſonali, ac Reali.* 175

Articulus IV. *De Poteſtate Eccleſiæ Monarchica, & Hierarchica, ſive de Poteſtate Legislativa, & Judiciaria.* 373

Articulus V. *De Poteſtate Eccleſiæ lites inter Fideles laicos finiendi, Laicaſque ſuis infenſas leges infringendi.* 507

Articulus VI. *De Poteſtate Eccleſiæ Coactiva, ſive Pœnas Clericis, atque Laicis infligendi, qua Spirituales, qua Corporales.* 550

PRÆ-

PRÆFATIO.

QUINQUE superioribus Tomis, iis, quæ Romani propius intereſſe Pontificis, atque penitius ad ejus pertingere Jura videri poterant, expeditis, & per me fieri quatenus licuit, ad umbilicum ductis, abundantiori velut ex meſſe, multa ſupererant oppido, ſilentio nec utique ſepelienda, ceteris per Orbem cum Epiſcopis ipſi communia Pontifici, quibus hocce proinde Sexto Tomo locus erat faciendus; & Tomo quidem priorum quinque ſervandus Titulus ideo, quod communia, quæ cum Epiſcopis facta heic exponenda ſuſcipio, in eumdem demum Rom. refundi Pontificem, eique accepta referri debeant. Ita de Operis inſcriptione obiter. Jam ad rem ipſam prope quod attinet, quid animo plane, huic argumento adplicando, infixum geſſerim, quove anxius jamdiu torquerer, ita paucis aperio. In id porrò graviſſimi ſtudii genus ingenii nervos potius intendere, quam in ea fruſtra, in quibus curioſitatis utique multum, utilitatis vero modicum admodum ineſt, aciem terere, ac otium, arcte mihi propoſitum jugiter hæſit, quo præcipua cum Fidei Catholicæ dogmata, tum Eccleſiaſticæ Diſciplinæ capita, queis ideſt Eccleſiæ ſolido ceu fundamento moles incumbit, ac pulcherrima veluti forma compages explicatur, & luce perfundere, & quatenus ſuppeterent vires, loco ponere mihi ſuſciperem. Quod ut ſuſciperem, & gravior altera valdequam urgebat me ratio, jamque ſollicito injiciebat aculeos. Ea nempe ita triſtia jam nobis incidiſſe tempora eundo, experiundoque didiceram, ut perexiguam, quæ adhuc Eccleſiæ reliqua fuerat, Poteſtatis olim ampliſſimæ partem in fruſta nefarie diſcerpi & oculis jam quotidie uſurpare cogerer, & animo præ dolore jam ſufferre nequirem. Eò nempe cæco, furentique Proteſtantes impetu ferri, confertoque velut agmine Pſeudo-Politicos ruere, ut quantum de Eccleſiaſtica deripere per ipſos poteſtate fas ſit, Civili tantumdem adjungere ferventiſſime ahelent; quaſi nempe Principum Jura per ipſos integra ſtare loco nequeant, niſi ſuo Epiſcopi gradu cadant, ſuiſque Eccleſia Juribus

pror-

prorſus exſpolietur. Huc igitur & mentis, & animi & contentio, & acies homini Minoritæ dirigenda erat, & conferenda, ut, ſi per Superos demum fieri liceret, Eccleſiaſtica in priſtinum gradum, atque decus erigeretur Poteſtas: quod ita tamen caute tentandum cognoſcebam, ut interim nullam omnino in Civilem ab me invidiam quæri, eique ſuo de Jure nihil prorſus auferri conſtaret. Sed enim quatenus id conformiter fieret, hoc opus, hic labor. Quotus enim quiſque eſt, qui de Eccleſiaſtica bene cogitet, optimeque merere ſe ſtudeat, ut non quantocius in Civilis injuriam, & offenſam incurrendi diſcrimen ſubeat? Qui Eccleſiaſticam inter, & Civilem ita diſcernere ſciat, juſtos, æquoſque utriuſque ita diſcriminare confines, ac veluti circino dimetiri, ut dolere de injuria deinceps neutra queat? In hac itaque perdifficili, aleaque plena diſputatione eam mihi ineundam, tenendamque viam propoſui, qua tuta incedere, rectaque queat, nedum uni tota ſe impendit, alteri defuiſſe parti, aut derogaſſe videri poſſit, nempe ſi nihil rationi confiderem, ingenii viribus deferrem nihil, ſed tota in tractatione iſta unius Scripturæ, ac Traditionis ductum ſequerer, & ita Patrum, & ita Principum quoque relegerem veſtigia, preſſeque inſiſterem placitis, ut meo nihil ex penu depromptum adpareret. Ita fiet, aut ego fallor, ut mihi prorſus deſinant indignari, qui erga Patres, qui erga Principes & animo, & religione probe comparati ſint, & adfecti. Atque ita de Operis argumento, ſcopo, & propoſito.

Ad Operis partitionem modo quod pertinet, Articulis Sex comprehenditur totum, quot videlicet Poteſtatis Civilis, & Eccleſiaſticæ præcipua capita diu, multumque divexata Proteſtantibus, falſiſque Politicis in æmulatione ſunt, & invidia, quæ mihi pro viribus ideo vindicanda propoſui. Atque principio quidem ut feliciori progreſſu, ordineque proſpere ſuo diſputatio procederet, eam a Poteſtatis utriuſque plane Civilis, & Eccleſiaſticæ originibus auſpicandam duxi, indeque ad earumdem diſcurrendum officia, unde lata pateret, quæ inter utramque differentia intercedit, in eo utique poſita, quod ejus, cujus Divina ſit origo, & a Deo officia fuerint diſtributa, præire ſit, ac præeſſe, ejuſque viciſſim, cui ortum una fecerit Humana voluntas, & ab Hominibus offi-

officia profluxerint; ſubſequi ſit plane; ac ſubeſſe. Inde vero prono velut alveo fluebat, Eccleſiam libera, plena, & a Laica prorſus independente ſuas & in Perſonas, ſua & in Loca, ſuas & in Res poteſtate gaudere. Quorſum enim, amabo, fuiſſet Eccleſia ſic a Deo conſtituta, ſic & a Deo inſtituta, ut ſe ſola ſubſiſteret, unaque ſibi ſufficeret, dum interea ab hominibus ea mutuare, in eiſque dependere indigeret, ſine quibus neque ſubſiſtere, ſibique neque ſufficere dici, poſſet? Sed enim id evidentius iterum evadebat ex forma ipſa Regiminis, ſive Poteſtatis ſpecie, quæ in Eccleſiam fuerat a Chriſto D. inducta. Quam inductam optimam utique, qualis eſt Monarchica diverſos in Hierarchicos deinde gradus diffuſa, expeditiori nempe pro Eccleſiæ regimine, obvia, & in oculos velut inſiliens ſuadebat ratio. Suadebatque a Chriſto D. Eccleſiæ Juriſdictionis, & Imperii facultatem ideo factam ampliſſimam, qua nempe potis evaderet & in Fideles jus dicere, & pro Fide leges ferre. Quam perinde facultatem ad Laicas etiam qua Lites, qua Leges extendi oportebat, ut Eccleſia videlicet & iſtas valeret infringere, quoties Divinis, aut Canonicis adverſari contingeret, & illas finire, ut quæ Divina abſque offenſa Ethnicos apud Judices exagitari difficile potuiſſent. Eccleſiæ denique ſua vindicari Majeſtas, & ſuis manere legibus debebat vigor: ideoque in utriuſque conſortium, opemque Coactiva pariter advocanda Poteſtas erat, qua pœnis nempe ſive Spiritualibus, ſive Corporalibus animadvertere potis fieret, atque Fideles in officio, prout oporteret, cohibere. Viden hinc igitur, ut Poteſtatis Eccleſiaſticæ partes arcte cohæreant, interque ſe connexæ ſint ita, invicemque contextæ, ut elegantiſſima indidem Eccleſiæ forma coaleſceret, ea nempe, quam primis ſaltem deſcribendam lineis, propriiſque adumbrandam luminibus ſtatim adgredior.

DE

DE POTESTATIS ECCLESIASTICÆ, & CIVILIS *Originibus, & Officiis.*

ARTICULUS PRIMUS.

EX quo ad Chriſtianos, una cum Religione Civilis Imperii ſumma translata eſt, tum primum quidem ad æqui, juſtique formam Imperandi ratio componi viſa eſt, non ita tamen omnem ad numerum, & amuſſim, ut nihil deinceps Imperatorum nemini de veteri Ethnicorum ſuperſtitione, & ſuperbia labis adhæſerit. Ut enim de iis nunc taceam, ſi qui tamen fuere, qui de retinendo Pontificis M. ambitioſo nomine, (cujus de affectatione tamen in culpam ad unum omnes vocare nolim), præ faſtu plus æquo fuere ſolliciti, quis adeo in Eccleſiaſtica hoſpes hiſtoria, qui ignoret quot, & quam falſa opinione de propriæ dignitatis, poteſtatiſque excellentia non tam decepti, quam delectati eam Sacræ anteferre ſuperbe exambierint? Atque omnium primis Græcis quidem Imperatoribus inſana hæc ſupra Eccleſiaſticæ apicem efferendi ſe ſe, eamque in ſe transferendi prurigo adhæſit; quam ideo depectere Patrum, & Pontificum curæ, laborioſoque officio ceſſit. Conſtantio nempe, quem idcirco aſperrime increpitum ſcimus a Liberio P. M., a Luciſero Calar.,

ab Osio Cordub., a S. Hilario Pictav., & a S. Athanasio in epist. ad Solit. Valenti, & Valentiniano, quorum prior a S. Gregorio Nazian. Orat. 9, posterior a S. Ambrosio lib. 5. epist. 33. digna pro ausu promeruere. In sacri juris quoque rationes irrumpere, spiritualisque rei summam ad se rapere Zeno molitus legitur: tanta insuper, tamque intolerabili se supra Sacetdotii fastigium superbia extollere ausus est Anastasius, ut Ennodio Ticinensi S. Hormisdæ ad eum mandata referenti hæc arrogantiæ plena rependere verba non expaverit apud Trithemium cap. 203. *Quid nobis mandata porrigitis, qui sub nullius ditione sumus? Oportet Romanum Pontificem nobis obedire, non etiam præcipere.* Sed enim proprio uterque periculo SS. Simplicii, Felicis III, Gelasii, Anastasii II, Symmachi, & Hormisdæ justissimas expertus est iras. Pari superbiæ perciti æstu Justinianus, Mauritius, Heraclius, & Constans de rebus fidei leges ferre, Religionisque se implicare negotiis, ab ipsorum cognitione longe sepositis, gestivere. Nihil inde laudis tamen, multum imo dedecoris, & reprehensionis a Vigilio, a S. Gregorio M., a Severino, a Johanne IV, a S. Martino I. retulere. Præ fastus, ambitionisque furore impotentes perinde Leo Isaurus semet Imperatorem, ac Pontificem jactare, & inscribere, Alexius vero senior Pontificatu Imperium longe præpollere dicere, & scribere non extimuere: sed utriusque frangendæ superbiæ, deprimendæque præsto fuere, prioris illius quidem S. Gregorius II, posterioris istius vero Innocentius III. apud Raynaldum ad an. 1199. num. 64. E Græcis in Latinos, aliis multis cum erroribus, commigravit insania ista, atque ex Germaniæ quidem Regibus intime pervasit Henricum IV, qui propterea infensissimum expertus est S. Gregorium VII. Cujus Pontificis optimam plane agendi rationem in tuto ponendam, atque ab obtrectatorum insultibus vindicandam suscepere ultrocitroque Viri doctrina, dignitateque conspicui, atque plurimos inter alios, de quibus me dicete abunde Tom. 3. pag. 633, seq. memini, Althmannus Patavien., Geberhardus Salisburg., Herimannus Metens., Hugo Diensis, Stephanus Halberstad. apud Dodechinum ad an. num 1090, ac Tengnagelium in Monum. contra Schismaticos editis Ingolst. an. 1612, Venericus Vercell. lib. de unit. Eccl., & de Schis-

Schiſmate edito a Simone Schardio inter Scriptor. de Juriſd. Imper. Baſil. 1566: de quibus adeundus etiam Noriſius hiſt. Inveſtit. capp. 4, & 7. Pervaſit & Henricum V, quem ideo ſanius ſapere docuit Paſchalis II, legendus in epiſt. 22. edit. Harduini ad ipſum, 24. ad Guidonem Vien., & 49. ad Rothardum Mogunt., quam in rem præterea conferendi, ſi placet, Helmoldus in Chron. Slav. lib. 1. cap. 70, & ſeq., ac Johannes Cardin. Tuſculanus in epiſt. ad Richardum Alban., de qua Noriſius capp. 3, 11, 12, & ſeq. Fridericum Ænobarbum deinde eadem inceſſit ambitio, quam ad perfringendam ferreum induit pectus Alexander III, multa præfatus eſt in Synodo Turonenſi an. 1162. Arnulphus Lexov., ſcriptiſque non pauca demandarunt Philippus Abbas Bonæſpei, S. Ælredus Rievelen. ſerm. 231, & Johannes Sarisber. epiſt. 89. inter Epiſt. S. Thomæ Cantuar. lib. 2. edit. Lupi. Hæreditaria veluti lues ad Othonem IV. cum Imperio tranſiit veſana cupido iſta in capite, fortuniſque Sacerdotum dominandi. Sed qui ſe beneficiis afficientem ingratus revereri Innocentium III. P.M. renuit, ingenti cum damno juſtiſſimam ejuſdem in ſe vindictam experiri compulſus eſt. Ut rem denarrent omnem, videndi Albertus Staden., Urſpergenſis Abb., Godefridus, Rigordus, Stero apud Caniſium Antiq. lect. Tom. 1. p. 244, Richardus a S. Germano, Chronographus Foſſæ novæ Script. Rer. Ital. Tom. 7. p. 889, & 983, & Nangius apud Raynaldum ad an. 1210. n. 1, ac Manſium ibid. in Not. A Friderico II. hanc perinde labem detergere pro officii munere ſuſcepere Gregorius IX, & Innocentius IV, quorum de opera late Albertus Staden., Matthæus Pariſ., Albericus Monachus, Auctor Chron. Auguſtani apud Freherium Tom. 1. ad annum 1245, Scriptor hiſt. Lantgrav. Thuring. apud Piſtorium c. 50, & Auctor Compilat. Chronolog. apud eumdem Piſtorium To. 1. ad an. 1249. Inſano ſuperbiæ iſto ſpiritu inflatus ſupra modum, alioſque, Ludovicus Bavarus Eccleſiaſtico Principatui Laicum præferre haud veritus, dignum ſe præbuit, qui a Johanne XXII, a Benedicto XII, & a Clemente VI. ignominia, probroque operiretur, cuique dicam conſcriberent perinde Villanius lib. 10. cap. 115, ſeqq., Alvarus Pelagius de planct. Eccl. lib. 1. cap. 68, Ptolomæus Lucen. lib. 24. cap. 43, Simon Saltarelli in apolog.,

Hetvvartus Tom. 2. ad an. 1336, aliique. Civili Principatu haud contenti, niſi & Eccleſiaſticæ rei partem occuparent ex Francor. Regibus Philippus I, atque Homonymus cognomento Pulcher, Sacerdotio faſces ſubmittere, abſtinereque a Sacris edocti ſunt, ille quidem a S. Gregorio VII. lib 1. epiſt. 75, & lib. 2. epiſt. 5. ad Galliar. Epiſcopos, atque ab Urbano II. in Synodis Placentina, & Claromontana an. 1095, qua de re fuſe Noriſius in hiſtor. Inveſt. cap. 9, iſte vero a Bonifacio VIII, cujus vindicias adverſus Puteanum, Bailletum in Europa Sap. Menſ. Sept. num. 67, Richerium, Natalem ad Sæculum XIV. diſſert. 9, D. Choyſi hiſtor. Eccl. tom. 7, Felicem Oſium in Not. ad Muſſatum Tom. 6. Theſaur. Ital. Burman. par. 2. pag. 607, & ſeqq., alioſque veteres obtrectatores in actis diſſid. Pariſ. 1614. editis, & apud Jacobum le Long in Bibl. hiſt. Gall. pag. 363. relatos, adornandas egregie ſuſcepere poſt S. Antonium part. 3. tit. 20. cap. 8. §. 21, Baronius, Guido Baiſius apud Manſium Suppl. Tom. 3. pag. 129, Gentilis de Montellorum in Apolog., Richardus Petronus Card. S. Euſtachii, Joh. Rubeus &c., videndus etiam Conradus Vercerius de rebus geſt. Henrici VII. Juribus ſacris itidem Angliæ Reges inhiantes Henricus I, & II. Sacerdotale ſub imperium redigi a Paſchali II. epiſt. 93, & 103, quibus cohærent epiſt. 3, 41, 95, & ſeq., a S. Anſelmo, de quo Eadmerus in ejus vita apud Surium, & Henſchenium ad 21. April., ab Alexandro III. epiſt. 10, 19, 26, & ſeqq. uſque ad 30, cum quibus conferendæ epiſt. 5, 6, 7, 11, & ſeqq., a S. Thoma lib. 1. epiſt. 64, cui jungendi ejus Amicus lib. 3. epiſt. 6, & Willelmus Senon. lib. 5. ep. 82, paſſi demum ſunt. Atqui Henrico VIII, Elizabethæ, Jacobo I. &c. adeo frons periit, ut oleum cum ipſis, operamque perdiderint Leo X, Clemens VII, Paulus III, S. Pius V, Paulus V. &c.

Intoleranda utcumque inſania hæc videri potuerit, quo tamen non dignos ſupplicio dedere ſe ſe profligatæ Religionis, pudoriſque Scriptores illi, qui ſæculi Poteſtatibus ſuperba, perverſaque in hac opinione detinendis, fovendiſque conſilio, & calamo ſtatim adfuere? Tulit hoc jugiter triſte infortunium temporum iniquitas, ut ambitione, & avaritia fœde laborarent homines, hominumque perverſum fecit ingenium, pluſquam Religio-

gioni, veritatique, propriis inſervientium affectibus, & impendiis, ut ad Potentum loqui faſtum, adblandirique ſuperbiæ, nec ignaviæ habeatur, nec ignominiæ. Quo factum demum, ut prorſum rurſum Divina, humanaque ferri, profana ſacris, ſuſque deque Cælum, terramque miſceri oculis jamdiu uſurpemus. Ut vero de Veteribus illis non loquar, quibus præ Religione quæſtum ex adulatione quærere cordi fuit, peſſimæque ideo cauſſæ patrocinium impendere haud probro ceſſit, quoſque ſane longo retexere catalogo Goldaſtus in Monarch., & Schardius in Syntag. tract. de Imper. Juriſd. curarunt, Principi, ac Magiſtratui politico ſummam poteſtatem circa Sacra, & circa Sacerdotes adſerendam ſibi ſumpſere, ac præſumpſere, ex Proteſtantium grege præſertim, Jacobus Heerbrandus in refutat. Sotici ſcripti, Carolus Molinæus in Monarchia Francor. p. 101., & ſeqq., (contra quem Pontificis M., Cardinal., & Epiſcop. defenſionem adornavit Raymundus Ruffus Pariſ. an. 1553.) M. Antonius de Dominis de Republ. Eccl. lib. 6. cap. 5, & ſeqq., Witelhochius in tract. de auct. Princip. in negot. Eccleſ., Hugo Grotius de Imper. Sum. Poteſt. circa Sacra, Blondellus de Jure Plebis in regim. Eccleſ., Anonymus de Officio Magiſt. Chriſt. una cum Blondelli Opuſculo præfato Grotii libro ſubjectus in edit. Francof. 1690, Thomas Eraſtus in Theſibus adverſ. Excomm., & Clavium poteſtatem, Franciſcus Budeus in Iſag. hiſt. Theolog. Tom. 2. lib. 2, Melchior Goldaſtus in Monarch., Georgius Hornius in diſſert. hiſtor., ac Polit., Thomas Leydecherus ad ejuſdem Hornii hiſt. Eccleſ., Franciſcus Villierius de ſtatu primit. Eccleſ., Jo. Utenbogaert de Offic., & auct. Magiſt. in rebus Eccleſ., Ludovicus Molinæus lib. adv. Voetium inſcripto *Papa Ultrajectinus, ſive Myſterium iniquitatis*, Samuel Strychius in diſſert. de Jure Papali Princip., Antonius Walæus de auctor. Magiſt. in rebus Eccleſ., Nicolaus Vedelius in diſſert. de Magiſtratu adv. Bellarminum, & de Epiſcopatu Conſtantini M., Jacobus Triglandus de Civil., & Eccl. poteſt., Gilbertus Burnetus in hiſt. Juris Principum circa Beneficia Eccleſ., Maccovius apud Bocchartum in epiſt. ad Morlejum licere ab Eccleſia ad Magiſtratum provocare afferens, Jo. Abrahamus Chromajerus in Comment. Theolog. de poteſt. Eccleſ., Albertus

Ri-

Ripetus in libro inſcripto: *Moyſes, & Aaron*, ſive de poteſt. & officio Principum in Sacris, Fridericus Spanhemius Oper. T. 2. pag. 1240, & ſeq., Jo. Georgius Reinhardus in Meditat. de jure Princip. German., Henricus Henninges de Sum. Imperat. Rom. poteſt. circa Sacra, Thomas Hobbes de Cive cap. 6, 11, 13. & ſeqq., & in Leviathan cap. 14, & ſeqq., ideſt de materia, forma, & poteſt. Civitat. Eccleſ., & Civil., (quem oppugnavit Cumberlandus,) Miltonus de poteſtat. Civil. in re Eccleſ., (in quem calamum exacuit Morus, alia vero de cauſſa Salmaſius etiam), SimonSchardius de Juriſd., auctorit., & præemin. Imper., Andrevvs Lancellottus in tortura Torti, ſive reſponſ. ad Bellarmini librum contra Apolog. Jacobi Reg. pto Juramento fidelit., Theodorus Reinchingius de Regim. ſæcul., & Eccleſ., Auctor Gallus de poteſtate Regia, & Sacerd., Richardus Harris de Primatu Eccleſ. Regio adverſ. Beccanum, Robertus Abbot de ſupr. Regum poteſt. adverſ. Bellar., & Suatez, Thomas Barlovv pro eadem cauſſa, Hermannus Schelius de Jure Imperii, Omphalius de officio, & poteſtate Princip., Matthæus Larroquanus de Regaliæ jure, Irenæus Philadelphus de Controv. circa Religion. adverſ. Jo. Hall de Epiſcopatu jure Divino, Petrus Rival in diſſert. hiſt. Crit. diſſert. 2. adv. Maimburgum, Jo. Hoorneech in examine Bullæ Papal Innocentii X. contra pacem Germaniæ, Rolandus Vajerus de Auctor. Regis in regim. Eccleſ., qui Tractatus falſo tribuitur Tallonio, Barbeyracius in præfat. ad Puffendorfium de Jure Nat., & Gent., Hartmannus Philippus de Geſtis Chriſtian. ſub Apoſtolis, Henricus Coccejus in diſput. de Jure poteſt. §. 7, & ſeq., quem laudat Samuel Coccejus filius ad Grotium lib. 1. cap. 3. §. 6, Idemque in novo Syſtemate Juſtit. natur. & Rom. lib. 6. cap. 2. §. 628, Juſtus Henningus Boehemetus in Not. ad Petrum de Marca de Concor. edit. Lipſ. 1708, Auctor de conjunctione Principatus, & Sacerdotii in una perſona edit. Upſal. 1725, Johan. Gottliebus Heineccius in Prælect. Academ. ad Puffendorfium de offic. hom. & Civ. lib. 2. cap. 7. §. 8, Belliſomus de Auctor. Imperat. in regim. exter. cauſſar. Eccleſ., aliique hujuſce genus innumeri, quibus facem veluti prætuliſſe ex noſtris quidem videntur Radulphus Præslæus Caroli V. Gall. Regis conſiliarius in tract. de poteſt.

teſt. Pontif., & Regia, in Monarch. Goldaſti Tom. 1. pag. 39, Gregorius ab Heimburgo Syndicus Norimberg. in Antilogia Papæ apud Gratium Tom. 2. Faſcic. rer. expet., & Goldaſtum Tom. 1. p. 557, ac Tom. 2. p. 1576. &c., (quem refutavit Theodorus Lælius Feltrenſis Epiſcopus,) Antonius Roſellus Juriſc. Patav. in lib. de poteſt. Imperat., & Pap. apud eumdem Goldaſtum tom. 1. pag. 252., & 556, (cui Henricus Inſtitor librum de plenaria poteſtate Pontif. oppoſuit,) Stephanus Gardinerus lib. de vera Obedientia in gratiam Henrici VIII, (quem libris quatuor de Unitate Eccleſiæ a Reginaldo Polo elucubratis objectum falſo ſcribit Burnetus hiſt. Angl. lib. 3, ſiquidem Gardineri liber an. 1535. Londini in dias luminis auras prodiit, Poli vero libri non ante an. 1536. privatim ad Regem miſſi ſunt,) Franciſcus Marty, & Villadamor in Hiſp. defenſ. auctor. Regiæ in perſonas Eccleſ., aliique nonnulli, de quibus alibi; preſſo vero quaſi pede ſequuti ſunt Paulus Perrot contra Sixtum V. pro Rege Navarræo, De la Mothe le Vajer de pot. Regia circa profeſſ. Relig., Michael Rouſſellus in hiſt. Pontif. juriſd. ex antiquo, medio, & novo uſu, Claudius Gouſtæus de poteſt. Regia in Eccleſiis, Franciſcus Duarenus de Sac. Eccl. miniſtris lib. 1. cap. 5, ſeq., & in defenſ. pro libert. Eccleſ. Gallic., Pithœus de libert. Eccl. Gallic., earumque Probat., Van-Eſpenius in tract. de Recurſu ad Principem Lovan. 1725, Jannonus hiſt. Regni Neapol. lib. 1. cap. ult., ſeqq., ac lib. 22. cap. ult., quo loci poteſtatis Civilis adverſus Eccleſiaſticam paraſtatas ſequi, & laudare non veretur Dantem Alighierium in tribus lib. de Monarchia, Guillelmum Ochamum in tract. de poteſt. Eccleſ., & Civili, Johannem Pariſienſ. in tract. de poteſt. Reg., & Papal., Arnaldum Villanovan., Marſilium Patav., & Joh. Jandunum; (quos tres poſtremos tamen modum prætergreſſos fatetur) Radulphum Columnam Carnot., Lupoldum Bamberg., Radulphum Præslæum, Philippum de Mezieres, Petrum Cunerium, eiſque adnectere Alvarum Pelagium, Theodoricum Niemum, Nicolaum Cuſanum, Franciſcum Zabarellam, Æneam Silvium &c., Auctores Galli Tract. *De l'Autorité du Pape, e les Principes des Libertès de l'Egliſe Gallicaine juſtifiez*, & Tract. *De la Puiſſance Eccleſ., e Temporelle*, Scriptor vindiciarum Juriſd. Sæcul., & Imper. &c., alter-

alterque Gallus auctor historiæ Juris publ. Eccles. Gallic., quem refellendum egregie sumpsit nuper Michael Casalis in Vindiciis Jur. Eccles. &c.; quibus omnibus magno se se numero jungunt Politici, Aulici favoris afflatu fascinati, ideo ut liberius utramque paginam faciant. Proh Superos! Adeo nempe lethæo adulationis poculo tot hominum mentes perfusæ sunt, ut quæ primæ sint Religionis partes, aut ignorare prorsus, aut posthabere quin imo præ ingenio præpostero illos non depudeat!

Atqui me valde reficit causſæ, quam propugnandam adsumpsi, tam gravitas, quam veritas; quæ non est alia sane, quam Catholicæ Ecclesiæ causſa: quam in tuto ut recte ponam, suoque firmiter collocem loco, falsam adversariorum opinionem a fundamentis evertendam adgredior. Itaque si semel constituatur Potestatis Ecclesiasticæ Divinam esse originem, Principali vero nonnisi hominum voluntatem ortum fecisse, confecta probe res est, indeque consequi quis adeo obstupidus non percipiat, Civili potestati Ecclesiasticam longe præcellere, neque illi fas esse in hujusce fines ingredi, inque jura temere prorumpere? Age vero, si Deus me adjuvet, ita rem profecto se habere demonstrandum suscipio. Non me fugit equidem quæstionem hanc invidiæ, aleæque plenam esse, difficileque quammaxime Potestati utrique justos præfinire terminos. Unde consilium erat silentio potius eam præterire, ne dum Ecclesiasticæ patrocinium quæro, Civili minus propitius viderer. Sed enim scrupulus, quo tot nefarios haud detineri Scriptores conspicio, quin pedibus, manibusque in partem adversam descendant, mihi magis eximendus erat, qui ita mihi Ecclesiæ causſam tuendam proposui, ut Imperio ne leve quidpiam detractum velim; atque e re Ecclesiæ, e reque Impetii magis existimo, quid juris sit utriusque, quæque utriusque institutio, sine utriusque injuria inquirere, non privatam utique meam proferendo, sed quæ potius Juris utriusque peritissimis insederit, opinionem exponendo. Æmulis itaque, obtrectatoribusque abunde feciſſe me satis opinor, Paschalis II. verba libenter usurpans, animumque intime, & affectum induens ad Basilium Hierosolymorum Regem ep. 29. scribentis: *Nec enim volumus aut pro Principum potentia Ecclesiasticam minui dignitatem; aut pro Ecclesiasti-*

ca

ea dignitate Principum potentiam mutilari: Atque principio non opus eſt multis de Eccleſiaſticæ poteſtatis Divina inſtitutione diſputare: eadem enim indubia iis eſſe profecto debet, quibus non dubium ſit Evangelium. Inde nempe facile datur intelligi ab illo utique, qui & Epiſcopus, & Pontifex in epiſt. ad Hebr. cap. 7. v. 26, & 1. Petri cap. 2. v. 25. dicitur, in Petrum, & Apoſtolos, inde in Pontificem M., & Epiſcopos tranſmigrandam, Eccleſiaſticam derivari poteſtatem, qui dixit Matth. cap. 28. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas &c.*, cui plane loco congruunt, quæ habentur Joh. cap. 17. v. 2, Epheſ. cap. 1. v. 20, & ſeqq., Philipp. cap. 2 1. v. 9, & ſeqq., Hebr. cap. 2. v. 8, ac 1. Petri cap. 3. v. 22. Ab illo ſane Miniſtros conſecrandi, Sacramenta adminiſtrandi, relaxandi peccata, infligendi cenſuras, ferendi leges &c. poteſtate iidem ipſi induti ſunt, qui cum poteſtatis ejuſdem plenitudine ſe a Patre miſſum, ab ſeque illos mitti prædicat Johan. c. 20. v. 21. *Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos &c.* Ab illo rurſus ampliſſima profecta in Apoſtolos, eorumque ideo ſucceſſores Eccleſiarum Antiſtites, poteſtas intelligi debet, qui Orbem univerſum judicaturos ſupra duodecim eos Sedes, ſive Thronos conſtituiſſe confirmat Matth. cap. 19. v. 28. *Sedebitis & vos ſuper Sedes duodecim, judicantes &c.* Atque hiſce quidem locis, quibus apprime reſpondent Matth. cap. 10. v. 1, cap. 16. v. 19, cap. 18. v. 18. & cap. 19. v. 28, Marci cap. 3. v. 14, & cap. 6. v. 7, Luc. cap. 9, v. 1, & cap. 22. v. 30, ac Johan. cap. 20. v. 23, & cap. 21. v. 26, ſeq., hanc utique ineſſe vim, ampliſſimamque Apoſtolis factam deſignari poteſtatem non videre, & fateri non potuere, ut noſtræ Communionis longe plures prætream Interpretes, ex Proteſtantibus ipſis, quibus alioqui mens fuit admodum læva, Camero in Matth. cap. 19. v. 28. Critic. Sacr. Tom. 4. pag. 591. edit. Francof. 1696, Grotius in Matth. cap. 28. v. 18. Crit. Sacr. ibid. p. 316, Pearſonius in Symbol., ac Thomas Stackhouſe in tract. Theolog. ſpecul., & pract. Tom. 4. cap. 5. pag. 461, & ſeq. Quorſum vero, rogo, pulcherrimæ ſpectant illæ ſpecies *Corporis* Epheſ. cap. 4. v. 16, *Ovilis* Johan. cap. 10. v. 16, *Domus* 1. Timoth. cap. 3. v. 15, *Civitatis* Hebr. cap. 12. v. 22, & *Regni* Matth. cap. 13. v. 24, & ſeqq., quibus Eccleſia comparatur, niſi & ſimilis in Eccleſia deſignetur

potestas ejus, qua Caput in Corpus, Pastor in Oves, Pater in Familiam, Rector in Cives, Rex in Populum defungitur, & potitur, velut etiam persuasum habuere apud Stackhouse loco cit. Eduardus in Theolog. tom. 1, Wottonus in serm. de Jurib. Cleri, & Potter de gubern. Eccles. ? Faciunt & huc profecto regendi, pascendi, & disponendi formulæ, quibus Episcoporum officium denotatur Actor. cap. 20. v. 28, 1. Petri cap. 5. v. 2, & ad Tit. cap. 1. v 5: quod absque potestate adimpleri plane, suisque absolvi numeris nequit: qua de potestate explicite perinde loquitur S. Paulus 2. Corinth. cap. 13. v. 10, velut etiam agnovere Grotius ibid. Crit. Sacr. Tom. 5. p. 454, & Beausobrius in Observat. hist. Crit. & Philolog. ad hunc locum Tom. 1. pag. 443. Quis demum ita mente desipiat, ut cogitando assequi possit, absque potestate & Præsides, & Ministros, & Præpositos esse in Ecclesia, agereque, de quibus eloquitur Apostolus ad Rom. cap. 12. v. 8, 1. ad Corinth. cap. 3. v. 5, & cap. 4. v. 5, ac ad Hebr. cap. 13. v. 7? Frustra sim vero, si liquidissima cæteroqui loca hæc plurimis adhuc, locupletibusque Patrum confirmare testimoniis satagam, qui rem plane hanc fusius Artic. seq. persequuturus sum. Viden interea, ut de his docte, riteque differat Cl. Lamy Comment. in Harmon. Evang. lib. 4. cap. 28, & lib. 5. cap. 21.

In id igitur mihi nunc magis incumbendum, ut propius, quoad ejus fieri poterit, ad fontem pertingam, ex quo proxime in Reges tota, qua defunguntur, potestas, & quanta profluit. Enim vero an Principum sæcularis potestas a Deo immediate promanet, dubium est, ac lis adhuc sub judice, de qua in utramque docti partem disputant. Ludovicus Bavarus Constitutione die 8. Aug. an. 1338. edita, quam referunt Hieronymus Balbus lib. de Coronatione ad Carolum V, & Joh. Georgius Hervvartus in Ludovico adv. Bzovium defenso, Imperialem potestatem, ac dignitatem immediate a Deo solo derivari, ex Principum, Electorumque consensu, declarasse legitur, non secus atque in Processu, ac sententia, ausu temerario, inauditoque, lata contra Johannem XXII, ex Chronico Siculo in Thesauro Anecd. edito a Martenio Tom. 3. pag. 5, a Muratorio translato in Rer. Ital. Script. Tom. 10. p. 8. o, cap. 96. pag. 901. descripta. Sed enim quis tam bardus, & excors,

cos, qui homini Divina, & humana non tam putide inſcienti, quam perverſe interturbanti potius, quam doctiſſ. Pontificum trigæ, Johanni XXII, Benedicto XII, & Clementi VI, a quibus vice plus ſimplici hominis in devia abrepti tam pravam agendi rationem, quam ἀσυλλόγισεν opinandi licentiam profligatam tradunt apud Baluzium in Vit. Pap. Avenionen. Bernardus Guido, Auctor Append. ad Ptolomeum Lucen., ac Scriptor vitæ 1. Clementis VI. apud eumdem Baluzium, Muratorium Rer. Ital. Script. Tom. 11. par. 2. p. 491, 510, & 552, ac Raynaldum ad an. 1343. n. 43, & ſeqq., ac 1346. n. 3, & ſeqq. Legenda Johannis XXII. Conſtitutio relata Cap. *Si Fratrum* inter Extravag. Comm. tit. 5. *Ne Sede vacante*, ac conferenda cum Clementina Cap. *Romani Principes* lib. 2. tit. 9. *De Jurejurando*. Extant etiam ejuſdem Pontificis ad Ludovicum Bavar. Monitoria apud Raynaldum ad an. 1323. n. 30, & Hervvartum Tom. 1. pag. 194, Sententia, & proceſſus in eumdem Imperat. apud eumdem Annaliſtam ad an. 1327. n. 20, & ſeqq., Damnationis itidem ſententia adverſus Marſilium Patav., & Johannem Jandunum, a quibus Ludovici errores ſuffulciebantur, ibid. n. 27. Legere quoque præſtabit ejuſdem Ludovici proteſtationis, ſuco alioqui plenæ, formulam apud Hervvartum, qua Pontifici *Obedientiam*, *Devotionem*, & *Reverentiam* deſpondet; Leges pacis eidem Ludovico propoſitas a Johanne Bohemiæ Rege, ab Othone Auſtriæ Duce, & a Balduino Trevir. Archiepiſcopo apud Raynaldum ad an. 1330. n. 28, & ſeqq., quibus inter alia impie cogitata adverſus Pontificiam dignitatem, auctoritatemque revocare tenebatur; Litteras ejuſdem Ludovici, ad fallendum quidem compoſitas, quæ tamen devotiſſimum, quali revera mente affectum eſſe oportebat, obſequium referebant, ad Johannem XXII. apud Hervvartum Tom. 2. p. 589, & ſeqq.; item ad Benedictum XII. apud Ptolomeum Lucen. lib. 24. hiſt. Eccl. cap. 43, Hervvartum; & Raynaldum ad an. 1335. n. 3, & ad an. inſeq. n. 17, ſeqq., & n. 30, ſeqq.; ad Clementem VI. demum apud Rebdorfium, Albertum Argent. in Chron., & Raynaldum ad an. 1344. n. 10. Sed & Ludovici deterrimum errorem hunc, una cum aliis, a duumviris Marſilio, & Janduno viribus omnibus ſuſtentatum refellendum alacriter ſu-

ſcepere Alvarus Pelagius de planc. Eccl. cap. *66*, Alexander ab S. Elpidio de Juriſdict. Imper., & Auct. Pontif., Petrus de Palude de cauſſa immed. Eccleſ. poteſt., ac ſubinde Albertus Pighius lib. 5. de Hier. Eccleſ. Dantes Alighierius antehac opuſculum *De Imperio ſuperiore Eccleſiis, etiam Romana, & pendente non a Papa, ſed a Deo*, odio in Bonifacium VIII. animatus, elucubrare fuerat auſus, quod primus edidit Simon Schardius in Sylloge Scriptor. de Imper. juriſd., & poteſt. Eccleſ. Baſil. 1566. p. 237. Sed ideo peſſime Dantes audivit, atque poſt obitum hæreticis adcenſitus legitur apud Bartholum in L. 1. *Divi* §. *Præſides* D. 48. 17. *De requirendis reis*, apud Arcimboldum Archiep. Mediol. in Catalogo hæretic., de quo Poſſevinus in Appar. Tom. 1. p. 413, & apud S. Antoninum in Sum. Chron. par. 3. tit. 21. cap. 5. §. 2. Johannes Savaronus in tract. de ſuprema auctor. Regis, & Regni idem ſaxum revolvendum adſumens, contendit Reges nihil juris a Populis accepiſſe, ſed Regiam omnem poteſtatem a Deo immediate obtinere, eorumque proinde in temporalibus juriſdictionem legibus prorſus omnibus eſſe abſolutam. Sed his nec hilum profecit, quin oppugnandum ſe dedit Perronio in Exam. tract. ejuſdem Savar., & Coquæo in Antidoto contra inſcript. Myſter. iniq. pag. 3, quo loci vir doctus oſtendere adverſus Mornæum adgreditur non a Catholicis Principum laedi, labefactarique poteſtatem, dum Pontificiæ obnoxiam faciunt, quinimo ſtrenue adſtrui contra Waldenſes apud Prateolum n. 25; contra Wicleffiſtas, & Huſſitas, de quibus Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8, & 12, ajentes poteſtatem omnem tam Laicam, quam Eccleſiaſticam peccato mortali deperdi; contra Lutherum, a quo Chriſtiana libertas in independentia a legibus nefarie conſtituitur; contra Knoxium, qui Genevæ impio libello edito licuiſſe Anglis docuit de Regina Maria ſupplicium ſumere; contra Goodmannum, qui libro altero contribules ſuos ad arma adverſus Reges, ac Magiſtratus, ſiquidem Calviniſmo adverſarentur, capeſſenda incitare inſtituit. In hanc denique de Regum poteſtate a Deo immediate proficiſcente opinionem manibus, pedibuſque deſcendunt Franciſcus Victoria in Relect. de poteſt. Civili, Duarenus de Sacr. Eccl. Miniſt. lib. 1. cap. 1, Duvallius de ſupr. Rom. Pontif. poteſt. q. 1, Petrus de Mar-

Marca de Concord. lib. 2. cap. 2, Choppinus de ſacr. Polit. lib. 1. tit. 7. §. 9, Cevallos in ſpeculo Opinion. commun. Tom. 2. q. 739. n. 75, & ſeq., Salgadus de Regia protect. par. 1. cap. 1. præl. 1. n. 47, & ſeqq., & de Supplicat., ac Retent. Bullar. part. 1. cap. 1. n. 18, & ſeqq., Natalis Alex. hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. XIII, & XIV. cap. 9. art. 5. &c., ex Acatholicis vero, ut de M. Antonio de Dom. in Oſtenſ. error. Suarezii cap. 3. p. 918, & de Republ. lib. 6. cap. 2. n. 33. nihil dicam, Zieglerus de Jur. Majeſt. lib. 1. cap. 1. §. 46, Coccejus in Leviathane refutato, Graſvinckelius de Jur. Majeſt. cap. 1, ſeq., Vandalinus de Jur. Reg. lib. 2. cap. 5, Strauchius in ſpecim. Jur. Publ. lib. 1. tit. 2. §. 3, Hornius de Civit. lib. 2. cap. 1, Oſiander obſervat. in Grotium de Jure B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 7. &c., Fravendorfius de Divina Majeſtatis orig., aliique plures, quos longius perſequi nec vacat, nec intereſt. Contra quos adverſa fronte, defixoque velut in pulvere utroque pede, depugnandum ſibi ſumpſere, Principum auctoritatem a Deo immediate profectam conſtantiſſime pernegantes, Almainus de ſupr. Eccl. poteſt. cap. 1, Ferdinandus Miranus tract. 2. de Pontif. Juriſd. q. 6, Bellarminus lib. 3. de Laic. cap. 6, Suarez de Legib. lib. 3. cap. 2. n. 3, Nicolaus Schaten in Carolo M. Catholico adv. Niſanium lib. 2. cap. 3, Caſtropalao diſp. 1. punc. 22. n. 2, Gravina de Jur. Nat., & Gent. §. 18, Charlaſius de Libert. Eccleſ. Gallic. to. 2. lib. 7. cap. 4, Boſſuetius Defenſ. declar. par. 1. lib. 1. cap. 3, Schmier Juriſp. Publ. univ. lib. 2. cap. 1. ſect. 3. §. 1, & Juriſp. Canon. Civil. lib. 1. tract. 1. cap. 7. ſect. 2. §. 1, & apud ipſum Stadlmayr de Legib. cap. 5. th. 2, Pettſchacher de Leg. q. 4. art. 2. Concl. 1, Wenzl de Leg. q. 4. §. 1. reſol. 7, Gletle Juriſp. fundam. tit. 2. cap. 2. §. 3. n. 8, Ill. Tria de polit. Eccl. lib. 1. c. 1. §. 1, Blancus de poteſt., & polit. Eccl. tom. 3. lib. 1. cap. 1. &c., ex Proteſtantibus vero Grotius de Jure B., & P. lib. 1. cap. 4. §. 7, Puffendorfius de Jure N., & G. lib. 7. cap. 3. §. 1, Noodtus de poteſt. Princip. ex interpret. Barbeyracci, Schefferus de Reg., & Princip. inſtit. par. 1. §. 2. in Not., Huberus Jur. publ. univ. lib. 1. cap. 7. §. 13, ſeqq., Claſſenius compend. polit. lib. 3. cap. 1. §. 5, Hertius de modo conſtit. Civit. ſect. 2. §. 3. Oper. Vol. 1. tom. 1. p. 301, ſeqq., Heineccius Antiq. Roman. ad Inſtit.

ſtit. lib. 1. tit. 2. §. 62, & ſeqq., in præfat. ad Leg. Jul., & Pap. Pop., & in Puffend. de offic. hom. & Civ. lib. 2. cap. 6. §. 14, Budeus Inſtit. Theolog. Dogm. lib. 5. cap. 4. §. 22, Samuel Coccejus in Syſtem. Juſtit. Nat., & Rom. lib. 6. cap. 2. §. 617, & ſeqq., pluresque alii, de quibus infra recurret ſermo.

Qui hac igitur in poſteriori opinione verſantur, principio obſervant Politicam poteſtatem generice acceptam, veluti Scholæ loquuntur, eſſe immediate quidem a Deo, non item acceptam ſpecifice, ut eſt Monarchia, vel Ariſtocratia, vel Democratia. Poteſtas enim politica in genere quum de jure naturæ ſit, quippe poteſtate regi, ac dirigi homines opus eſt, ne ſingulis proprio relictis arbitrio, totum humanum genus certo pateat diſcrimini, Jus autem naturæ in Jure Divino ſtatuatur, ſeu juris Divini quædam ſit ſpecies, ac particula, a Jure proinde Divino politica manare poteſtas recte dicitur, veluti Naturæ humanæ neceſſaria appendix, ab eo utique originem ſortita, qui humanam naturam condidit. Ut vero Politica poteſtas in ſpecie ſumitur, eam immediate a Deo non eſſe ſtatuunt: quandoquidem neque ratione ſui, neque ratione ſubjecti jure naturæ immediate, vel talis in ſpecie conſtituta ſit, aut in ſpecie tali ſubjecto collata. Politica igitur poteſtas in genere accepta naturali juri congenita, ac veluti coagmentata, in natura ipſa primum immediate ſubſidet: quumque Natura humana in tota, qua late patet, hominum multitudine, ſive collectione ſubſiſtat, inde fit, ut Politicæ poteſtatis immediatum ſubjectum ſit tota hominum collectio, ſeu multitudo. Sicut enim unus præ alio homo non eſt, ſic uni præ alio jus regendi homines non ineſt; ſed ita unicuique hominum jus regendi primum ſeipſum, deinde pariter alios competit, ſicut in unoquoque homine una cum humana natura jus naturale inſitum eſt. Quod jus quum a ſingulis exerceri nequeat, neque ſit, cur ab uno potius, quam altero exerceatur, reſtat, ut a ſingulorum collectione ſit exercendum: in qua ſiquidem æquales ſint ſinguli, æqueque liberi, & ingenui, proinde ſit, ut domini, & ſervi, ſuperioris, & inferioris nomina ſint apud ipſos a primæva origine prorſus ignota. Sequitur itaque, ut immediate tota in hominum collectione poteſtas integra reſideat politica. Quoniam vero a multi-

multitudine ipſa neque facile, neque cum effectu poteſtas iſthæc exerceri poteſt, factum eſt ideo, ut ab ipſa multitudine ea poteſtas transferretur, mox in unum, unde Monarchia, mox in plures, eoſque præcipuos, unde Ariſtocratia, mox in plures generis promiſcui, unde Democratia ortum habuit, ſive ex his conflata quælibet alia Reipublicæ ſpecies; quas ad quinque dinumerat Ariſtoteles Polit. lib. 4. cap. 7., Polybius vero ad ſeptem lib. 6. de Milit., ac domeſt. Roman. diſciplina, cui poſteriori adſtipulantur Dionyſius Halicarn., & M. Tullius in fragm. de Republ., poſt quem abeunt Thomas Morus, Gaſpar Contarenus &c., qua de re etiam Bodinus de Republ. lib. 1. cap. 1. Quæ quum ita ſe habeant, patet inde, quod Poteſtas politica in ſpecie, ſcilicet Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia, de jure Naturæ, ac Divino non immediate deſcendit, ſed de jure Gentium, quippe quæ ab humano genere in alium, vel alios a genere ipſo diſcretum, vel diſtinctos translata eſt. Mediate vero a Natura, & a Deo eſſe dici ideo debet, quod ipſi Naturæ ingenita in peculiare alterius jus demum translata fuerit.

Eòdem recidit expoſitio, quam adhibent ejuſdem opinionis patroni alii, ut Coccejus uterque ad Grotium lib. 1. cap. 3. §. 5, in Prodromo Jur. Gent. exercit. 2. §. 17, & ſeq., ac de Juſtitia Natur., & Roman. lib 6 cap. 2. §. 621, & ſeqq., ut Gravina in Specim. priſci Jur. § *Virtus*, & de Legib., & SC. cap. 4, ut Vicus de uno univ. Jur. princip., & fine uno §. 60, ut Puffendorfius de Offic. hom., & Civ. lib. 2. cap. 6., ut Heineccius in prælect. Acad. ad hunc locum, ubi Hobbeſium, & Titium refellit §. 9, ut Metaſtaſius de Lege Regia cap. 23. Nempe indubium eſt Deum Naturæ auctorem Leges humano dediſſe generi, eique neceſſitatem juxta leges illas agendi impoſuiſſe. Ideo qui jus quodpiam a Deo Naturæ inſitum negare non extimuere, Glauco apud Platonem de Republ. lib. 2., Epicurus apud Stanlejum in hiſt. vet. Philoſoph. par. 12, Horatius lib 1. ſatir. 3, & Lucianus in Dialogo *Jupiter* inſcripto, quos preſſo ſequi veſtigio Spinoſam, Thomaſium de Jure N., & G. lib. 1. cap. 5. §. 337, & Obſerv. To. 6. obſerv. 27, Hobbeſium de Cive cap. 1. §. 7, & ſeqq. non depuduit, viden, ut profligentur ab Heineccio in Proleg. ad Puffendorfium de offic. hom.

hom., & Civ. §. 1, a Ripero de Legib., a Budeo Theolog. mor. par. 2. cap. 1. §. 10, a Canzio Philoſoph. Leibnit. To. 2. cap. 12. de Legib. divin., a Samuele Coccejo in Grotium diſſert. 8. procem. cap. 1. §. 7, ſeqq., & in novo Syſtem. Juſt. Nat., & Rom. lib. 1. cap. 4. §. 40. ſeqq., ubi Veteribus illis, ac recentibus Philoſophis, qui juris naturalis exiſtentiam inficiari non ſunt veriti, Ariſtippum, Democritum, Pyrrhonem, Diogenem, Archelaum, Traſimachum, Adimantum, Carneadem &c. adjungit, Machiavellum etiam, & Auctorem *Aloiſiæ Sigeæ*, obſcœniſſimæ nempe, *Satyræ Sotadicæ*, ſub nomine Aloyſiæ Sygææ, Hiſpanæ videlicet fœminæ tam genere, quam doctrina, & moribus illuſtris, de qua Joh. Vaſæus in Chron. Hiſp. cap. 9, Nicolaus Antonius in Bibl. Hiſp. &c., cujuſque fœdiſſimi libri parentem Joh. Weſtrenium JC. Hagienſem in Batavia tradunt Chriſt. Thomaſius in Cogitatis circa libros recent. p. 586, & Daniel Georg. Morhofius in Polyhiſt. Lit., Philoſ., & pract. To. 1. par. 1. lib. 1. cap. 8. p. 75. Quoniam vero fruſtra leges illæ conditæ fuiſſent, niſi ſuperior exiſteret aliquis, qui earumdem obſervationem urgeret, tranſgreſſoreſque coerceret, neceſſario conſequitur Imperium aliquod a natura conſtitutum eſſe, ne ſine imperio libera unicuique maneat agendi, quidquid lubet, & pluſquam licet, facultas, impuneque leges poſthabendi. Videſis L. 2. §. 15. ff. de Origin. Juris. Inde patet iterum poteſtatem hanc a Deo utique eſſe, a quo Natura eſt, Roman. cap. 13. v. 1, quippe quæ ipſamet eſt poteſtas exſequendæ, tuendæque Divinæ ipſius voluntatis, quæve Dei ipſius vice exercetur. Unde heic locum habet egregium illud S. Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum cap. 24: *Lex æterna eſt ratio Divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*. Qua de re fuſius Henricus Coccejus in cit. Prodromo Jur. Gent. exercit. 2. §. 17, & ſeq. Patet item in ſola Natura integra poſitum Imperium, ſolamque poſiti Imperii cauſſam eſſe, ut Naturæ jura ſalva inter homines, & integra ſint. Atque ideo extra dubium evadit omne hos intra fines poteſtatem ſuperioris omnem ita conſtringi, quos ſi ſuperior excedat, impotentia fiat, eſſeque deſinat Imperium. Quo in principio, quod nempe juris tuendi cauſſa Imperia ſint conſtituta, omnes convenire Gentes multis confirmat

firmat Guevara in horolog. Princip. lib. 3. cap. 1, notatque Wanchelius. Videndi & Ariſtoteles Moral. lib. 8. cap. 12, & Cicero lib. 1. de Legib. cap 42. Ad tuendum igitur commune jus Naturæ totum concurrere Genus humanum oportuit, ſuamque a quoque voluntatem contribui, ac in medium proprias cujuſque conferri facultates, ut ex omnium & volontatibus, & facultatibus eòdem confluentibus publica volontas exſurgeret, ſummaque conflaretur poteſtas: quarum altera exinde dicta Lex eſt, ſive communis Ratio, aut civilis Sapientia, aut etiam publica Philoſophia; altera vero Imperium, ſive univerſalis Virtus, ſive facultas Univerſorum. Videndi Gravina, Vicus, ac Metaſtaſius loc. ind. Ad ſummam rurſus poteſtatem conſtituendam tergemina concurrere pars neceſſario debuit. 1. Legislatoria, qua tum jus Naturæ vetus, ſiquidem in obſcuro latere videatur, in lucem explicatur, atque ad præſentem rerum ſtatum, prout opus fuerit, applicatur, tum novum pro rerum viciſſitudine, neceſſitateque ſancitur, atque iis, quæ de novo quotidie emergunt, temporum, hominumque incommodis remedium apponitur: 2. Judiciaria, qua Jus exercetur, de hominum factis cognoſcendo, ſuum unicuique impartiendo, &c. 3. Deliberativa, qua effectus ejus, felicitaſque defenditur, inque tuto ponitur: quo pertinent Monetæ, Commercia &c., de quibus fuſe Coccejus in Autonomia Jur. Gent. cap. 6. §. 9, & ſeq., cap. 7. §. 2, & ſeqq., ac in Jure publ. cap. 4. §. 18.

Sequitur hinc, quod ſummæ Poteſtatis ſubjectum natura unum ſit Genus ipſum humanum. Tum quod omnibus hominibus æquale jus ſuas in actiones ineſt, neutri in alterius, omneſque homines natura liberi naſcuntur, nullus ſub alterius poteſtate, adeo proinde, ut nonniſi a toto demum humano Genere in ſingulos exerceri Imperium debuerit. Quare ad Scythiſmum, ſive barbariem eorum amandandam docet Coccejus opinionem, qui dicunt Imperium natura competere fortiori, in qua fuiſſe Germanos ex Mela Geogr. lib. 3. cap. 3, Anſivarios, & Tenchteros ex Tacito hiſt. lib. 4. capp. 62, & 64, Camillum ex Plutarcho in Camil. cap. 26, & Polybium ex hiſt. lib. 6. cap. 2. obſervat. Tum quod, uti dicebam, nonniſi ex uno omnium voluntatum, & facultatum eòdem concurſu una ſuprema ratio conſtitui potuit, quæ

vinculum esset humanæ societatis: Homo enim, velut observat Scaliger de caus. lat. ling., deducitur ab Ὁμῶς, vel ὁμοῦ, ideſt *simul*, quia homo sit τὸ ζῶον πολιτικόν, hoc est *animal sociale*. Quia vero multitudo universa hominum in societatem coacta ad imperandum tota simul inepta erat, ad simul ideſt cogendas in unum omnium volontates: quia etiam multiplicato ultramodum humano genere, dividi inter se familias, gentesque necesse fuit, inde factum, ut potestas a singulis avulsa, & in commune familiarum, aut gentis collata a singulis Civitatibus vel per plures ex dignioribus, vel per Populum promiscue, creatis ex ipso, & ab ipso Magistratibus, exerceretur: in quibus perinde suprema resideret potestas. Quæ potestas demum, sive potestatis forma bello, & pactis mutari, in que singulares personas, sive Principes transferri potuit: Jure belli nempe, quo victor Reipublicæ in se potestatem transfert, victisque deinceps eam regiminis formam tribuere potest, qualem mavult, de quo Grotius lib. 1. cap. 3, & lib. 3. cap. 8: Jure pacti vero, quo in alterius potestatem Civitas libera se transcribit; qui jure deinde vel electionis, vel successionis imperium adipiscetur, de quo Lipsius Polit. lib. 2. cap 4. Quo cum Systemate integre stat. 1., quod singulis jus naturalis defensionis competit: 2, quod Patrifamilias jus pariter in uxorem, & filios incumbit: 3, quod Familiæ, & gentes vel futuræ, vel alió migrantes, neque de Imperio alteri conferendo ut deliberare possint, necesse est; neque Imperium alteri quæsitum facto suo possint auferre. Sermo enim solummodo est nobis de potestate publica, non de privata, aut patria. Neque Familiæ futuræ impedimento esse possunt, quominus legitime a Patribusfamilias ante potestas publica in alium, vel alios transferri potuerit; quæ demum legitime translata ab advenis, vel alienigenis potest transformari. Qua responsione evanescunt protinus, quæ dubitandi de Grotii Systemate occasionem, & scrupulum Samueli Coccejo differt. 8. procem. capp. 2, & 3. injecerant.

Occasione tamen dicti de Jure pacti, quo transferri Regni jus in Principem potest, duo occurrunt dubia, paucis, quoad ejus fieri poterit, resolvenda, ex quorum resolutione præsenti quæstioni de potestatis laicæ origine haud parva lux affundetur. In du-

dubium ſane ex dictis evadit poteſtatem laicam, in quocumque reſideat, intra fines Juris Divini, Naturalis, & Gentium cohiberi. Cujus rei manifeſta eſt ratio, qua dicebamus a Deo O.M. Jus humanæ naturæ inſitum, totoque in genere humano conſtitutum. Unde Principem, utcumque liberum, & abſolutum triplici præcepto de honeſte vivendo, de altero non lædendo, de jure ſuo unicuique tribuendo adſtrictum ire perpetuus eſt in docendo S. Thomas part. 2. quæſt. 90. art. 1. Ante ipſum vero jam pridem S. Auguſtinus de lib. Arbit. lib. 1, quæſt. 67. in Exod., & lib. de vera Relig. cap. 3. de legum conditoribus loquens, ab iis æternam, juxta quam ſuas deinde proferre rite leges queant, ante conſulendam legem docuit: *Ut ſecundum ejus incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore jubendum, vitandumque diſcernant.* Quo pacto recte Prov. 8, & Roman. 13. per Deum Reges regnare, & juſta decernere intelliguntur, rectaque decernendi auctoritatem a Deo accipere. Confer & Cumberlandum de Legib. Nat. cap. 5, Seldenum de Jure Nat. lib. 1. cap. 4, & Samuelem Coccejum de Inſtit. natur., & Rom. lib. 1. cap. 6, ubi Juris naturalis obligationi adjunctum pœnæ metum volunt, quo illud in quocumque ſartum magis, tectumque maneat. Dubitare eſt tamen, an præterea Princeps obligari pactis, ac promiſſis queat. Sed enim, quamvis probanda indiſcriminatim ex parte omni non ſit Ariſtotelis opinio lib. 3. Polit., qua *Regem ex Populi voluntate imperare* ſimpliciter aſſerit, eumdemque ideo in Tyrannum actutum abire, ut a Populi voluntate deſciſcere coeperit: hoc enim eſſet non Regem Populo, ſed Populum Regi præficere: ubi tamen de Regni legibus res ſit, deque pactis cum Rege tranſactis, iiſdem obligari Regem indubium habetur: quæ pariter obligatio ex ipſo profluit jure, quo Principatum adquiſivit, quem nempe cum honore æque perinde, atque cum onere ab eo adquiſitum docent multis Grotius lib. 1. cap. 3. §. 16, Gronovius, & Coccejus ibid. in Not., Moſerus infra citan., &c. quod multis etiam confirmant exemplis. Nam ita Perſarum Reges, qui alioqui Plutarcho teſte de tribus Rerum publ. gener. *αὐτοκράτης καὶ ἀνυπεύθυνος*, ideſt *Summo cum Imperio erant*, jurabant, antequam Regnum adirent, atque leges certa quadam forma latas immutare eiſdem nefas

erat: quæ leges etiam Regni dici ſolebant, teſtibus Joſepho Antiq. Jud. lib. 11. cap. 6, Xenophonte Cyrop. lib. 8. cap. 5, Diodoro Sicul. lib. 17, & Plutarcho in Themiſt., & in Artaxerſe. Confer & Jacchidem ad Daniel. cap. 2. v. 13, & Briſſonium de Regno Perſar. lib. 1. §. 130. pag. 476. edit. Lugd. Batav. 1749. Ad multarum etiam rerum obſervationem obligatos Reges cum Ægyptiorum tradit idem Diodorus lib. 1., tum Æthiopum lib. 3. Epiri quoque Reges jurare ſolitos regnaturos ſe juxta Regni leges ex Plutarcho in vita Pyrrhi diſcimus. Certis etiam legibus adſtrictos Sabæorum Reges referunt Agatharchides apud Photium Cod. 250, & Artemidorus apud Strabonem Geogr. lib. 16. De Heroica Regum apud Græcos ſpecie, iis, ſcilicet, qui ante, & poſt bellum Trojanum, publica de re benemeriti, communibus Populi ſuffragiis Reges (cum tota aliquando poſteritate) deſignati ſolebant, verba faciens Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 14. receptis eos legibus, ac moribus obſtringi juramento (quod per ſceptri elevationem præſtabatur) conſueviſſe teſtatur. Memoriæ quoque prodidit Xenophon de Repub. Lacedæm. apud Spartanos jusjurandum Regis fuiſſe, ſecundum conditas Reipublicæ leges ſe imperaturum. De Theſmothetis apud Athenienſes Julius Pollux Onom. lib. 8. cap. 9, de aliis vero Nicolaus de moribus Gent., ac Pfeifferus Antiq. Græc. lib. 2. cap. 7. Sic item Heraclidarum Reges intra præſcriptarum legum modum imperare obligatos legas apud Platonem de Legib. lib. 3. Regum univerſim Græciæ valde coarctatam Populi volontate fuiſſe poteſtatem, cujus a ſuffragiis majoris res momenti pendebant, tradunt Homerus Odyſs. lib. 3. v. 127, & lib. 8. init., Iliad. lib. 2. v. 53, Euſtathius ad Iliad. lib. 1. v. 144, Ariſtoteles Moral. lib. 3. cap. 5, & Dionyſius Halic., lib. 2. p. 86. Paria de Germaniæ Regum limitata a Populo auctoritate ſcribit Tacitus de morib. Germ. cap. 11. Atque ita de Trajano Imp. tradit Plinius in Paneg. caput ſuum, ſuamque dexteram, ſi ſcienter fefelliſſet, Deorum iræ conſecraſſe. Adrianus perinde juramenti religione ſe devinxiſſe ſe nunquam in Senatorum aliquem, niſi ex Senatus ſententia, animadverſurum, legitur. Similia de Regibus obligationis vinculis obſtrictis legere paſſim eſt, de Gothis apud Caſſiodorum Variar. lib. 10. cap. 16, & ſeq., de Gallis apud Clau-

Claudium Seyſellum de Republica Gall., de Hiſpanis apud Marianam lib. 20. cap. 3, de Polonis apud Chromerum lib. 19, & 21 ac Cranzium lib. 9, de Svecis apud Pontanum lib. 8, de Bavaris apud Moſerum Introduct. in Jus publ. Bavar. cap. 11. §. 60. &c.

Longe difficilior eſt, quæ ſecundo occurrit loco, quæſtio de lege Regia nempe, qua Populus Romanus fertur jus omne ſuum Imperii in Cæſares contuliſſe, de qua inter Juriſconſultos non convenit. Id equidem diſerte affirmant Ulpianus in Leg. 1. *Quod Principi ff.* De Conſtit. Princip., & L. 31. ff. De Legibus, eumque ſequutus Tribonianus in præfat. Digeſt. §. 7, & in dictam L. 1. ff. De Conſt. Princip. Quin legis hujus meminit Alexander Imp. L. 3. C. De Teſtam.; Atque ad hanc pariter legem Regiam paſſim Juſtinianus provocat in §. 6. *Sed & quod* Inſtit. De Jure nat., gent., & Civili: *Populus*, inquiens de Rom. Imperatore, *ei, & in eum omne Imperium ſuum, & poteſtatem conceſſit*: ideſt etiam in ſe, velut interpretatur Theophilus, cui conſentit Duarenus lib. 2. diſput. cap. 19. Quam tamen interpretationem explodit Gerardus Noodtus Obſerv. lib. 1. cap. 3, & diſſertat. de Jure Sum. Imp., & lege Regia. Idem rurſus Juſtinianus in L. 1. §. 7. C. Veter. Jur. enucl. *Quum lege*, repetit, *antiqua, quæ Regia vocatur, omne Jus, omniſque poteſtas in Imperatoriam translata ſint poteſtatem &c.* Qui demum hujus vi legis Imperatores legibus eſſe ſolutos denuntiat L. 3. C. de Teſt., cui jungendæ L. 4. C. de Legib., L. 31. ff., & L. un. §. 14. C. de Caduc. toll. Eamdem vero legem acrius defendendam ſuſcepere plerique, ac præſertim poſtquam in lucem prodiit ipſius fragmentum ope Tabulæ æneæ Capitolinæ, quinque fere ab hinc ſæculis repertæ inſignem toto Orbe prope Baſilicam, ubi celebres olim Lateranenſes ædes erant, Gregorii XIII. deinde juſſu in Capitolium translatæ: ex qua legis Regiæ nomine fragmentum tranſcriptum legitur apud Fulvium Urſinum in Not. ad LL., & S. C., Manutium de legib. c. 2, Pighium Annal. Rom. Tom. 1. p. 17, Roſinum Antiq. Rom. lib. 7. cap. 22, Coraſium Miſcell. lib. 6. cap. 8, Antonium Auguſtinum de Legib. cap 18, Georgium Fabricium Antiq. lib. 1, Marium Salomonem lib. 6. de Princip., Hottomannum Antiq. Rom. lib. 1. cap. 1, Gutherum de Offic. Domus Aug. lib. 1. cap. 31, Briſſonium de For-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Formul. lib. 2. cap.27, Gravinam in Origin. Jur. Civil. de Rom. Imper. §. 24, Gruterum Inscript. p. 242, Noodtum de Jure Sum. Imper., Pitiscum Lex. Antiq. Tom. 2. p. 440. edit. Ven. 1719, Heineccium in Antiq.Rom. Syntag. ad Instit. lib. 1. de Jure Nat., gent., & Civil. tit. 2. §. 6, Ernestum in Excursu ad Tacitum hist. lib. 4. cap. 3, ac nuper apud Leopoldum Metastasium de lege Regia p. XIII. Legem porro hanc Hottomannus inInd. Leg. Roman. eamdem esse putavit cum ea, quæ sub Regno Romuli lata fuerat, quam Regiam etiam vocavit Livius lib. 34. cap.6. Cujacius vero Instit. lib. 1. tit. 2. de Jure nat., gent., & civ. §. 6. censuit eam in Urbe sub primis Regibus revera natam, ac post ad Cæsares revocatam. Goveanus etiam var. lect. lib. 2. cap. 30, nuperque Marius Campianus in Regio Taurinensi Athenæo antecessor lib. de Jurisd., ac Magistrat. Roman. existimant lata revera lege a Populo Romano potestatem suam omnem in Principes fuisse transfusam. Ast contra a Triboniano confictam, adfictamque Ulpiano opinantur Martinus Schookius in Diatriba de lege Regia, Cyriacus Lentulus in Aula Tib. p. 214, & 255, Connanus Comment. lib. 1. cap. 16. §. 3, & Vultejus ad cit. §. 6. Instit. lib. 1. tit. 2. Contra legitimam esse, prout saltem extat in Tabula Capitolina, pugnant Scipio Gentilis Orat. de lege Regia, Conringius ad Lam. pad. p 71, seq., Sutholtus de Jurisd. §. 69. seq., Huberus digress. lib. 1. cap. 16. seq., Raphael Fabretus epist. ad Gravinam in Orig. Jur. p. 231. Boeclerus ad Grotii lib. 1. p. 214, Franciscus Blanchinius, Justus Eccardus, Ernestus &c.

Verum enim vero a Populo Romano in Cæsares Imperium non jure proprietatis, sed jure dumtaxat administrationis fuisse translatum, ideoque Imperii statum mansisse Popularem, solumque in Imperatores transmissum exercitium, atque ideo commentitiam esse legem Regiam, qua parte Imperii proprium jus Imperatoribus fuisse collatum fingitur, receptior opinio est, quam plurimis sustentant documentis Janus Vinc. Gravina lib. de Rom. Imper. §. 24., Gronovius de lege Regia, Schuhart de fatis Jurisp. Roman. excursu 3. cap. 40., seqq., Noodtus de jure summ. Imper., & lege Reg. Oper. T. 1. in fine, & Observat. lib. 1. cap. 3, Heineccius in Antiq.Rom. Syntag. ad Instit. lib. 1. tit. 2. §. 62.,

seqq.,

ſeqq., Tobias Paurmeiſter de Juriſp. Imp. Rom. lib. 1. cap. 19., Coccejus uterque ad Grotium lib. 1. cap. 3. §. 8., Metaſtaſius de lege Reg., aliique hiſce ducti momentis. Equidem ubi Imperium bellis Civilibus inter Syllam, & Marium, inter Cæſarem, & Pompejum, inter Octavium, & Antonium exagitatum, diſcerptum, & laceſſitum rapinis, cædibus, proſcriptionibus, omniſque genus flagitiis innotuit, a Senatu, Populoque Romano expedire judicatum eſt, ut pro eo afflictarum rerum ſtatu Reſpublica ab uno dumtaxat adminiſtraretur; reque ipſa Cæſari ejus adminiſtratio commiſſa, in ſucceſſores continuata eſt: quo plane de Romanæ ſtatu Reipublicæ, neceſſitateque ſe unius adminiſtrationi demandandæ Pomponius in L. 2. 9., & 11. ff. de Orig. Jur., Dio lib. 52.,& ſeq.,Svetonius in Auguſto cap. 28., & Wan-Echius de princip. Jur. lib. 1. tit. 2. §. 32. Procul inde tamen abfuit, ut proprio adminiſtranda ſuſciperetur a Cæſaribus jure, ut potius ex decreto Populi, quo in Cæſares translata fuerant Magiſtratuum jura, Reipublicæ adminiſtratio ab ipſis adſumpta ſit: ut proinde fiduciaria velut poteſtate diverſa pro diverſis Magiſtratibus obirent munia, puta Militare imperium Conſulatu; Proconſulatu, Cenſoriaque poteſtate cognitionem fortunarum, & morum, animadverſionem in Civium capita, ac jus ſupplendi Senatus, aut minus idoneos a Senatu movendi; Jus Sacrorum Pontificatu M.; ac Tribunicia poteſtate jus tuendi Populum contra injuriam, ac Magiſtratus in vincula conjiciendi. Hiſce modis, quibus multorum aliorum ex favore, indulgentiaque Populi acceſſio ſubinde facta eſt, imperaſſe primo Julium refert Dio lib. 42., decreto Populi eumdem plurimis adauctum privilegiis ſubjungens lib. 43., & ſeq. Quibus in locis ideo eum vocat *Reipublicæ Præſidem, & Procuratorem*, vocatumque tradit *Urbis, Imperiique Præfectum*; atque leges, non proprio quidem conſilio, ſed re prius cum Senatus primoribus communicata, tuliſſe teſtatur. Qui ideo parum ſibi cohæret, dum tam Julio, quam deinde Octavio ſummum Imperium delatum aſſerit. Sed ei danda hac in re venia, qui hæc litteris demandabat, poſtquam ab Imperatoribus proprium in jus Rempublicam jam raptam perſpiciebat. Ad hæc defuncto Cæſare, Imperii tam adminiſtratio, quam jus plenum, & integrum ad Populum rediit.

Teſtis

Testis est enim Dio ab eo lege cautum, ne Dictator imposterum crearetur lib. 44. Consulem creatum Antonium, Octavium Tribunum lib. 45. Ne ullus anno diutius Imperio defungeretur, districte vetitum. Octavio, ob contractas privato consilio copias, judicium intentatum, denegatumque Consulatum lib. 46. Leges a Triumviris opera Tribunorum sancitas lib. 47. Rerum ab se præclare gestarum rationem Populo ab Octavio redditam: ob quas varios ei fuisse decretos honores lib. 49. Duumviros Octavium, & Antonium mutuo se se apud Senatum, Populumque accusasse, posteriorique omni cum potestate Consulatum ademptum lib. 50. Apud Actium devicto Antonio, decretos victori Octavio a Populo honores, Tribuniciam potestatem eidem perpetuam delatam, cum potestate ferendi omnibus in Judiciis suffragii lib. 51. Eumdem Consulem factum, Censotemque Provinciarum administrationem cum Senatu, Populoque divisisse. Imperium decennale dumtaxat, quod continuatis decenniis ad obitum perduxit, decreto Populi in Provincias voluisse: neque Regis nomine, neque Dictatoris audiri sustinuisse lib. 53. Veniam legis Voconiæ supra justam portionem Liviæ relinquendam petiisse a Senatu: quam certe non petiisset, si leges in sua habuisset potestate, lib. 56., ac videndus Cujacius Observat. lib. 15. cap. 30. Populum igitur penes sub Augusto Reipublicæ stetisse Imperii summam inde fit evidens: quod probat etiam Bodinus de Republ. lib. 2. cap. 1.

Quo in statu perinde eamdem sub sequentibus Imperatoribus mansisse Rempublicam facile ex Dione, Svetonio, & Tacito docentibus passim Senatum penes judicia stetisse, ex Senatus vero decreto Magistratum, Imperiumque gessisse illos, demonstrari posset. Quibus tamen prætermissis, luculenter id probat Tabulæ Capitolinæ fragmentum, in quo ex Senatus decreto Vespasiano, sub variis officiorum titulis, Imperium, quomodo ex decessoribus suis plerisque, delatum legitur, cujusque decreti sequentia distinguuntur summatim capita. 1. Ut ei fœdus, cum quibus volet, facere liceat. 2. Ut ei Senatum habere, relationem facere, remittere, Senatus consulta per relationem, discessionemque peragere fas sit. 3. Ut quidquid ejus volontate, jussuque, præsente eo, a Senatu decretum esset, id pro jure habe-

retur,

retur, ac si ex lege Senatus edictum fuisset. 4. Ut eorum, quos ipse ad obtinendos Magistratus commendasset Senatui, Populoque Romano, in Comitiis extra ordinem ratio haberi deberet. 5. Ut ei fines pomœrii liceret qroferre. 6. Ut omnia, quæ ex usu Reipublicæ esse censebit, ei agere fas sit. 7. Ut eisdem legibus, ac Plebiscitis, quibus Julius, Octavius, Tiberius, & Claudius soluti fuerant, idem absolutus quoque sit; quæque rogatione Augustum, Tiberium, & Claudium facere oportuit, id totum eidem pariter omnino facere liceat. 8. Ut omnia, quæ ante hoc decretum gessit, rata sint, perinde ac si Populi jussu acta fuissent. Cui decreto addita sanctio, ut si quis Civis jussu Principis contra leges aliquid fecerit, id hujus legis ergo fraudi ei esse non debeat, neque actio in eum sit. Atque hoc ex decreto quidem argumenta, quæ neque plane levia visa sunt Petrarchæ lib. Epist. ep. 4, contra Regiam potestatem olim duxisse Nicolaum de Laurentiis Romæ sub Clemente VI. Populum ad veteris Imperii formam instaurandam sollicitantem liquet ex Bartholomaeo Ferrar. in Polyhistoria cap. 31. Script. rer. Ital. Tom. 24. p. 798, & seq. Jam, quæso, vero, quid hoc decreto Julio, Octavio, Tiberio, & Claudio, quos duos posteriores ab Imperatoris prænomine abstinuisse memorant Svetonius cap. 26, & Dio lib. 57, collatum dicitur, eorumque exemplo Vespasiano confertur, quod ex Senatus, Populique volontate, potestateque totum non proficiscatur? Quod autem Caligulæ, & Neronis hoc in decreto nulla occurrat mentio, in causa fuit denegata utrique par facultas, & potestas: prioris quippe acta fuisse rescissa refert Dio lib. 60.; posterioris vero, tamquam Patriæ hostis, damnata memoria legitur apud Svetonium in Nerone. Caji quoque memoria infamia fuisset aspersa, nisi Claudius potestate Tribunitia intercessisset, Dione teste. Galbæ vero, Othonis, & Vitellii ideo pariter mentio præterita est, quod brevi admodum tempore pro adipiscendo potius Imperio dimicarint, quam illud legitimis adepti fuerint votis: e quibus insuper Galba a Senatu Populi Romani hostibus fuerat adnumeratus, teste Plutarcho in ejus Vita. Vespasianum autem viden, ut hoc ex decreto Imperium titulo officiorum Consulatus, Censuræ &c. administrandum acceperit! Qua de re Gravina de Rom. Imp.

§. 26, & seqq. Viden etiam, ut speciali privilegio Legibus, ac Plebiscitis fuerit solutus, non quidem omnibus, sed iis dumtaxat, quibus Augustum, Tiberium, & Claudium haud teneri fuerat declaratum! Qua de re Coccejus in Grotium lib. 1. cap. 3. §. 8. Suprema igitur potestas Imperii tum adhuc penes Senatum stabat. Ad hæc Militare nequidem imperium sola volontate Militum in Imperatorum persona constitisse sine Senatus Consulto, quo totius Reipublicæ consensus proferebatur, tam ex jure Gentium, quam ex jure Romano comprobat eodem loci Gravina §. 28, & seqq., ac post ipsum Metastasius cap. 38, & seqq. Sic enim Galba sibi delatum a Militibus imperium, antequam a Senatu probaretur, unius se Legati Senatus, Populique Romani titulo profitebatur, testibus Svetonio cap. 10, Dione lib. 63, & Plutarcho in Galba. Otho perinde a Senatu imperium impetrare voluit, notantibus Svetonio cap. 7, Tacito lib. 1, & Plutarcho ibid. De Vitellio tradit Tacitus hist. lib. 2. cap. 55, ei a Senatu tributa, quæ Imperatoribus aliis fuerant decreta. Pari Domitianum ignominia Senatus affeciisse, cujus a conjuratis occisi nomen, ac memoriam damnaverit, imaginibus ubique deletis, legitur apud Svetonium in Domitiano cap. 23. Avidium quoque Cassium a Senatu velut hostem damnatum auctor est Vulcatius Gallicanus ejus vitæ cap. 7, seu verius Lampridius Spartianus, qui Avidii Cassii vitæ scriptor habendus est. Nervam Senatus consensu ad Imperium elatum, & ab eo Trajanum in Imperii consortium adscitum discimus ex Dione lib. 67, & Aurelio Victore in epitome. Hadrianus oblatum a Militibus Imperium tum demum adjit, quum adeundi veniam a Senatu sibi factam agnovit, ut est apud Dionem lib. 69, & Spartianum cap. 6. Antonino Pio ex Senatus consulto Proconsulare Imperium, Tribunitiamque potestatem adhæsisse testatam rem faciunt Capitolinus cap. 5, & seqq., ac Dio lib. 69. Qui apud Herodianum etiam fateri, & profiteri non dubitavit Principatus dumtaxat administrationem se cum Senatu suscepisse. De Marco Aurelio memoriæ prodidit Capitolinus capp. 16, ac 27, eidem invito a Senatu delatum Imperium, cujus in consortium admitti deinde Commodum facile impetravit: quem in posteriorem acriter post mortem a Senatu sævitum liquet ex Dione lib. 73,

Hero-

Herodiano lib. 1, & Lampridio in Commodo cap. 18. Precibus etiam Senatorum Pertinax imperium admiſit, Dione lib. 73, & Capitolino cap. 4, & ſeq. teſtibus. Similiter non abſque Senatus aſſenſu Imperatores inauguratos Didium Julianum ex Dione lib. 73, & Spartiano cap. 3, Severum ex Spartiano in Juliano cap. 5, & ſeq., ac Herodiano lib. 2. cap. 41, Caracallam ex Spartiano in Severo cap. 16, & Dione lib. 74, Macrinum ex Capitolino cap. 7, & Herodiano lib. 5. cap. 2. oſtendunt cit. Gravina, & Metaſtaſius. Heliogabali porro, qui nondum conſulto Senatu, ſola Militum volontate, ſe Imperatorem inſcripſerat, ab eodem Senatu devotam memoriam tradunt Lampridius in Alexandro cap. 7, & Dio lib 79. Quo adhuc vivente, Alexander Severus decreto Senatus Imperator renuntiatus eſt, referentibus Lampridio in Heliog., & & Herodiano lib. 5. cap. 18. Parimodo Imperium non abſque Patrum indulto adgreſſos Maximinum ex Zonara Tom. 2., Æmilianum ex Aurelio Vict., (quos ambos poſtea a Senatu damnatos ſcitum eſt), Gordianum ex Capitolino cap. 10., Philippum Arabem ex eodem Capitolino in Gordiano cap. 31, Marcum ex Zonara To. 3. in Gord., Severum Hoſtilianum ex eodem, Gallum, & Perpennam ex Aurelio Vict. de Cæſar. n. 31, & Auctore hiſt. Miſcellæ, Decium ex eodem Aurelio n. 25, Valerianum ex Trebellio Poll., & Zoſimo, Gallienum ex Eutropio, & Aurelio Vict., Claudium II. ex Zoſimo lib. 1, & Trebellio, Quintillium ex Eutropio lib. 9, & Zonara To. 2, Aurelianum ex Zoſimo lib. 1, Zonara, & Vopiſco in Aureliano cap. 41, (qui & notat Florianum Taciti fratrem Cæſarum numero nunquam habitum, ideo quod Imperium præ ſe tanquam hæreditarium ſumpſiſſet), Probum ex Vopiſco cap. 11. iidem Duumviri demonſtrant: non ſecus atque publica judicia Senatus fuiſſe propria, legeſque ferendi poteſtatem, adeoque ut ab ipſo ad Imperatorem provocare nefas foret ex L 3. C. *Qui manumitti*, L. 4. ff. *De accuſ.*, L. 2. in princip. ff. *Hæredit. petit.*, L. 1. §. 1. ff *De fugit.*, L. 1. C. *De Compens.*, L. 64. in princip. ff. eodem, L. 52. in princ. ff. *Donat. inter vir.*, & *uxor.*, L. un. §. 1. ff. *De libertat. univer.*, L. 7. §. 1. ff. *De Oper. publ.*, L. un. C. *De Senatu*, & L. 8. C. *De Legib.*, L. *Quominus* ff. *De flumin.*, L. 2. *Si Servus* ff. *De Cuſtod. reor.*, L. *Quum quidam* 12.

ſt. *De his, quibus*, L. *Amiſſione* §. 1. ff. *De Capit. dimin.*, L. *Non tantum* 17. §. 1. ff. *De excuſat.*, aliiſque longe plurimis confirmant. Quibus junge Briſſonium Antiq. lib. 1. cap. 16, ubi adnotat ſententias in Senatu dictas a Juris interpretibus paſſim accipi pro Senatus Conſultis conſueviſſe, & cap. 15. præced. ex Svetonio cap. 12. obſervat Claudium jus nundinarum in ſua prædia a Conſulibus petiiſſe, ſeu verius a Senatu ope Conſulum, ut advertit ibid. Trekellius; Cujacium Obſerv. lib. 1. cap. 18, quo loci Orationes etiam Principum Senatus Conſultis confirmari ſolitas obſervat, Noodtum Comment. ad Pandect. pag. 62, Gerardum Arnaldum Conject. lib. 11. cap. 20, a quibus tam Principum Orationibus, quam Senatus Conſultis legum nomen ſæpius inditum adnotatur, & Coccejum ad Grotii lib. 1. cap. 3. §. 8, ubi hoc plane modo penes Senatum Imperii poteſtatem ſtetiſſe perinde ducentos poſt annos, quam Veſpaſiano tam ampla fuiſſet collata, late demonſtrat, ideoque legem Regiam nullam extare, qua ex parte Imperii poteſtas jure proprietatis in Imperatores translata fuerit, ſed eam ad proprium jus præſumptum adſtruendum perperam fuiſſe intortam. Denique ex Chriſtianis omnium primo Imperatori Conſtantino M. etiam primas imperandi partes, Maxentio poſthabito, a Senatu fuiſſe tributas fide affirmat ſua Lactantius de Mortib. Perſecut. cap. 44, ac videndus Tillemontius Art. 27. Viciſſim autem Senatui priſtina, quæ turbata Maxentii crudelitate fuerant, jura a Conſtantino reſtituta fuiſſe auctor eſt vetus ejus Panegyr. Nazarius editus a Levinejo Antuerp. 1599. p. 137, aliiſque ſubinde, de quibus fuſe Fabricius Bibl. Latin. T. 1. lib. 2. cap. 22. p. 617. Quæ denique Senatus jura ſub Græcis adhuc Imperatoribus clara, & illuſtria manſiſſe oſtendere conatur Metaſtaſius cap. 41. Atque hinc primo quidem repetundum jus, quo demum ſub Leone Iſauro in Rom. Pontificem Imperii ſuprema poteſtas translata eſt, nemo probe non intelligit.

Juxta hæc igitur, ut ſermoni jam vela contrahantur, Civilis poteſtatis ſummam penes Populum ab initio ſtetiſſe patet, a quo in perſonam deinde aliam transferri legitime potuit. Atque manifeſtum fit amplius iſtud Populi jus ex S. Scriptura: nam 1. Reg. cap. 8. Samuelis loco regendo Populo Judicis nomine a Deo ipſo con-

conſtituto, Judæis poſtulantibus Regem adnuere Samuelem Deus ipſe juſſit, Rege deſignato, electoque Saule. Quo loci quidem an Deo potius, quam Populo tam Regia inſtitutio, quam Jus Regis ibidem a Samuele deſcriptum accepta ſint referenda, haud levis inter Doctos intercedit diſputatio. Priori ſententiæ adhærent quidem Pineda de Rebus Salom. lib. 1. cap. 2., Puffendorfius in Analect. Polit. p. 68, Carpzovius in Not. ad Schikardum de Jure Reg., Salmaſius in defenſ. Regia, Calovius ad cit. S. Script. locum, Marshamus in Can. Chron. p. 238, aliique apud Wandalinum lib. 1. de Jure Regio cap. 3, ſeq. Contra vero poſteriorem ſententiam præferunt, atque tam Populi ſuffragiis Samuelis electionem deberi, quam eidem Populo a Deo permiſſum dumtaxat Regis jus docent S. Cyprianus epiſt. 65. ad Rogat. *Iratus Dominus*, inquiens, *dixit*: Non te ſpreverunt. *Et ut hoc ulciſceretur, excitavit ipſis Saul Regem, qui illos injuriis gravibus affligeret &c.*, Clemens Alexand. Pædag. lib. 3. cap. 4. *Petenti*, ſcribens, *Regem Populo non humanum pollicetur Dominum, ſed quendam inſolentem ipſis minatur Tyrannum*, S. Hieronymus in Oſeæ cap. 7. *Saul*, inquiens, *non ex volontate Dei, ſed ex Populi errore Rex factus eſt*, S. Gregorius M., Sulpitius, V. Beda, aliique laudati a Wandalino lib. 1. de Jur. Reg. cap. 2, ad quos acceſſere deinde Sigonius de Rep. Hebr. lib. 7. cap. 3., ejuſdemque adnotator Laurentius Abbas Maffejus in Not. 82., & 83. lib. 1., & in lib. 7. Not. 10., & 11., Procopius apud Pinedam loc. cit., Leydecherus de Republ. Hebr. p. 432., Gisbertus Voetius Tom. 4. diſſert. ſelect. p. 214., Joh. Miltonus in defenſ. Pop. Anglic., Sidnejus de Regim., Barclajus lib. 3. contra Monarchomachos cap. 2., aliique, quibus aperte ſuffragari Scriptura ipſa videtur 1. Reg. cap. 11. v. 14., & cap. 12. v. 13., ubi Populo Sauli electio tribuitur. Eodem lib. 1. Reg. cap. 16. Saule abdicato, Regem eligere Davidem Samuel a Deo jubetur: qui nihilominus nonniſi quindecim poſt annos ab univerſo Populo electus eſt 2. Reg. cap. 5., qui eo uſque in Regem ſuſceperat Isboſeth 2. Reg. cap. 2. v. 8, ſeqq. Davidem excepit Salomon, non abſque tamen Populi conſenſu 3. Reg. cap. 1. v. 38., hunc vero Roboam, a quo tamen ſubinde Iſraelitæ undecim conflantes Tribus, ſeceſſione facta, in Jeroboamum Regni

jus

jus transferre non dubitarunt, Deo ipso translationem istiusmodi adprobante, 3. Reg. cap. 12. v. 20., seqq. Atque hæc quidem Monarchica regiminis forma apud Hebræos integra per annos fere quingentos, ad Captivitatem usque idest, permansit, qua post annos septuaginta laxata, novam subinde per annos quadringentos ferme rationem induit Democraticam, in Pontifices rerum Civilium summa translata: de qua Josephus Antiq. lib. 20. cap. 8. Donec Macchabæi insigni fortitudinis miraculo excusso Syriæ Regum Imperio, in propriam se efferre, assererequeque potestatem, ac libertatem adsumpsere lib. 1. Macchab. cap. 2., & seqq.; e quibus demum Aristobulus Regiam instaurare dignitatem adgressus est; quæ item post annos quadraginta quinque circiter desiit tandem, in Romanos Imperio translato. Videndi Lamy Introd., Pridæus hist. Jud. par. 2. lib. 15., Levvis antiq. Reipub. Hebr., Joh. Eberhardus Rau de Synag. Magna par. 1. cap. 3, & par. 2. sect. 1. cap. 1., Thomas Stackohuse Theolog. speul., & pract. Tom. 3. cap. 4. sect. 3. Junge, quod Hebræorum Regnum aliqui vi, ac tyrannide occuparunt, ut Regnum Judæ Athalia 4. Reg. 11., Israel vero Zambri 3. Reg. 16., Sellum 4. Reg. 15., Manahen, Phacee, & Osee ibid., alii vero a Regibus Ethnicis Judæorum Regno præfecti sunt, ut Joachim a Pharaone Rege Ægypti, & Sedecias a Nabuchodonosore Babylonis Rege 4. Reg. 23., & seq. Quod non est aliud, quam juris humani Regiam institutionem esse: de qua Beccanus etiam in Analogia Vet., & Novi Test. cap. 17. q. 5. De concursu etiam Populi in electione Roboami clarus est textus 3. Reg. 12. v. 1., Jeroboami ibid. v. 20., Ochoziæ 2. Paralip. 22. v. 1., Oziæ 2. Paralip. 26. v. 1., Josiæ 2. Paralip. 33. v. 25., & Joachaz eod. lib. 36. v. 1. Etsi vero daretur Judæorum Populo datos a Deo Reges, non ita dandum etiam Christianorum Regum institutionem Divino inniti jure, de quo ne γρῦ quidem, nihilque vel levis vestigii in novo Testamento adparet, neque de medio quopiam a Christo D. instituto constat, ex quo illorum Divina institutio deprehendatur: quum e converso ex Sacramenti Ordinis Divina institutione statim ad Ecclesiasticæ potestatis a Deo institutæ cognitionem adsurgimus. Omne vero extra dubium manet Ethnicorum Regum institutionem uni hominum

num volontati referri acceptam deberi, nihilque in ipſa proprium quidpiam Deum habuiſſe. Ante Diluvium utique, & quidem a Caino Regiam imperandi rationem inductam opinatus videtur S. Auguſtinus de Civit. lib. 15. cap 20. Ut tamen monumenta deſunt, quibus vel conjectando, qualis tum fuerit Regiminis ratio, aſsequi poſſimus, verior opinio eſt, & Patria familias, & Patriarchali gentes in Reipublicæ ſocietatem coeuntes poteſtate regi ante diluvium conſueviſse. Poſt diluvium Reges ubique terratum, uſque ad Ninum, qui imperii ſummam adminiſtrarent, communibus gentium ſuffragiis eligi ſueviſse auctor eſt Juſtinus hiſt. initio. Quem etiam morem apud Sinenſes ab exordio imperii obtinuiſse uſque ad Yuvo, a quo prima Dynaſtia cepit, obſervat Martinius in Atlan. Sinico. Horum vero Regum nimis arctos intra confines poteſtatem fuiſse conſtrictam docent Juſtinus hiſt. lib. 1. cap. 1., Dionyſius Halic. lib. 5. p. 336. ſeq., Diodorus Sic. lib. 1. p. 80., & lib. 3. p. 177., ac Tacitus de mor. Germ. capp. 7., & 11., ac inde adparet, quod ſub ætatem Abrahami in univerſa Sodomæ Valle quinque imperabant Reges Gen. 14. v. 8., in Palæſtina a Joſue 31. Reges profligati ſunt Joſv. 12. v. 24., & ab Adonibezeco Reges 70. devicti leguntur Jud. 1. v. 7. Plures in dominationes partitas Ægyptum ſuper., & infer. tradunt Euſebius præp. Evang. lib. 9. c. 27., & Marſhamus in Canon. 25., & 29., Sinas, & Japponiam legitur in antiq. relat. Ind., & Sin. p. 186., & Journal des Scav. Jun. 1688. p. 15., ac Jul. 1689. p. 319., Africam, & Americam oſtendit Goguet Orig. leg. Art., & Scient. To. 2. lib. 1., Mexicum Acoſta lib. 7. fol. 333, Græciam quam maxime Goguet ibid., de cujus Regum poteſtate valde Populi volontate coarctata Vet. Scriptorum documentis oſtendit part. 2. lib. 1. cap. 4. Art. 7. Itaque non ante ſæculum Mundi XX. Monarchicam regendi formam inductam fuiſſe concors Eruditorum fert opinio: atque hanc quidem apud Æthiopes, & Ægyptios inlatam a Oſiride, Græcis Dionyſio, Latinis Baccho, Hebræis Miſraim filio Ammonis, ſive Chami, de quo Herodotus lib. 3., Diodorus lib. 2., & 3., & Plutarchus de Iſide, & Oſiride. Apud Babylonios, & Aſsyrios vel a Belo juxta Servium in Æneid. 1., vel a Nino juxta Euſebium in Chron.: Belus vero is eſt Chus; alias

Jupi-

Jupiter, Ninus autem idem est cum Nembroto, de quo Diodorus lib. 1., & Chronicon Alexand. pag. 84. Apud Græcos vel ab Egialeo Sicyoniorum primo Rege, juxta Castorem apud Eusebium in Chron., vel a Patre Phoroneo Inachi primi filio, primique Argivorum Regis, juxta Hyginum lib. 1. Fabul. 143., de quibus Apollodorus lib. 3. cap. 1., Pausanias lib. 2. cap. 15., Plinius lib. 7, Plato in Timeo, Clemens Alexand. Strom. lib. 1. p. 321., Eusebius in procem., Scaliger ibid., Vives ad S. August. de Civit. lib. 18. cap. 3., Pichenas ad Tertulliani Apolog. cap. 19. n. 6., & Havercampus in fragmentum Tertull. ad hoc ipsum caput pertinens in Append. Apud Sinenses ab Yuvo, a quo prima Dynastia *Hiaa* dicta cœpit, de quo Riccius apud Bartholum hist. Chin. lib. 1., Martinius hist. Sinic. lib. 2. p. 48., & D. Bruzen la Martiniere introd. in hist. Asiæ tom. 1. cap. 2. Videndi & Petavius in Rat. Temp., Marshamus in Canon. Chron., Vossius de Idolol. lib. 1. capp. 24., & 27., Newtonus in Chronolog. veter. Regnor. emend., Franciscus Blanchinius hist. univ. capp. 20. 22., & 30. Pezronius Antiq. temp. rest., Ducheſnius in comp. hist. vet. lib. 1., & 4., Souciet in Fastis Mundi, Perizonius in antiq. Ægypt., Tourneminus dissert. 9. de Chronolog. Assyr., D. Sevinus in dissert. inserta Monum. Acad. Tom. 5. pag. 331., D. Goguet Origin. Leg. Art., & Scient. Tom. 1. lib. 1., ac Fourmontius Reflex. Critiq. Tom. 2. lib. 3. capp. 6., 10., 13., 16., 17., & 20.

Tam vero humana est Laicæ potestatis origo, atque humanis Reipublicæ legibus obligantur Legumlatores, quam humani extra juris fines latæ a potestate laica leges non egrediuntur: quod primum Imperii haberi debet officium, ad quod velut ad caput supremum cetera facile rediguntur, veluti pœnas infligendi potestas, potestas judiciaria, belli, ac fœderum jus, jus constituendi Ministros, ac Magistratus, ac jus vectigalia, & tributa imperandi: quæ intra quinque ferme Imperii Majestas constringitur, de quibus diserte præ aliis Puffendorfius de Officio hom., & Civis lib. 2. cap. 7., Heineccius in prælect. Academ. ad hunc librum §. 2., & seqq., Thomasius in Jurisp. divin. lib. 3. cap. 6., Henricus Coccejus in Jure publ. cap. 23., ac filius Samuel de Justit. Nat., & Rom. lib. 6. cap. 2. §. 631. &c. Tam vero nimis suo in sensu abundat,

dat, quam toto a veritate abhorret oſtio Hobbeſius, ſive dum de Cive cap. 6. §. 16. docet Principum eſſe crimina pro lubitu definire, ſive dum cap. 14. §. 10. definit ipſe juris eſſe naturæ, quæcumque Princeps præceperit: cujuſmodi plane doctrinæ abſurditatem ſequentia demonſtrant. Porro legum latores inter plurimos, de quibus luculenter ſcripſere Theophraſtus,& Apollodorus apud Laertium, Callimachus apud Athenæum lib. 13. p. 585:, Heraclides Ponticus apud cit. Laertium lib. 5. p. 87., & Plutarchum in Solone, Hermippus apud Pollucem lib. 10. cap. 26., Athenæum lib. 4. p. 154., & lib. 14. p. 619, Porphyrium lib. 4. περὶ ἀποχῆς, & Origenem lib. 1. contra Celſum, quos omnes temporum iniquitas nobis invidit, inter legum, inquam, latores, quorum memoria ſuperfuit, quoſque viciſſim, unum ab altero, Latinos a Græcis, Græcos a Phœniciis, Phœnices ab Ægyptiis, Ægyptios, Chaldæos, & Aſſyrios ab Hebræis leges mutuaſſe docent Philo Byblius apud Euſebium præp. Evang. lib. 1., Herodotus lib. 2, Diodorus Sic. lib. 1, Strabo lib. 17, Ammianus Marcellinus lib. 22. cap. 16., multiſque prolatis documentis oſtendunt Huetius demonſt. Evang. prop. 4. capp. 8,& 11, Thomaſinus de Poet., Auctor Homeri Judaizantis, Claſſenius in Theolog. gentili, Lavaur in præfat. hiſt. Fabul. to. 1, Morhofius in Polyſthore lit. Philoſ. lib. 1. cap. 10, & lib. 2. cap. 4, Fourmount in Reflexion. Critic. ad hiſt. veter. Popul. lib. 2, ſeqq., Tob. Eckardus de antiq. Philoſ., & Theolog. Hebr. To. 8. Miſcel. Lipſ. p. 246, Bannier Mytholog. lib. 1, ſeqq., Goguet in Origin. Leg., art., & ſcient par. 1, & 2. lib. 1, & ſeqq., aliique, adeo ut Spencerus de legib. Hebr. ritual., & Marſhamus in Can. Chron. Hebraicarum legum originem ab Ægyptiis potius repetere conati oppugnandos ſe ultra dedere Witſio in Ægyptiacis, Fraſſenio diſquiſ. Biblic. lib. 1. cap. 4,& ſeq., Natali Alex. in Ætate IV. Vet. Teſt., Weyennio in Var. Sacr., Ludovico Ferrando par. 4 Obſerv. de Relig. Chriſt., Jac. Triglandio de Origine, & Cauſſ. Rit. Moſaic., Weidlero diſſert. de corruptis legum Hebr. rationibus, Eduardo Bernhardo ad Joſephi libb. 3,& 4. Antiq. Judaic., Outramo lib. de Sacrific., Cloppenburgio in Schola Sacrif., Wolfango Franzio de Sacrif., Puffendorfio de Jure feciali, & Divino,

Joh. Dan. Jacobo de Legib. Mosaic. To. 1. Miscel. Lipsi. p. 453. Muhlio in Apodixi prophetica &c., inter legum latores, inquam omnium princeps leges hominibus dediſſe fertur Ceres apud Virgilium Æneid. 4. v. 57., Ovidium Metam. v. 343, Callimachum hymno in Cererem, & Plinium hiſt. lib. 7. cap. 56.: quæ ideo in majorum Deorum, quos Cabiros vocabant, quibuſque celebre Templum in Ægypto dicatum extabat, a Cambyſe poſtea everſum, teſte Herodoto lib. 3., numerum relata ab Ægyptiis fertur, eique in agro Thebano Templum ſub Caberiæ Cereris nomine exſtructum refert Pauſanias; quamque ideo Theſmophoriam dictam obſervat Servius ad Virgil. Æn. 4. v. 57.: qua de nomenclatione Diodorus Sic. etiam lib. 5. p. 201., Voſſius de Idol. lib. 2. cap. 59, de la Chauſſe de Deor. Simul. tab. 6., & Kippingius antiq. Rom. lib. 1. cap. 1. §. 15. Quamquam eamdem apud Ægyptios Cererem, atque Iſidem fuiſſe, a qua primum leges Ægyptii acceperint, ex Diodoro lib. 5. p. 201, & 232. notat Gregorius Gyraldus hiſt. Deor. ſyntag. 12. p. 384., & ſyntag. 14. p 427. To. 1. edit. Lugd. Batav. 1696. Babyloniis, Aſſyriis, & Perſis leges tuliſſe Zoroaſtrum indicat Euſebius præp. Evang. lib. 1. p. 42., tradit vero Auctor libri Sadder e Zoroaſtri libris congeſti apud Thomam Hyde in Append. hiſt. Relig. Perſar. Unus ne porro Zoroaſter, qui Arabibus eſt Zerdusht, fuerit, an plures, dubitavit olim Plinius lib. 30. cap. 1, ac diſputant Scriptores apud Fabricium Bibl. Græcæ T. 1. lib. 1. cap. 36. p. 243., ex Arnobio adv. Gentes lib. 1. n. 36. quatuor Naudæus in apolog. magn. Viror. cap. 8., tres Salmaſius exercit. in Plinium p. 855., duos Urſinus lib. de Zoroaſ., Hermete, & Sanchun., Eutychius in Annal. T. 1. p. 63, & 263., & Abulfaragius apud Herbellotum Bibl. Orient. p. 931. quintum ex Plinio loc. cit., & Suidas in Ariſteas T. 1. p. 323., quin etiam ſextum ex Apulejo in *Floridis*, de quibus Bochartus in Phaleg. lib. 4. cap. 1., Stanlejus de Chald. Philoſoph. ſect. 1. cap. 2., Hiſtoria univerſ. Angl. To. 4. p. 51., & ſeq., Bælius in Dict. Art. *Zoroaſter*, unum dumtaxat verius colligunt Goropius Becanus in Orig. Antuerp., Thomas Hyde de Relig. vet. Perſar. cap. 24, Jo. Franc. Budeus hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt. To. 1. p. 438, Iſaacus Beauſobrius hiſt. Manich. To. 1. p. 361, Humfridus Pridæus

dæus hiſt. Judæor. &c. T. 1. p. 384, edit. Ven. T. 2. p. 29, ſeqq. in eadem fuiſſe opinione Agathiam lib. 2, Abulfaragium, Abulfedam, Shareſtanum, alioſque Orientales confirmans, Hiſtoriæ Univerſ. Angli Scriptores T. 4. p. 51, & Jacob. Georg. Chauffepiè in Dict. hiſt. Crit. T. 4. V. *Zoroaſter* p. 832. Quis vero ſub Zoroaſtris nomine latuerit, ingens etiam inter doctos lis eſt. Nam Adamus viſus eſt Cluverio, Chamus Pſeudoclementi Recog. lib. 4. cap. 27, & homil. 9. cap. 3, Caſſiano, Petro Comeſtori, Kirchero in arca Noe, Scipioni Sgambato in Archivo Vet. Teſt., Clerico hiſt. Medicin. p. 9; Chus S. Gregorio Turon., Nembrodus Auctori Recogn. Clem. lib. 1. cap. 30, Victori Maſſil. Car. 3. in Geneſ., & Saidio Ebn-Batrik in Annal. Alexand., Miſraimus Auctori Chronic. Alexand., Aſſur Procopio Gazæo, & S. Epiphanio, Abrahamus aliis apud Fabricium Bibl. Græc. To. 1. p. 243, Bileamus Moyſi memoratus Georgio Hornio hiſt. Philoſoph. lib. 2. cap. 6, Moyſes Huetio demonſt. Evang. prop. 4. cap. 5., Pamphylius Er, ſeu Erus Armenius, Platoni memoratus de Republ. lib. 10, Clementi Alexand: Strom. lib. 5. p 598, ab Abrahamo edoctus, Jo. Jeſſenius in *Zoroaſtro*, Diſcipulus Eliæ Abulfaragio hiſt. Dynaſt. 5. pag. 54, Famulus Jeremiæ Bandaro ex Abu-Japhar Taberita hiſtorico Arabe apud Hyde Relig. Vet. Perſ. cap. 34. p. 314, Eſdræ famulus Abu Mohamedi Muſtaphæ hiſtorico Arabi ibid. p. 313, Famulus Ezechielis, aut potius Danielis Pridæo hiſt. Jud. par. 1. lib. 4. p. 31. edit. Ven., Oſiris Abunephio, Mithras Kirchero in Oedip. Ægypt. p. 216, aliuſque aliis, de quibus adeundi Herbellotus Bibl. Orient. VV. *Abraham*, *Abeſta*, *Zoroaſter*, Otho Heurnius in Barbaricæ Philoſ. antiquit. lib. 1. p. 28, & lib. 2. cap. 1, Fabricius Cod. apocr. vet. Teſt. T. 1. p. 299. in Not., & Bibl. Græc. T. 1. cap. 36, Huetius dem. Evang. prop. 4. cap. 5, Pridæus hiſt. Jud. par. 1. lib. 4., & Jacobus Brukerus hiſt. Crit. Philoſoph. T. 1: lib. 2. cap. 2. §. 10. p. 118, & ſeqq. De tempore quoque, quo Zoroaſter vitam traduxiſſe fertur, in diverſiſſimas ſententias apud Veteres, & Recentiores itum eſt. Eum Platone ſex millibus annorum vetuſtiorem finxere Eudoxus apud Plinium lib. 30. cap. 1, & Ariſtoteles apud Huetium loc. cit. Annorum quinque millibus Trojanum bellum

præcessisse tradidere Hermodorus apud Laertium in procem., & Hermippus apud Plinium loc. cit., a quo confutantur, eo bello annis sexcentis Plutarchus de Iside,& Osiride, ac dumtaxat quingentis, non etiam millibus quinque, ut ei Huetius affingit, antiquiorem eum facit Suidas V. *Zoroaster* To: 2. p. 15. edit: Cantabrig. 1705. Sunt, qui Abrahamo paullo anteriorem, ac Nini æqualem faciunt, ut Persæ aliqui apud Pocockium ad Abulfaragium p. 147. A Zoroastre ad Xersis transitum sexcentos annos numerat Xanthus ydius apud Laertium in procem.: quo in loco tamen erratum, ac pro ἑξακόσια positum in duobus MSS. ἑξακισχίλια contendit Menagius. Xersis porro Diabasin mille circiter annis Moysis obitus antecessit. Homero longe juniorem faciunt alii, atque vel Cyri Reg. Avum fuisse volunt, velut Ismael Abulfeda in hist. cap. de Persis, vel Cambysis æqualem ponunt, veluti Said Ebn-Batrik, & Gregorius Abulfaragius hist. Dynast. 5., post Apulejum in Florid., qui eo Magistro usum Pythagoram affirmat, & Eutychium in Annal. Alex. T. 1. p. 263, vel denique sub Dario Hystaspe collocant, uti Persæ recentiores apud Agathiam lib. 2. p. 62, quibus adstipulantur Pocockius in Abulfarag. de morib. Arab. p. 147, Hyde cap. 21., & Pridæus loc. cit., sed contra multis Darium hunc sæculis Zoroastrum antevertisse ostendere conatur Moylius in epist., qua etiam de re præter Scriptores mox memoratos, adeundi, si placet, Brissonius de Regno Persar. lib. 2. §. 57., & seq., Schroetter in diatriba de Jurisp: Persar. Vet. cap. 1. n. 5., & seq., & Morhofius in Polysthore liter. To. 1. lib. 1. cap. 10: num. 9. Sed enim, hæc utcumque se habeant, a Ninia Semiramidis filio, quem Regem an. 1699. ante Christ. Æram facit Goguet Origin. leg. Art., & Scient. T. 1. lib. 1. art. 3., leges Assyriis datas fide affirmant sua Diodorus lib. 2., Justinus lib. 1. cap. 2., & Nicolaus Damascen. apud Valesium in Excerpt. p. 425.

Ad gentes proficiscendo nunc alias, ab Hermete Græcis, Latinis Mercurio, Taaut Phœnicibus, Alexandrinis Thoot, Thoyt, vel Theut Ægyptiis, quibus de notionibus fusius Philo Byblius, & Porphyrius apud Eusebium præp. Evang. lib. 1, Lilius Gyraldus hist. Deor. lib. 10; & Natalis Comes Mytholog. lib. 5. cap. 5,

Ægy-

Ægyptios leges accepiſſe tradunt Plato in *Protbagora*, qui eidem literarum etiam tribuit inventionem in *Phædro*, & *Philebo*, cuique adhæret Plinius lib. 7. cap. 56, Diodorus Sic. lib. 1. p. 94, qui addit ab ipſo leges Ægyptiis promulgandas accepiſſe Mnevem, ſcriptoque tradidiſſe, cuique adſtipulatur Joh. Henr. Urſinus de Zoroaſtro, Mercurio, & Sanchun. exerc. 2. ſect. 2. p. 80, ſeqq., Cicero de Nat. Deor. lib. 3, & Ælianus lib. 14. cap. 34. Quinque porro hoc Hermetis nomine, ſeu Mercurii nuncupatos, tres Græcos, duos Ægyptios memorat Cicero loc. cit., quo tamen loci eum lapſum notat Marshamus in Can. Chron. ſect. 1. p. 35. Plures etiam diſtinguere videntur Arnobius, Lactantius Grammaticus in Thebaid. lib. 4, Servius, aliique apud Gyraldum Syntag. 9. p. 302. Duos tantum verius, ac poſteriorem litterarum grammaticarum inſtauratorem, Triſmegiſtum ideo dictum, ac Moyſe juniorem, ponunt Manetho apud Syncellum p. 40, Euſebius apud Marshamum p. 241, S. Auguſtinus etiam de Civit. lib. 17. c. 37, ac videndi, ſi lubet, Witſius in Ægypt. lib. 2. cap. 5, Borrichius de Herm., & Ægypt. ſap., Moshemius ad Cudvvorthi Syſtema intellect. cap. 4, & Brukerus hiſt. Crit. Philoſop. Tom. 1. lib. 2. cap. 7. §. 4. Hæc de nomine quidem, ac de numero: quæ vero de Hermetis natura circumferuntur opiniones, tam inter ſe diſtant, quam ut probabilis quidpiam ſtatui prudenter queat. Hunc non hominem, ſed Deum ipſum, ſeu Divinam Sapientiam ita denominatam exiſtimarunt Goropius Beccanus, & Cluverius in antiq. German. E Cabiris Diis unum tradit Diodorus lib. 5, atque Caſmillum quidem, ſive Cadmillum denominat Plutarchus in *Numa*, eique templum Memphi vetuſtiſſime exſtructum ſcribit Herodotus lib. 3. cap. 37. Eum cum Saturno, ſeu Cælo confudit Varro de ling. latin. lib. 4. cap. 9. Deum Paſtorum ex Homero Iliad. deduxit Pauſanias in Corinth. lib. 4. Deorum tantum miniſter, qualis veteri Etruſcorum lingua Caſmillus denotabatur, Romanis eadem quoque notione, in Sacris quammaxime, uſurpatus, viſus eſt Dionyſio Halicar. lib. 1, Feſto in Fragm., Macrobio Satur. lib. 3. cap. 8, & Servio ad Æn. 11. Scribam itaque ſtatuerunt vel Saturni, ut Sanchuniaton apud Euſebium præp. Evang. lib. 1. cap. 9, vel Oſiridis, ut Diodorus lib. 5, & Lucianus in

Dia-

Dialog., vel magis Regis alicujus Ægypti Consiliarium, ut Brukerus hist. Crit. Philos. lib. 2. cap. 7. §. 3. Eo nomine occultam naturæ vim dumtaxat denotatam contendit Conrigius de Hermetica Medicina cap. 7. Cum ipso Adamo confusus est, vel cum Josepho Patriarcha a Theophilo Galeo lib. de Philosop. gener. cap. 1. §. 6, Scipione Sgambato in Archiv. vet. Test. p. 205, & de Lavaur hist. fabul. in præf.; cum Henocho a Kirchero in Oedipo Ægypt. To. 1. p. 67, 79, & 114; cum Chanaamo a Joh. Chr. Kriegsmanno in Conjectaneis ad Tacitum de morib. Germ., & a Bocharto in Phaleg p. 1. lib. 1. cap. 2; cum Moyse ab Artapano apud Eusebium præp. Evang. lib. 9. cap. 27, ab Auctore Chronici Alex., ab Auctore Hypomnematis, sive Comment. in Hexamer. sub Eustathii Antioch. nomine, ab Hermanno in Act. Philosop. T. 2. p 687, seqq., & ab Huetio demonst. Evang. prop. 4. capp. 3, & 4; cum Fauno Italiæ Rege ab Auctore Chronici Paschal. p. 44, & seq.; cum Vulcano, Helio, & Osiride a Diodoro lib. 1., & ab Auctore Chron. Alex. p. 45. Denique purum, putumque figmentum esse, quidquid de Thot isto ferunt Ægyptii, sive de Hermete Græci, contendit Ursinus exerc. 2. de Zor., Merc., & Sanch. sect. 2. p. 80, & seqq. Sed & ejusdem nomine tandiu jactata scripta nedum non Moyse, sed ne Homero quidem antiquiora esse, fabulisque consarcinata viris doctissimis jamdiu persuasum est Marshamo, Casaubono exerc. 1, Ursino, Conringio, Borrichio, Heineccio Elem. Philos. part. 1. cap. 2. §. 19, Fabricio Bibl. Græc. Tom. 1. lib. 1. cap. 7. p. 47, & seq., tametsi iisdem aliqua immixta, quæ ab Ægyptiis tribui Hermeti solebant, haud inficias eant Cudvvorthus Syst. intellect. cap. 4. §. 18, Moshemius in hunc locum, & Brukerus hist. Crit. Philos. lib. 2. cap. 2. §. 5. Leges itaque Ægyptiis tulisse Mnevem, Sazichem, Sesostrim, Bocchorim, & Amasim scribit Diodorus lib. 1. p. 106, qui p. 17, & seq. ante Mnevem leges jam Ægyptios a Vulcano, Helio, & Osiride accepisse tradit, cuique similia habet Chronicon Alex. p. 45. Sed hosce Triumviros ab Hermete indistinctos mox adnotabamus, Mnevem autem cum Misraimo Chami filio confundit Marshamus p. 24. Æque incerta, quæ de Saziche memoriæ reliquit Diodorus. Ast enim Sesostrim indubium Ægyptiorum legislatorem habendum auctores

res ſunt cum Diodoro loc. cit. Ælianus var. hiſt. lib. 12. cap. 4, Ariſtoteles Polit. lib. 7. cap. 10. Ipſum ab an. 1659. ante Chr. Ær Regnum adeptum conjicit Tourneminius diſſert. 5. Chron. ad calcem Menochii T. 2. De Bocchori an. 762. ante Chr. Ær. juxta ejuſdem Tourneminii calculum legislatore altero præter Diodorum lib. 1. p. 75. ſeqq. affirmat Plutarchus To. 2. p. 529, & in Solone p. 86, ac videndus Syncellus Chronog. p. 184. Ei Azychim adjungit Herodotus, de cujus lege quadam loquitur lib. 2. num. 136. Cæteris, qui leges Ægyptiis tulerint, illuſtrior haberi debet Amaſis, qui an. 569. ante Chr. Ær. Regnum exorſus a Tourneminio creditur: nam leges octo deſcriptas libris Ægyptiis tradidiſſe, atque Tribunal ex triginta Judicibus, quibus unus auctoritate præcellebat, conſtituiſſe auctor eſt Diodorus lib. 1. p. 106, de quibus, aliiſque Ægyptiorum legislatoribus, adeundi, ſi libet, Syncellus, Kircherus in Oedip. Ægypt. Tom. 1. p. 113, ſeq., Marſhamus, Spencerus de legib. Hebr. ritual., Witſius in Ægypt., Joh. Nicolai de Synedrio Ægypt., Ludovicus Praſchius in Collect. leg. Ægypt. inter Boecleri diſſertationes T. 2. p. 665, ſeqq., & Goguetius Origin. leg., Scient., & Art. T. 3. par. 3. lib. 1. cap. 4.

Ab Ægyptiis leges mutuaſſe Græcos, horumque inſigniores ſe in Ægyptum transferre, gentis illius diſciplinis ſe imbuendi gratia, neque labore, neque invidia fuiſſe gravatos referunt paſſim Diodorus lib. 1. p. 79, 80, 100, ſeqq., Iſocrates in Buſirid. p. 329, Strabo lib. 10. p. 738, & Plutarchus To. 1. p. 41. Atque primum ex iis quidem privatis, qui diſciplinæ addiſcendæ cauſſa in Ægyptum profecti ſunt, Orpheum genere Thracem, cujus cognomines ab aliis ſeptem, ab aliis quinque apud Suidam T. 2. p. 718, ſed probabilius duo dumtaxat ab Herodoto poſiti ſunt, quemque generationibus, ſive ætatibus undecim (quo γενεὰν nomine annorum 30. ſpatium ponunt Plutarchus in Dialog. de Orac. defect., Herodotus lib. 2, Euſtathius in Iliad. A, ex Heracliti ſententia Plinius lib. 7, & Suidas: ſed ex Grammaticis aliis ſeptem tantum annorum ſpatium intelligendum inde recte monet Gyraldus de Poet. hiſt. Dialog. 11. p. 72, quod eodem loci Suidas Orpheum 9. ætates vixiſſe ſcribit) ætatibus, in quam, undecim bellum antevertiſſe Trojanum affirmat Suidas, Huetius vero ejus æta-

ætatem in Joſue, ac Judicum tempora incidiſſe putat Demonſt. Evang. prop. 4. cap. 8. §. 19, generationem nempe accipiens pro ſpatio 30. annorum, Orpheum, inquam, ſacras præter, ac profanas litteras, quibus ipſe ab Ægyptiis fuerat imbutus, imbutumque quinimo ab Hebræis ſcribit S. Juſtinus de Monar., a Moyſe quoque pleraque fuiſſe mutuatum conjicit Suidas, Græcos perinde moribus adhuc efferatos informandos, ac molliter efformandos ſuſcepiſſe, leges etiam ligno inciſas Græcis dediſſe memorant Euripides in Alceſti, & Horatius de arte poet., adeo ut apud Græcos eum fere, quem apud Perſas Zoroaſter, & apud Ægyptios Thouthus obtinuerunt, locum adeptus ſit. Etſi vero non deſint, qui Ciceronis de Nat. Deor. lib. 1. Ariſtotelis teſtimonium referentis (refert id autem dumtaxat Poetam Orpheum fuiſſe nullum) auctoritate freti, Orpheum in rerum extitiſſe natura conſtanter negent, ut Voſſius de arte poet. cap. 13, ut Huetius cir. §. 19. eum cum Moyſe confundens, ut Natalis Alex. hiſt. Eccl. Vet: Teſt. cap. 8, ut Urſinus analect. SS. lib. 4 p. 219, ſeqq. Davidem Regem ſub Orpheo latere opinatus, ut Clericus Bibl. Selec. To. 27. part. 2. art. 4: ſunt tamen, qui verius affirmare non dubitant veterum Scriptorum fide ſuffulti Burnetius Archæolog. Philoſ. lib. 1. cap. 9, Cudvvorth Syſtem. intellect. cap. 4. §. 14, Moshemius in hunc loc., Budeus Obſerv. Halenſ. T. 6. obſerv. 29. §. 4, Olaus Borrichius de Poetis diſſert. 1. §. 17, Fabricius Bibl. Græc. To. 1. lib. 1. cap. 18, Brukerus hiſt. Crit. Philoſoph. par. 2. lib. 1. cap. 1. §. 5, aliique, a quibus copioſe de Orphei rebus, ſcriptiſque diſputatur. Contra Onomacrito potius Athenienſi, quem Piſiſtrati temporibus vixiſſe affirmat Herodotus lib. 7. c. 6, a quove ſcripta pleraque Orpheo, ac præſertim τελεταὶς, & χρησμωδίας, Hymnos, & Oracula fuiſſe ſuppoſita tradit Suidas, qua etiam de re Heringa Obſervat. Crit. cap. 11, primam legum inſtitutionem deberi ſcribere videtur Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 10, quod ſtare tamen cum temporis ratione nequit. His igitur haud liquidis dimiſſis, memorare jam licet eos, quos leges Græcis tuliſſe non dubium eſt. Atque inter hos quidem, qui apud Græcos legislatorum familiam duxere, primi, qui ex Ægypto, Phœniciaque Coloniis in Græciam traductis, Regna Sicionun, & Argi-

Argivorum inſtituiſſe, ac utrique genti leges dediſſe leguntur Egialæus, & Phoronæus apud Homerum Iliad. T. v. 572, Hyginum lib. 1. fab. 143, Apollodorum lib. 3. capp. 1, & 6, Tatianum p. 274, Clementem Alex. Protrept. p. 67, & S. Iſidorum Orig. lib. 5. cap. 1: quorum ætatem in annum Mundi 2150. conjicit Ducheſnius comp. hiſt. Antiq. lib. 4, in tempora Samuelis Newtonus in Chronolog. veter. Regnor. cap. 1. Argivis deinde novas Apim dediſſe leges ſcribit Theodoretus lib. 9. de curan. Græcor. affect. Sub hac tempeſtate, qua Regna pariter fundabant, leges tuliſſe Laconiis Lelegem, Theſſalis Deucalionem, & Arcadibus Pelaſgum memorat Pauſanias lib. 8. capp. 1, & 2. Ex Ægypto perinde inferiori gentes in Græciam transvexiſſe Cecropem, cujus ætatem uſque ad Creontem Archontum primum ad annos ferme 900. numerat Corſinus in Faſt. Attic. p. 1. diſſ. 1. n. 3, cum Samuelis temporibus componit loc. cit. Newtonus, in annum Mundi 2450. retrotrahit Ducheſnius, ac in an. 1582. ante Chr. æram Tourneminius, quem ſequitur Goguetius, Athenienſi Regno ortum feciſſe, ac legibus, quas ab Ægyptiis acceperat, gentiles informaſſe ſuos memorant Diodorus lib. 1. p. 33, & Africanus apud Euſebium præp. Evang. lib. 10. cap. 10. Poſt hunc Athenienſibus leges dediſſe fertur Triptolemus, e quibus tres Eleuſinæ de honorandis Diis, colendis Parentibus, & a Carnibus abſtinentia memorantur a Xenocrate apud Porphyrium lib. 4. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων p. 431, & apud S. Hieronymum lib. 2. adv. Jovin. Ampliores deinde leges alias, ſeverioreſque Athenienſibus tuliſſe Draco circa Olymp. 39. legitur apud Ariſtotelem Polit lib. 2. cap. 10, Plutarchum in *Solone*, Aulum Gellium lib. 1. cap. 18, & Clementem Alex. lib. 1. Strom. p. 309. Sed ei ingenti vitio jure vertitur a Maximo Tyrio diſſ. 39, quod de Deo, Divinis rebus, deque virtute nihil omnino præceperit. Adeundi Pratejus in Juriſp vet., Meurſius in *Solone* cap. 13, Thyſius in frag. legum Draconis. To. 5. Theſau. Gronov., Marſhamus in Can Chron. p. 639, ſeq., ac Frider. Janus in diſſert. de Dracone edit Lipſ. 1707. Draconis igitur legibus ſublatis, Athenienſibus datas alias, partim ab Ægyptiis, & partim a Cretenſibus mutuatas, a Solone circa Olym. p 46. teſtantur Diodorus, Herodotus lib. 1. n. 29, Ælianus

lib. 8 cap. 10, Plutarchus, & Laertius in *Solone*, Dio Chryſoſt. diſs. 80. p 666, & Ammianus Marcell. lib. 22. cap. 16: quibus de legibus conſulendi, ſi placet, Meurſius in Solone cap. 2, ſeq., & in Themide Attica T. 5. Theſ. Gronov., Petitus in Comment. ad leges Atticas, Potterus in Archæolog. Græc. lib. 1. cap. 12. Theſ Gronov. To. 5, & 12, Pratejus de Juriſp. vet. Drac., & Solon., Heraldus ad Jus Attic., & Rom., Forſterus de Solonis legib., Schmidius in Diatriba de Solone, Woldenbergius in princip. Juris Roman., Thyſius in Collect. leg. Attic., & Rom. To. 5. Theſ. Gron., & Pfeifferus Antiq. Græc. lib. 2. cap. 34. Eamdem poſtea Rempublicam Piſiſtratidarum tyrannide diſſolutam, a quibus novas Athenienſibus leges traditas memorant Theophraſtus, & Plutarchus, iis expulſis, noviſque Solonis additis legibus, compoſuiſſe Cliſtenes, Ariſtophanes, & Diocles leguntur apud Plutarchum, Themiſtium Orat. 23, Maximum Tyrium diſs 9, Theodoretum &c. Demetrius item Phalaræus, dum rerum potiretur Athenis, apud Laertium, & Suidam in Σκαφηφόροι. Græcorum aliis præterea leges alii tuliſſe feruntur, veluti Critias a Dione Chryſ. diſs. 21. p. 270, Hipparchus, & Ion Chius a Plutarcho contra Colotem p. 1125, Lycurgus Orator, Pericles, Sophocles ab eodem in *Solone* p. 96, Lacritus ab eodem in Iſocrate, & a Photio Cod. 260, Demosthenes a Libanio To. 1. p. 449, &c.

Antequos attamen longe illuſtriores legum haberi latores meruere tergemini fratres Minoſ, Æacus, & Rhadamanthus: a priore namque, quem ſuis in condendis legibus Jove præceptore uſum ferunt Homerus, Maximus Tyrius diſs. 22. apud Euſebium, & Ephorus apud Strabonem lib. 10, & a quo deinde leges ex parte expreſſiſſe ſuas Lycurgum tradit Strabo eodem loci, Solonem quoque, & Platonem liquet ex Platone ipſo lib. 1. de leg., & Ariſtotele lib. 2. Polit., Pythagoram etiam profeciſſe tradit Jamblicus in vita c. 5, a Minoe, inquam, Cretenſibus leges latas auctores ſunt Plato in Minoe, Diodorus lib. 7. p. 224, ſeqq., Solinus c. 11, & S. Iſidorus Orig. lib. 14. cap. 6, qua de re videndi Meurſius in Creta lib. 3. cap. 3, & lib. 8. cap. 14, & Goguetius Orig. leg., Art., & Scient part. 2. T 2. lib. 1. cap. 4 art. 9. A ſecundo vero, ſcilicet Æaco leges Æginenſibus conditas tradit Tzetzes Chiliad. 7.

liad 7 hiſt. 133. A poſtremo denique, ſeu Rhadamantho, cujus ex Oriente petendam nominis originationem, ex *Rada* ſcilicet, quod eſt *Præcipio*, & *Mana*, quod eſt *Terreo*, itaut ex *Raduith*, & *Manath*, quod eſt *Præceptor terribilis*, conflatus ſit Rhadamanthus, cenſet Huetius dem. Evang. prop. 4. cap 8. §. 12, eumdem cum Moyſe confundens, Lyciæ Rege, qui apud Rhodum ab Ilienſibus diligenter inſtitutus, diligentiſſime juſtitiæ ſtudium excoluerit, gentilibus ſuis leges, quas ſe a Jove tuliſſe perinde jactabat, traditas, in quibus, ne in jurejurando Deos nominare fas eſſet, diſtricte indixerit, referunt Plinius lib. 7. cap 56, Strabo lib 10, & Suidas To 3. p 249. Inde Rhadamantheum judicium de incorrupto, & ſevero dici obſervat Eraſmus, ſive de judicio, quod juramento finitur, de quo Euſtathius in Odyſſ. T., ſive quod incorrupte, & abſque mora terminatur, velut ex Platone adnotavit Alciatus. Ideo quoque Plato apud Gyraldum Syntag. 7. p. 216. Rhadamanthum una cum Æaco, & Minoe inferorum conſtitutum Judicem prædicat, de quo etiam Virgilius Æn. 6, ita quod ab ipſo Aſiani, quemadmodum Europæi ab Æaco, judicium ſubire cogantur; de rebus vero ambiguis judicium penes Minoem ſit. Poſt hos a Thalete Cretenſi, a nonnullis cum Zamolxi confuſo, leges traditas Lacedæmoniis memorant Plutarchus in Lycurgo, Strabo lib. 10. p. 480, Svidas in Νομοθέται, & Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 10, eique primos inter Atticarum legum auctores Æſchylum adjicit Suidas. Thaletis auditor Lycurgus, atque a Cretenſibus, ſive a Minoe, & ab Ægyptiis, ſive a Mercurio leges multas imitatus, ac mutuatus, quod oſtendere conatur Nicolaus Cragius lib. 3. de Republ. Laconica cap. 1. Theſ. Gronov. Tom. 5, quibus ut auctoritatem conciliaret, aliorum more veterum, eas ad Apollinem retulit, teſtibus Diodoro lib. 1. p. 48., Libanio To. 2. p. 479, Polyæno Stratag. lib. 1. p. 16, & Theodoreto de cur. Græc. affect. lib. 10. p. 140, optimis Spartanos legibus, in quibus tamen nonnulla reperere, quæ reprehenſione digna æſtimarent, imbuiſſe fertur a Platone de legib. lib. 1, ab Ariſtotele Polit. lib. 2. cap. 7, a Plutarcho in Lycurgo, & a Polybio lib. 6.: quibus adjungendi ex recentioribus Vandalæus de orig. Idol. p. 314, Baylius T. 3. Art. *Lycurgus*,

Moshemius Theolog. mor. par. 2. p. 313, seqq., Brukerus hist. Crit. Philos. par. 2. lib. 1. cap. 2. §. 2. p. 437, & Zimermannus in Opusc. Theolog., Hist., & Philos. to. 1. par. 1. medit. 1. de Caussis Incred., a quibus tribus jure, optimeque reprehenditur Albertus Radicati Com. de Pass., quod in Opusc. de profess. Sacerd. antiq., & nov. Rotterod. 1736. effreni impudentia neque cum Lycurgo Christum D. Legislatorem, neque cum Spartanorum legibus Christianorum leges conferri ulla posse ratione scripturire non abstinuit. Denique Lycurgi legum fragmenta nobis servata debemus Suidæ in Λυκοῦργος, Xenophonti lib. de Republ. Laced., & Justino lib. 3 cap. 2., seq., quas demum tabulis duodecim complexus est Cragius. Lacedæmoniis leges quoque dedisse legitur Agatharchides, de quo Fabricius Bibl. Græc. T. 1 pag. 546. Ad Pythagoram nunc referendo pedem, a Phœnicibus, & Ægyptiis, referentibus Herodoto lib. 2. p. 172, Diodoro lib. 1, Laertio lib. 8., Porphyrio in ejus vita n. 5., Jamblico in vita Pythag. cap. 4., & Clemente Alex. Strom. lib. 1. p. 302, quin etiam a Judæis in Persida, si fides adhibenda Hermippo apud Josephum contra Appionem lib. 1. p. 1046., & Originem contra Celsum lib. 1. p. 13., Aristobulo apud Clementem Alex. Strom. lib. 1. p. 342., & Eusebium præp. Evang. lib 9. cap. 6, quos magno sequuntur numero Huetius demons. Evang. prop. 4. cap. 2. §. 8, Seldenus de Diis Syris, & lib. 1. de Jure nat cap. 2., Wendelinus epist. de Tetracty Pythagoræ, Voigtius in Imagine Trinitatis p. 69, seq., Budeus in dissert. de peregrin. Pythag., Syrbius in Pythagora intra sindonem noscendo, Windetus de vita funct. statu sect. 5. p. 83., Pfanner in System. Theol. gent. cap. 22. §. 17., Scheffer de Philos. Ital. cap. 4. n. 5., Vitringa Observat. lib. 1. obs. 2. p. 120., & 130., Usserius Annal. p. 151., Stanlejus Philos. par. 8. p. 666., Vossius de Sect. cap. 6. §. 5., Basnagius hist. Judæor. lib. 3 cap. 20. §. 9., Cudvvorth Syst. intell. cap. 4., §. 20., Lehmannus hist. Philos. Pythag. p. 348, aliique, contra quos pedibus, manibusque pugnant Vandalæus lib. de Aristea cap. 27., Clericus Bibl. Selec. To. 10. p. 163. seq, epist. Crit. 7., Gundlingius hist. Philos. par. 1. p. 75, seq., Mayerus Exercitat. in Pythag., Fabricius Bibl. Græc. T. 1. lib. 2. cap.

cap. 12. p. 457., Loydius de Chronolog. Pythag., Bentlejus in diſsert. de Epiſtolis Phalaridis, Budeus hiſt. Eccl. Vet. Teſt. to. 2. p. 1077., Heineccius Elem. hiſt. Philoſ. par. 1. cap. 2. §. 15., Auctor Gallus hiſt. Crit. Philoſ. To. 2. p. 50., Brukerus hiſt. Crit. Philoſ. To. 1. par. 2. lib. 2. cap. 10. ſect. 1. §. 7., aliique Philoſophos veteres de Prophetarum fonte haud potaſſe credentes cum Tertulliano Apolog. cap. 27., Pythagoram, inquam, leges, quas ibidem affatim imbiberat, ad Crotoniatas, una cum Philoſophicis, Theologiciſque diſciplinis, tranſtuliſſe memorant in ejus vita Porphyrius n. 20, ſeq., & Jamblicus capp. 5, & 6; a cujus deinde Diſcipulis ad finitimos Populos traductas fuiſſe, e quibus duo præ aliis celebriores prodiiſſe legum latores Zaleuchum, & Charondam adjungunt: quod ipſum confirmant Diodorus lib. 12. p. 84., Seneca epiſt. 90, Suidas, & Laertius lib. 8. ſect. 16. Quamquam Duumviros hos ætate Pythagoræ longe ſuperiores fuiſſe oſtendunt Demoſthenes in Orat. adverſus Timocratem p. 469, & Euſebius in Chron., a quo Zaleuchus ad Olymp. 29. refertur: qua de re Bentlejus in apologia diſſert. de Epiſt. Phalaridis. Ut hæc vero ſe habeant, Zaleuchum utique leges ex non ſcriptis Cretenſium, Lacedæmoniorum, & Athenienſium expreſſas, quas a Minerva per inſomnium ſe accepiſſe, more veterum legislatorum, jactare non deſinebat, Clemente Alex. referente Strom. lib. 1. p. 352, ſcripto Locris Epizephyriis, qui in magna Italia, ut oſtendit Gregoras lib. 23. p. 695, non Locris, qui Phocidi proximi ſunt, ut falſo putavit Theodoretus de cur. Græc. affect. lib. 9. p. 124, Sybaritis quoque, ſive Thuriis, ut affirmant Athenæus lib. 11. p. 508, Scymnus Chius v. 345, ſeq., & Ephorus apud Strabonem lib. 6. p. 260, quibus adſtipulatur Bentlejus, nam contra Thuriis leges a Charonda latas tradunt Diodorus lib. 12. pag. 84, Valerius M. lib. 6. cap. 5, & Themiſtius Orat. 2. p. 31, leges tradidiſſe legitur apud Strabonem lib. 6. p. 259, ſeq., Suidam in Ξάλευκος, Proclum in Timæum lib. 1. pag. 22, Pindari Scholiaſtem ad Od. 10. Olympionic. p. 97, Valerium M. lib. 1. cap. 2, Ciceronem lib. 2. de Legib., & lib. 6. ad Atticum ep. 1, ac Clementem Alex. Strom. lib. 1. p. 309. A Charonda vero legibus inſtitutos Cives ſuos Catanæos, Mazace-

zacenos , Rheginos , alioſque Chalcidicos Italiæ , atque Siciliæ, Incolas , communi tradunt conſenſu Ariſtoteles Polit. lib. 2. cap. 10 , Jamblicus in vita Pythag. capp. 7 , & 30 , Ælianus Var. hiſt. lib. 3 cap. 17, Scymnus Chius v. 280 , ſeq., Strabo lib. 12. p. 539 , Theodoretus loc. cit. p. 124 , aliique . Quarum legum fragmenta nobis ſervarunt Diodorus lib. 12. p. 79 , ſeqq. , & Stobæus ſerm. 42, eaſque demum ſingulari diſſertatione illuſtravit Samuel Skunk Upſalenſis , de quibus etiam Daniel Colbergius in Diatriba de legislatoribus Græcor. Moſaizantibus, & Petrus a S. Romualdo Theſau. Chronolog., & hiſt. To. 1. ad An. M. 3503. p. 515.

E Pythagoræ Schola Diſcipuli ſimiliter alii profecti , qua rudes adhuc Populos alios legibus erudiendos ſuſcepiſſe, qua eiſdem legibus , ubi Populi deſueviſſent , inſtaurandis operam impendiſſe leguntur;quorum longum, diligentemque texuit catalogum Fabricius Bibl. Græc. To. 1. p. 490, & 546. Itaque Tarentinis leges ſcripſiſſe traditur Archytas , de quo Ælianus lib. 3. cap. 17 ; Crotoniatis Salæthus, de quo Lucianus in apolog. pro mercede conductis To. 1. p. 486 ; Chalcidenſibus Androdamas , & Phaleas apud Ariſtotelem lib. 2. Polit. cap. 7;Cnidiis Archias, & Eudoxus , de quibus Theodoretus cit. lib. 9 , & Menagius ad Laertium p. 390; Eleatis Parmenides , & Zeno apud Laertium in procem. ſect. 15 , ac lib. 9. cap. 23 , Plutarchum contra Colotem p. 1126 , & Photium Cod. 259 ; Hippodamus Mileſiis , Timaratus Locrenſibus , Syracuſis Diocles , Siculis Helianax , de quibus Jamblicus in vita Pythag. cap. 30 , & Suidas ; Ariſtocrates , Helicaon , Phytius , & Thæretus Rheginis apud Jamblicum ibid. Verum omnium illuſtriorem legislatores inter veteres locum habere meruit Zamolxis,qui a Porphyrio quidem in vita Pythag. cum Thalete Cretenſi confuſus eſt , cum Saturno ab Herodoto lib. 4. cap. 95 , & cum Hercule ab eodem Porphyrio, qua de re Menagius ad Laertium lib. 8. ſect. 2 , & Biblioth. Germ. To. 29. p. 221. Hunc Pythagoræ diſcipulum, ac ſervum faciunt Laertius lib. 8. ſect. 2, Jamblicus capp. 23, & 30. vitæ, Pythag., Porphyrius pag. 9 , Strabo lib. 7. p. 297 , & lib. 16. p. 762 , Origenes lib. 3. contra Celſum p. 144 , & S. Cyrillus contra Julian. lib. 6. p. 208. ,

p. 208, quos in gratiam Pythagoræ ita feciſſe obſervat Voſſius de ſect. Philoſoph. cap. 3. §. 1. Contra vero Zamolxim multis Pythagoram annis præceſſiſſe tradunt Herodotus lib. 4. pag. 96, Etymologus, de quo Menagius ad Laertii loc. cit., ac Suidas V. Ζάμολξις T. 2. p. 2., quos ſequitur Brukerus hiſt. Crit. Philoſ. To. 1. lib. 2. cap. 11. §. 7. Primus hic porro gentiles ſuos Thraces, Getaſque feritate exuiſſe, legibuſque inſtituiſſe fertur apud Herodotum loc. cit., Diogenem Photio memoratum Cod. 166, Laertium lib. 1. ſect. 1, Clementem Alex. Strom. lib. 4. p. 497, & Æneam Gazæum Theophraſti p. 43. Ex hujus vero legibus, quas a communi Veſta ſe accepiſſe jactabat, teſte Diodoro lib. 1. p. 48, profeciſſe deinde, multaque hauſiſſe Pythagoram, ac Druidas ſcribunt Pſeudo-Origenes in Philoſopho cap. 25, quem in locum videndus Wolfius, & ante ipſum Hermippus apud Joſephum lib. 1. contra Appion., cujus tamen fidem elevat Scheffer us de Philoſ. Ital. cap. 4. Videndi etiam, qui de Zamolxis legibus, ac diſciplinis Philoſophicis fuſius diſputant ſpeciali libro Upſaliæ edito 1687, & in Act. Lipſ. To. 2. Suppl. p. 282. recenſito, Carolus Lundius, & Jacobus Brukerus loc. cit. Quamvis Jornandes de rebus Geticis cap. 5. Script. Ital. rer. Murat. To. 1. p. 194. ante Zamolxim Thracibus, Getiſque leges tuliſſe Zeutam, & Diceneum auctor eſt. Leges Samothracibus deinde Saonem dediſſe ſcribit Diodorus lib. 5. p. 223; Scythis vero Anacharſim Suidas in Σκύθης Ὄρος T. 3. p. 339. Celebriores denique Nomothetas, qui leges conſcripſiſſe perhibentur, ut catalogo comprehendam, tuliſſe commemorantur Epirotis Arribas a Juſtino lib. 17. cap. 3; Abderitanis, & Stagiritis Ariſtoteles a Plutarcho contra Colot. p. 1125, & ab Ælian o lib. 3. cap. 46; Cyclopibus, quos ita Siculos Occidentalem Inſulæ oram, ſive Pithecuſam incolentes, a Græcis denominatos probat Bochartus in Chanaam lib. 1. cap. 30, quoſque ſuo tempore exleges egiſſe, una patria contentos poteſtate, affirmat Homerus Odyſſ. 9. v. 106, ſeq., leges primo dediſſe Cephalus, ac Dionyſius ſubinde referuntur a Plutarcho in *Timoleonte* p. 248; Arcadibus Lycaon, & Cercidas a Suida V. Λυκάων, & ab Euſtathio ad Iliad B. p. 199; Avaris Cremus a Suida V. Βύλγαροι T. 1. p. 445; Cyrenæis Demonax a Theo-

a Theodoreto lib. 9. de cur. Græcor. affect.; Mantinensibus Diagoras ille Atheus, & Nicodorus ab Æliano lib. 2. cap. 22, seq.; Ætolis Dorymachus a Polybio in Excerp. Peiresc. p. 58.; Lesbiis Macareus a Diodoro lib. 5. p. 240; Pyliis Nestor a Theodoreto loc. cit.; Phocensibus Mnesion, de quo Lambecius lib. 3 p. 66.; Pagondas, & Polybius Achæis a Theodoreto ibid., & a Pausania in Arcad. p. 663, deque posteriori etiam Fabricius Bibl. Græc. Tom. 2. lib. 3. cap. 30. p. 752; Philolaus Thebanis ab Aristotele Polit. lib. 2. cap. ult., Corinthiis Phido apud Fabricium To. 1. p. 549, Pittacus Mytilænis ab Aristotele loc. cit., a Laertio lib. 1. sect. 79, a Suida V. χαλεπὰ To. 3. p. 649, & a Clemente Alex. Strom. lib. 1. p. 300; Thuriis Protagoras ab Heraclide apud Laertium lib. 9. sect 50; Cyrenæis Lucullus a Plutarcho in Lucul. p. 492; Cunetibus in Hispania Bœtica Habis a Justino lib. 44. cap. 4, Sinensibus ab Τάο, de quo Acad. Inscript. To. 10. p. 391, & Goguetius Orig. leg., Art., & Scient. lib. 1. art. 2; Peruvianis a Manco-Capac, de quo *Histor. des Incas* To. 1. p. 21, & 31: de quibus omnibus fuse Fabricius Bibl. Græc. To. 1. lib. 2. cap. 14: p. 530., seqq.

Ad Latinos nunc progrediendo nostros, Italosque, quorum a principio stetisse loco Aborigines, Græci ex Achaja genere, Pelasgi e Thessalia, Arcades, Lacones, Sicani, Aurunci, Rutuli, Ausones, Trojani &c. feruntur a Dionysio Halicar. libb. 1, & 2, ab Arcadibus litteras in Italiam translatas affirmante, a Plinio lib. 3. cap. 9, & lib. 7. cap. 56. a Pelasgis magis litteras didicisse Latinos adserente, a Livio lib. 1, Strabone lib. 5, Macrobio Saturn. lib. 1. capp. 5, 7, 10, & seq., Virgilio Æn. 1, Aulo Gellio Noct. Attic. lib. 1. cap. 10. &c., post quos adeundi, si placet, Sigonius de Nomin. Roman. cap. 4, & de Antiq. Jure Ital. lib. 1. cap. 3, Panvinius descript. Urb. Rom. To. 3. Thes. Græv. p. 208, Ferrarius de Orig. Rom. Thes. Græv. Tom. 1. p. 6, Kircherus in Latio Vet., & Nov., Cluverius Ital. Antiq. lib. 1. cap. 1, seqq, Pighius Annal. Rom. To. 1. p. 43, Granata de Origin. Rom. præmissa To. 1. hist. Rom. Catruvii, Ryckius dissert. de primis Italiæ Colonis cap. 1, seqq. ad calcem Lucæ Holstenii in Not., & Castigat. ad Stephanum Byzant., & Corradinus Vet. Latii prof., & Sacri

cri T.1. cap.1, Aboriginibus rudibus, agreſtibuſque leges primum tuliſſe Saturnum, qui a Jove filio fugatus, e Cretenſi Regno in Campaniam venit, latitanſque apud Janum primum Regionis Regem Latii nomen huic Italiæ parti indiderit (quod juxta Syncellum in Chronog. p. 69, & P. Zachariam in manuali legend. rer. Roman. Script. in procem. contigiſſe fertur circa an.Mundi 2722, ante Urbem conditam 580.) tradunt Virgilius Æn. 8, Servius ibid., & Auctor Orig. gent Rom. apud Corradinum vet. Lat. lib 1. cap. 10. Quamvis hanc legibus Aborigines erudiendi gloriam primo Regi Jano referendam indicant Macrobius lib. 1. capp. 7, & 9, & Plutarchus Problem. cap. 40. Novis in dies, prout temporum expoſceret neceſſitas, deinde legibus eidem genti excolendæ, inſtituendæque incubuiſſe Evandrum, & Herculem, Faunum, & Latinum I, ex quo genti nomen an.M.2838, ante Urb. cond.463, ex veteribus Scriptoribus rerum Latinarum arguit Scriptor Orig. gent. Rom., quæ tamen omnia dubia manent, & obſcura. Neque magis ſunt liquidâ, quæ de legibus Albanis, Latiniſque traditis ab Aſcanio ejus Urbis conditore ſub annum M. 2092, ante Romam an.399, a Sylvio, a Proca, ab Amulio, a Numitore &c. feruntur apud Corradinum cit. cap. 10, quibus proinde dimiſſis, ad certiora documenta revolvendus eſt ſermo, atque propius ad Romanæ Urbis attingendam originem. Proprio itaque, peculiarique jure Romani eo, quo cæpere, principio uti ſub Regibus inchoarunt, a quibus, Romulo nempe, de cujus duodecim legibus conferendus Andreas Cirinus lib. de Urbe Roma cap. 58. Theſau. Sallengri To. 2. p. 643, ſeq., Numa, & Servio Tullio de Sacro, de Publico, deque Privato jure latæ ſunt leges: quas omnes in unum volumen contulit, teſte Dionyſio Halic. Antiq. Rom. lib. 3. p. 178, Publius, ſive Sextus Papyrius, dictus etiam Papiſius, ante nempe, quam Appius Claudius Cæcus circa an. V. C. 405. litteram *R* reperiſſet; ſeu verius in quibuſdam dumtaxat vocabuſis, in quibus ipſa euphonia *R* pro *S* exigere videbatur, litteram hanc caninam invexiſſet, ut obſervant Funcius de puerit. Lat. ling. capp. 1, & 3, & Heineccius lib. 1 hiſt. Jur. Rom. cap 3. § 115, quo ex tempore pro Papyſio, Fuſio, Valeſio dici cœpere Papyrius, Furius, Valerius, qua de re Pomponius L. 2. §. 3. 6. ff. de Orig.

Jur., & ibidem Bynkershoek in prætermiſſis, & Petrus Faber Semeſt. lib. 1. cap. 11. p. 52. Hinc ea Papyrii Collectio, teſte §. 2. Pomponio, dicta eſt Jus Papyrianum, de quo librum integrum conſcripſiſſe Granium Flaccum auctor eſt Paullus L. 144. ff. de Verbor. ſignif; qua de re Dukerus de Latinitat. Veter. Juriſconſ. p. 156, & Heineccius in proœm. Antiq. Rom. §. 1. Dudum vero, præter fragmentum e Granii Flacci Commentario decerptum, ut autumat Weſſelingius Obſer. lib. 1. cap. 4, quod ab injuria temporum immune ſervavit Macrobius Satur. lib. 3. cap. 11, Papyriana Collectio illa periit. Quod infortunium demum viris doctis Fulvio Urſino, Ant. Auguſtino, Steph. Vin. Pighio, Antonio Sylvio, Franciſco Modio, Guillelmo Forſtero, Pandulpho Pratejo &c. deſiderium intulit leges Regias diligenter colligendi: quod præ aliis ex parte ſucceſſit Paulo Merulæ de legib. Roman. c. 2, ſeqq., ac Franc. Balduino Jutiſp. Rom., & Attic. T. 1. p. 22, qui ex Tabula Capitolina Romuli leges complecti conatus eſt; quarum etiam pleraſque ex vet. Scriptoribus indicat Heineccius lib. 1. hiſt. Jur. Rom. cap. 1. §. 8, ſeqq. Regibus an. M. 3545, V. C. 244, quo die 6. Kal. Mart. conſignari Regifugium ſolet, a quove Conſulare Imperium per annos 482, uſque ad an. M. 4027, V. C. 726. duraturum, perque Conſules 482. adminiſtrandum incepit, Regibus, inquam, exactis, Leges etiam illæ tam deſuetudine exolevere, quam lege vel Terentia, ut cenſet Hottomannus Obſerv. lib. 1. cap. 1, vel Junia, ut mavult Heineccius Antiq. Rom. in proœm. §. 3, abrogatæ ſunt, velut indicat Pomponius L. 2. §. 8. ff. de Orig. Jur. Quamquam Sigonius lege hac a Junio Bruto Tribuno adhuc Celerum eas tantum leges Regias ſublatas cenſet, quæ ad Regiam dumtaxat ſtabiliendam dominationem conferebant; Joſeph Scaliger vero in Not. ad Feſtum V. *Nuptias* ex Livio lib. 6. cap. 1. putat leges Regias in tres priores XII. Tabulas fuiſſe conjectas. Qua in opinione ſunt etiam Cujacius Obſerv. lib. 3. c. 40. Dionyſii Halic. lib. 2, & 10. auctoritate confiſus, Guillelmus Maranus ad L. 2. ff. de Orig. Jur. p. 97, & 120, & Heineccius Antiq. Rom. in proœm. cit, & hiſt. Jur. Rom. lib. 1. cap. 2. §. 15, & ſeq., ex Dionyſio Halic. lib. 2. p. 95, & lib 10. p 681, ex Servio ad Æn. 6. v. 622, & Feſto VV. *Pellices*, *Murrata*, & *Parricida* id colli-

ligentes : quam opinionem fusius quoque Janus Vinc. Gravina de Jure nat., gent., & 12. Tabul. §. 22. ex Festo, Plinio, Aulo Gellio, & Marcello L. 2. ff. *De mortuo inferendo* confirmat. Sed enim tam novis in dies, ob exundantem negotiorum copiam, Civiumque numerum crescentem, emergentibus necessitatibus, quam asperrimis Patricios inter, & Plebem simultatibus exardescentibus, anno demum V. C. 301. tres Legati Sp. Albus, A. Manlius Vulso, & Ser. Sulpicius Camerinus per Italiam, & Græciam petitum leges missi, quæ utiliores præ aliis videbantur, descriptas Romam attulere, testibus Livio lib. 3. cap. 31, Dionysio Halic. lib. 10. p. 676, A. Gellio Noct. Att. lib. 20 cap. 1, Aurelio Victore cap. 21 de vir. Illust., Symmacho lib. 3. ep. 11, Ammiano Marcel. lib. 16. cap. 5, & Athenæo Deipnosof. lib. 6. cap. 21. p. 273. An porro ad Magnæ dumtaxat Græciæ Urbes leges postulatum tres illi profecti sint, dubium est. Id videtur adfirmare Dionysius Halic., sed probabilius ab aliis Græciæ Urbibus præterea leges ab illis petitas, & ab Athenis præsertim tradit Livius, ex Solonis nempe libris descriptas. Quæ Livii opinio eo probabilior evadit, quod jampridem Romanos Valerii Publicolæ opera, auctoritateque adductos plurimas Solonis leges admisisse perhibet Plutarchus in compar. Solon., & Public., de quo etiam Huetius demonst. Evang. prop. 4. cap. 11. §. 4. An etiam a Lacedæmone flagitatæ, ex Lycurgo nempe leges fuerint, lis adhuc sub Judice. Adfirmant quidem Plinius lib. 8. ep. 24, Athenæus, & Ammianus Marcel. loc. cit. Contra tamen negant S. Augustinus de Civit. lib. 2. cap. 16, & Aurelius Galvanus de Usufr. lib. 6. cap. 5: quorum sententia ideo veri similior visa est Everardo Ottoni præfat. Tom. 3. Thesauri Jur. p. 6., & Heineccio Juris Rom. hist. lib. 1. cap. 2. §. 24, quod Lycurgi leges litteris mandatæ non essent, testibus Plutarcho in Lycurgo p. 47, & Scholiaste Græco in Lucianum Tom. 1. p. 26. Decem ergo viri, familiam ducente Appio Claudio, & interprete adjuncto Hermodoro Ephesio, referente Plinio hist. nat. lib. 34. cap. 5, ferendarum legum causa, creati tam ex legibus Regiis antiquis, quam ex novis allatis decem initio Tabulas, ac paullo post, altero ideest post primam promulgationem anno, XVviris ad id creatis, duodecim compilarunt, quas deinde Populus in Co-

mitiis Centuriatis bis probavit an. V. C. 303. decem, & in seq. 304, duodecim, ceu fide affirmant sua, Livius lib. 3, capp. 31, 34, 37, & 57, ac Dionysius Halic. lib. 10. p. 681, & seqq. Hæ porro Tabulæ Anno V. C. 368. Gallico incendio cum ipsa Urbe conflagratæ paullatim, conquisitis undique fragmentis, apographisque, restitutæ sunt, teste Livio lib. 6. cap. 1; ærique incisæ S. Cypriani adhuc ætate, ipsomet testante lib. 2. ep. 2, extabant. Quin etiam sæculo adhuc Justiniani, cui ex Caji Dodecadelto, sive Commentario, cui integer XII. Tabularum insertus textus erat, fragmenta passim in Digestis referre licuit, nempe L. 1, Nempe L. 1. *De orig. Jur.*, LL. 18, 20, 22. *De in Jus voc.*, L. 6. *Si quis caut. in Jud. sist.*, LL. 2, & 4. *Arbor. furt. cæs.*, L. 48. *De Pact.*, L. 43. *ad leg. Jul. de Adult.*, L. 9. *De Incen. ruin. naufr.*, L. ult. *De Colleg.*, L. ult. *Fin. regun.*, L. *De litigios.*, L. 19. De *Usucap.*, LL. 233. usque ad 238. inclus. *De Verb. signif.*, veluti diligenter adnotat Heineccius lib. 1. hist Jur. Rom. cap. 2. §. 32. Atque in hasce quidem Tabulas, qui aliquid scripsere, ex Veteribus illustriores habentur Sextus Ælius, M. Porcius Cato, Servius Sulpicius, L. Acilius, L. Ælius, Valerius Messala, Antistius Labeo, Titus Cajus, Sextus Pompejus Festus, M. Tullius-Cicero, qui duo posteriores multa ex XII. Tabulis libris suis inseruere, Atejus Capito &c. Quibus adjungendi veteres alii Juris Consulti celebriores: atque quidem ante Augustum Cajus Papyrius, Appius Claudius Cæcus, Tiberius Coruncanus, L. Cincius Alimentus, Scipio Nasica, Q. Max. Fabius, P. Ælius Pœtus Catus, Publ. Atilius, Servius Fabius, Q. Fabius Labeo, T. Manlius Torquatus, C. Marcius Figulus, Junius Gracchanus, M. Porcius Cato filius, C. Livius Drusus, P. Mucius Scævola, M. Junius Brutus, M. Manilius, Q. Mucii filius, P. Rutilius Rufus, Cælius Antipater, Paulus Virginius, Sex. Pompejus, Q. Ælius Tubero, C. Cornelius Maximus, P. Licinius Crassus, Q. Mucius Scævola a præced. alter, Cn. Aquilius Gallus, Lucilius Balbus, Sext. Apitius, Cajus Juventius: sub Augusto M. Labeo Antistius, C. Atejus Capito, P. Alfenus Varus, C. Aulus Ofilius, T. Cæsius, Ausidius Tucca, Ausidius Namusa, Flavius Priscus, C. Atejus Pacuvius, Cinna, Publicius Gellius, Cattullius, C. Trebatius Testa, A. Ca-

A. Caſcellius, Q. Ælius Tubero: ſub Tiberio Maſurrius Sabinus, M. Coccejus Nerva: ſub Nerone Sempronius Proculus, Urſejus Ferox, Vitellius, C. Caſſius Longinus, Atilianus, Caſſius Longinus Junior, M. Coccejus Nerva filius: ſub Vitellio Caſſius: ſub Veſpaſiano Cælius Sabinus, Pegaſus, Fufidius, Salvius Julianus, Plautius, Octavenus, Valerius Severus: ſub Trajano P. Juventius Celſus, Neratius Priſcus, T. Ariſto, Arrianus a Nicomedienſi alter, Servilius, Vivianus, Minucius Natalis, Lælius Felix: ſub Hadriano Priſcus Javolenus, Salvius Julianus, Aburnus Valens, Tuſcianus, Cajus, ſive Gajus: ſub Antoninis Sex. Cæcilius Africanus, Terentius Clemens, Vinidius Verus, Junius Mauricianus, Tarruntenus Paternus, Papyrius Juſtus, Sextus Pomponius, L. Volufius Mæcianus, Q. Cervidius Scævola, Ulpius Marcellus: ſub Septimio Severo Æmilius Papianus, Tertullianus a Q. Septimio diverſus, Claudius Tryphonius, Arrius Menander, Sext. Pedius, Pactumæjus Clemens, Papyrius Fronto, Furius Anthianus, Claudius Saturninus, Q. Saturninus, Rutilius Maximus, Domitius Ulpianus, Julius Paullus, Calliſtratus: ſub Alexandro Severo Ælius Marcianus, Florentinus, Venulejus Saturninus, Licinius Rufinus, Julius Gallus Aquila, Æmilius Macer, Herennius Modeſtinus, Flaccus, Fulcinius: ſub Diocletiano Aurelius Arcadius Chariſius &c., quorum mentio occurrit in Indice Græco Juſtinianeo Pandectis Florentinis præfixo, & apud Pomponium L. 2. ff. de Orig. Jur. §. 36, ſeqq., ſirque uberrima a Guillelmo Grotio de Juriſconſ. lib. 1, a Fabricio Bibl. Lat. To. 2. lib. 4. cap. 9, Heineccio lib. 1. hiſt. Jur. Rom. cap 3. §. 113, ſeq., & cap. 4. §. 179, ſeqq., aliiſque longe plurimis apud ipſos, quos modo recenſere non vacat. Poſt ſæculum VI. denique, quo fato prorſus neſcitur, XII. Tabulæ illæ periere: donec collatis viribus, ac fragmentis undique conquiſitis, eiſdem reſtituendis ingentem dederunt operam Aymarus Rivallius, Joh. Oldendorpius, Joh. Guill. Forſterus, Ant. Auguſtinus, Fulvius Urſinus, Franc. Balduinus, Ant. Contius, Franc. Hottomannus, Jacob. Rævardus, Cælius Calcagninus, Joh. Criſpinus, Steph. Vinandus Pighius, Theodorus Marcilius, Franc. Pithœus, Dionyſius Gothofredus, Juſtus Lipſius, Paulus Merula, Conradus Ritterhuſius,

sius, Ludovicus Charondas, Basinstochius, Pandulphus Pratejus, Adrian. Turnebus, Barth. Marlianus, Frider. Sylburgius, Jacob. Cujacjus, Julius Pacius, Carolus Sigonius, Ant. Clarus Sylvius, Richar. Vitus, Jacob. Gothofredus, Janus Vin. Gravina &c. Videndi & Dempsterus Paralip. in Rosini Antiq. Rom. lib. 8. cap. 6, Pitiscus in Lexico T. 3. V. *Tabulæ*, Everardus Otto præf. To. 3. Thesau. Jur. p. 25, seqq., Joh. Nicol. Funcius in legibus XII. Tabul. illustr., Heineccius Antiq. Rom. in procem. §. 2, seqq., & hist. Jur. Rom. lib. 1. cap. 2. §. 33, Marius Guarnaccius in dissert. Italica ad XII. Tabulas To. 1. dissert. Societ. Columbariæ, Franciscus Maria Ganassoni de Legib. XII. Tab. e Legibus Solonis descrip. in Syllog. Calogeriana Tom. 49.

Ex hac porro Legum potestate, & interpretatione deducti sunt deinde certi, diversique exercendi Juris ritus, actionesque, ideoque certæ quædam inductæ Formulæ artificio confectæ. Quibus adjuncti Fasti, a Numa Pompilio primum confecti, Livio teste lib. 1. cap. 9, idest consignationes dierum, quibus lege agere licebat, vel non, unde dicti dies Fasti, vel Nefasti, vel Interciſi. Tam vero Formularum, quam Fastorum notitia penes solos Patricios, ac Pontifices erat: unde egregiam Populo operam se navare putavit Cn. Flavius, quum arcanas formulas istas, Fastosque ab Appio Claudio Cæco in librum collectos an. V. C. 449. evulgavit: unde natum Jus Flavianum, de quo Pomponius L. 2. §. 7. de Orig. Jur., Cicero de Orat. lib. 1. cap. 40, pro Muræna cap. 11, & epist. ad Attic. lib. 6. ep. 1, Livius lib. 9. cap. 46, Plinius hist. nat. lib. 33 cap. 1, Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 6. cap. 9, & Valerius M. lib. 2. c. 5. Sed enim a Patriciis novæ subinde excogitatæ sunt formulæ, quæ, ne in vulgus manarent, occultioribus quibusdam notis consignatæ sunt. Eas vero demum evulgavit Sex. Ælius Catus an. circiter V. C. 553; unde enatum Jus Ælianum, de quo Pomponius loc. cit., & Cicero Orat. pro Muræna cap. 11. Collectio utraque magno Jurisprudentiæ damno periit: nisi quod Formulas diligentia summa undique conquisitas colligere instituerunt Hottomannus de Form., Sigonius de Judic., Brisonius de Formul., Pitiscus Lex. Tom. 2. p. 174. edit. Ven. 1719, aliique quamplures apud ipsum. Fastorum quoque exemplar diligentissime

ſime ex antiquis Marmoribus ſervavit Gruterus Inſcript. p. 133, Sibr. Siccama in Faſt. Kalend. Rom., Theſau. Græv. Tom. 8, ac videndus Pitiſcus præf. T. 2. p. 196. Veterum denique Notarum Juridicarum ſpecimina poſt Valerium Probum, Petrum Diacon., Magnonem, & Aldum Manutium, apud Dionyſ. Gothofredum, Auct. ling. Lat. p. 1451, ſeqq., alioſque, de quibus Fabricius Bibl. Lat. T. 2. lib. 4. cap. 6. p. 446. edit. Ven. 1728, Joh. Prettenius de Not., ac Sigil. Antiq., Sertorius Urſatus de Not. Roman, Scaliger in Not. ad Manil. p. 287, Cujacius Obſerv. lib. 12. cap. 40, Joh. Nicolai lib. de Siglis Vet. Lugd. Batav. 1706, & Grævius ad Cicer. Orat. pro Muræna cap. 11. Poſt hæc multæ perinde latæ ſunt Leges, Plebiſcita multa, Prætorum Edicta quamplura, Ædilium que prodierunt; Juriſprudentum Reſponſa, Senatus Conſulta, Edicta perpetua, & Imperatorum Reſcripta prolata ſunt: ex quibus de Jure univerſali Romano colligendo plerique cogitarunt utique, ut Cicero apud Gellium lib. 1. cap. 22, ut Cn. Pompejus apud S. Iſidorum Origin. lib. 5. cap. 1. relatum a Gratiano Can. 2. *Leges* diſt. 7, ut Julius Cæſar apud Svetonium cap. 44, ſed perficere nemini datum. Id laude tamen dignum præſtitit Salvius Julianus, quod ſub Hadriano Imp., an. V. C. 883, æræ Chriſt. 131, teſtibus Eutropio lib. 8. cap. 9, Euſebio in Chron. n. 2147, & Juſtiniano L. 2. §. 18. C. *De vet. Jur. enucl.*, & L. 10. C. *De Condit. indeb.*, Prætorum Edicta, quæ tum adhuc temporis multa extabant, ac maxime in Bibliotheca Ulpia a Trajano collecta, initio in Trajani Templo collocata, ac deinde in Thermas Diocletianeas translata, qua ſe Bibliotheca uſum refert Vopiſcus in Tacito cap. 8, & Aureliano cap. 8, atque ubi Prætorum Editorum volumen integrum ſe perluſtraſſe teſtatur Gellius lib. 11. cap. 17, Prætorum, inquam, Edicta collegerit, ſive potius ex multis unum confecerit: quod Edictum publica Oratione in Senatu ab Hadriano adprobatum, velut habetur in Conſtit. Græca de confirm. Digeſt. §. 18, *Perpetuum* a Diocletiano, & Maximiano L. 5. Cod. *De Appellat.* dictum eſt, non ſecus atque a Spartiano in vita Juliani, a Gellio Noct. Attic. lib. 10. cap. 15, & ab Eutropio epit. hiſt. Rom. lib. 8. cap. 9, variis quin etiam honoris, juriſque titulis in Codice legum adfectum, ceu diligenter obſer-

obſervat Heineccius lib. 1. hiſt. Jur. Rom. cap. 4. §. 273: quo de Edicto plura dabunt Petrus Pittenius in Oeconomia Edicti perp., Guillelmus Ranchinus ad calcem lib. 3. var. Lect., Joh. Herman. Schminchius in Syntag. Critico, Simon Van-Leevven de Edicto Salvii Jul., Guillelmus Grotius de Vitis Juriſconſ. lib. 2. c. 6, Joh. Bertrandus de Juriſp. lib. 1, c. 1, Ægidius Menagius Amænit. Jur. c. 24, Dodvvellus in Prælect. Camdenianis 8. p. 333, Jacob. Gothofredus in Manual. Jur. 3. p. 14, & ſeq., ac Laur. Andreas Hambergerus in diſſert. de Edicto perp. Jenæ 1714. Parum ab hoc Edicto diverſum prodiit vel ſub eodem Hadriano, ceu putat Dodvvellus ad Spartianum cap. 2, vel ſub M. Antonino, ut placuit magis Spanhemio Orb. Rom. exercit. 2. cap. 12, Edictum aliud *Provinciale* dictum, quod unum, idemque cum *Perpetuo*, ſive *Prætorio*, de quo modo, idque *Provincialis* nomen tuliſſe in Provinciis, quod in Urbe *Prætorium*, aut *Urbanum*, ſeu *Urbicum* adpellabatur, conjicit Heineccius lib. 1. hiſt. Jur. Rom. cap. 4. §. 275: ubi & obſervat cum Spanhemio cit. exerc. cap. 7, & Pagio ad an. 131. n. 2, ex Ariſtide Orat. in Romam p. 395. edit. Guill. Canteri, Edicto Perpetuo Civitates omnes Urbis Romanæ leges ſequi juſſas fuiſſe, opinione vero ſua falli Pagium, dum Edictum illud, & hodie extare exiſtimat: præter enim fragmenta pleraque in Digeſtis reliqua, utrumque Edictum (ſi non unum fuit, idemque) fata nobis inviderunt. Ex Principum quoque Reſcriptis duobus Codicibus collegere Gregorius, & Hermogenes, dicti aliis Gregorianus, & Hermogenianus; atque Gregorius quidem ſub Conſtantino M., ut cenſet Gothofredus Proleg. Cod. Theod. cap. 1, vel ſub Valente, & Gratiano, ut vult Pancirolus de Clar. Leg. interpr. lib. 1. cap. 65, ſeq., Conſtitutiones ab Hadriano uſque ad Diocletianum, & Maximianum collegiſſe videtur. Hermogenes vero vel ſub Diocletiano, ut Pancirolo viſum, vel ſub Conſtantino M., ut placuit Menagio Amæn. Jur. c. 11, & Heineccio loc. cit. §. 358. cap. 5. Conſtitutiones a Gregorio prætermiſſas ſuppleviſſe, atque Diocletiani, Maximiani, Succeſſorumque inſuper uſque ad an. 312. complexus fuiſſe videtur: qua de re Schultingius in Juriſp. vet. Antejuſt. p. 709, & Heineccius Antiq. Rom. proœm. §. 17. ſeqq., & lib. 1. hiſt. Jur. Rom.

Rom. c. 5. §. 370. ſeqq. Eadem fata perpeſſus uterque Codex eſt, præter fragmenta, quæ ex Aniano præſertim, edita fuere a Petro Gregorio Tholoſano, a Sichardo, a Cujacio, a Schultingio. Tribunitiarum quoque legum, Senatuſque Conſultorum fragmenta collecta debemus Ant. Auguſtino lib. de Leg., & Senatus Conſ., Aldo Manutio lib. de Legib., Franc. Philelpho lib. de Leg. Rom., Catolo Sigonio de antiq. Jur. Rom. &c. Conſetendi & Georgius Schubartius de fatis Juriſp. Rom., & Ulricus Zaſius in Catalogo Leg. Roman. Quibus demum infortuniis, multoque magis ptiſci Juris nævis abolendis, de quibus libros integros duos compingere Chriſt. Thomaſio licuit, obviam ire ſedulo inſtituit primum Theodoſius Junior, a quo Juriſperitis octo adhibitis, in quibus præcellebat Antiochus, anno 438. Codex, inde Theodoſianus dictus, prodiit, quem, & ſingulari Conſtitutione, quæ inter Theodoſianas primum occupat locum, confirmavit. Quamquam & ipſe Codex haud integer ad nos uſque pervenerit, ſiquidem Conſtitutiones 320. circiter, quæ in Codice Juſtinianeo habentur, fruſtra in Theodoſiano quæſivetis. Poſt editum præterea Theod. Codicem, Legum Moſaicatum, & Romanarum Collatio adparuit in Titulos 16. tributa, qua Leges Romanæ ex integris Papiniani, Paulli, Ulpiani, Caii, Modeſtini, Gregorii, Hermogenis, aliorumque veterum Juris Interpretum commentariis deſumptæ cum Moſaicis conferuntur. Ejus auctor fertur apud Bertrandum, & Cujacium Obſerv. lib. 7. cap. 7, Licinius Rufinus, minus vere tamen, ſiquidem Licinius Rufinus ſub Alexandro Severo tranſegit, Pariator ille vero, quum ex Codicibus Gregoriano, & Hermogeniano non modo, ſed ex ipſo Theodoſiano Tit. 5. §. 3. Conſtitutiones deſcripſerit, Theodoſii ætatem ſaltem attigit: qua de re Gothofredus in Proleg. Cod. Theod. cap. 3, & Manual. Jur. lib. 2. cap. 10, Menagius Amœnit. Jur. Civil. cap. 7, & Heineccius lib. 1. hiſt. Jur. Rom. cap. 4. §. 347. Auctorem potius Judæum quempiam exiſtimavit Marquardus Freherus lib. 1. Parergon Juris cap. 9. Eamdem primus edidit Petrus Pithoeus, notis illuſtravit Henricus Stephanus, deinde Anton. Schultingius Juriſp. antejuſtin. p. 727. ſeq., legereque præterea eſt Crit. Sacr. To. 6. p. 150. edit. Francof. 1696.

inſertam. Eo deinde Theodoſiano Codice perfecto, novellæ tum ipſius Theodoſii II., cum Valentiniani III., Martiani, Majoriani, Severi, Leonis, & Anthemii Conſtitutiones editæ ſunt: quas dias in luminis auras protraxere idem Pithœus, Rittershuſius, & Gothofredus ad calcem Cod. Theod. Infortuniis igitur, fatiſque Juriſprudentiæ optima, quoad ejus fieri poſſet, conſulturus ratione Juſtinianus, diligentiſſimam ad id doctiſſimorum, qui tum hoc haberentur nomine, operam ſibi adhibendam ſtatuit, quorumque delectum habitum, & catalogum, nempe Tribonianni ceteţorum familiam ducentis, Theophili, Cratini, Dorothei, Anatolii, Theodori, Iſidori, Thalelæi, Salaminii, Conſtantini, Stephani, Mennæ, Proſdocii, Eutolmii, Timothei, Leonidis, Leontii, Platonis, Jacobi, Johannis, Dioſcuri, & Præſentini, videre eſt L. 2. §. 9. 11., L. 3. §. 9. Cod. *De vet. Jure enucl.*, Conſt. *Hæc, quæ neceſſario* §. 1. *De novo Cod. fac.*, Conſt. *Summa Reip.* §. 2. *De Juſtin. Cod. conf.*, Conſt. *Cordi nobis* §. 2. *De emend. Cod. Juſtin.*, & §. 3. Procem. Inſt. Ejus itaque auſpiciis, Xvirorum opera an. 528. *Codex Juſtinianus Prior* ex tribus, qui tum extabant, Codicibus defloratus, in lucem prodiit, ſed imperfectus valde, ideoque triennio poſt a XVII. viris ad id negotii delectis confecta *Digeſta*, ſive *Pandectæ* ſunt; tumque ſequutæ *Inſtitutiones* a Triumviris Dorotheo, Theophilo, & Triboniano elaboratæ. Siquidem autem tam prior ille Codex parum diligenter fuiſſet concinnatus, quam ab illo plerumque diſcederent Pandectæ, factum denuo, ut emendatio Vviris commendaretur, quorum labore an. 534. demum prodiit *Codex repetitæ prælectionis*. Quibus tandem omnibus, multis in locis qua mutatis, qua deletis, novæ Conſtitutiones, *Novellæ* inde denominatæ, ex Tiberio, ex Juſtino, ex Juſtiniano acceſſerunt; ex Novellis autem deſumptæ *Authenticæ* Codici demum jam ſæculo VI. adjectæ. Ex Græca deinde Inſtitutionum, Pandectarum, & Codicis verſione a Theophilo, & Thalelæo procurata (nam Juſtiniani nomine Latine conſcripti ii libri fuerant) atque ex Novellis Græce editis (quas deinde an. 570. Latinitate donavit Julianus Patricius, & Conſtantinop. Anteceſſor, ediditque primum Franc. Pithœus) Editis præterea tredecim, quin etiam ex Juriſperitorum quorumdam

Græco-

Græcorum Paratitlis, aliisque libris, atque ex Patrum imo operibus, Conciliorumque sanctionibus confecti sunt Basilicorum libri opera primum, auctoritateque Basilii Macedonii an. 838., Leonis Sapientis deinde an. 886, ac demum Constantini Porphyrogenetæ sub initium sæculi X., quosque in sexaginta libros divisos cum Glossis Latinis, Græcisque Volum. 7. fol. edidit Carolus Annibal Fabrottus. De quibus omnibus, aliisque deinde accessionibus minus conspicuis, quales Authenticæ, & Feudalium libri, adeundi, qui præ aliis hisce illustrandis operam impenderunt, Paulus Manutius, Guido Pancirolus, Ant. Augustinus, Paulus Merula, Franc. Hottomannus, Carolus Annibal Fabrottus, Jacob. Gothofredus, Jan. Vinc. Gravina, Josephus M. Suaresius, Georgius Beyerus, Henr. Bergerus, Ant. Schultingius, Georg. Schubartus, Ægid. Menagius, Cornel. Bynkershoek, Christfridus Waechterus, Herm. Schminckius, Everardus Otto, Joh. Gottl. Heineccius, Joh. Schilterus, Carolus And. Duckerus, Michael Schumannus, Henr. Brenkmannus, aliique plures apud Fabricium Bibl. Lat. To. 2. lib. 4. cap. 10.

Juxta hæc igitur, quæ fortasse plusquam oporteret, præterque, quos mihi præstitui, fines, atque operis scopum, fusius persequutus sum, (quamvis neque tantum superfuerit otium, ut de particularium Regnorum legibus, quæ postmodum inductæ sunt, puta Germaniæ, Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Hungariæ &c., dicendi licentiam mihi sumerem) Potestatis Laicæ tam originem, quam ordinationem, atque officium rem mere humanam esse liquido adparet. Eamdem quoque potestatem justissimos intra fines juris Divini, Naturalis, & Gentium constringi certum est, & constans, quin etiam pactis affici, promissisque. Humanam præterea Regum a prima, ac deinceps ætate institutionem esse, hominum videlicet inductam voluntate; atque humanam perinde legum a Potestate laica profectarum originem, quas nempe hominum studium, necessitasque comparavit, & peperit. Quamvis enim Legislatorum plerisque, quo major latis ab se legibus vis, & dignitas conciliaretur, ejusmodi consilium insederit leges suas supremis Diis acceptas referendi, uti Zoroastri apud Hyde, & Chaufepié Dict. hist. Crit. To. 4. p. 835. in

Not. G; uti Minoi, testibus Libanio To. 2. p. 479, Maximo Tyrio diss. 22., & Dione Chrysost. Orat. 1. de Regno; ceu Rhadamantho, affirmante Ephoro apud Strabonem lib. 10. Geogr. p. 476.; ceu Lycurgo, auctoribus Diodoro lib. 1. p. 48., Libanio loc. cit., & Aristide Orat. 1; uti Zaleuco, tradentibus Aristotele de Republ. Locrorum apud Clementem Alex. Strom. lib. 1. p. 352., & Valerio M. lib. 1. cap. 2.; uti Zamolxi, referente Diodoro loco cit., ceu Lycaoni, memorante veteri Scriptore apud Svidam V. Λυκάων To. 2. p. 467., quem & consulesis V. Νόμα p. 627; ceu Romulo, & Numæ, scribentibus Livio lib. 1. cap. 19, Dionysio Halic. lib. 2. p. 122, Dione Chrys. Or. 25. p. 283, & Plutarcho in *Numa*: Quin etiam Populos ea olim stulta incesserit ambitio, ut Deos esse, a quibus suas accepisse leges gloriabantur, confingere delectarentur, veluti de Cerere tradunt Herodotus lib. 3, & Diodorus lib. 5. p. 201, de Vulcano Laertius lib. 1, de Hermete Diodorus lib. 5, Herodotus lib. 3. cap. 33, Varo lib. 4. cap. 9, & Proclus lib. de Anima, qua etiam de re Steuchus Eugub. de peren. Philosoph. lib. 1. cap. 25, de Minerva Plato in Timæo, de Saturno Virgilius Æn. 8, & Servius ibid., de Jano Macrobius Satur. lib. 1. capp. 7, & 9, ac Plutarchus Probl. cap. 40.: quorum, similiumque exempla collegit Balthassar Bonifacius hist. Ludricæ lib. 19. cap. 1, deque horum plurimis dictum est paullo superius; fabulas esse tamen, ac puta figmenta, vel ad fucum Populis faciendum, vel ad fallendam ignaras apud Gentes fidem, ex ipsis Ethnicis sagaciores persuasum habuere. Contra vero Ecclesiasticæ potestatis originem Divinam prorsus esse, eamque potissimum, qua leges ferendi pollet, Deo referri acceptam debere particulam, luce pomeridiana clarius ex utraque Verbi tam scripti, quam traditi pagina manifestum fecimus: adeo ut vere, optimeque Christianæ Ecclesiæ eum, qui Judaicæ Reipublicæ a Josepho Antiq. Jud. lib. 4. cap. 8. p. 164, & contra Appion: lib. 2. p. 1376, tributus legitur regiminis titulus Θεοκρατίας, convenire non dubium sit; adeoque ut ex Catholicis nemo, nemoque ex Acatholicis hucusque id unquam in dubium vertere ausus sit, veluti scite animadvertit Cl. Scriptor de Juribus Apost. Sedis To. 1. p. 2. cap. 2. de *Regio exequatur*.

Atque

Atque utroque ex hoc ideo capite ſequitur, tum quod Laica poteſtas Eccleſiæ legibus obligetur, atque ad obediendum profecto ab Eccleſia obſtringi poſſit; tum quod viciſſim a Poteſtate laica immunis prorſus, liberaque ſit Eccleſia, eademque gaudeant immunitate, libertateque Eccleſiæ Loca, Res, ac Perſonæ: ideſt, quod eòdem recidit, pleniſſimo Eccleſia potiatur jure tanquam proprio Conventus Synodicos celebrandi, Cauſſas Eccleſiaſticas cognoſcendi, quæ duo fuſe, ſolideque, opinor, demonſtrata jam ſunt To. 3. Art. 2. §. 1. ſeqq., Art. 4. §. 1. ſeqq., Art. 5. Proleg., & To. 4. Art. 9. §. 1, eamdemque in Templis ad Dei cultum exſtruendis, inque Rebus ſuis temporalibus adminiſtrandis ſibi ſufficere, neque a Laicis Tribunalibus ejus dependere Perſonas; de quibus affatim ſeq: Articulo, poſtquam heic adverſæ opinionis patronis ſatis fuerit paucis, quoad ejus fieri poſſit, factum, eorumque argumentis, ſiqua videatur ineſſe, vis prorſus omnis erepta.

Inter ea igitur, eaque levioris utique momenti omnia, quæ ſui in erroris defenſionem congerere ſolent cum Proteſtantibus falſi Politici, ac poſt Vigorium, Maimburgum, Barclajum, Widringhonum, Fevretum Richerius præſertim de Eccl., & Polit. poteſt., ac in hiſt. gener. Concil. lib. 4. cap. 1, Launojus in epiſt. ad Vallantium, Raymundus Carron adverſ. Cenſur. Lovan., Dupinius de antiq. Eccl. diſcipl. diſſert: 6. cap. 1, Quatuor Epiſcopi appellantes Inſtrum. Appel. p. 7., Natalis Alex. ad ſæcul. XI. diſſ. 2. art. 9., & ad ſæcul. XVI. diſſ. 5, Boſſuetius Defen. Decl: lib. 1, Jannonus hiſt. Regn. Neapol. lib. 2. cap. ult. §. 3, &c. gravius illud eſt principio, quod ſi ita Poteſtatis laicæ cauſſa eſt, ut a Deo haud immediate proficiſci dicatur, neque a Deo in Pontificem M. immediate profecta Eccleſiaſtica poteſtas dici poſſit; ſed ea immediate Eccleſiæ collata, atque ab ea deinde in Pontificem translata, dicenda ſit. Cæterum Regum poteſtatem immediate a Deo eſſe congeſtis e S. Scriptura paſſim locis evinci contendunt, velut ex illo Proverb. cap. 8. v. 15: *Per me Reges regnant &c.*, ex Sap. cap. 6. v. 3.: *Data eſt a Domino poteſtas vobis* (de Regibus ſermo eſt), *& virtus ab Altiſſimo*, ex Daniel. cap. 2. v. 37: *Deus Cæli Regnum, & fortitudinem, & Imperium, & glo-*

& gloriam dedit tibi, cui ſubjungunt ex Hieremiæ cap. 27. v. 6; ex S. Pauli epiſt. ad Rom. cap. 13. v. 1: *Non eſt poteſtas, niſi a Deo . . . Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, & ex S. Petri epiſt. 1. cap. 2. v. 13: *Subjecti eſtote omni humanæ Creaturæ propter Deum; ſive Regi, quaſi præcellenti &c.* Veteris vero Teſtamenti, ac Novi paginis concordare SS. Eccleſiæ Patres ſibi perſuadent, inter quos proferunt Auctorem Conſtit. Apoſtol. ſub S. Clementis nomine, qui lib. 7. cap. 16: verſ. Cotel. id cunctis ſuppeditabat conſilii: Τὸν Βασιλέα φοβηθήσῃ, εἰδὼς ὅτι τοῦ κυρίου ἐστὶν ἡ χειροτονία, *Regem vereberis, ſciens a Domino eſſe electionem*; Similia habet lib. 4. cap. 13; S. Irenæum, qui lib. 5. de Hæreſ. cap. 24. propriam Apoſtoli faciens ſententiam, *Quæ ſunt*, inquit, *Poteſtates, a Deo ordinatæ ſunt . . . Cujus enim juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & Reges conſtituuntur*; Tertullianum, qui Apolog. cap. 30. non tam ſuam, quam tum quæ omnium eſſet, de Imperatoriæ poteſtatis origine, opinionem expromens, *Inde Imperator*, ait, *unde & homo, antequam Imperator. Inde poteſtas illi, unde & Spiritus*; cap. 34. eumdem a Domino electum, & lib. ad Scapulam cap. 2. ſolo Deo minorem adfirmat; S. Epiphanium, qui Hær. 40. hæc in eamdem rem habet: *Vbi vides ne, ut hæc Mundi poteſtas a Deo ſtabilita ſit, gladiique jus obtineat? Neque vero id aliunde, quam a Deo ad vindicandum accipit*; S. Joh. Chryſoſtomum, qui hom. 23. in epiſt. ad Rom., & S. Iſidorum Peluſ., qui lib. 2. ep. 216. ad Dionyſium ab hac ſe profecto ne hilum quidem abfuiſſe opinione pateſaciunt; S. Optatum, qui lib. 3. adv. Parmen. p. 65. edit. Albaſp. ſolum Deum ſupra Imperatorem ſtatuit: *Quum ſuper Imperatorem*, ſcribens, *non ſit, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem &c.*; S. Auguſtinum, qui de Civit. lib. 5. cap. 21. de Deo O. M. Imperii largitore ſupremo ſic loquitur: *Qui Auguſto, ipſe & Neroni. Qui Veſpaſianis, vel Patri, vel Filio . . . ipſe & Domitiano . . . Qui Conſtantino, ipſe & Apoſtatæ Juliano dedit*, Imperium ſcilicet; S. Gregorium Turon., qui lib. 5. hiſt. Franc., quæ ſibi de Regia poteſtate hæreret opinio, hiſce, quibus Francorum Regem affatur, verbis explicat: *Si quis de nobis, o Rex, juſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, a te corripi poteſt: Si vero Tu exceſſeris, quis*

quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis, ſi autem nolueris, quis te damnabit, niſi is, qui ſe pronuntiavit eſſe Juſtitiam? SS. Patribus adſtipulari Sacros Canones ſuadere conantur. Ita Can. 8. *Quoniam* Diſt. 10. ex epiſtola 7. S. Nicolai I., non vero ex S. Cypriano, uti perperam, quod frequenter ſolet, eidem tribuit Gratianus, quo habetur a Chriſto Deo-Homine actibus propriis, dignitatibuſque diſtinctis officia poteſtatis utriuſque (Regiæ ſcilicet, & Pontificiæ) fuiſſe diſcreta. Can. 10. *Duo ſunt* Diſt. 96. ex epiſt. 4. S. Gelaſii, quo adfirmatur duas eſſe Poteſtates, quibus adſpectabilis Mundus hic regitur, Pontificiam, & Regiam; Divina quoque diſpoſitione Imperium Regi eſſe collatum. Can. 5, & 8. Synodi Pariſienſis V. an. 829. lib. 2. apud Harduinum To. 4. p. 1338, & 1342, quo loci teſtimoniis Proverb. cap. 8. v. 15, Hierem. cap. 27. v. 5, ſeq., ac Daniel. cap. 4. v. 14, & cap. 5. v. 21. innixi Patres in hanc de Regiæ poteſtatis origine prodiere ſententiam: *Nemo Regum a progenitoribus Regnum ſibi adminiſtrari, ſed a Deo veraciter, atque humiliter credere debet dari &c.* Quorum ſimilia habent Synodi Lauriacenſis an. 843. Can. 3, apud Jvonem par. 16. cap. 23, & Troslejana an. 909. Can. 2. apud Hard. To. 6. par. 1. p. 507, ſeq. Sacris Canonibus adſociari Imperatorum effata, legeſque oſtendere demum inſtituunt. Ita Titi Imperatoris fuiſſe dictum apud Aurelium Victorem Epitom. cap. 10: *Poteſtates fato dari.* Ita M. Antonini nobile ἀπόφθεγμα referri a Xiphilino in ipſius vita p. 271.: *Nemo, niſi ſolus Deus, Judex Principis eſſe poteſt.* Ita M. Aurelii, qui apud Balthaſſarem ab Ayala lib. 1. de Jure Belli cap. 2. pag. 26. dicere ſolebat: ſolum *Deum de Principibus judicare.* Ita Juſtiniani Imp. Novel. 6. Collat. 1. tit. 6. eximium illud effatum legi: *Maxima in hominibus ſunt dona Dei, a ſuperna collata: Clementia, Sacerdotium, & Imperium; & illud quidem Divinis miniſtrans, hoc autem humanis præſidens.* Ita Vitigis Gothorum Regis apud Caſſiodorum Variar. lib. 10. cap. 31: *Cauſſa Regiæ poteſtatis*, inquientis, *ſupernis eſt applicanda judiciis: quandoquidem illa e Cælo petita eſt, & ſolo Cælo debet innocentiam.* Ita & in Formula Præfect. Urbanæ lib. 6. cap. 4.: Rex *alteri*, dicere ſolebat, *ſubdi non poſſumus, quia Judices non habemus.* Hinc

& Ho-

& Homerus Iliad. lib. 1. v. 197.: τιμὴ δὲ κ Διός ἐστι *ab Jove summus honos*. Hinc & inter Essenorum placita Josephus de Bello Jud. lib. 2. cap. 8. §. 7. edit. Hudson., & Porphyrius de Abstinent. lib. 4. p. 389. memorant: *Non sine Divina quadam providentia perveniſſe Reges ad ſummam de omnibus poteſtatem*. Hinc & Plinius in panegyr. ad Trajanum eum indubitanter *Divinitus conſtitutum, non occulta poteſtate Fatorum, ſed ab Jove ipſo palam electum* pronuntiare non dubitavit. His itaque, similibusque fuco plenis quidem, sed pondere vacuis verbis pro Divina Imperatoriæ poteſtatis origine pugnant, eoque perverso sane consilio, ut poteſtatem deinde laicam in superiorem erigant locum.

Verumtamen quod primo ad utriusque poteſtatis Regiæ, ac Pontificiæ comparationem spectat, longum, latumque inter utramque discrimen intercedere confestim adverrer, qui captus oculis prorsus non sit, in eo positum, quod Ecclesiastica poteſtas immediate, atque pleniſſime a Deo collata fuit S. Petro, ejusque ex asse successoribus, a quibus in poteſtatis ejusdem partem vocantur Episcopi: Unde tota in genere, ceu Scholæ loquuntur, est in Romano Pontifice, in specie vero, particulatimque transmiſſa in Episcopos. Qua de re abunde, invicteque, si mea non me fallit opinio, disputatum Vind. Par. 2. To. 4. Art. 8. §. 1 p. 302, seqq. Politicam econtra in genere quidem a Deo esse immediate in confesso est, sed ab eo toti Generis humani universitati ab initio collatam, a quo deinde in specie vel in unum, vel in plures translata fuerit, indeque subortas diversas Regiminis formas, speciesque, hactenus disputata evincunt. Unde fit evidens Poteſtatem laicam in specie quidem e Jure Gentium proficiscì, Ecclesiasticam vero Pontificii esse Juris particulam. Atque hoc utique sensu accipi S. Scripturæ loca, sicubi Reges ex Deo regnare dicantur, tam recte possunt, quam probe debent. Ita nempe, velut appoſite Bellarminus explicat in reſponſ. ad Theologi cujusdam epiſt. super Censuris a Paulo V. adversus Venetos latis, ut Regibus immediate quidem a Deo collata poteſtas non fuerit, bene vero mediate, medio nempe titulo vel Electionis, vel Hæreditatis, vel Donationis, vel justi Belli, quorum alterutro Regnum illi adquisiverint. Enim vero si hominibus fas vivere absque Rege fuisset, non

fuiſ-

fuiſſet utique, cur ſe Regibus commiſiſſent regendos. Sed quoniam neque pace frui, neque felicitate potiri ſecure, facile ſibi permiſſum eundo, experiundoque didicerant, propterea quod ambitio, quod avaritia, quod invidia, quod incontinentia, quod ira, quod inconſtantia, aliaque multa hujuſce genus mala vitam traducere incommodam, miſeriiſque affectam innumeris cogerent, factum inde, ut ſatius, conſultiuſque ducerent uni ſe ſe Regi, vel pluribus a Republica delectis in poteſtatem concedere, a quo, vel a quibus tam ſuis præſentiſſime iretur cautum malis, quam providentiſſime bonis conſultum ſuis. Atque hoc utique ſenſu a S. Petro Civilis poteſtas, non Divina inſtitutio, ſed Humana ordinatio epiſt. 1. c. 2. v. 13. verbis illis vocata eſt: *Subjecti eſtote omni humanæ Creaturæ*: ubi Græcus textus habet: πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, *omni humanæ Ordinationi*; cui plane lectioni ſuffragantur Græca Scholia, Didymus, ac S. Auguſtinus, eamque tuentur ex Heterodoxis Zegerus, & Grotius ad hunc locum Critic. Sacr. Tom. 5. pag. 2688, & 1694. edit. Francof., κτίσις enim Creaturam nedum, ſed etiam Ordinationem ſignificat. In Scripturis igitur ea Reges a Deo eſſe dicuntur ratione, qua & leges humanæ dicuntur eſſe a Deo: quatenus nempe Deo accepta ea refertur poteſtas, qua ſe regendi, legeſque condendi hominum univerſitas in Reges tranſtulit. Quis enim alioqui cum Divinis humanas commiſceat leges, atque ad Divinum legum humanarum ordinem transferat? Laicis ergo Poteſtatibus, legibuſque in iis, quæ Civilis quidem ordinis ſunt, nec Eccleſiaſticis contraeunt inſtitutis, obedientiam, etiam a Clericis, impendendam eiſque obligari vi coactiva non utique, ſiquidem a Foro civili exemptos oſtendemus Clericos, ſed directiva, ex S. Scriptura Noſtrates quoque homines docent, inter quos adeundi Bellarminus lib. 1. de Cleric. c. 28, Suarez de Legib. lib. 3. c. 33. n. 13, Stadlmayr de Leg. cap. 4, Mezger diſp. 35. art. 5. n. 18, Pettſchacher de Leg. Q. 4. art. 11. §. 4, Engel de Conſtit. n. 35, Konigh ibid. n. 11, Gletle Juriſp. fund. lib. 2. c. 4, §. 5. n. 14, quibus adſtipulantur Schmier Juriſp. Can. Civ. lib. 1. tract. 1. c. 7. §. 2, Concl. 2, Gabriel Antoine de Leg. c. 4. q. 4. &c. Non ſequitur hinc tamen, quod laicæ viciſſim Poteſtates fas ſit negotiis, legibuſque Eccleſiaſticis ſe implicare, mul-

multoque minus Ecclesiasticæ propriam exæquare, aut præferre, quasi supra Ecclesiasticas personas loco superiori laica potestas sit posita. Positos enim, non Principes, sed Episcopos regere Ecclesiam Dei docet Apostolus Act. cap. 20. v. 28, & Episcopis obediendum ab omnibus Hebræor. cap. 13. v. 17. Sed hac de re fusius suo infra loco. Neque vero ab hac mens altera SS. Patribus inerat. Regibus, post Apostolorum par SS. Petrum, & Paulum, timorem, honorem, tributum deberi jure optimeque docuit Auctor Const. Apostol., quis id, nisi Monarchomachus, invideat? A Deo vero electos ideo Reges dixit, quod non absque prævio Dei nutu Regnum adepti sint, ut mox uberius explicandum erit. S. Irenæi aliud erat institutum: ut enim ostenderet Diabolum mendaciis semper assuetum, eum spendide mentitum adfirmat, dum Christo D. temere dixit: *Hæc omnia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa* Luc. cap. 4. v. 6. Regna enim a Deo esse determinata, a Deoque pro voluntate distribui dicit: at immediate a Deo instituta non dicit. Nec erat sane, cur diceret vir intelligens hominum pactis Imperia stabiliri, mutari, transferri. Id ergo dumtaxat intellexit Deo probata Imperia ire, Deique providentia ita disponi, quomodo Imperium ipsum probatum fuisset, dispositumque, si penes hominum universitatem integrum perpetuo stetisset. Tertullianus adversus Ethnicos disputans in id incumbebat, ut efficeret non Diis gentium, Dæmoniisque, prout ipsi putabant apud Martialem lib. 7. Epigr. 59, pro Imperatoribus litandum fore, precesque fundendas, sed uni Deo vero Generis humani conditori, a quo, non ab illis, Imperium dari, sub cujusque, non sub illorum, potestate degere Imperatores dicebat: ab eo, inquam, esse Imperia, ac sub eo Imperatores esse, a quo sunt, & sub quo sunt homines; idest eadem Dei voluntate fieri Imperatores, qua facti sunt homines. Ex quibus ineptum est plane, iniquumque conficere Juris Divini esse Imperium. Nam ita concludere perinde liceret, nihil non esse Divini Juris, nihil siquidem sit, quod a Deo non proveniat, dependeatque. Ea vero ratione lib. ad Scapul. Imperatorem solo Deo minorem, & a Deo secundum adfirmat, quod in rebus mere Civilibus superiorem non agnoscat, quin adfirmet tamen eumdem legibus pariter Ecclesiasticis esse

eſſe abſolutum, quinve de immediata, vel mediata Imperatoriæ poteſtatis origine cogitaverit. S. Johannis Chryſoſtomi, ac S. Iſidori Peluſiotæ, qui eumdem pene exſcripſit, plana, nihilque obſcura ſententia eſt Principatum quidem, ſeu Civilem poteſtatem, non quoſque Principes, a Deo conſtitui, ſeu Divinæ ſapientiæ opus eſſe, unde loco cit. ſic loquitur: *Quod Principatus ſunt, quodque nec fluctuum inſtar Populi huc, atque illuc circumaguntur, Divinæ ſapientiæ opus eſſe dico. Propterea non dicit* (S. Paulus): *Non enim Princeps eſt, niſi a Deo, ſed de re ipſa differit dicens: Non enim poteſtas eſt, niſi a Deo.* Quod eódem recidit, ac ſi dixiſſet, ſicut humana cetera non fato, non caſu fiunt, ſed Dei voluntate, ac providentia, ſic Civilem poteſtatem fuiſſe diſpoſitam, ordinatamque. S. Epiphanius adverſus Archonticos diſputans, qui Dei veri dominationem contemptui habentes, ſeptimi Cæli ſupremo loco Principem Sabaoth collocabant, eique ſummam poteſtatis tribuebant, ad terrenas eos Poteſtates provocabat, quas ab uno Deo vero ſtabilitas, gladiique jus obtinuiſſe demonſtrat. Donatiſtas ſimiliter diſputatione adgreſſus S. Optatus, qui tum adverſus Imperatoriam poteſtatem ſuperbas erigentes cervices nihil ipſi cum Eccleſia eſſe jactabant, quorumque anteſignanus Donatus ſuper Imperatorem ſemet extollens, ipſius eleemoſynas pauperibus erogandas recipi prohibuerat, Imperatorem ſuprema in Civilium adminiſtratione frui, defungique poteſtate dicebat, quod & libenter largimur, atque pro ipſo, velut Apoſtolus præcipit, orandum fore, ſub ipſo ſiquidem quietam vitam degere Chriſtianis jam tum fas eſſet. Quin ei tamen menti ſuccurreret cogitandi de Imperatoriæ poteſtatis Divina inſtitutione, aut de Juris Eccleſiaſtici convellendi poteſtate Imperatori inſita. Sed de S. Optati ſententia adhuc apertius ſeq. Articulo. Quia vero alii neque deerant Hæretici, quales Manichæi, quos poſtea Anabaptiſtæ preſſo ſequuti ſunt veſtigio, de quibus agit S. Auguſtinus lib. de Natura boni, & mali cap. 32, qui non a bono Deo, ſed a malo Dæmone Civilem poteſtatem ortum duxiſſe, eamque ideo non bonam, ſed malam eſſe dicebant: & quia viciſſim Ethnicis Imperia a falſis Diis impartiri perſuaſum erat, ideo S. Doctori mens erat demonſtrare ab uno Deo vero Civilem poteſtatem de-

ſcendere, Divinaque providentia Imperia diſtribui. Nihil interea cogitans de aliquo præterea quopiam Divini juris Imperatoribus largiendo, id unum piorum Imperatorum perpetuum eſſe munus docebat, Eccleſiam iueri, ſeveriſque legibus, ac pœnis Hæreticos, Schiſmaticos, & blaſphemos ab Eccleſia damnatos coercere epiſt. 48, 50, & 165. S. Gregorii Turon. denique loquutio eò ſpectat dumtaxat, ut Regum potentiam eo loco poſitam indicet, quo vim pati, ſubigique pœnis nequeat, quin tamen Eccleſiæ poteſtatem adimat, qua illos corripere, & ad recti, juſtique tramitem revocare inſtituat. Confer, quæ hoc de S. Gregorii loco diſputat illuſt. Comes de Boulainvilliers hiſt. vet. Regim. Francor. To. 1. p. 52. ſeqq. edit. Lugd. Batav. Neque magis vero Canonum urgemur auctoritate. Nam ex S. Nicolao depromptus alia quidem Imperatoris, alia Pontificis officia a Chriſto D. fuiſſe diſtincta inſinuat, quin vel leviter indicet a Deo Imperium fuiſſe inſtitutum. Ex S. Gelaſio vero prolatus contrarium potius ſuadet, non ad Imperatoriam Pontificiam, ſed e converſo ad Pontificiam Imperatoriam accommodandam eſſe auctoritatem admonens, & oſtendens. Utriuſque igitur ſententia ab Imperatoribus Religionis defenſio utique ſuſcipienda eſt, quin tamen fas eiſdem ſit in Religionis ſe ſe cauſſas ingerere. Qua in ſententia pariter concordant Can. 3. *Certum*, Can. 6. *Suſcipitis* Diſt. 10, Can. 2. *Bene quidem*, Can. 11. *Si Imperator* diſt. 96, Cap. 6. *Solite* Decret. lib. 1. tit. 33. *de Majorit., & Obed.* ex Innocentio III, & Extravag. 1. *Unam Sanctam* eodem titulo ex Bonifacio VIII; pareſque ſtetere SS. Anaſtaſius II. in epiſt. ad homonymum Imperat., Gregorius M. lib. 4. epiſt. 44. ad Leontiam Aug., & lib. 9. epiſt. 60. ad Regem Angl., & Agatho in epiſt. ad Conſtantinum. Nihil amplius ex Synodo Pariſienſi extundi poteſt, quam eo demum optimo dictum jure a Progenitoribus non accipi Regnum, quod immediate Populi conſenſui acceptum referri debeat, ideoque mediate Deo ipſi, a quo Populo ab initio conceſſum fuerat, atque ab iſto in Reges ſubinde translatum. Quo plane ſenſu intelligendum fore objectum Canonem ex iis, quæ ſtatim poſt ſequuntur, fit manifeſtum, quæ ſic habent: *Multi namque munere Divino, multi etiam Dei permiſſu regnant:*

gnant. Qui pie, & juſte, & miſericorditer regnant, ſine dubio per Deum regnant. Qui vero ſecus, non ejus munere, ſed permiſſu tantum regnant. Ubi vides ſermonem inſtitui non de Regiæ poteſtatis origine, ſed de bono, maloque ejuſdem poteſtatis uſu. Atque hoc ipſo facili loquuti profecto ſenſu intelligendi ſunt Patres Synodi tam Lauriacenſis, quam Troslejanæ: quibus adjungendæ Aquiſgranenſis II. an. 836. tit. *De Perſona Regis* &c. cap. 1, ſeqq., ac Mantalenſis an. 879. in legat. ad Boſonem Reg., ubi graviſſimis verbis officii, religioniſque etga Eccleſiam Reges admonentur, aliæque quamplures, in quibus frequens adverſus laicas Poteſtates animadverſum ſeqq. Articulis planum fiet. Quod ad Imperatorum, ac Regum effata, legeſque poſtremo ſpectat, parum hac in re negotii faceſſunt: ſiquidem illorum non ſit de Imperii inſtitutione, Divina ſit, an humana, decernere. Sed enim quo demum ſenſu Imperatorum dicta de Imperio ſibi Divinitus tradito accipi debeant, abunde ſupetius eſt demonſtratum. Nempe a Deo immediate minime Imperium proficiſci, ſed ex Populi conſenſu, a quo in Imperatores fuerit tranſlatum, quod Deus probavit. Atque ita celebriores Juriſperiti ultrocitroque fateri non dubitarunt, velut Pomponius ff. lib. 1. tit. 2. cap. 2. §. 9: *Quia*, inquiens, *difficile Plebs convenire cœpit, neceſſitas ipſa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit.* Ita de Regimine primum Ariſtocratico, & §. 11. ita perinde de Monarchico: *Sicut ad pauciores*, ſubjungens, *Juris conſtituendi via tranſiſſe, ipſis rebus dictantibus, videbatur, per partes evenit, ut neceſſe eſſet Reipublicæ per unum conſuli ... Igitur conſtituto Principe, datum eſt ei Jus, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet.* Velut etiam Ulpianus lib. eod. tit. 4. De Conſtit. Princip. cap. 1., ubi Populi voluntate adquiſitum a Principe Imperium diſtincte hiſce adfirmat verbis: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: utpote quum lege Regia* (de qua tamen contra Ulpiani interpretationem ſuperius eſt diſputatum) *quæ de Imperio ejus lata eſt, Populus ei, & in eum omne ſuum Imperium, & poteſtatem contulerit.* Qua denique ratione accipi debeant Principum Sanctiones circà res Eccleſiaſticas, abunde, opinor, dictum eſt Vind. To. 3. Art. 5. in Proleg., ut non opus propterea ſit dicta refingere. Qui ſi præ-

ſi præterea facultatis propriæ fines aliquando tranſgreſſi leguntur, quid inde ? Exinde certe non eſt concludere, ideo fieri licuiſſe, quod factitatum quandoque fuerit : ſiquidem peſſimi ſit argumenti genus ex perperam factis, perque nefas, jus faciendi exſculpere. Sed enim verius ſi qua præcepta, ſi qua pœnas circa Eccleſiaſticas cauſſas decreviſſe Principes leguntur, velut in Codice utroque paſſim Theodoſ., & Juſtin., non id proprio arbitratu, ſed ex Eccleſiæ præſcripto totum actum eſt. Quocirca Petrus, & Franciſcus Pithœi Fratres in Not. ad LL. 42., & ſeqq. Cod. Juſt. *De Epiſcopis, Clericis* &c. recte obſervarunt ex Synodorum Statutis, ac SS. Patrum, & Pontificum dictis, decretiſque eas utplurimum leges expreſſas fuiſſe: ut proinde non aliud egiſſe Imperatores videri debeant, quam ut ab Eccleſia rite, ſancteque ſancita, quod perſemet non ſemper, quod non ubique, quod non penes omnes præſtare ipſa valebat, vindicarent, ac ſarta, tectaque ſervari curarent. Quod ob egregium præſtitum Eccleſiæ officium, ingentibus perſæpe laudum elogiis ab ipſa mactatos Principes ignorat nemo, qui Eccleſiaſtica in hiſtoria omnino hoſpes non ſit. Atque hoc de argumento hactenus.

De Poteſtatis Eccleſiaſticæ a Civili independentia, quinimo ſupra Civilem præſtantia.

ARTICULUS II.

SEquitur ex his, quod Eccleſiaſtica poteſtas, ſicuti præ Civili Divinam ſortita eſt originem, ita ſupra Civilem gradu, dignitateque fuerit exaltata. Quamquam etſi Civilis poteſtas a Deo immediate profecta concederetur, nec alter deeſſet titulus, quo ſub Eccleſiaſticæ jugo degere ipſam oporteret, veluti res inferioris ordinis, ejuſdem originis etſi, ſuperioris rei ordinis ſubordinari debet : ſicut in ſimili de Epiſcopali, etſi ſpeciei ejuſdem, Pontificiæ ſubordinata, ſubjectaque dicebamus Vind. Par. 2. To. 4. Art. 8. §. 1. Quam igitur perperam agunt, qui Poteſtati laicæ in re, ac regimine Eccleſiæ pares, aut imo primas tribuere partes pro ſua vel erga Principes κολακείᾳ, vel erga Pontifices ἀποτροπῇ non verentur, tam ii profecto imprudentiſſime Sacerdotium

dotium cum Imperio committunt, insanoque consilio Sacerdotii causſam non modo, sed & Imperii, ut videre debebant, elevant, & evertunt. Loco enim suo, ut stet utrumque secure, fines intra suos cohibere se utriusque jura debent, quo si excedant, ut unum alterius locum occupet, inque ipsius limites irrumpat, vel ab suo idem ipsum dilabi consequens est, & necesse. Deinde intelligere demum illos velim, eo ipso quo Potestas aliqua suprema est, non continno sequi, ut altera sit superior, quum una par alteri, ac utraque suo in genere suprema esse possit: quod locum in potestatibus tam Regiis, quam Episcopalibus invicem comparatis habere nemo non perspicit. Quid vero, quod Imperialis, ac Regia etsi suo in genere suprema sit, origine tamen, ac natura humana est, ac temporalis, Ecclesiastica vero Divina est, ac spiritualis, quo fit, ut illa præstantior sit, ac superior? Ego igitur eo uno affectus consilio, ut quibus præsto, infirmis valdequam etsi, viribus, Sacerdotii, Imperiique concordiam in tuto collocatam velim, in hac tractatione mihi sic temperabo, ut Ecclesiasticæ potestatis excellentiam Potestatibus etiam laicis reverendam, suspiciendamque exponam utique, quin interea postremis hisce vel leve quidpiam derogatum velim: unde cum Principalium jurium patronis sic congrediar, agamque, ut horum quidem ofucias depellere instituam, illorum vero legitimis juribus inferre vim, injuriamque summopere caveam. Age vero eorum in anteceſſum, qui collato veluti pede, acieque instructa superiori de loco potestatem deturbare Ecclesiasticam, Civilemque sufficere adgrediuntur, cum quibusque conserenda pugna est, præstat habere delectum, brevemque exhibere elenchum. Et Græcorum porro, & Latinorum perinde Imperatores quamplures eam olim pervasisse insaniam Articulo superiori observatum est, ut Civili Principatu haud contenti, Ecclesiasticum pariter occupare, potioresque Spiritualis potestatis ad se rapere partes ausi fuerint. Jam vero pervasionem istam, ac præoccupationem sententia ut subsisterent sua Protestantes, iniquo pro ingenio tam captandæ Principum auræ, quam odii pluſquam vatiniani in Ecclesiam effundendi, quò Principalibus amplificandis juribus sibi incumbendum, eò Ecclesiasticæ coarctandæ jurisdictioni animum caterva-

tim

tim admovendum instituerunt. Atque in his primo quidem loco Anglo-Presbyteriani sic statuunt: Ecclesiæ nullum regimen, nullam jurisdictionem, nullum forum, nullam facultatem condendi leges, censuras ferendi, infligendi pœnas a Christo D. fuisse concreditam, sed unam factam Clavium potestatem, quæ in sola Verbi prædicatione consistat; ac proinde Civili Ecclesiam Magistratui esse subjectam, a Magistratus vero Christiani mera delegatione, ac indulgentia omnem, quam exercet, auctoritatem dependere; ideoque omnium in Christiana Republica supremum Tribunal Magistratum esse laicum, in quem a Principe derivatur potestas. Anglo-Episcopales vicissim Episcoporum quidem auctoritatem Divina institutione niti persuasum habent, Regem tamen ita observant, quasi ex ipso omnis in Episcopos promanet jurisdictio: Principi summam itidem potestatem de Sacris etiam rebus tribuere non dubitant, Ecclesiæ docere tantummodo, non imperare, permittentes, Confessionistæ Belgici, Helvetici, Basieelnses, Augustani &c., quos presso sequuti sunt pede, præter eos quamplures, de quibus superiori dictum articulo est, Brentius, Hamelmannus, Bucerus, Musculus, Ivellus, Witacherus, Reinoldus, Casaubonus, Paraeus, Burhillus, Tocherus, Heerbrandus, Grotius, Erastus, Budeus, Wilierius, Leydecherus, Utenbogeertius, Ludov. Molinæus, Goldastus, Strychius, Walæus, Maccovius, Vedelius, Chromajerus, Riperus, Reinhardus, Hennin. ges, in Anglia quidam alii, qui ibi Highfliers appellantur, Hobbesius, Limborchius Theolog. Christ. lib. 5. cap. 63. §. 32, Zimermannus Opusc. Theolog., Hist., & Philosoph. Argumenti To. 1. par. 1. medit. 12. n. 14., seqq., ac To. 2. par. 2. dissert. de Crimine hæretificat., par. 4. §. 9., par. 6. §. 7., & in Orat. de Imagine Theologi contentiosi, ubi Magistratui laico circa Religionis publicum regimen jus tribuit integrum quidem, in Conscientias tamen negat, quin etiam post Heiddegerum in Theolog.; & Werenfelsium de Jure Magist. in Conscient., statuit non ei summopere curandum de singulis Confessionis articulis, deque Controvetsiis haud capitalibus, ne videlicet ob his facile interturbetur pax, & tranquilitas; quo modo factum inter Tigurinos ipsos doluisse Bullingerum refert, in Belgio Coccejanos inter, & Voe-

& Voetianos ex Witſio memorat, inter Remonſtrantes ex Clerico eradit, & in Boruſſia inter Miniſtros Stargardienſes, ideo a Friderico III. Rege graviſſimis objurgatos. Quibus adſtipulari non erubuere Anonymi Galli duo, Auctor nempe libelli inſcripti: *Examen du precis de ce, qui s'eſt paſsè a l'Aſſemblèe general du Clergè du* 1755. p. 41., ubi ab Eccleſia leges ferri non poſſe, ſed ad Regis id officium pertinere obgannit, alterque in Opuſc. inſcripto: *Diſcours ſur la puiſſance du Pape, ou ſur l'hiſtoire Eccleſ. Pariſ.* 1756., ubi p. 24. ſeqq. Imperatoribus Pontifices, & Epiſcopos obnoxios agere non eſt veritus. Mediam vero tenuere viam, ac Epiſcopis ſuam adſerentes poteſtatem, non omnem Magiſtratui detulere Beza lib. de Hæreticis a Magiſtratu punien., qui Eraſtum refellit, Epiſcopius in diſſert. de Jure Magiſtr. circa Sacra, Joh. Broun in libris adverſ. Wolzogenium, & Velthuſium, ſive adverſ. Latinos, & Eraſtianos Amſtel. 1670, Guillel. Apollonius de Jure Majeſt. circa Sacra adv. Vedelium Mediobutgi 1642., Burnetus hiſt. Regn. Angl. par. 1. lib. 2, Triglandius in Antapol. adverſ. Remonſtrantes, qui Vedelium etiam oppugnavit &c. Ad Catholicorum vero ſententiam magis accedere viſi ſunt Joh. Gerardus Voſſius in epiſt. inter epiſt. Eccleſ. Theolog. Doctor. Viror. edit. Colomeſii, & Limborchii, a quo refutatus Valæus eſt, Thorndicius in orig. Eccleſ., ſive de Jure, & poteſt. Eccleſ., Samuel Bochartus in epiſt. ad Morlejum To. 2. Oper., Richardus Hooker lib. de regim. Eccleſ., qui Gualtherum Traverſium ſecta Puritanum refutavit, Eduardus Pocok, qui jurare in independentiam, & ſupremaciam noluit, Guillelmus Sacrof Archiep. Cantuar., qui Willelmo Regi fidelitatis ſacramento ſe obſtringere pariter abnuit an. 1691, Guillelmus Laudus Cantuar. etiam Archiep. pro Eccl. Gallic. adverſus Fisherum Soc. J., Thomas Bennet de Juribus Cleri in Eccl. Chriſ. in 8. Lond. 1711, in apolog. Eccleſ. Angl. art. 20. &c., Hammondus diſſert. 4 de Epiſcopatus Juribus adverſ. Blondellum, alioſque, Gaſpar Schioppius in Eccleſiaſtico auctoritati Jacobi Angl. Regis oppoſito, & in Collyrio Regio, ac ſyntagmate de cultu, & honore 1611., Richardus Cumberlandus de legib. natur. cap 7. §. 13, ubi locum a Bentlejo abraſum reſtituit Barbeyraccius ibid. in Not., Henricus

Dodvvellus in paræneſi de nupero Schiſmate Anglic., qua Epiſcoporum a Magiſtratu Sæculari independentiam adſtruit, aliique, quos recenſere ad unum omnes res eſſet tædio plena. Præ quibus tamen Eccleſiaſticam poteſtatem loco ſuo Laica quacumque præſtantiori collocare, ſtabilireque conati ſunt Theologi noſtrates, quorum familiam duxere S. Anſelmus Lucen. in Apologetico *Contra eos, qui dicunt Regali poteſtati Chriſti Eccleſiam ſubjacere*, cum aliis edito a Wadingo Romæ 1657, Jacobus de Ancharano lib. de Monarchia Papæ, quem ideo blaſphemum impie dicere auſus eſt Carolus Molinæus, Reginaldus Polus in libris 4. pro defenſione unitatis Eccleſiæ adverſus Richardum Sampſonem, a quo poſtea liber contra Papæ Primatum editus Henrici VIII. juſſu retractatus eſt, Petrus Soto in aſſert. Cathol. fidei circa Articulos Confeſs. Ducis Wirtenberg. nomine oblatæ in Concil. Trid., & in defenſ. ejuſdem Cathol. Confeſs., & Scholior., Albertus Pighius de Hier. Eccleſ., Baronius ad an. 752. n. 8., Coeffetellus in reſp. ad Jacobum I. Angl. Reg., Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 7, Michael Walpolus Soc. J. in admonit. ad Catholicos Angl. circa Edictum Jacobi Reg., Thomas Fitzherbertus ejuſdem Societ. de Politia, & Relig., & de Juram. fidelit. adverſus Andream Lancellotum, & Robertum Widringthonum, Antonius Capellus adverſ. prætenſum Primatum Eccleſiæ Regis Angl., de captioſo Juram. propoſito Anglis Cathol., & de uſurpata ſpirit. Juriſd. ejuſdem Regni Pariſ. 1625, Franciſcus Avenportus Ord. Min. in Apolog. Epiſcop. Colon. 1640, Stephanus Auſrerius de poteſtate Eccleſ. ſuper laicam, Nicolaus Petitpied Senior de Jure Eccleſ. in admin. Juſt. Sæcul., Boſsuetius defenſ. Decl. par. 1. lib. 11. cap. 33, Blancus de poteſt., & polit. Eccleſ. Tom. 1. lib. 1, Mamachius antiq. Chriſt. lib. 4. par. 1. cap. 2. §. 3, aliique plures, quibus recenſendis ſuperſedeo. De poteſtate Eccleſiaſtica ſupra laicam multa paſſim diſserens Gratianus, ideoque inique redargutus a Gilberto viden., ut recte vindicetur a Michaele a S. Joſeph Bibliograph. Crit. To. 2. p. 142., ſeqq.

Sed enim quænam præpoſtera eſt iſta, & perverſa Proteſtantium agendi ratio, dum aliud dictis, aliud factis docent? Dum nempe pro laica Poteſtate, cui primas in Eccleſiæ regimine tribuunt,

buunt, adverſus Eccleſiaſticam pugnam inſtituere haud dubitant, contra viciſſim Poteſtates ipſas laicas pro Sacris ſuis, ſi quando illas infenſas perſentiſcant, arma, virumque canere minime exhorreſcunt, veluti fuſe oſtenderunt Eraſmus hyperaſpiſt. lib. 1. fol. 109, & in epiſt. ad Vulturium Neocomum, ac Boſſuetius hiſt. Variat. lib. 1. n. 1, lib. 8. n. 1. ſeq., lib. 10. n. 24, ſeqq., & in defenſ. Variat. adverſus Baſnagium? Iſtius ſane ſpecimen inſaniæ in fœdere Smalchaldico adverſus Carolum V. intueri licet, quod opus fuiſſe excogitatum, promotumque a Luthero, a Zuvinglio, a Bucero, ab Urbano Regis teſtimoniis Melanchthonis, Bezæ, & Sleidani oſtendunt Raynaldus ad an. 1537. n. 14, & Boſſuetius Variat. lib. 4. n. 1, ſeqq. Eodem Sleidano referente lib. 16, adverſus Principes, quos ſuis adverſos Sectis ſentirent, arma capeſſenda furore quodam perciti docere non deſtitere Lutherus in diſput. an. 1540. prop. 59, ſeqq., Calvinus in Daniel. cap. 6, & Joh. Knoxus in admonit. ad Nobil., & Popul. Scotiæ. In Comitiis Pariſiis habitis an. 1562. a Calviniſtis conſpiratum in Galliæ Regem teſtatur Beza hiſt. Eccl. lib. 6, qui ejuſmodi conſpirationis præcipuus incentor, promotorque fuit: qua de re edita Pariſ. eodem anno 1562. *Defenſio prima Religionis, & Regis adverſus exitioſas factiones Calvini, Bezæ, & Hottomanni*. Eodem anno, ab eiſdem Calviniſtis tum in Comitiis Aureliani habitis, teſte Caſtelnavo Memor. lib. 3, tum in Comitiis ad Johannis Fanum, tum in Synodo Mediolani in Santonibus, teſte Thuano hiſt. To. 3. lib. 30. p. 278, ſeqq., deliberatum, licere utique adverſus Reges pro Religionis defenſione pugnare. Quis vero Caſtelnavo, ac Thuano duumviris e Proteſtantium grege hac in re fidem deneget? Teſtis oculatus accedit Santacrucius Pii IV. Nuncius, Pariſiis tum degens, ac deinde S.R. Eccleſiæ Cardinalis ampliſſ. in epiſt. die 13, & 17. April. an. 1562, die 23. Febr. 1563, ac 19. Mart. 1572 ad S. Carolum Borromæum, quas ſuæ Synodorum a Calviniſtis habitarum in Gallia Collectioni præfigere non dubitavit Joh. Aymo Craveta, & ipſe furfuris ejuſdem, edit. Hagæ Comit. 1710, referens idcirco Calviniſtas in Galliar. Regem inſurrexiſſe, quod ſibi hæreſis deprædicandæ licentiam eripuiſſet. Sed non opus eſt partium noſtrarum hac in re teſtes, etſi fide digniſſi-

mos, accersere: auctoribus Beza, Hottomanno, & Spisanio, consciis, qui in Gallia degebant, Calvinistis, Genevæ in Galliar. Regem, Principes, Magistratus, Proceres, ac Magnates, Catholicæ Religioni quotquot addictissimi forent, conspiratum fuisse, dilucide tradit Bolsecus in vita Calvini cap. 21. Calvinistis insitam universim hanc persuasionem, quam palam deinde facere non dubitarunt sub Carolo IX., licere adversus Principales laicas potestates ob Religionis causam decertare, auctor est Davila hist. Civil. Gall. lib. 4. Qua etiam de perversa opinione explicitissima sunt placita a Calvinistis suscepta, deliberataque in Pseudosynodo Lugduni habita an. 1563. Art. 47. Quibus sententia antecesserant jam an. 1561. Valdenses Vallium Angruinæ, vicinarumque incolæ, nempe licere adversus Sabaudiæ Duces, avitæ Religionis Catholicæ suis in Dominiis retinentissimos, ad arma concurrere, teste Thuano hist. lib. 27. Atque hanc perpetuo Calvinistis in Gallia sententiam adhæsisse adfirmat Auctor libri Gallice inscripti: *Avis important aux Refugiez* (in Hollandiam) Amstel. edit. 1690: quod opus Pelizzonio tribuitur a Domino de la Bastide; Larroquio ab Abbate d' Olives, verius tamen Baylio a Juriæo, a Mezaaco, ab Abbate des Fontaines &c., qua de re fuse Chaufepiè Dict. hist. Crit. To. 1. p. 145., seq. in Not., in qua eosdem confirmare non destitere Franc. Hottomannus in *Bruto fulmine*, in *Franco Gallia* &c., Umbertus Paquet in libro inscripto *Junius Brutus*, Petrus Juriæus tract. de Eccles., contra quem pugnans D. Nicolè lib. de unit. Eccles., sive in refutat. novi System. Juriæi lib. 3. cap. 10. longe aliam inivit viam, ut ajeret Regum jura a Deo immediate descendere, non secus ac Illust. Bossuetius To. 4. Oper. Edit. Ven. 1736. Quam doctrinam ita propriam dumtaxat Calvinistarum in Gallia esse non permisere, quin ubique gentium Lutheranis quoque, aliisque sectariis afflarent, communemque facerent Helvetis, Germanis, Anglis, Batavis &c., eosdem sæculi adversus Potestates insurgere docentes, adhortantesque Magdeburgenses in tract. de Iure Magist. in subditos an. 1550. Germanice, & 1577. Gallice edito, Protestantes Scotiæ deputati ad Angliæ Aulam an. 1571, teste Camdeno Annal. par. 2. ad cit. an., de quibus etiam Jacobus Rex in Ba-

in Basilico Doro lib. 2. p. 41., Presbyteriani, & Independentes, Salmasio teste in defens. Regia p. 375, & ipsis ex Anglis, de quibus etiam Bateus de Motib. Angl. p. 76, seqq., tantum non omnes, qui Republicani nominantur, iique, qui *Levellers*, sive *Complanatores* ab omnimoda inter omnes æqualitate dicti sunt, quibusque ortum dedisse Cromvvelum refert Eduar. Clarendonius hist. Ang., & Acta Lipsiens. Suppl. T. 5. sect. 3. Quibus jungendi Muncerus, & Pfeifferus, & Hoenoniusius, & Joh. Goodvvinus, Joh. Miltonus in *Tenure*, sive tract. de Jure Reg., & Magist.; in Defens. 1, & 2, in Εικονοκλαστη, sive respons. ad Εικων Βασιλικη, & in tract. de potest. Civili in reb. Eccles., cui ingens propterea negotium facessitum est a Gaudenio, a Salmasio, a Petro Molinæo, ab Alexandro Moro, a Jacobo Harringthono, a Rocherio Lestrangio, aliisque, de quibus Chaufepié Dict. hist. Crit. To. 3. p. 89, seqq. Regnat ubique doctrina hæc Monarchomachica in Operibus Joh. Audoeni in serm., & Apolog., Davidis Paræi in Comment. epist. ad Roman., quem pessimum librum manu carnificis Oxoniæ an. 1622. Universitatis decreto, & Regis jussu combustum refert Grotius in Voto pro pace ad Artic. 16. Confess. August., Philippi ejus filii apud Auctorem Apologiæ pro Catholicis par. 1. cap. 3, seq., Goodmanni in lib. de Obedient. p. 25, & 99, ac in Apoleg. p. 14, & 85, Buchanani de Jure Regni Scot. p. 13, & 62, Joh. Althusii in Politica cap. 38, Stephani Jun. Bruti in Vindic. adv. Tyran., (sub quo latere nomine Theodorus Beza videtur Valckenierio in disquisit. de Auctore vind. adv. Tyran., Philip. Mornæus Duplexius vero Grotio Append. epist. 641. ad Fratrem, & Daubignæo To. 2. lib. 2. cap. 15. p. 91), Eusebii Philadelphi de Jure Magist. in subditos, in quem Notas dedit Heylinus lib. 2. *Aerii redivivi*, Anonymi in *Postilione*, Guillelmi Allen in tract. Polit., quem Cromvvelo inscripsit, Rarbodi Schelii de Jure Imperii, Vander-Mullen in dissert. de Sanct. sum. Imper. Civil. p. 70, seqq., Rechenbergii in dissert. de Religione armis defensa, Noodto de Religione ab Imperio Jure genr. libera, Hobbesii Systematis Cromvvelliani acerrimi fautoris, & defensoris, Casauboni Exercit. 1. n. 4, contra quem pugnans Andreas Cidonius id obtrudebat, longe periculosius esse mul-

multitudini judicium de Regum vita permittere, quam illud Pontifici M. reſervare. Sive igitur in Religionem, ſive in Rempublicam delinquant Imperatores, Regeſque, a Populis gradu dejici, quin e medio tolli licite poſſe ſatis communis eſt Proteſtantium impia perſuaſio, quam calculo confirmare ſuo non dubitarunt Conringius Oper. To. 2. §. 13. de Juſtitia belli Smalchal dici p. 458, ubi Danis, Svecis, Polonis, Anglis, Germanis, Belgis, Gallis, Luſitanis &c. (e Proteſtantium nempe genere) non dubium eſſe fidenter adfirmat, quin Reges abdicandi poteſtas deſit Populis, quod facto, (Regum videlicet, in quos hoſtiles inferre manus atrocibus Populis religio non fuit, quorum exempla paſſim etiam recenſent Nauclerus par. 2. gen. 30, Glaſſius hiſt. Bohem. cap. 33, Mariana lib. 27. rer. Hiſp. cap. 8, Leslæus de reb., & morib. Scotor., Petrus Greg. Tholoſanus de Republ. lib. 6. cap. 19, lib. 8. cap. 1, lib. 22. cap. 7, & lib. 26. capp. 4, & 6, Paris de Puteo de Syndic., de Reg. exceſſ., Azorius Inſt. moral. To. 2. lib. 11. cap. 5. q. 9, aliique, facto, inquam, quod etiam rationibus adjuvare ex noſtris viſi ſunt Vaſqueſius Controv. lib. 1. capp. 44, & 47, Boſſuetius &c.), confirmatum oſtendit; Vitriarius Inſt. Jur. publ. lib. 1. tit. 9. n. 4, & Pfeffingerus in Not. p. 915, qui eadem in perſuaſione intima eſſe Arumæum, Buxtorfium, Arniſæum, Lampadium, Reichingium, Carpzovium, Limnæum, Svederum, Hornium &c. ſcribit. Perpetuos ſe quoque peſtilentiſſimo in hoc dogmate dedere doctores Henricus Hœnnonius in diſput. Polit. diſp. 9, Lambertus Danæus in Polit. Chriſt. lib. 5. cap. 2, & lib. 6. cap. 3, Clemens Simplerus Polit. lib. 5. cap. 3. q. 10, Thomas Obrecthus de bello diſp. 1, Bartholom. Kecher. mannus Syſtem. polit. lib. 1. cap. 22, præcit. Theodorus Reichingius de Regim. ſæcul., & Eccleſ. lib. 1. claſ. 1. cap. 5, Algernonius Sidney in ſerm. de Regimine, & in Cogitatis liberis pro defen. Status &c., Gronovius in Not. ad Grotium de Jure B., & P. lib. 1. cap. 4, ubi oppoſitam Grotii opinionem exagitat, Coccejus uterque Pater, & filius ibid., & in Syſt. Juſt. nat., & Rom. lib. 6. cap. 2. §. 638. n. 8, & cap. 3. §. 639, ſeqq., Barbeyraccius Not. 7. ad lib. 8. Puffendorfii de Jure N., & G., cap. 8. §. 5, Heineccius ad Puffendorf. de offic. hom., & Civ. lib. 2. cap. 9. §. 4. &c. Contra

tra quos acriter pugnant, Regeſque a Populis, aut Regni Comitiis in ordinem redigi, aut Regno privari, exuique non poſſe invicte propugnant Bodinus de Republ. lib. 2. cap. 5, Freitas. de Imperio Aſiar. cap. 15, Albericus Gentilis in diſput. Regalib., Barclajus de Regno, & Regali poteſt. lib. 3. cap. 6, Daniel Ottonus in diſſert. de Jure publ. cap. 10, Henningius Arniſſæus de Jure Majeſt. lib. 1. cap. 6, Irvinus de Jure Regni, Petrus Greg. Tholoſanus de Republ. lib. 26. cap. 5, Cunerus Leovardienſis Epiſcop de offic. Princip. cap. 7, Prynnius, & Gaudenus in defenſ. Reg. Angl., Nicianus Winzetus in vellitat. contra Buchananum, & in flagello Sectariorum, Adamus Blacvodæus in apolog. pro Regib., & lib. 2. de Conjunct. Relig., & Imp., Bochartus in epiſt. ad Morlejum q. 3, Joh. Beccarius in refut. Anonymi de Jure Magiſt. in ſubditos, Grasvinkelius de Jure Majeſt. cap. 9, Naaman Benſen de ſubjecto ſum. poteſt., Alex. Carrerius de poteſt. Rom. Pontif. lib. 2 cap. 3, Joh. de Turrecremata de Eccleſ. lib. 2. cap. 114, Suarez contra Regem Angl. cap. 6, Bannez in 2. 2. q. 64. art. 3, etſi Reipublicæ defenſionis jus a tyrannidem exercente non negent, Aſorius To. 2. Inſt. moral. lib. 11. cap. 4. q. 9, Balthaſar Ayala de Jure belli lib. 1. cap. 2, Salſedus de legib. Polit. lib. 3. cap. 4, Diana in Dogmat. tract. 10. reſolut. 5, Hertius Luther. homo. de Summa rerum apud Popul. Vol. 1. To. 1. p. 307, ſeqq., aliique apud ipſos, quorum ſententiæ utroque, velut ajunt, pollice ſubſcribo, pro ea, qua Principum dignitatem, poteſtatem, vitamque periculo ab omni prorſus immunem ſervandi religione feror, afficiorque, ut eam Populorum auctoritati permitti, ſi Deus me adjuvet, paſſurus ſim nunquam. Qua de re adeundus præ aliis Illuſt. Boſſuetius in Polit. par. 1. lib. 6. art. 2. prop. 5. To. 4. Oper. edit. Argent., ſeu Venet. 1738.

Atqui Proteſtantibus ſua in hac impietate dimiſſis, præſtat jam veram, probamque Catholicorum doctrinam loco ſtabilire ſuo. Quod ut rite perficiatur, obſervare pro recto dicendorum ordine non pœnitebit, 1. Reipublicæ Chriſtianæ res alias ad Religionis ſubſtantiam, alias ad Religionis ſtatum attinere, ideſt alias ad fidei dogmata, morumque leges; alias ad Eccleſiaſticam diſci-

disciplinam, Ecclesiasticotumque ordinem, gradus, officia, dignitates, immunitates, censuras &c., de quibus omnibus singillatim heic agere nec vacat, nec animus est, eo vel maxime, quod abunde vel abs me alibi, vel a Viris Doctiss. præoccupata sparta hæc jampridem, adornataque fuerit. Sane, quod quemlibet, qui Catholico glorietur nomine, suffundere pudore debet, utraque hac potestate tam in rebus ad Religionis substantiam, quam ad Religionis statum respicientibus unam potiri Ecclesiam, laicaquacumque procul excluſa, fateri vel ipsimet facilioris ingenii Protestantes non dubitarunt. E quibus Mico Oecolampadii successor, ac Basileæ Minister, *Laici*, valdequam dolens inquiebat, *omnia sibi tribuunt, & Magistratus se in Pontificem erigit*. Quod profecto malum malorum omnium originem in novis Sectis extitisse obsetvavit Illust. Bossuetius hist. Variat. Tom. 1. p. 241, & 243. Pro cunctis vero produxisse sufficiat Samuelem Bochartum, qui Oper. To. 2. in epist. ad Morlejum Regis Angl. Sacelanum p. 988, seqq. q. 2, postquam Ecclesiasticam potestatem juxta divetsos respectus discriminasset in eam, quæ objective tantum, & in eam, quæ formaliter Ecclesiastica est, ita subjungit: *Posterior potestas non solum est Ecclesiastica ratione objecti, quia versatur circa res Ecclesiæ, sed & ratione modi, quia circa eas versatur modo Ecclesiastico non Politico. Ea potestas non convenit, nisi personis Ecclesiasticis, quorum est fidei dogmata publice pro concione docere, Controversias ex Dei Verbo decidere, Sacramenta administrare, Pastores ordinare, & deponere, disciplinam Ecclesiasticam in Greges suos exercere, Ritus præscribere, & Spirituales leges condere* &c. Quam deinde sententiam comprobat decretis Synodorum apud Symmistas suos habitarum Montalbanensis fact. gener. att. 54, Privatensis att. 5, Lugdunensis art. 28, Alesensis art. 23, Alenconiensis art. 10, Carentonienſis II, & III. art. 1, & 11, Rupellensis art. 6, Vitreensis art. 19, & 20, Alesensis art. 28, ac Disciplinæ Gallic. cap. 5. att. 28, seq., & cap. 13. art. 11. Quibus adjungere facile poterat Synodos quoque habitas Vitriaci 1617, Alenconii 1637, & Lugduni 1660, cui postremæ adfuit Dallæus, To. 2. Synod. Eccles. Reform., quas collegit Joh. Aymo Craveta, atque Synodum præterea Anglo-

Episco-

Epiſcopalium an. 1562, in qua de Regia poteſtate, velut habetur lib. de Doctrina, & Polit. Eccl. Angl., ſtatutum eſt in hæc verba: *Quum Regiæ Majeſtati ſummam gubernationem tribuimus omnium Statuum, ſive illi Eccleſiaſtici ſint, ſive Civiles, & in omnibus cauſſis, non damus Regibus noſtris aut Verbi Dei, aut Sacramentorum adminiſtrationem... Sed eam tantum prærogativam .. Ut omnes Status, atque Ordines fidei ſuæ commiſſos, ſive illi Eccleſiaſtici ſint, ſive Civiles, in officio contineant, & contumaces, & delinquentes gladio civili coerceant.* Dum nempe, juxta Catholicorum doctrinam, illos Eccleſia legibus ſuis juſtos, æquoſque intra obedientiæ limites cohibere non valet. Quamquam, ut Hæreticis ſibimet haud cohærere frequens eſt, ac familiare, tam Anglo-Epiſcopales, quæ Regiæ poteſtati in Pſeudo-Synodo detracta voluere, eadem, & ampliora poſtea tradere non detrectarunt in Formula juramenti, quo ſuam Regi fidem obligare coguntur, quam Calviniſtæ, qui in cauſſis mixtis, ut ipſi putant, ſed revera pure Eccleſiaſticis, quales de Matrimoniorum juribus, vinculis, & impedimentis, de Feſtorum dierum ritibus, de Clericorum, & Monachorum cælibatu, de Decimis, de Appellationibus, de Pœnis Eccleſiaſticis &c., ampliſſimam laico Magiſtratui facere non dubitant facultatem in Synodis Carentonienſi I. arr. 1., S. Fidei art. 18, Vitreenſi art. 9, Figeacenſi art. 12, Pariſienſi I., & II. art. 38, & 22, Alenconienſi not. 7. reſp. ad Deleg, & in Diſciplina Eccleſ. Gallican. cap. 13. art. 1, 5, 6, 7, 11, 13, 21, 22, 23, 31, 32, 38, & cap. 14. art. 8, & 20. Quin etiam Magiſtratus præterea laici partes eſſe procurare, quæ ad externum Eccleſiæ ordinem pertinent, quale eſt Synodos convocare, Scholas erigere, Conſtitutiones condere ad eos continendos, qui turbas in Eccleſia movent, pœnaſque decernere in Paſtores ipſos, qui deſides ſint, officioque deſint ſuo, ultrocitroque admittere Bochartus ipſe n. 60, & ſeq. p. 991. non veretur. Proteſtanrium itaque plurium opinione, quibus adſtipulari ex noſtris Pſeudo-Politicos complures non depuduit, in privato regimine, ſive pure interno, ac conſcientiæ tutò Religio, totaque Religionis ſumma conſiſtit: publicum vero, ſive externum, ac juriſdictionis, quo nomine quidem illud intelligitur, quod Dei cultum omnium oculis veluti

ſubjicit in excitandis Templis, in Fidelibus congregandis, in cogendis Synodis, in Dei verbo prædicando, in promulgandis Legibus, in Controverſiis dirimendis, in conferendis Dignitatibus, in Pœnis infligendis, inque ſimilibus peragendis negotiis, quæ extrinſecus patent, iſtud publicum, inquam, Eccleſiæ regimen, ſive Religionis exercitium, a Chriſto D. minime inſtitutum putant, aut juſſum, ideoque Principum ſæcularium poteſtati integrum fuiſſe permiſſum, atque ſubjectum: utpote quod ad Religionis ſubſtantiam, quæ una Divinæ inſtitutioni accepta referenda ſit, minime pertinere dignoſcatur; atque ideo Principi Chriſtiano par eſse Chriſtianæ Religionis publica munia aut permittere, aut prohibere, prout e publicæ quietis re eſse cognoſcat. Itaque aut pares, aut imo priores in externo, publicoque Eccleſiæ regimine Principi Chriſtiano partes incumbere concludunt. Quam vero perperam concludant, peſſimeque, leberide cæciorem illum eſse oportet, qui ex dicendis non intelligat.

Priuſquam vero dicendi exordium capiam, obſervare 2. præſtat, quod Eccleſiaſtica poteſtas a Civili non diſtinguitur ratione objecti, ita ut Civilis objectum ſint res ſenſibiles, Eccleſiaſticæ vero ſpirituales dumtaxat: nam utriuſque objectum idem eſt, tam materiale, ut ajunt, ideſt homo vivens, quam formale, ideſt hominis felicitas: alioquin enim Eccleſiaſtica ſocietas deberet eſſe ſpirituum, Civilis vero belluarum. Deinde Chriſtiana Eccleſia corpus eſt viſibile, ideoque ejuſdem objectum etiam ſenſibile, cujuſmodi exemplum in Sacramentis extat, quæ ex ſpirituali re, ſignoque ſenſibili conſtant. Diſtinguitur igitur una ab altera cum ratione effectuum, tum ratione finis: ratione effectuum, ſiquidem Eccleſiaſticæ ſunt bona ſpiritualia, & æterna, Civilis temporalia, ac tranſeuntia: ratione finis, quippe Civilis poteſtatis finis eſt temporalis felicitas, teſte Ariſtotele Polit. lib. 3. cap. 6, Eccleſiaſticæ vero felicitas æterna: ideoque Poteſtas utraque in genere quidem ſuo eſt ſuprema, ſed uni altera, Spirituali nempe Civilis, eſt ſubordinata. Quum enim temporalis felicitas non ſit finis hominis ultimus, bene vero ſpiritualis, æternaque, ea propter Eccleſiaſticæ poteſtati, ſpiritualique, utpote quæ ad felicitatem æternam perducit, Civilem ſubordinari opor-

oportet : ſiquidem juxta Ariſtotelem 1. Ethic. cap. 1. inter ſe ſubordinantur facultates , quarum fines ſubordinati ſunt . Eo vel maxime , quod ambæ ejuſmodi facultates in eadem ipſa Eccleſia ſint , ſive in ejuſdem membris Eccleſiæ collocatæ. Quo fit , ut non duæ Chriſtianæ Reſpublicæ ſint diſtinguendæ , quarum una ſit Civilis , Eccleſiaſtica altera , ſed una dumtaxat ex utraque poteſtate Civili , Eccleſiaſticaque coaleſcens, unaque alteri , Eccleſiaſticæ Civilis, ſubordinata , non ſecus atque corpus animæ : quæ ſimilitudo eſt olim adhibita ab Auctore Conſtit. Apoſtol. lib. 2. cap. 34 , a S. Gregorio Nazian. Orat. 1. n. 9 , & Orat. 17. n. 15 , a S. Joh. Chryſoſtomo hom. 4. de Verbis Iſajæ , hom. 15. in 2. ad Corinth. , & lib. 3. de Sacerd. cap. 1 , a S. Iſidoro Peluſiota lib. 3. epiſt. 249 , a S. Nilo apud Damaſcenum Parall. lib. 2. cap. 21 , ab Ivone Carnot. epiſt. 61. ad Henricum Angl. Reg. , ab Hugone Victor. de Sacram. lib. 2. par. 2. cap. 4 , ab Innocentio III. Cap *Solitæ* de Majorit. , & Obed. , ab Alexandro Halenſi par. 3. q. 40. memb. 2, a S. Thoma 2 2. q. 60. art. 3. ad 6 , a Bellarmino , quem immerito propterea carpit Boſſuetius Defenſ. declar. par. 2. lib. 5. cap. 35. Quo plane ſenſu , ſi bene video , S. Optatus lib. 3. adverſ. Parm. pag. 64. edit. Albaſp. Eccleſiam in Republica eſſe docuit, rogandumque ideo pro Regibus , juxta S. Pauli præceptum , quatenus ex Regio, & Sacerdotali regimine non duplex, ſed una Chriſtiana exſurgit Reſpublica. Quod explicatius, diſertiuſque exponens S. Iſidorus Peluſ. cit. epiſt. 249. ad Cognominem Diaconum, *Ex Sacerdotio* , inquit , *& Regno rerum adminiſtratio*, una Chriſtiana videlicet Reſpublica , *conflata eſt* : quam unitatem ex unitate finis utriuſque repetit. Atque, ne longius abeam , facit & huc apprime præclara illa, qua Edgarus Angliæ Rex in Orat. ad S. Dunſtanum Cantuar. Archiep., Oſvvaldum, Wigorn., ac Ethelvvaldum Wentan. Epiſcopos alloquutus legitur apud Harduinum To. 6. par 1. pag. 675. *Ego Conſtantini, vos Petri gladium habetis in manibus . Jungamus dexteras , gladium gladio copulemus* &c., qua ex utriuſque poteſtatis copulatione, fieri nequit profecto , quin optima , qualiſque plane a Chriſto D. inſtituta fuit, Reſpublica exſurgat. Junge quod mediis præterea ſenſibilibus, ac temporalibus Chriſtianus utitur homo , ac

dirigitur ad felicitatem assequendam spiritualem, æternamque: quo fit, ut media quoque sensibilia, ac temporalia hac ratione potestati Ecclesiasticæ subsint, eademque ratione Ecclesiasticæ Civilis potestas subordinetur. Quæ quum ita se habeant, patet hinc pessime argumentari cum Jannono Politicos illos, qui ex Johan. cap. 18. v. 36. arguunt Ecclesiasticam potestatem circa res temporales haud obversari. Non enim eo loci Christus D. dixit: *Regnum meum* non est hic, ideſt in hoc Mundo, sed *Non est hinc*, ideſt *de hoc Mundo*, ut significaret in Mundo quidem Regnum suum existere, ideſt visibile esse, ideoque a Vicario suo Rom. Pontifice in Mundo, ideſt visibili modo administrandum: non essé tamen de hoc Mundo, ideſt visibile dumtaxat, sed spirituale quammaxime, atque spirituali potissimum ratione a Rom. Pontifice gubernandum. Quare Pontificis Rom. potestas, inquiunt alibi Theologi, etiam in temporalia spiritualis est equidem, & indirecta, in temporalia tamen ipsa exerceri, quum opus fuerit, ac Religionis bonum postulaverit, ab ipso tutò potest. Nos vero hinc ajmus, esto Religionis, & Ecclesiæ res, & caussæ temporalibus admixtæ sint, sive adjunctæ, unius tamen Ecclesiæ jurisdictioni subsunt. Vide-sis S. Joh. Chrysostomum homil. in Joh. cap. 18, & S. Augustinum tract. 115. in Joh., ubi nostram in rem ita locum illum S. Johan. mire interpretantur, ac junge Petrum Bertrandum Augustod., sive juxta alios Durandum Melden. de Origine jurisd. q. 3. in resp. ad rationem 3. Petri Cunerii.

Quibus ita præjactis, jam fundamenti loco, quo Ecclesiastica deindè supra Civilem potestas fastigium erigere facile queat, illud ponendum: Rempublicam absque Religione statui, integramque stare non posse: *Et in his duobus inseparabiliter connexis*, veluti loquitur Divin. Inst. lib. 3. cap. 1. Lactantius, *Et Officium hominis, & Veritas omnis inclusa est*. Quod principium subvertere adgressus Bossuetius defens. Declar. par. 2. lib. 5. cap. 35, & lib. 6. cap. 35, reprehensione se valdequam dignum præbuit, quod imprudens in systema impegerit eorum, qui tam indifferentismum Religionis in Rempublicam, quam Reipublicæ independentiam a Religione prorsus omni inducere, statuereque non dubitarunt. Impio systemati huic ex Atheismi, Naturalismi,

mi, Epicurreiſmi, Pyrrhoniſmi, Manicheiſmi &c. confuſione conflato mirum quantam pravo de ingenio ſuo conferendo, confirmandoque contulerint operam Joh. Bodinus de Abditis rerum ſublimium arcanis, quo libro, de quo Ancillonius *Melange Critique de literat.* To. 2. p. 2, perpetuam inter Religioſas quaſcumque ſectas in qualibet Republica pugnam ita inſtituit, ut Naturaliſtæ tandem palmam referant, oppugnatus ideo a Joh. Diecmanno in diſſert. inaugurali de Naturaliſmo Joh. Bodini &c.; Gothofredus a Valle in arte nihil credendi apud Voetium in diſput. de Atheiſmo; Bonaventura de Perierez in Cymbalo Mundi apud eumdem Voetium, Henr. Stephanum in tract. præparatorio ad Apolog. Herodoti cap. 26., & Merſennum Comment. in Geneſ. p. 689; Baro de Hontan, qui homines abſque legibus, & abſque Magiſtratibus feliciores fore impie effutiebat; Knuſen, e quo *Conſcientialium* ſecta, uni Conſcientiæ auſcultandum affirmantium, qui Deo abnegato, inutiles ideo Magiſtratus ſtatuit in Dialogo, de quo Mollerus Cimb. litter. To. 1. p. 304, La Croze *Entretien ſur diverſes ſujets d' hiſtoire* p. 400, & Joh. Muſcus in ejuſdem refutat.; Benedictus Spinoſa in Tract. Theolog. polit. cap. 16. contendens homines in ſtatu naturæ a Religionis obligatione liberos, abſolutoſque, quem refutarunt abunde præ aliis Franciſcus Lamy, Joh. Bredenbourgius, Jaquelot, Vaſſor &c.; Thomas Hobbeſius cum in Leviathan, tum de Cive, qui ſibi propterea infeſtos expertus eſt Robertum Filmerum in Obſervat. circa Regimin. orig. &c., Georgium Lavvſonium in Exam. polit. Leviathan, Thomam Theniſonium in exam. Symboli Hobbes, Eduard. Clarendonium in expoſitione errorum adv. Relig., & Rempub. in Leviathan &c., quamquam veritate demum victus Hobbeſius apologia poſtmodum edita Syſtema hoc ſuum in Leviathan, & Cive ſtabilitum devovit, qua de re Moshemius hiſt. Eccleſ. Sæculi XVII., & Bentelius de ſtultitia, & irrationab. Atheiſmi; Joh. Tolandus in Aiſedæmone, & in Pantheiſticon &c., valide refutatus ab Huetio, a Faye in defenſ. Relig, a D. Benedicto in Miſcell. Obſerv. Critic. Hiſt. Philoſ. Theolog. &c.; Jonathas Svvift in libro inſcripto: *Le Conte du Tonneau* laudato ab Auctore Apologiæ Epiſtolæ cujuſdam Peruanæ p. 103. eodem furfure

fure imbuto; Baelius, qui in Dict. VV. *Abdas*, *Arcesillas*, *Diagoras*, *Epicurrus*, *Nicolè*, *Pellizzonius*, *Pomponatius*, *Pyrrhon*, *Saducæi*, *Theon* &c., in *Pensèes diverses* art. 113, seqq. To. 3. Oper., in *Continuations des Pensèes diverses* art. 118, seqq. To. 2, & in Respons. ad Quæst. cujusdam Provincialis, nempe Jacobi Berhnardi, To. 5. egregium semet Atheismi, Epicurreismi, Pyrrhonismi &c. advocatum, ac propugnatorem exhibet, dignus, qui multis vapularet a Renaudotio, a Juriæo in *Jugement du Public, e de M. l' Abbè Renaudot sur le Dictionaire Critique* &c., ac in Philosopho Roterodamensi accusato, & convicto, a Joh. Clerico in Parrhasianis To. 1., & Bibl. Select. To. 10, a Saurino de Concordia Relig., & Politicæ, ab Harris, a Jacobo Berhnardo *Novelle de la Republ. des Lett.* 1705, & 1707, ab Elere, ab Isaaco Jaquelotio in defens. Relig., in Exam. Theologiæ Bælii, & in respons. ad ejusdem Colloq., a Crousazio in examine Pyrrhonismi vet., & novi passim, sed quammaxime par. 3 sect. 14. §. 4., seqq. Irreligiosos hosce presso sequuti sunt pede Antonius Collins in *Discours sur la libertè de penser*, in *Pensèes libres*, in *Discours sur les fondemens, & les raisons de la Religion* &c., prosligatus ideo a Guillelmo Wistono in Reflexion. ad serm. de libert. cogitan. Lond. 1713, a Benjamino Hoadley in Quæstionibus ad Auctorem serm. de libert. cogit., a Francisco Harris in Gratiarum actione ad Phileleutherum ob suas Observat. ad serm. de libert. cog., a Richardo Bentlejo in Observat. mox laudatis ab Harris, a Joh. Rogerio de necessitate Revelat. Divinæ, ac Veritate Relig. Christ. in 8. Lond. 1727; Abbas de Villars sub nomine Comitis Caballi de Arte Cabal., laudatus ideo ab Auctore defens. Epist. Peruanæ; Voltaire Miscell. Liter., & Philosoph. p. 49. &c. Atqui Rempublicam absque Religione stare nequire, præter hos, quos modo indicavimus, late demonstrandum suscepere Lipsius in lib. adversus Dialogistam, Grotius de Jure B., & P. lib. 2. cap. 20. §. 44, Puffendorfius de Jure N., & G. lib. 2. cap. 3, & seq., ac lib. 3. cap. 4., ubi post Cumberlandum valide Hobbesium, & Spinosam refellit, Barbeyracius ibid. in Not., ubi Baelium oppugnat, non secus atque Thomasium in Jurisp. divin. lib. 11. cap. 1. §. 11. contendentem Religionis erga Deum substan-

ſtantiam integram in ſolo cultu interiori conſiſtere, Crouſazius Pyrrhon. par. 3. ſect. 14. cit., Jacobus Berhnardus *Novel. de la Republ. des Lett.* an. 1705. Mart. p. 320. adverſus Baelium ex ſermonibus Tillotſoni, & Sharpii nihil Religione Chriſtiana magis ad Societatis Civilis bonum conferre oſtendens; ſed præſertim ex noſtris Johan. Ant. Blancus de poteſt., & polit. Eccleſ. To. 1. lib. 2. §. 17., & lib. 3. §. 7., Almici in Not. ad cit. Puffendofii loca &c.

Atque horum quidem ea fundamentalis, ac potiſſima ratio eſt, quod ſiquidem Reſpublica conſiſtat præcipue in honeſtate, ac juſtitia maxime diſtributiva, qua boni remunerentur, puniantur mali, & in legum obſervantia, quibus homines dirigantur in bonum, a malo cohibeantur, palam inde fit abſque Religione, quæ ſupremi Numinis, & amorem, & timorem inſpiret, nihil horum rite, tutoque conſiſtere poſſe, neque perinde Rempublicam. Quæ propterea apud Nationes omnes quoad officia in Sacerdotes, & Magiſtratus ita dividi conſuevit, ut primus Sacris locus fieret: unde Ariſtoteles Polit. lib. 7. cap. 12: *Multitudo Civium*, inquit, *diviſa eſt in Sacerdotes, & Magiſtratus*; & Ulpianus L. 1. ff. de Juſt., & Jure, *Publicum jus*, ait, *in Sacris, & Sacerdotibus, & Magiſtratibus conſiſtit*. Atque hæc quidem intime, arcteque inerat perſuaſio Ethnicis, Hebræis, Chriſtianiſque, cujus proinde argumenti tanta vis eſt, ut nulla prorſus infringi, hebetarique ratione poſſit. Enim vero antiquiſſimos legum Satores ad Rempublicam ſapienter gubernandam a Religione bene, optimeque ſtatuenda, a Numinum ideſt reventi metu in hominum animis inſculpendo, auſpicium, operæque pretium feciſſe, ſcite animadvertit Natalis Comes Mythologiæ lib. 9. p. 265, ſeq. edit. Ven. 1577, atque hanc utique cauſſam fuiſſe, cur Fulmen Jovi, & Ægidem attribuerint pro armis, Tridentem Neptuno, Cupidini Sagittas, Faces Erynnibus, Palladi Dracones, & Diis ceteris arma diverſa conceſſerint: quibus nempe non tam erga Divos Religio, quam inter homines Reipublicæ leges ſartæ, tectæque ſervarentur. Ita etiam effectum, ut magna reverentia, & Deorum Sacris, & Sacerdotibus ipſis acceſſerit, utque ii videlicet apud Græcos e nobiliſſimis eligerentur familiis, publicis omni-

omnibus intereſſent conſiliis, nec ulla magni ponderis auſpicarentur negotia, ante quam Sacerdotum ope Numinum explorata fieret voluntas, nec illum, niſi locis in Sacris, legitimum haberetur Senatus conſultum, nec aliis demum, niſi Diis ipſis auctoribus leges referrentur acceptæ: quod ſcilicet lex omnis levis, & inanis, nulliuſque haberetur pretii, quæ Deorum immortalium auctoritate, voluntateque non ſuffulciretur. Sane Diodorus Siculus ſub ætatem Julii Cæſaris, & Auguſti in Bibl. hiſt. lib. 1. par. 2. cap. 59. de Legum antiquis latoribus verba faciens, qui ſe Deorum munere acceptas leges Popularibus ſuis conſtituiſſe ſimularunt: *Apud Judæos quoque Moyſem finxiſſe Deum illum, qui Jao* (ſupremum Numen) *cognominatur, leges ipſi tradidiſſe* ſcribit, Παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον Θεὸν Προσποιῆσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ δεδόσθαι: quo ſane de nomine *Jao* Græcorum, qui *Jupiter* eſt Latinis, Hebræis vero *Jehova*, videndi Gyraldus in hiſt. Deorum ſyntag. 1. p. 2. edit. Lugd. Batav. 1696, Nicolaus Fullerus Miſcell. ſacr. lib. 2 cap. 6. Critic. Sacr. To. 7. p. 75. edit. Francof. 1695, & Huetius Demonſt. Evang. prop. 4. cap. 10. n. 1, quo loci ex Plutarcho lib. de Iſide, & Oſiride adnotat idemmet Numen omnium ſupremum diverſe pro tempeſtatum diverſitate Græcis denominari, *Jao* nempe Autumno, Æſtate Solem, Jovem ineunte Vere, & Plutonem Hyeme. Sed enim verius de Moyſe affirmat Flavius Joſephus adv. Appion., & poſt ipſum Petrus Cunæus de Republ. Hebræor. lib. 1. cap. 1, quod Rempublicam conditurus, quæ in terris ſicut omnium prima, ſic omnium probatiſſima foret, ſummam rerum poteſtatem, legumque lationem, non homini, ſed ſupremo Numini detulit, eamque non Oligarchiam, non Democratiam, non Monarchiam appellatam volnit, ſed Theocratiam, velut eam nempe, cujus non alius Præſes, Rector, ac Legifer eſſet, niſi Deus O. M., atque ita fieret demum, ut Legum firmiſſima maneret ſtabilitas, earumdemque rigidiſſima incumberet omnibus obſervatio. Quod plane contrarium aliis Rebuſpublicis evenit, quæ ab hominibus, legibuſque humanis fundatæ, legibus pedetentim aut pro libitu Dominantium mutatis, aut pro libidine Populorum ad libertatem prona obſoletis, everſæ ſunt. Præter

eos

eos complures aut Populos, qui leges ſuas Diis immediate acceptas referre gloriabantur, aut Principes, qui ex Deorum inſpiratione, aut juſſu leges procudiſſe ſuas, aut promulgaſſe jactabant, ſuperiori Articulo memoratos, a Zoroaſtre Sacerdotum, Sacrorumque potiſſimam, ac primam indutam fuiſſe curam, atque ita, ut Sacerdotibus in tres diſtributos claſſes, ſeu ordines, quibus omnibus unus Pontificis vice præeſſet, & ſeveras morum regulas, & diſtincta circa Sacra officia ſingulis adſignaverit, ex antiquis Perſarum monumentis referunt Thomas Hyde Relig. Vet. Perſ. capp. 28, & 30, Pridæus hiſt Judæor. To. 2. par. 1. lib. 4. p. 44., ſeqq. edit. Ven. 1738, Angli Scriptores hiſt. Univerſ. To. 3. p. 438, & Chaufepiè Dict. hiſt. Crit. To. 4. p. 841, ſeq. Perſarum deinde Reges, ne quidquam de veteri a Zoroaſtre tradita Religione deperiret, ideoque ne pariter Reſpublica in diſcrimen adduceretur, unam, ſummamque feciſſe Regni curam, atque ideo poſt Zoroaſtris fata de Religione dubiis exortis, ac diſſidiis convocatum ſub Rege Arſdeſhir Bebecan generale Magorum fuiſſe Concilium, in eoque Magi cujuſdam Erdaviraph, ceteris arte fallendi præſtantioris, ſententiam prævaluiſſe, refert Hyde cap. 21. Quin, ut quo fortius, eo facilius in officio Perſas continerent, legibuſque ab ſe latis arctiſſime obſtringerent, politica uſos Reges arte, ut ſe Diis æquarent, ut tanquam Deos adorari ſe vellent, Imagines etiam ſuas adorandas exponerent, Regeque defuncto, ignis, utpote Perſis Divinus, perpetuis alendus focis, extingueretur, ut cognoſcerent nempe ſubditi parem Regis cum Diis eſſe majeſtatem, teſtata res eſt apud Philoſtratum in vita Apollonii lib. 1. cap. 19, & Diodorum Sicul. lib. 17. p. 623. Videſis & Jacobum Gronovium in diſſert. de Imagin., & Statuis Princip. Atque hoc ipſum in cauſſa fuit utique, cur apud Perſas maximo in honore Magi, qui Sacerdotii defungebantur munere, haberentur; quorum ideo erat Sacrorum curam gerere, Sacrificiis præeſſe, rerum Divinarum profiteri notitiam, ac futura præſagire: quorum ideo ad illud faſtigium excreverat auctoritas, ut a Regibus in conſilium adlegerentur, nec ab aliis, niſi a Magis in Reges diadematis impoſitione inaugurarentur, ut tam privatis, quam publicis adeſſent, & præeſſent judiciis, nec quid.

quam prorſus legitimum, æquumque videretut, quod non a Magis confirmatum, ſtabilitumque fuiſſet. Patent hæc ex Herodoto lib. 1. p. 132, Strabone lib. 15. p. 133, Ammiano Marcellino lib. 23. p. 687. edit. Baſil. 1533, & Agathia lib. 2. p. 65, de quibus etiam fuſe Euſebius in Chron., Hyde de Relig. vet. Perſ. cap. 28, 30, & ſeq., Balth. Stolbergius in exercit. Philolog. de Magis, Joachim Olearius in ſeptem adſert. Philolog. de hiſt. Magor., Thomas Stackhouſe in Tract. Theolog. Specul., & pract. To. 3. cap. 6. ſect. 4. p. 547, ſeqq., ac recens Franc Ferdinandus Schroetier in diatriba de Juriſp. vet. Perſar. ſect. 1. cap. 3, & ſect. 2. cap. 3. Inter Orientales Sinenſes, ſicut ab origine ad Confucium, qui ſæculo ante Chriſti D. adventum ſexto in vivis agebat, longius ab Idololatricis ſuperſtitionibus abhorruere, ſed in unins Dei Mundi conditoris, ab ipſis cognominati *Xam-Ti*, manſerunt integri, ita ex ejuſdem cultu proſpera Reipublicæ ut cuncta ſuccederent, tertius eorum Imperator nomine *Hoam-Ti* ad ejus cultum promovendum ipſi Templum a fundamentis erigendum curavit: quod omnium primum Deo O. M. excitatum videtur. Videndus Traductor Moral. Confucii p. 7. in præfat. Ob iugens Religionis ideo ſtudium apud Sinenſes, ut habetur in ipſorum *King*, hoc eſt de Religione libro, Imperatores etiam Pontifices erant, ſicuti Patriarchæ in veteri Lege, ac pro Populo ſtatis diebus Sacrificium offerebant: qua de re Auctor Gallus Collect. Obſervat. circa Mores, Linguas, Regimina, Mytholog., Chronolog. &c. Oriental. To. 3. cap. 9. Quorſum hæc vero, tamque ſollicita de Religione cura, niſi quia hinc Reipublicæ quammaxima obveniebat utilitas, ac ſtabilitas? Apud Ægyptios Oſiridem primam de Sacris legem curaſſe, & ab Iſide Sacerdotibus ideo tertiam poſſeſſionum, fundorumque partem tributam tradit Diodorus Sic. lib. 1. p. 19, & 25. Sed & ab Ægyptiis Religionem pro bonorum omnium prora, & puppi fuiſſe reputatam, adeoque ut Sacerdotes primis Civitatis dignitatibus præpoſiti eſſent, Populi Judices agerent, vectigalium impoſitioni eſſent præfecti, monetæ, ponderibus, ac menſuris præeſſent, teſtes accedunt Diodorus lib. 1. p. 84, Ælianus Var. hiſt. lib. 14. cap. 34, & Clemens Alex. Strom. lib. 6. p. 758. Videndus

dus & Calmetius in Exod. To. 2. p. 468. Quin Sacerdotum cenſuræ, conſiliis, & curæ ita ſubjectos Ægypti Reges, ut imò ex Sacerdotibus ipſis Reges eligi, aut ex Militibus electos in Sacerdotum cooptari Collegium oporteret, auctores ſunt Diodorus loc. cit., Plato in Polit. p. 550, & Plutarchus To. 2. p. 354: qua etiam de re Goguetius origin. Leg., Art., Scient. To. 3. par. 3. lib. 1. cap. 4. p. 17, ſeq. Quin imo Sacerdotes Religionis adminiſtros primo poſt Deos, quorum habitum quodammodo, ac prætextam induebant, quorumque vice Mundi imperitabant poteſtatibus, honore, locoque habitos, adverſus Porphyrium oſtendit Jamblicus de Myſter. Ægypt. ſegm. 4. cap. 2, ſegm. 6. cap. 6, & ſegm. 10. cap. 1. verſ. Scutellii. Quamquam in eo poſtea reprehenſione ſe quammaxime dignos exhibuere Reges Ægyptii, (quos poſtremo imitatum Julianum Apoſtatam tradit Ammianus Marcellinus, teſtantur etiam S. Optatus lib. 2. adv. Parm. p. 54, & S. Auguſtinus epiſt. 148, & 166, ac lib. 2: contra Petilian. capp. 83, & 92, illum nempe Donatiſtis favore non defuiſſe ſuo, cujuſce ſpecimen etiam exhibetur in Reſcripto ab eodem Juliano pro Donatiſtis lato, de quo Honorius Imp. loquitur lib. 16. Cod. Theod. tit. 5. cap. 37.), quod variam, miſcellamque Religionem, ſtabiliendo, ceu putabant, Regno, induxerint, & ne unquam conſpirare inter ſe Ægyptii omnes poſſent: Καὶ ὅπως μηδέποτε μονοῦσθαι δύνωνται οἱ κατ᾽ Αἴγυπτον, uti loquitur Diodorus Sicul. lib. 11. Ita enim ſe impios nedum, qui ſubditos in diſſidia, & odia conjicere amabant, ut ipſi quietiores, ſecurioreſque degerent, ſed etiam improvidos oſtendebant, quod quietem, & ſecuritatem a diſſidiis, & odiis quærerent. Vide Lipſium lib. adv. Dialog. cap. 2, ubi & obſervat Japonios ob diverſa Religionum genera, (novem enim ad minus numerantur in Epiſt. Japon.,) frequenter armis, & ſeditionibus inter ſe decertare, dum quiſque ſuam alteri Religionem anteferre conatur: quod ſubinde exemplum ad alias perinde gentes trahit. Viciſſim illud valdequam dignum in Ægyptiis adnotant Diodorus lib. 1. p. 31, & Ælianus Var. hiſt. lib. 14. cap. 34, quod a prima antiquitate, qui Sacerdotibus de rebus etiam Civilibus judicantibus præerat, inque omnes jus proferebat, veluti Pontifex, is in juſtitiæ ſignum de collo

gerebat imaginem ex saphiro, quæ *Veritas* dicebatur. Quod simulacrum Judiciorum Principi aptatum causas cognoscendi auspicium erat. Æthiopes Sacerdotibus etiam rerum Civilium summam detulisse, ratos videlicet tum Reipublicæ bono tutius prospici, quum potissima Religionis habetur ratio, tradit Strabo lib. 17.

Apud Græcos, qui Rempublicam bene instituere, & bene curare gestivere, a Religione erga Deos auspicium feciſſe, non dubium ei esse potest, qui eorum antiquitates vel a primo limine salutaverit. Cecropi sane primo Athenienſium Regi, Urbis Conditori, & Areopagi, legumque satori cordi primo fuisse Sacrorum Religionem, Numinumque cultum, testatam rem faciunt Pausanias in Atticis lib. 8. cap. 2, Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 10, Eusebius præpar. Evang. lib. 10. cap. 9, & S. Isidorus Origin. lib. 8. cap. 11: qua de re Meursius de Regno Athen. lib. 1. cap. 9. Mydam quoque Gordii primi Phrygum Regis filium rem Civilem a Sacris auspicandam duxisse testantur Conon apud Photium Narrat. lib. 1. p. 424, Justinus lib. 11. cap. 7, & Ovidius Metam. lib. 11. v. 93. Græcis universim cum operis cujuscumque initium a Diis facere, tum Reipublicæ quam maxime bene, riteque gerendæ rationem a rebus Sacris, Religioneque auspicari cordi summopere fuisse, tam fide affirmant sua Hesiodus Oper., & dierum v. 334, & 337, Plato in Timeo post. init., Aratus apud Auctorem Const. Apost. lib. 2. cap. 60, Theocritus Idyllio 17, Xenophon lib. 5. memorab., Isocrates in Areopagit. in exord. &c., quam clare ostendit legum XII. Tabularum, quas a Græcis deinde mutuatos fuisse Romanos scitum est, pars prima, quæ de Religione fuit, secunda de Jure publico, deque privato tertia. Hinc Religionem Judicibus ad recta proferenda judicia quammaxime necessariam existimabant, ut auctor est Demosthenes Orat. adverſ. Aristocratem; atque ideo ex religiosis, justis, probatisque viris maxime constare Senatum Areopagiticum oportebat, veluti viderunt S. Maximus in Prologo ad libros S. Dionysii Areop., Theophanes hymno in eumdem scripto, qui extat in Menæis Græcor., & Michael Syncellus in Encomio ejusdem S. Dionysii. Ideo Areopagum omnibus Græciæ Conciliis præstitisse affirmat Isocrates loc. cit., & Areopagi judicia omnium maxime religio-

siſſi-

ſiſſima, juſtiſſima, reverendaque prædicant Demoſthenes mox laud., Lyſias in Andocidem, Valerius M. lib. 2. cap. 6, & Seneca de tranquill. cap. 3: ideoque ad Senatus Areopagitici imitationem, Γερουσίαν Spartanorum quoque a Lycurgo fuiſse inſtitutam admonet Iſocrates in Panathenaica. Confer & Joh. Meurſium in Areop. cap. 4, & Joh. Philip. Pfeifferum Antiq. Græcar. lib. 1. cap. 2, & lib. 2. cap. 33. Hinc Sacerdotibus etiam rerum Civilium ſummam commendatam ab Athenienſibus, ac litium Sæcularium delata judicia tradit Joſephus Antiq. Jud. lib. 14. cap. 19. Atque ideo Sacerdotum apud Græcos multa erant nomina, quorum meminit Julius Pollux in Onomaſt. lib. 1. cap. 1. ſegm. 16. p. 11. edit. Amſtel. 1706, quo loci præcipua hæc ferme collegit: Ἱερεῖς, Νεωκόροι, Ζάκοροι, Προφῆται, Ὑποφῆται, Θῦται, Τελεσταί, Ἱερουργοί, καθαρταί, Μάντεις, Θεομάντεις, χρησμῳδοί, χρησμολόγα, χρησμοδόται, Παναγεῖς, Πυρφόροι, Ὑπηρέται, Θεούργοι &c., a Miniſterio, a Templo, ab Officio, a Prophetia, a Vaticinio, a Sacrificio, ab Initiatione, a Sacris, a Purgatione, ab Omine, a Sortilegio, a Divinatione, ab Auſpicio, a Divina operatione &c. ſic dicti, quibus ideo multa de cauſſa rerum etiam Civilium cognitio, ac Judiciorum ratio commendari ſolebat. Videndus & Gyraldus hiſt Deor. Syntagm. 17. de Sacrif. p. 477. Cum Religione Latinam Rempublicam fuiſse fundatam non dubium eſt. Qui primi enim Latium incoluere, Saturno, uti putant Virgilius Æneid. lib. 8, & ibid. Servius, aut Jano, ut placuit Macrobio Saturn. lib. 1. capp. 7, & 9, ac Plutarcho Problem: cap. 40, leges ſuas, ideo videlicet ut quò religioſius, eò tutius obſervarentur, acceptas referre Aborigenes conſuebant. De Ænea quoque fertur apud Auctorem Orig. Gent. Roman., quod & indicare videtur Varro lib. 4. de ling. lat., quum Ilii pars inferior oppugnaretur, ipſum, qui Arcem tenebat, ubi a Dardano, Templo, & adyto condito, Penates, & Palladium, quæ ſibi divinitus miſsa jactabat, collocata fuerant, atque maxima religione ſervabantur, quippe ex illis publicam ſalutem pendere credebant, inde magnos Samothraciæ Deos ſecum in Italiam, ac Lavinium tranſportaſſe, ut ex eorum Religione nempe novo, quod meditabatur, Latino Regno auſpicium faceret. Videſis & Petrum

Mar-

Marcellinum Corradinum de Vet. Latio prof., & sacro lib. 1. cap. 9. Romanos quod propius attingit, apud ipsos cum ipsa Republica cœpit etiam Religio, cujus strenuos curatores statim 60. Sacerdotes, binos ideſt ex singulis 30. Curiis delectos, esse voluit Romulus, qui & ipse a Religionis officiis erga Deos Regnum fuerat auspicatus, referente Dionysio Halicar. lib. 2. capp. 59, & 68. edit. Basil. 1549. Sed enim, qui proxime eum excepit, longe post se Romulum in hac parte a tergo reliquit Numa Pompilius. Nam procellis jactatam Rempublicam meliori reparandam, erigendamque ratione non duxit, quam si a Religione erga Deos exordium faceret. Cujus rei gratia, ne quem Deum inhonoratum sineret, multis excitatis Templis, & Aris, attributoque suo cuique Numini festo, & assignatis, qui cujusque Sacra curarent, Sacerdotibus, latisque legibus de Deorum cultu, purificationibus, expiationibus, cæterisque Sacris, ac Cæremoniis, Rempublicam tum demum in tuto se collocasse confidit: quæ tandem omnia ad Religionem pertinentia octo ipsemet libris, juxta totidem Sacerdotum genera, complexus est, de quibus fuse Dionysius Halicar. p. 90, seqq. Qui & illud laude dignissimum in Numa celebrat p. 96. cum Livio hist. lib. 1. cap. 20, quod Sacris cunctis, ceterisque Sacerdotibus præesse Pontifices voluerit potestate summa præditos, quos rerum etiam Divinarum, & humanarum arbitros, ac Judices constitutos observat Festus. Qui nempe de causis omnibus ad Sacra pertinentibus judicarent tam inter Magistratus Sacrificos, quam privatos inter Cives: novas, prout opus foret, de Sacris leges arbitratu suo conderent, sicubi destituerentur scriptis, de Magistratibus, penes quos Cæremoniæ erant, & Sacrificia, deque Sacerdotibus omnibus districtum instituerent examen; Sacrorum administros in officio continerent, ac de cultu Numinum consulerentur; quique demum præscripta sua contemnentes mulctandi pro delicti magnitudine plenam haberent potestatem. Ipsi vicissim nullius potestati essent obnoxii, nec ad reddendam factorum rationem Senatui, vel Populo tenerentur. In defuncti tandem locum alius subrogaretur, non Populi suffragiis utique, sed qui Sacerdotum Collegio maxime videretur idoneus ex omni Civium numero. Penes Pontificium Collegium fuisse quoque Legis

gis actiones docet Pomponius lib. 2. §. 6. de Orig. Jur. Quo tamen loci monet Heineccius in Antiq. Roman. Syntagm. ad Inſtit. lib. 1. tit. 2. §. 31. ex Cicerone de Legib. lib. 2. capp. 19, & 21. id haud de omnibus Legis actionibus intelligendum, ſed de his dumtaxat, quæ cum Religione eſſent conjunctæ, uti de Sacris, de Votis, de Feriis, de Sepulcris &c. Hinc eorum erat etiam dies judiciorum deſignare, & litigantibus indicare, quibus Lege agere vel fas, vel nefas eſſet, teſtibus Livio lib. 1. cap. 19, ac Cicerone Orat. pro Murena cap. 11. Reſpondere item de Juribus domus, nam & domi Sacra privata erant, deque aliis decernere, de quibus paullo poſt. Confer interea Georgium Schubartium de Fatis Juriſp. Rom. lib. 2. cap. 59, ſeq. p. 296. De Pontificibus ſpeciatim loquendo, quatuor porro a Numa inſtitutis ex Patriciis, alios quatuor ex Plebe delectos anno V. C. 454. ſub M. Valerio, & Q. Appulejo Coſſ. additos memorat Livius lib. 10. cap. 6. Quorum Pontificium Collegium deinde ſeptem adjectis ampliavit an. 673. Sulla Dictator, ut eſſent quindecim: ita tamen, ut ex his octo Majores, reliqui ſeptem Minores vocarentur. Effectum id etiam ſub annum 650, ut Pontifices in Comitiis tributis a Populo deſignarentur, a Collegio poſtea cooptandi, uti referunt Svetonius in *Nerone* cap. 2, Cicero Agrar. 11. cap. 7, & Vellejus lib. 11. cap. 12, 3. Qua de re adeundi, ſi placet, Gyraldus hiſt. Deorum Syntag. 17. de Sacrif. p. 477, Panvinius de Civ. Rom. cap. 33, Gruterus de vet. Jure Pontif. lib. 1. cap. 17, Struvius Antiq. Rom. cap. 12, Noriſius in Cenotaph. Piſan. diſſert. 1. cap. 5., Gruchius de Comit. lib. 1. cap. 2, & Blondus Triump. Rom. 11. p. 30. Potuiſſe aliquando Pontifices a Tribunis Plebis, ut Sacris intereſſent, vel peragerent illa, cogi, inſinuare videtur Cicero pro Domo cap. 45. Quò illud demum ſpectat, quod de Alexandro Severo tradit Lampridius: eum *Pontificibus tantum detuliſſe, XVviris, & Auguribus, ut quaſdam cauſſas Sacrorum a ſe finitas iterari, & aliter diſtingui pateretur*. Ad hæc, ut quò Religionis potior haberetur ratio, eò quoque major Pontificum adpareret poteſtas, omnibus Magiſtratuum majorum inſignibus decorari conſuebant: eis ideo dati Apparitores, Scribæ, Librarji, Præcones, Architecti, Lictores, Pullarii, ceterique Miniſtri,

niſtri, qui Magiſtratibus aliis debebantur. Quod Collegium uſque ad Theodoſii Senioris tempora Romæ perduravit. Hoc porro e Collegio Pontificum in Comitiis a Populo Pontifex M. eligebatur, qui Livio teſte lib. 1. cap. 20. ideo antiquo inſtituto pars Senatus Romani magna, præcipuumque Urbis membrum erat; quique referente Feſto V. *Ordo Sacerd.* *Judex, atque Arbiter habebatur rerum Divinarum, humanarumque.* Cui ſimilia habet Paullus in Pontifice M. ſubjungens: *Judex, Vindexque contumaciæ privatorum, Magiſtratuumque erat.* Quibus nec abludit Cicero de Aruſp. reſp. cap. 7. Sacra vero habebantur, quæ Pontificis auctoritate Diis ſuperis conſecrata ſolemniter erant, teſte Feſto V. *Sacer*; Sancta viciſſim, quæ ſanctione a Pontifice erant munita, ut auctor eſt Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 4. cap. 9. Ejus officium erat igitur 1. Religionis ſe interpretem dare, providereque diligenter, ne quid Religio detrimenti pateretur, atque ſiquid contra Religionis jus a Senatu, Populoque ſancitum fuiſſet, intercedere, ut habet Livius lib. 1. cap. 20, & lib. 9. cap. 46. Libros item Sacros, ſi Religioni noxii, aut inutiles, tollere ejuſdem curæ incumbebat, teſte Svetonio in *Auguſto* cap. 31. Ejus erat 2. ſedulo cuſtodire cum Sacra Veſtæ, & Ignem Æternum, tum Virgines Veſtales eligere, capere, & caſtigare, qua de re Aulus Gellius lib. 1. cap. 12, Plutarchus in *Numa* p. 66, & Ovidius Faſt. lib. 3. v. 417. Tenebatur 3. actibus quibuſdam intereſſe ſolemnibus ad Religionem attinentibus, ut in Votis nuncupandis, Livius lib. 31. cap. 9; Obſecrationibus, Svetonius in *Claudio* cap. 22; Dedicationibus, Livius lib. 9. cap. 46; Comitiis etiam, quibus creandi Sacerdotes eſſent, eoſque capere, & inaugurare ad ipſum ſpectabat, Livius lib. 27. cap. 8, & lib. 40. cap. 42, ac Gellius lib. 15. cap. 27; Arrogationibus item ſive Adoptionibus lege Curiata factis, Cicero pro Domo capp. 10, & 13, Gellius lib. 5. cap. 19, Tacitus hiſt. lib. 1. cap. 15, & Ulpianus L. 1. §. 2. 3, & L. 17. princip ff. *De Adopt.* De Matrimonialibus quibuſdam etiam cognoſcebat, Tacitus lib. 1. cap. 10, & Nuptiis per Confarreationem contractis præſentia aderat ſua, Servius in fragm. apud Lipſium ad Taciti Annales lib. 4. n. 37, ac Elmenhorſtius

horſtius in Arnobium lib. 4. p. 168. Officio Pontificis cedebat 4. Annum ſedulo curare, quod docent Julii, & Auguſti Imp. exempla, Annales item, de quibus Cicero de Orat. lib. 11. cap. 12., & Servius in cit. fragm. Ad Pontificem M. pertinebat 5. ſumma poteſtas flagitia graviora quædam, ut inceſtum, ſupplicio puniendi ſupremo, Cicero de Legib. lib. 2. cap. 9, Perſonas Sacras mulcta afficiendi, Livius lib. 40. cap. 42, & Epit. 19, De Cæremoniis diſpenſandi, Plutarchus Quæſt. Rom. 49, & A. Gellius lib. 10. cap. 15, Comitia indicendi, & Exercitum imperandi, Gellius lib. 15. cap. 17, in quem videndus Oizelius, Boſius etiam de Pontif. M. Vet. Rom. cap. 5. §. 5, & Gronovius Obſerv. lib. 1. cap. 1, Ludos item edendi, Svetonius in *Auguſto* cap. 44, & in eum Caſaubonus, & Gutherus de vet. Jur. Pontif. lib. 3. cap. 20. Ad hæc privilegiis inſignibus decorabatur Pontifex M., nam neque Senatui, neque Populo factorum rationem reddere tenebatur, nullique pœnæ erat obnoxius; quinimo ne litem quidem habere cum eo cuipiam licebat, teſte Livio epit. 47, ubi videndus Gronovius, & Boſius cap. 6. §. 1, ac Struvius Antiq. Rom. cap. 12. p. 577: atque ab hac dignitate quidem, officioque, quoad viveret, dejici nullo poterat modo, ut habent Caſſiodorus Var. lib. 6. cap. 2, & Codex Theodoſ. lib. 1. cap. 122. *De Decurion.* Prætexta Magiſtratus inſigni præterea utebatur, teſte Lampridio in *Alexandro Severo* cap. 40, Sella quoque, & Lictoribus, quibus de inſignibus, officiis, juribuſque aliis Boſius cap. 4, Gutherus lib. 1. cap. 28, Alexander ab Alexandro genial. Dier., & Tiraquellus ibid., Dempſterus Antiq Rom. lib. 3. cap. 22, Struvius p. 579, & Pitiſcus in Lex. Antiq. Rom. To. 3. V. *Pontifex* p. 118, ſeqq. edit. Ven. 1719. Rerum Civilium item cognitioni, judiciis, & curæ ſe ſe immiſcuiſſe cum apud Gallos Druidas, tum apud Burgundiones Sacerdotes, atque his unum dignitate præcipuum Pontificis M. nomine præfuiſſe teſtatam rem faciunt Julius Cæſar in Comm. de Bello Gall. lib. 6, & Ammianus Marcell. lib. 28. cap. 5. Atqui quantum ab Ethnicis vel rudioribus, ingenioque hebetioribus ad Reipublicæ bonum, & quietem conferre Religio putaretur, & probat, & in aperto ponit ea celebratiſſima, quæ de Sevarambibus, Populis ideſt Ter-

ræ Australis incolis, circumfertur historia. Ejus quidem auctor Isaacus Vossius dicitur Morhofio Polyhist. Litter., Philosoph., & Pract. lib. 1. cap. 8. p. 74, & Mollero in Struvii introduct. in Notit. litter. p. 812, Leibnitius videtur Struvio, & Reimanno hist. Atheismi p. 480, seqq., Sidneyus Clavellio in Catalogo p. 2, Auctori Bibl. Bodlejanæ To. 2. p. 508, Beughemio Bibl. histor. p. 458, ac Fabricio Bibliograph. antiq. cap. 14. §. 16. p. 502. edit. Lipsi. 1716, Delonius, sive Devesius Auctoribus Collect. litter. p. 43, ac Diarii Gall. litter. To. 16. p. 231., sed verus auctor Veirasius genere Alesius in Occitania habendus ostenditur Christiano Thomasio in Cogitatis menst. Novemb. 1689. p. 963, Christophoro Augusto Heumanno in Schediasmate de libris Anonymis, & Pseudonym. p. 163, Joh. Clerico Bibl. select. To. 25. p. 402, & To 26. p. 460, seq., Morerio Suppl. Dict. V. *Sevarambes*, Auctori Bibl. German. To. 23. p. 196. seqq., & Marchandio Dict. hist. To. 1. V. *Allais* p. 11, seqq. in Not. Non ut vera quidem historia, sed pure, puteque commentitia haberi ea debet, qua nempe ingeniose Sevarambum Religio, ac Respublica confingitur, fuseque diversis sub assumptis speciebus describitur: qua imo par. 4, & 5. To. 2. p. 101, seqq. edit. Amst. 1716. fictionibus potissimum cum de Omiga, sive Stroukara, cujus pleraque conficta miracula ad imitationem factorum a Moyse, ab Elia, a Christo D., ab Apostolis referuntur, & p. 213. seqq. de Scromena Impostore altero, qui de Religione mere naturali loquens inducitur, ac ceteras in Religionem inductas deinde Cærimonias velut ex ambitione, & avaritia derivatas, & in Idololatriam abducentes reprehendens, eo impie tendi videtur demum, ut mera Religio naturalis (cujus Princeps habetur Eduardus Herbertus in tribus libris de Veritate, de Causis errorum, & de Religione Gentil.) adstruatur, Judaica vero, & Christiana irrisioni tradatur, velut observant Morhofius, & Fabricius loc. citat., Heumannus de Anonym., & Pseudonymis p. 165, qui tamen subinde in Conspectu Reipub. litter. p. 320. in Not. 2. Auctori huic hist. Sevaramb. non fuisse mentem de Religionis Christianæ Divinitate dubiam affirmat, Augustinus Pfeifferus apud Christ. Thomasium in Cogitat. menst. cit. p. 1000, seq., a quo Veirasius cum Francisco Rablae-

Rablaeſo, Bonav. Pereſio, Andrea Beverlandio &c., quos omnes Atheiſmo laborare non dubitat, confertur, Reimannus hiſt. Atheiſmi p. 481, quo loci Atheiſmi ſuſpectum Auctorem hunc etiam habet, & Marchandius Dict. hiſt. To. 1. pag. 18. in Not., qui Deiſmum hoc in Opere ſe detegere haud imprudenter putat. Quamquam Veiraſium a Naturaliſmo, & Atheiſmo vindicare, & abſtergere poſt Heumannum ſibi ſumpſere Chriſt Thomaſius loc. cit. p. 961, ſeqq., & Auctores Diarii Germanici edit. Hanover. 1700, & 1702. p. 5. Ut ut vero, & de Auctore, deque Operis ſcopo ſit, negari tamen nequit ab hujus hiſtoriæ Auctore par. 2. To. 2. p. 294, ſeqq. egregie neceſſariam Religionis cum Republica bene inſtituta, moratáque conjunctionem oſtendi, & exponi: Nam Sevarambum inſtitutor Sevarias, genere Perſa anno 1375. natus, & an. 1407. in Terram Auſtralem appulſus, tum primo fingitur legum ſuarum exordium, Regiminiſque formam a Religione feciſſe, atque incepiſſe, Reipublicæ firmiter ſtatuendæ fundamenti loco ponens Deum unum eſt, ſummum, independentem, inviſibilem, æternum, infinitum, juſtiſſimum &c., cujus id nomen *Khodimbas*, ſive *Rex ſpirituum*. Ab eo in Mundo univerſo cuncta recte diſponi, ac ſapientiſſime gubernari, ideoque cultum eidem, & obſervantiam a cunctis deberi quammaximam. Ejus adminiſtrum eſſe Solem, cui ideo nomen inditum *Erimbas*, ideſt *Rex lucis*, & *Phodarieſtas*, ideſt *Fons vitæ*, & *Antemikondas*, ideſt *Dei ſpeculum*, ſeque perinde ſolis proregem inſcribit, cui Soli leges ab ſe latas referat integre acceptas. Junge, quod hac in Sevarambum hiſtoria tam egregia, quam revera expreſſa imago exhibetur Religionis, quam olim apud Peruvianos, quos primus inſtituiſſe fertur Manco-Capac, a quo eadem prorſus Religionis dogmata Populis illis tradita, inque iis fundatam præcipue Rempublicam videre eſt apud Garcilaſſium de Vega hiſt. Incarum lib. 2. capp. 1, ſeqq. p. 109, ſeqq., obtinuiſſe rite obſervat cit. loco Marchandius, ubi & ſuſpicatur inde forſan Veiraſium Sevarambum hiſtoriam fingendi occaſionem ſumpſiſſe, ideoque rite Ramſajum refellit, qui To. 1 *Voyages de Cyrus* p. 159. tam inepte, quam falſo imaginatur, eò totam ingenioſam hanc de Sevarambibus fabulam

collineare, ut omnem prorsus regiminis bene ſtatuti formam evertat, ac Populi in libertatem ab omni penitus legis jugo aſſerantur. Denique, ut verbo dicam, tam vetus, quam recens Populorum eſt perſuaſio de Religione tutandæ, ſtabiliendæque Reipublicæ neceſſaria, ut olim, & hodiedum apud Orientales, Occidentaleſque penes Sacerdotes rei Civilis ſumma ſtet integra, iidemque Religionis adminiſtri Reipublicæ juribus pariter adminiſtrandis applicentur. Qua de re ex veteribus adeundi Cæſar de bello Gall. lib. 6. cap. 13, Dionyſius Halic. lib. 2. p. 132, Strabo lib. 1. p. 43, & lib. 4. p. 302, Tacitus de Moribus German. capp. 7, & 11, Ælianus Var. hiſt. lib. 14. cap. 34, ex recentioribus vero Perizonius in Not. ad Ælianum, Pyrardus Itiner. cap. 14. p. 144, ſeq., Calmetius in Comment. To. 2. p. 430, & To. 3. p. 5, & 659, Hiſtor. gener. Itiner. To. 4. p. 396, Chardinus To. 6. p. 16, Collect. Itiner. ad Septent. To. 8. p. 403, & Goguetius Orig. Leg., Art., Scient To. 1. par. 1. lib. 1. art. 1. p. 28.

Inſita hæc ipſa de Religione a bene inſtituta, morataque Republica indiviſa Veteribus tam Philoſophis, quam Politicis erat ſententia. Judæorum ſane veterum juſtitiam ex ipſorum Religione laudandi ex Trogo lib. 36. cap. 2. argumenta ſumpſit Juſtinus, ſicut & Strabo lib. 16. Geogr. p. 761. Sed placet auſcultare magis Philoni, cujus hoc præclarum elogium eſt de vita Abrahami p. 378: *Ejuſdem eſt naturæ religioſum eſſe, & hominum amantem: apud eumdem ſpectantur pietas in Deum, & in homines juſtitia.* Qui perinde de Monarch. p. 818: *Efficaciſſimum, amatorium, & vinculum indiſſolubile benevolæ amicitiæ unius Dei cultum* vocat. Similia habet de Fortitud. p. 741, ac Joſephus contra Appion. lib. 11. cap. 19. Ideo apud Xenophontem Inſtit. lib. 8. cap. 1. Cyrus ſubditos Populos hoc ſibi addictiores fore confidebat, quo Dei metuentiores faceret. Et certe miti, fractaque cervice ſubditi facile humanum ferre jugum diſcunt, qui ſemel Divino ferendo haud ægri humeros ſubmiſerunt. Hinc Diotogenes Pythagoreus in Rege perfecto deſiderabat, ut *Judex, & Sacerdos* idem eſſet, ut Religione videlicet juſtitia cuſtodiretur. Religionem quoque poteſtatis certum propugnaculum,

culum, ac legum, honeſtæque diſciplinæ indiſſolubile vinculum vocabat Plato de Republ. lib. 2, & in Dialogo de Sanctitate: *Si quis*, inquiens, *grata Diis loqui, & agere novit ... hæc Sancta ſunt, atque hæc officia tum Domus proprias, tum Civitates conſervant &c.* Quam in rem pariter, in omni Republica, ajebat Ariſtoteles Polit. lib. 7. cap. 8, Πρῶτον ἡ Περιῳείων ἐπιμέλεια, *Primum eſt Curatio rerum Divinarum*. Cujus rei certe evidens argumentum eſt, quod Epicurrus apud Laertium lib. 10. §. 150, ſeq., & Senecam epiſt. 97. quum Dei providentiam ſuſtuliſſet, juſtitiæ quoque, abſque qua Reſpublica nulla ſubſiſtit, nihil fecit reliquum. *Pietate ſublata*, recte ajebat Cicero lib. 1. de Nat. Deor. cap. 2, *Fides etiam, & Societas humani generis, & una excellentiſſima virtus Juſtitia tollitur*: quod repetit de Finib. lib. 4. cap. 5, cuique jungendus Polybius hiſt. lib. 5. cap. 54. Quare ad firmandum Auguſto imperium ſalubrius ei ſuppeditare conſilium nequivit Mæcenas apud Dionem Caſſ. lib. 52, quam de Religione ſedulo prius curanda: *Divinum*, inquiens, *Numen omni modo, omni tempore ipſe cole juxta leges patrias, & alii ut colant, effice*. Subjungens non tollerandos utique, qui diverſam Religionem invehere inſtituerent: *Quia nova quædam Numina introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Unde conjurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt; res profecto minime conducibiles Principatui*. Quam in rem plura dabit Lipſius Polit. lib. 4. cap. 2, in Not. ad lib. 1. cap. 3, & lib. adv. Dialog. cap. 2, ubi inter alia illud advertit, ex Joſepho contra Appion. lib. 11. Judæos, & Græcos, & ex Livio lib. 39. Romanos, & Italos, quibus jungendi Sinenſes Ethnici, & Chriſtiani in Hiſpania, quod liquet ex Concilio Toletano VI., pro ſummo, quo Reſpublica ne loco dimoveretur ſuo, ſatagebant ſtudio, nequa diverſa, ac nova induceretur Religio, pariter ſtuduiſſe. Ideo quoque jure, optimeque Plutarchus contra Colotem p. 1125. Religionem vocabat συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα, *Vinculum*, ſive *Coagulum omnis Societatis, & Legislationis firmamentum*. Ex Q. Curtio, & Perſio, quibus addendus Martialis de Arte aman. lib. 1. prope fin. *Expedit eſſe Deos, & ut expedit, eſſe putemus*, etiam ad Rempublicam bene geren-

gerendam neceſſariam Religionem oſtendit adverſus Bælium Jacobus Berhnardus, quin etiam Atheis ipſis affirmantibus Religionem Politicorum excogitatum eſſe, ad retinendos in officio homines, inde recte arguit Societatis bono, quietique Religionem conferre quammaxime apud Bælium *Pensées divers* art. 81, & in Reſponſ. ad Quæſt. Provinc. cap. 17. To. 3, & cap. 23. To. 4, cui argumento fruſtra reſpondere conatum Bælium obſervat Crouſazius Pyrrhon. Vet., & Nov. §. 109. p. 706. Junge his S. Juſtinum, qui in Apolog. 2. cap. 8. ad rerum Divinarum cognitionem erigens, & accerſens Βασιλικὸν ἄνκαι Τοῦτο ἔργον εἴη ait, ideſt, *Erit hoc opus ſane Regium*; Lactantium, qui lib. de Ira Dei cap. 8. Religionis vinculo ablato, *Vita hominum*, inquit, *ſtultitia, ſcelere, immanitate complebitur*: & cap. 12 ſalva viciſſim Religione, futurum ſpondet, ut omnia in Republica integra, & ſalva ſint: *Religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe Societatem*; Syneſium Orat. de Regno, quo loci Religionem baſim, ac fundamentum Reipublicæ ponit: Ευσεβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλῆσθω, κρηπὶς ἀσφαλὴς, ἐφ' ἧστινι τὸ ἄγαλμα ἑδρυθὲν τῆς Βασιλείας, *Pietas primum ſubſternitor, fulcrum, & crepido, cui firmiter inſiſtat ſimulacrum hoc Regni*; S. Auguſtinum lib. de vera Relig. cap. 31, ubi legum conditores ad leges Divinas reſpicere, ſi recta decernere velint, jubet; S. Iſidorum Peluſ. lib. 3. epiſt. 249, cui ſimilia ante ſcripſerat S. Epiphanius hær. 29, quæ eſt Nazaræorum, n. 3, ſeq., ubi mutuam Sacerdotii, & Regni unionem hominum Societati adeo utilem, ac neceſſariam eſſe contendit, ut ſublato Sacerdotio Regnum etiam concidere neceſſe ſit: cujus rei hanc adſignat rationem: *Sublato enim, ac prorſus deleto eo, quod caput erat, majoriſque momenti, ne aliud quidem quicquam conſiſtere poterat. Nam Regni quoque baſis pietas erga Deum erat, quæ in Dei cultu poſita cenſebatur*. Loquitur de Judæorum Regno, ac Sacerdotio poſt Chriſti necem funditus everſo, & deleto. Confer S. Thomam 22. q. 66. art. 8. ad 3, Covarruviam in C. *Peccatum* par. 2. §. 10, Puffendorfium de Jure N., & G. lib. 2. cap. 4. §. 3, & Barbeyracium ibid. in Not. 4, de Offic. hom., & Civ. lib. 1. cap. 4. §. 9., & cap. 5. §. 3, ac Barbeyracium in Not. ad cap. 3. §. 13,

§. 13, ubi primum Naturalis Juris principium ſtatuitur Religio, eademque adverſus Atheos, Epicurreos, ac Stoicos ultimum, ac firmiſſimum humanæ Societatis vinculum oſtenditur. Confer & Corn. Bynkershoek diſſert. 2. de Religione Peregrina Opuſc. To. 2. p. 185, ſeqq., ubi pleraque hanc in rem diſputat.

Jam vero ſequitur hinc, quod poteſtati Sacræ, quatenus Religionem reſpicit, Civilis, quæ circa Rempublicam obvetſatur, tam ratione objecti, & finis ſubordinetur, quam ratione ſubjecti, ac juris ſubjaceat. Porro ſiquidem ita propria Reipublicæ, ac proxima Religio ſit, intimeque hæc illi conglutinata, effectum eſt equidem facile, ut olim pleraſque apud veteres Gentes ambæ Poteſtates hæ in una, eademque perſona copulatæ fuerint, Sacerdotium, inquam, & Imperium. Atque iſta utique mens fuit Diotogenis Pythagorei apud Stobæum de Regno, ut Rex nempe, & Judex, & Sacerdos eſſet, a quo parum diſtitit Tacitus Annal. lib. 3. Et ſane, qui apud Ægyptios olim Imperii ſummam gerebant, eoſdem Pontificis M. nomine delectatos pariter, officioque defunctos tradit Plutarchus, qua de conjunctione dignitatis utriuſque Syneſius etiam epiſt. 57, & 121, Petavius ibid. in Not. p. 36, & Marshamus in Can. Chron. p. 538. Quod ipſum de Æthiopibus memorat Diodorus, de Athenienſibus teſtatur Plato, de Lacedæmoniis Herodotus apud Grotium de Imp. ſum. Poteſt. cap. 2. n. 4., de Sycioniis Syncellus in Chronog. p. 97. Attalicis quoque apud Vitruvium lib. 1. cap. 9. illud in more poſitum erat, ut Trallibus Regia domus ad inhabitandum ei daretur, qui Urbis gerebat Sacerdotium. Utroque ſimul etiam officio Sacerdotis, & Regis defuncti Reges Zelæ, geminæ Comagenæ in Ponto, & Cappadocia, atque Olbæ leguntur, qui ideo Ἀρχιερεῖς dicebantur. Vide Monum. Acad. Inſcript. To. 7. p. 203. Atque ab initio quidem ad hanc uſque ætatem apud Orientales, Indos, Americanos &c. morem obtinuiſſe, ut qui Sacris præſunt, rei Civilis pariter ſummam teneant, obſervat Ferd. Lopez hiſt. Ind. lib. 1. cap. 14. Confer, & Grotium de Imp. ſum. Poteſt. circa Sacra cap. 9, & Caſaubonum ad Strabonis lib. 14. p. 233, & ad Svetonium in *Auguſto* cap. 31, Nicolaum Petitpied de Jur., & prærog. Eccleſ. in admin. Juſt. Sæcul.,

cul., & Ludov. Burgheſium in hiſt. Crit. Melchiſedechi Reg., & Sacerd. cap. 10. Quamvis autem Livio teſte lib. 1. cap. 20. a Numa Pompilio utriuſque Sacerdotii, Regnique officia diſcreta fuerint, & quæ Sacra, Sacerdotibus attributa, ſibi, quæ Civilia, reſervatis, non obſuit id tamen, quominus iterum Auguſtus, eumdemque ſequuti Imperatores Pontificatum M. non quidem ex delatione Senatus, ut perperam habet Euſebius in Chron., ſed a Sacerdotum Collegio delatum, ut ex Dionyſio Halic. lib. 2. p. 183. obſervat Baſnagius Annal. Polit. To. 1. ad an. 13. ante Chr. ær. n. 3, Imperio junxerint: qua de re Cicero de Divin., Dio lib. 54. p. 540, Servius ad Æn. 3, Germonius de Sacror. immunit. lib. 1. cap. 9. n. 3, & Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 10. p. 228, ſeqq. Quamvis, contra quam Harduino perſuaſum fuerat, Pontificis M. dignitatem ab Auguſtis uſurpatam ita illorum propriam fuiſſe ſemper, ac peculiarem, ut alterum ejuſdem facere participem nunquam ſint paſſi, eodem tempore M. Aurelium, & Commodum, atque duos Philippos Patrem, & Filium Pontificis M. titulo fuiſſe inſignitos pugnant Fabricius, & Muratorius: atque de M. Aurelio, & Commodo quidem conſtat ex Numis Commodi, de quo videndus tamen Tillemontius hiſt. Imp. To. 3. Not. 11. in Septim. Severum., de duobus vero Philippis id liquido oſtendit Inſcriptio an. 247. dedicata, qua Pater ſub Imperii initio Filium, & Cæſaris, & Pontificis M. dignitate condecoraſſe legitur, quæ Neapoli integra extans in lamina ærea refertur a Sponio in Miſcell. Erudit. antiq. p. 244, & a Pagio ad an. 244. n. 3. Apud Dionem præterea lib. 44. inter honores a Senatu Cæſari decretos ille etiam refertur, ut Filius ejus, qui naſceretur, aut adoptivus, Pontifex M. evaderet. Quin etiam Pontificis M. titulo, ac poteſtate tam inſignitos, quam uſos paſſim, & Duumviros, quales in Cod. Theodoſ., qualiſque Didymus in Africa, de quo in Geſtis Cæciliani, ac Valeſius, & Aſiæ Proconſules, indelicti Ασιαρχαι, & Αρχιερεις, quales Philippus in epiſt. Eccleſiæ Smyrnenſis de S. Polycarpi Martyrio, Claudius Bians in Nummo Cianorum Urbis Bithyniæ, Samius Eutyches in Nummo Laodicenſium, M. Aurelius Alexander in Nummo Apamenſium, Hephæſtio in Nummo Daldianorum, M. Lucius Aurelius in Num-

in Nummo Cyzicenorum, M. Aurelius in Nummo Smyrnæorum, Matcus in Nummo Cebeſſi Urbis Lyciæ, aliique in Theſ. M. Ducis, Reginæ Svec., & Grutheri, quales Palæſtræ Xyſtarchæ, ſive Præfecti, de quibus in Inſcript. Athleticis, ceu de M. Ulpio Domeſtico apud Grutherum Inſcrip. p. 315, ſeq., qualeſque Aſiæ Principes, & Sacerdotales Præſides, de quibus Actor. cap. 19. v. 31, Tertullianus de Spectac., & Philoſtratus in vitis Sophiſt., & in Marm. Arundel., pluribus oſtendit Ezechiel Spanhemius in diſſert. de Præſt., & uſu Numiſm. p. 240. edit. Rom. 1664. Jam vero ad Imperatores reflectendo ſermonem, an cum Imperii dignitate Pontificis M. titulus ab Ethnicis in Chriſtianos fuerit translatus, lis eſt inter Eruditos. Affirmant Baronius ad an. 312. n. 93, ſeqq., a ſententia decedens, quam tenuerat in Not. ad Martyr. Rom. die 21. Aug., Andreas Boſius in diſſert. de Pontificatu M. Imperat. Chriſt. Grævii Tom. 5. Antiq. Rom., Spanhemius p. 240, Goldaſtus in epiſt. dedicat. ad Jacobum Angl. Reg. Tom. 3. Receſſuum Imperat., Vandalæus in diſſert. de Oracul. p. 53, & diſſert. 2. ad Antiq. ex Marmor. illuſt., Fabricius Bibliograph. antiq. cap. 13. §. 2. p. 444, ſeq., Nieuportius de Ritib. vet. Rom. ſect. 4. cap. 2. §. 2, aliique cum Zoſimi lib. 4. p. 249. edit. Oxon. ducti, tum Inſcriptionibus veter. innixi, ex quibus eo titulo Imperatores Chriſtianos inſignitos, vel uſque ad Gratianum exiſtimant, vel imo uſque ad Juſtinum Senior., velut Goldaſtus, & Vandalæus. Negant viciſſim Gretzerus in refut. impoſturæ Calviniſticæ cap. 3, Goldaſtum refellens, Jacobus Gothofredus in epiſtola ad Rivernm de interdicta Chriſtianorum cum Gentil. Commun., deque Pontificatu M., Pagius ad an 312. n. 17, ſeqq., Tillemontius hiſt. Imperat. Tom. 4. p. 580, ſeq., Jacutius hiſtor. Viſion. Conſtantini M. cap. 2. p. 42, ſeqq., aliique, ea potiſſimum ratione permoti, quod Imperatores Chriſtiani quó religioſe ſibi a nomine unius Pontificis Romani jam proprio abſtinendum duxere, eó ſummopere ab eo impio, ſuperſtitioſoque abhorrendum ſibi propoſuere ritu, quo dum Imperatores Ethnici Pontificis M. titulum, amictumque ſumebant, tum alta ſcrobe ſubtus terram demerſi, defluentem ita in ſe ipſos mactati in ſacrificio Tauri cruorem excipientes, Taurobolium age-

bant, de quo Maternus Firmicus cap. 28. in Bibl. PP., Prudentius in Romano n. 1046, Montfauconus Antiq. Tom. 1. p. 1, Gorius in Miſcell. Etruſc. Tom. 2, & 3, Vandalæus de Taurob. diſſert. 1., Pitiſcus in Lex. Tom. 3. p. 544, ſeq. edit. Ven. 1719, aliique apud ipſum. Quod vero ad Zoſimum attinet, ejus auctoritate ſe minime premi, moverique profitentur, velut ejus, quem inſignis mendacii redarguunt tum vetera Monumenta, in quibus nihil hujuſmodi de Titulo adparet, tum Sozomeni teſtimonium lib. 5. cap. 1, quo loci eo novo titulo primum uſum Julianum, poſtquam Chriſtianam ejuraſſet Religionem, tum immane, ac pluſquam vatinianum, quo in Chriſtianos Imperatores, ſignatimque in Conſtantinum, & Gratianum odio idem Zoſimus efferveſcebat, de quo Gothofredus ad Philoſtorg. lib. 10. cap. 5, & Pagius loco cit. Neque magis veter. Inſcriptionum urgeri ſe teſtimonio ſubtexunt, in quibus Chriſtianorum Imperatorum Titulis & ille Pontificis M. additus legitur, velut in Conſtantini M. apud Grutherum p. 283. n. 1, & 3, ac p. 159. n. 6, Valentis p. 286. n. 3, Gratiani p. 159. n. 7, ac p. 1082. n. 13, Valentiniani apud Baronium ad an. 312. n. 95, Gratiani rurſus ibid., Marciani, Anaſtaſii, & Juſtini apud Goldaſtum loc. cit., ac Juſtini Senior. iterum apud Grutherum p. 164. n. 5, & Vandalæum de Orac. p. 153. Nam primo reſpondent non Imperatores hunc ſibi titulum vindicaſſe, ſed ipſis ultrocitroque ab Ethnicis tributum ibidem exhiberi: quo ſenſu Servius ſub Arcadio, & Honorio in vivis agens in Æneid. 3. p. 268. ſcripſit: *Unde hodieque Imperatores dicimus Pontifices*. Quomodo etiam ab Ethnicis pro Chriſtianorum Imperatorum ſalute hoſtias cædi quoque conſueviſſe diſcimus ex Ammiano Marcell. lib. 25. cap. 6, ubi de Joviano verba facit: atque in Deos referre Imperatores etiam Chriſtianos eiſdem Gentilibus, ipſiſque Apotheoſim apponere in more poſitum docet Panvinius de Civit. Rom. cap. 28. in Grævii Theſ. Antiq. Tom. 1, & apud Nieuportium de Ritib. vet. Rom. ſect. 4. cap. 1. §. 27. Cujuſmodi forſan genus eſt Conſtantini M. Apotheoſis in quodam Nummo ſpectata ab Iſaaco Voſſio, ut ipſe refert in Not. ad Svetonium in *Claudio*, in quo ejus Anima linteo velata, quadrigis in Cælum vecta, & a brachio cælitus porrecto excepta conſpicitur, cum ſubje-

ſubjecta epigraphe *Conſecratio*. Etſi hanc ipſe Chriſtiano accipere ſenſu maluerit, quod probat etiam doctiſſ. Monelia diſſert. 2. de Relig. utriuſque Philippi cap. 6. n. 13. Atque de Inſcriptione ſpeciatim Juſtini loquendo, in verbis illis *Pont. Max.* legendum non Pontificem Maximum, ſed *Ponticum Maximum* obſervant Reinc ſius, & Spanhemſus de Præſt. Num. p. 240. Ad hæc Inſcriptiones pleraſque in Gentilium pridem gratiam factas, eorumdem poſtea eraſis nominibus, ac Chriſtianorum Imperatorum ſuffectis, eiſdem fuiſſe conſecratas advertunt. Cujus rei exemplum profert illuſtre Baronius in Inſcriptione Conſtantini M. Romæ erecta, cujus in baſis latere dextero ante Conſtantini nomen legitur nomen C. Val. Aurel., quæ ſane prænomina nequaquam Conſtantino M., cui Flavii prænomen fuit, neque Diocletiano, ut falſo putavit Baronius, ſed Maximiano Herculeo data obſervant Pagius, & Jacutius cit. loco; in ſiniſtro vero latere dedicata legitur Kal. Jan. Diocletiano III, & Maximiano Coſſ., qui tertius Diocletiani Conſulatus in an. Chriſti 287. incidens oſtendit eam Inſcriptionem annis 25, aut 27. anteriorem eſſe Conſtantini M. Conſulatu III, ſub quo dedicata eadem dicitur, qui incidit in an. 312, aut 314. Ejuſmodi mutationis genus uſurpatum etiam in Nummis, Imaginibus, & Statuis, quæ in aliorum dein honorem, capite tantum, vel titulis mutatis, translatæ plus vice ſimplici ſunt, diſcimus ex Svetonio in *Tiberio* cap. 58, & in *Cajo* cap. 22, ex Dione Chryſoſt. Orat. Rhod. 31, & Corinth. 37, ex Pauſania in Attic., & Corinth., & ex S. Hieronymo Comm. in Habacuc.

Ut autem iſta de Sacerdotii, & Imperii conjunctione ſe habeant, utque hominum inſtituto factum ſit, negari tamen nequit, Divina inſtitutione Reipublicæ quidem adglutinatam Religionem fuiſſe, adeout Exodi cap. 19. v. 6. *Regnum Sacerdotale* Judæorum Reſpublica nuncupari meruerit, utriuſque tamen Sacerdotes inter, & Magiſtratus, Pontifices inter, & Principes accurate diſcreta officia, dignitates, & Jura. Ita plane inſpirante Deo, jubenteque Moyſes Politiæ Eccleſiaſticæ a Civili diſcretæ formam conſtituiſſe legitur tam in perſonis, & gradibus, quam in Sacrificiis, & Cæremoniis. Atque quod ad perſonas attinet,

Sacerdotes, & Levitas instituit, ita ut in Sacerdotibus esset Sacerdos summus, qualis Aaron, essent & Sacerdotes secundarii, in quibus duo præsertim eminebant, unus, qui totius Levitici ordinis, ideoque Princeps etiam cujusque familiæ Leviticæ, caput erat, & Præses, qualis vivente Aarone fuit Eleazar, Sadoel &c., alter, qui hujus veluti legatus in inferiorum Levitarum provinciam, ac diligentiam inquirebat, qualis fuit Ithamar, Zabdiel &c. Consule Numer. cap. 3. v. 32, & cap. 4. v. 16, 28, & 33. Inde ex duobus Aaronis filiis Eleazare, & Ithamare duas subinde constitutas Sacerdotum stirpes novimus. Et a Moyse quidem octo Classes, sive Διαιρέσεις, aut Ἐπιστλεψεις, sive Χλῆρυς, aut Ἐφημερίας ordinatas, ex Eleazare ideſt quatuor, totidemque ex Ithamare, easque deinde a Samuele ad sexdecim, æqua partitione, adauctas fuisse, opinio Judæorum est apud R. David Kimchi in Comm. ad 1. Chron. 24. 4. Sed enim a Davide in Ephemerias, sive Classes 24. Sacerdotes fuisse distributos, ut quælibet per vices qualibet hebdomada sacris in Templo defungeretur, ex quibus 16. fuerint Eleazaridæ, 8. autem Ithamaridæ, liquet ex lib. 1. Chron. cap. 24. v. 4; atque ita quidem, ut cuilibet Ephemeriæ Sacerdos præesset dignitate, auctoritateque cæteris potior, cunctis vero Sacerdos summus, sive Pontifex. Quæ partitio sane mansit sub Salomone 2. Chron. 8, v. 14, instaurataque deinde est ex quatuor dumtaxat Jeddaja, Harim, Paschur, & Immer, quæ e Babylonica captivitate regressæ Ephemeriæ fuerant, cum a Nehemia 2. Esdr. 7, 37, cap. 12, 1, & cap. 13, 3, tum a Juda Machabæo 1. Machab. 4, 42. De quibus fuse Sigonius de Repub. Heb. lib. 5. cap. 3, Seldenus de Success. in Pontif. cap. 1, Ligfootus in hor. Hebr. ad Luc. 1, 5, & in Harmon. Evang. ad eumdem loc., Heberlinus in disput. singul., Witsius Exercit 15. de vita S. Joh. Bapt. §. 5. Tom. 2. Miscell. Sacr., & Carpzovius ad Goodvvini Antiq. Cod. Sacri lib 1. cap. 5. §§. 18, & 20. p. 100, seqq. Levitas quoque in tres Ordines, juxta tres Levi filios Gersom, Kahat, & Merari, dispertitos fuisse, ideſt in Gersomitas, Kahathitas, & Meraritas, discimus ex 1. Chron. 6, 1, seqq., & cap. 24, 20, seqq. Ubi advertendum ex Kahathitis alios fuisse Sacerdotes ex Aarone oriundos, de quibus Josve 21, 4, & 9, alios vero

vero Levitas, de quibus dictum mox, ex Levi descendentes. Imo utata postmodum est Politia isthæc apud Judæos Ecclesiastica. Nam post Hierosolymitanum excidium inducti leguntur Patriarchæ, qui Ἐπαρχοῖς, sive Ἀποδασμοῖς præerant, quæque majoris in Republica momenti essent, studiose curare debebant: de quibus Origenes de Princip. lib. 4. cap. 3. vers. Ruff., S. Epiphanius Hær. 39, S. Hieronymus lib. 1. adv. Ruffin., S. Cyrillus Catech. 12, Theodoretus Dialog. 1, Arcadius, & Honorius LL. 4, 8, 9, 10, 13, 14, & 15, atque Theodosius, & Valentinianus LL. 17, & ult. *De Judæis* Cod. Theod., de quibus adeundi Petavius in not. ad S. Epiphan., & Gothofredus Cod. Theod. Tom. 6. p. 213. Patriarchis a consiliis erant Apostoli, qui, ab illis potestate accepta, Magistratu, dignitateque movendi Primates, aliosque inferioris ordinis jure, officioque defungebantur, de quibus S. Epiphanius κατὰ ἐβιωναίων. Qui his succedebant, Primates, Archisynagogi, sive Archiperecitæ, Hierei, sive Didascalli, Presbyteri, & Azamitæ Provinciis singulis præerant, aut Proseuchis; Legis interpretationi, ac lectioni incumbebant, ceteraque præstabant munia, quæ proxime ad Synagogarum disciplinam, Rituumque Judaicorum observantiam conferebant: de quibus singillatim Samuel Petitus var. Lect. cap. 24, ubi ex L. 17. an. 405, & LL. 18. & ult. Cod. Theod. *de Judæis* an. 429. latis, intra breve illud annor. 25. intervallum Patriarchas apud Judæos desiisse colligit, Campegius Vitringa de Decem otiosis p. 240, seqq., Rhenferdius in simili Opusculo p. 224, seqq., & Cherubinus a S. Joseph Bibl. Critic. Tom. 3. disput. 2. de Syned. art. 4.

Quod ad potestatem, & officia pertinet, ex Sacerdotibus, & Levitis, Senioribus ex Populo adjunctis, omnibus simul 70, unde Synedrii M. nomen adhæsit, a Moyse primum, a Davide postea, ac Josaphato constituti leguntur Judices partim *ad Judicium Domini*, ideſt Ecclesiasticum, partim etiam *ad Litem*, ideſt Judicium Civile. Supremum hoc erat Tribunal, veluti liquet ex Num. cap. 11. v. 16, seqq., Deuteron. cap. 17. v. 9, seqq., & 2. Chron. cap. 19. v. 8, seqq., quibus locis jungendi Hieremias cap. 19. v. 1, cap 26. v. 11, & cap. 38. v. 4, seq., & Ezechiel cap. 8. v. 11. videndique Sigonius de Republ. Hebr. lib. 6.

lib 6. capp. 4, & 7, Grotius in Matth cap. 5. v 22, & Sparhemius Dub. Evang. par. 2. dub. 139. §. 3 Atque ad hoc quidem Dicasterium quidquid a ceteris in Palæstina Magistratibus, ac Judicibus decidi nequiret, deferri, ibique definiri, eidem graviores etiam causas, ac maxime Criminales, & ad Religionem spectantes reservari consuevisse, nec ab eo provocationem fuisse pluribus docent Seldenus de Syned. lib. 2. cap. 4, & lib. 3. cap. 1, seqq., & Petrus Cunæus de Republ. Hebr. lib. 1. cap. 12, qui cap. seq. ex Maimonide in *Halacha Sanhedrim* cap. 1, seq. duo alia præterea distinguit Collegia Hierosolymis constituta, unum ex 23. conflatum, qui de Capite, fortunisque Civium Judices sedebant, alterum ex 3. Viris, qui de injuriis, pecuniis, aliisque mobilibus sententiam dicebant. Synedrium porro Senioribus illis 70. in operæ subsidium a Moyse adhibitis natales utrum suos debeat, negant quidem, aut dubitant Joh. Clericus in dissert. de 72. Viror. Synedrio, Joh. Vorstius apud eumdem, & Christianus Ludovicus de spiritu Moysis in 70. Sen. posito n. 31, seqq. ad Numer. cap. 11. v. 16, & 25. Thes. Philolog. noviss. Tom. 1. p. 420, seq. edit. Amstel. 1732, quin dubitet tamen a Judæis ex exsilio Babylonico reducibus istud ex 70. Senioribus Tribunal fuisse constitutum. Adfirmant vicissim, præfatis Numer., Deuter., ac Paralip. innixi locis, ex Judæis passim Doctores omnes, ac præcipue in Mischna Tract. Sanhedr. cap. 1. n. 6, & Maimonides ibid., quibus suffragatur Josephus Antiq. Judaic. lib. 14. cap. 17; ex Christianis vero tantum non omnes, ac diffuse præ ceteris Marius in Num. 11, Seldenus lib. de Syned., Ligfootus in Harm. Chron. Vet. Test. p. 34, & Tom. 1. p. 608, Buxtorfius in Lex. Maj., & in Abbreviat. Hebraic., Zeltnerus in Schilo nodis soluto §. 6. ad Genes. cap. 49, v. 10. Thes. Philolog. noviss. ad vet. Test. Tom. 1. p. 248, seq., aliique longe plures mox referendi. Sed & Synedrii M. duo fuisse Capita, qualia Annas, & Caiphas in Evangelio notati, non respectu quidem Sacræ functionis, sed Civilis dumtaxat administrationis, quorum unus, isque primarius, *Princeps* esset, Judæis dictus *Rosce hisçibah*, *Caput Scholæ*, *& Nasçia becol moqom*, *Princeps in omni loco*, alter secundarius, auctoritateque inferior, *Pater domus Judicii* denominatus, Judæis *Ab-Beth Din*, tradunt Judæo-

Judæorum Doctores in Cod. *Moed Katon* fol. 22. p. 2, in Tract. *Horajoth* cap. 3. p. 162, Maimonides in Tract. de Judicibus cap. 1, &c., ac obſervant Huetius Demonſt. Evangel. prop. 9. cap. 4. n. 3, Seldenus de ſucceſſ. in Pontif. lib. 2. cap. 1, Binæus de Chriſti morte lib. 2. cap. 4. §. 4, Saubertus de Sacerd. Hebr. cap. 5, & Carpzovius ad Goodvvini lib. 1. cap. 5. §. 17. p. 99, ſeq., & ad lib. 5. cap. 1. §. 6. p. 552, ſeqq. Confer & Cherubinum a S. Joſeph in Bibl. Crit. diſp. 2. art. 3. ſect. 2. §. 1, ſeqq. Tom. 1. p. 740, ſeqq. A Synedrio præterea diverſa an fuerit Synagoga M., quin hæc an fuerit in rerum unquam natura, ac ſi revera fuit aliquando, quo demum cœperit tempore, quove defierit, lis altera inter Doctos eſt. Curiam ejuſmodi ſub Synagogæ M. nomine ad Platonis Rempublicam, de qua Livius lib. 26. cap. 22, vel ad Thomæ Mori Utopiam, ſive, ut Eraſmus, Nuſquamam, vel ad Baconis Verulamii Novam Atlantem, vel ad Joſue Glanvillii Antifanaticam, vel ad Thomæ Campanellæ Civitatem Solis, Mercurii Britannici Terram Auſtralem, Alberici Gentilis Mundum alterum, Joh. Biſſelii Icariam, Jacobi Bidermanni Utopiam, Gaſparis Stiblini Eudæmonenſium Rempublicam, Veraſii Rempublicam Sevarambum, Sullii Monarchiam univerſalem, ſive ad Sambathionæi fluminis oras, ad pura ideſt, putaque figmenta amandandam fore argumentis quidem haud contemnendis pugnant Jacobus Altingius in epiſt. ad Perizonium Tom. 5. Oper. p 382, Franc. Burmannus Synopſ. Theolog. lib. 4. cap. 37. §. 7, ſeq., Hermannus Witſius Miſcell. Sacr. lib. 2. diſſert. 3 §. 29, Campegius Vitringa Hypotip. hiſt. Sac. Period. 6. §. 80, ſeqq., Valent. Erneſtus Loeſcherus de cauſſ. ling. Hebr. lib. 1. cap. 5. §. 17, Joh. Franc. Buddeus hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Tom. 2. period. 2. ſect. 6. § 12, fuſiuſque Joh. Eberhardus Rau in Diatriba de Synag. M. par. 2. ſect. 1. cap. 1, ſeqq. Trajecti ad Rhen. 1726, ad quos acceſſit Ricardus Simonius in Crit. Vet. Teſt. lib. 1. cap. 8, eiſdem vero præceſſere in hac de Synagogæ M. veritate dubitatione Joh. Morinus in Exercit. Bibl. p. 279, & Joh. Vorſtius in Obſervat. ad *Zemach David* p. 245, hiſce ferme ducti momentis 1. Quod eo de Tribunali alte ſileant Eſdras, Nehemias, Scriptoreſque ætate proximi, quales Hiſtoriæ Machabæorum Scriptor uterque, Flavius Joſephus,

phus, Siracides Evergetæ II. Ægypti Regi ætate suppar, Julius Africanus, Philo, Josephus Goronides, Auctores Majoris, & Minoris Chronici Jud., vulgo *Seder Olam Rabba*, & *Seder Olam Zuta*, qui Talmudis Babylonici ætatem facile superant. 2. Quod Synagogæ M. omnium primi mentionem invexerint Karæi, secta Pharisæis admodum infensi, pro quorum hac de re opinionem sequestrem se exhibet Mardochæus ejusdem sectæ vir in Comment. in dias lucis edito a Joh. Christophoro Wolfio, quibus hac in re quidem neque litem intenderunt Rabbanistæ, quin etiam ad eorum deinde baraitham, sive opinionem symbolas contulisse leguntur Amoræi alii, & ipsi ætate suppares, uti R. Levi Bar-Sisi, R. Jonathan, R. Jehuda Bar-Ezechiel &c. Sed Karæis hac in traditione fidem non dandam facile, ut quorum nullus hodie prostet Scriptor, qui sæculum a Christo nato nonum superet, unde fide valdequam laborare seu Karaismi hyperaspistas, instauratoresque, e Rabbinorum schola multa ad se derivantes, manifestum evadit: quum imo Synedrium 70virale nec agnovisse R. Japhetus Zairides Karæus videatur apud Mardochæum cap. 9. Unde ex Pirke Abhoth, Gemaræ ætate superiore, statimque post excidium Templi conscripto, veluti figmentorum primo omnium fonte hoc Synagogæ M. idolum in Scholas, ac scripta Judæorum dimanasse censet Rau cap. 2, quem ideo Synagogæ M. promum condum facit. 3. Quod Josephus Antiq. Judaic lib. 2. cap. 8. auctor sit locuples post exactum Babylonicæ captivitatis septuaginta annorum spatium a Jesu Josedechi filio, posterisque ejus quindecim Pontificibus, usque ad Antiochum Eupatorem (sub quo rerum potiti Asmonæi sunt), per annos hoc est 413. Civilis etiam Reipublicæ statum administratum fuisse, eosdemque penes, tanquam Gentis totius Principes, rei totius tam Religiosæ, quam Politicæ summam stetisse. Quin etiam de Johanne Machabæo lib. 1. Antiq. cap. 2. loquens Principales Civilis, sacrique Regiminis eum partes egisse scribit; quomodo Regnum perinde ab Alexandro, & Hircano cum Pontificatu administratum memorat. Quamquam parum sibi constans sub idem tempus, quo Pontificibus totam fecerat potestatem, rem Judæorum ad Optimatum Statum adductam idem scribit lib. 11. cap. 4. Καὶ τὰ μὲν κατώκησαν ἐν τοῖς

ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, πολιτείᾳ χρώμενοι Ἀριστοκρατικῇ μετ' ὀλιγαρχίας: *Atque illi* (e Babylone reduces Judæi) *incoluerunt Hierosolymam, instituta Reipublicæ forma Aristocratica, qua rerum summa ad paucos defertur*; Mox vero de Sacerdotibus in Templi Ministerio insignioribus subjungit eisdem Magistratus quoque Civilis partem obtigisse non parvam: Οἵ γὰρ Ἀρχιερεῖς προσῆκεσαν τῶν πραγμάτων, *Sacerdotes enim primarii rebus præerant*. Quare utroque collato invicem loco, dicere præstat Josephi opinione a Pontificibus ita Rempublicam administratam fuisse, ut in consilii tamen societatem, regiminisque subsidium alii quoque præcipuæ dignitatis, auctoritatisque Sacerdotes adsciti fuerint. Igitur extitisse Curiam ejusmodi sub Synagogæ M. nomine non dubium est Judæorum universitati in *Pirke Abboth* cap. 1, in *Juchasin* fol. 13, Maimonidi in præfat. *Manus fortis*, Abarbaneli præfat. in *Nachalat Abboth*, R. Davidi Gantzio in *Zemach David* ad an. 3413, &c., ac ingenti Christianorum numero, Genebrardo in Chron. ad an. M. 3638, Huetio Demonst. Evang. prop. 4. cap. 14. de Can. lib. Sacr. n. 3, Meyero in *Seder Olam* p. 1076, Joh. Drusio Observat. Sacr. lib. 16. cap. 23, Joh. Buxtorfio in Tiberiade cap. 10, Hottingero Thes. Philolog. lib. 1. cap. 2, Seldeno de Syned. lib. 2. cap. 16. §. 6, aliisque longe plurimis. Et negari certe nequit, quin & ab Esdra, & a Nehemia ad Ecclesiasticam disciplinam restaurandam, reformandosque Mosaicæ legis ritus, in adjutorium, laborisque societatem alii fuerint adhibiti, dignitate, sapientiaque præstantiores viri, ac præsertim Familiarum Principes, quorum alioqui consilio in administranda Republica res magni cujuspiam momenti gestas fuisse discimus ex Esd. cap. 9, v. 1, & Nehem. cap. 5, v. 7, & cap. 8, v. 13; Magistratus etiam, ac Judices oppidatim ab Esdra constitutos adparet Esd. cap. 10, v. 14, multoque minus dubitare fas est, quin post Esdræ, ac Nehemiæ fata Judaicum aliquod substiterit Forum, ac Tribunal, in quo causæ cum Ecclesiasticæ, tum Civiles dijudicarentur, & a quo belli, ac pacis decernerentur fœdera. Et sane Dicasterium ejusce modi ex Sacerdotibus, ac Senioribus adhuc sub ætatem Christi D. obtinuisse liquet ex Matth. cap. 26, v. 14, & 59, Marci cap. 14, v. 53, &cap. 15, v. 1, Lucæ cap. 22, v. 66, Johan. cap. 11,

v. 47, & Actor. cap. 4, v. 5, 15, cap. 5, v. 21, 27, 34, 41, cap. 6, v. 15, cap. 22, v. 30, & cap. 23, v. 1, aliisque seqq. Ex quibus, & illud patet sicuti Synagogam, sive Synodum, sic & Synedrium ex Sacerdotibus, & Laicis olim coaluisse, ita tamen, ut potissima apud Sacerdotes potestas staret, velut etiam docet Maimonides in Sanhedrin cap. 2, aliique in Gemara Codicis *Megilla* fol. 2, & in Pirke Abhoth cap. 1. §. 1, ostenduntque Schickardus de Jure Reg. Hebr. cap. 1. Theor. 2, Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 8, ac Ligfoothus in Horis hebr. To. 2. p. 371, non vero ex solis dumtaxat Sacerdotibus, ut visum est Goodvvino in *Moyse*, & *Aaron* lib. 5. cap. 1. p. 389, Ravanello in Bibliot. V. *Synedrium*, Leusdeno in Philolog. hebr. diss. 50. p. 338, ac Stephano Moynio in Not. ad Varia Sacra p. 98, & 337. geminum distinguenti apud Judæos Tribunal, rebusque seorsim præfuisse qua Synedrium, qua Synagogam opinanti, qua de re etiam Rau in Diatriba de Synag. M. part. 1. cap. 1. §. 16, & par. 2. sect. 3. cap. 1. §. 6, cujus mitto cetera levioris momenti, quæ part. 3. sect. 3. magno verborum apparatu contra Synagogæ M. existentiam ἐπιχειρήματα persequitur; Carpzovius item ad Goodvvini lib. 1. cap. 5. §. 17. p. 99, seq., ad lib. 5. cap. 1. §. 6 p. 552, seqq., & in Critica Sacr. par. 1. cap. 5. §. 9, existimans a Synedrio graviores Religionis causas, belli, & pacis fœdera, Regiminis quoque publici rationes tractatas fuisse, litesque per appellationem ad ipsum translatas, a Synagoga vero in Religionis dumtaxat puritatem inspectum fuisse, in Codicis Sacri integritatem, in Vitæ Sanctimoniam, morumque censuram inquisitum.

Sicuti vero de re ipsa, officioque Synedrii, & Synagogæ certa statui nequit sententia, sic neque de ætate, numeroque Adsessorum utriusque inter Doctos satis convenit, nec expeditum est definire. Synedrium igitur a Moyse institutum, a Josaphato instauratum, sub ipsa Babylonica captivitate mansisse, donec facta a Persarum Regibus redeundi potestate, aut prima vice, Duce Zorobabele, Judæorum parti magnæ ad lares patrios referre pedem, Temploque denuo resuscitando manum apponere licuit, aut posterius sub Esdra Hierosolymam translatum, sub Synagogæ M. nomine fuisse redintegratum tenent universim Judæi in Talmud Hierosolym.

lym. *Megilla* fol. 2, & ibid. Reſchius, in Targo Cantici Cant. cap. 6. v. 1, in Tract. *Sanhedrin* cap. 5, in *Pirke Abhoth* cap. 1. §. 2, in *Zemach David* ad an. 3413, & ibid. Gantzius &c., deficiſſe tandem in Simone Juſto convenientes. Etſi in annum ab inſtaurato Templo 40. ejuſdem Synagogæ epocham, ſive translati Synedrii exordium rejicere non dubitavit R. Iſaacus Sangatus in Dialogo cum Regulo Cozaræorum par. 3. n. 65. Judæis autem hac in re quidem adſtipulari non verentur ex Chriſtianis Genebrardus ad an. M. 3638, Goeſius in *Pilato Judice* animad. p. 4, ſeqq., Surrehuſius in *Miſnam* To. 4. tit. *Sanhedrin* in præfat., Brunus in Bened. 12. Patriarch. p. 82, Ferrandus Reflex. in Relig. Chriſt. To. 2. p. 26, Bartholocius Bibl. Rabin. To. 4. p. 2, Ligfoothus To. 1. in deſcript. Templi cap. 22. p. 610, aliique. Contra Oſiander, & Coccejus in Obſerv. ad Grotium de Jure B., & P. lib. 1. cap. 3. §. 20. Synedrium poſt Joſve deſiiſſe ſtatim, nec ante reditum Nehemiæ inſtauratum arbitrantur. Nam ejus loco Judices Populo jus dixiſſe, ac Reges deinde ex Regum, ac Judicum libris arguere ſe autumant. Goodvvinus viciſſim *de Moyſe, & Aaron* p. 413. Synedrium manſiſſe uſque ad Herodem, a quo ſublatum, Joſepho teſte Antiq. Jud. lib. 14. cap. 17, a Gabinio, poſtquam ſubacta a Pompeo Judæa, & in Provinciam redacta eſt, Syriæ Præſide inſtauratum denique fuerit, perſuaſum habet. Parum hinc abſunt Pſeudo-Theologus Batavus, is eſt Joh. Clericus, in epiſt. 10. reſp. epiſt. 7, & Baſnagius hiſt. Jud. To. 6. par. 1. edit. Hagæcom. 1716. cap. 1. de Syned., & To. 1. Antiq. Judaic. p. 72, in ea opinione verſati, ut putent Synedrium utique poſt Moyſis obitum ſtatim deſiiſſe, ſed a Gabinio demum in quinque Palæſtinæ Urbibus, Hieroſolymis, Amathuntæ, Jericho, Sephoræ, & Gadaræ fuiſſe reſtitutum, quorum potius haberetur illud, quod principe in Urbe fuerat excitatum. Verum horum conjecturas pridem evertit Petavius Doctr. Tempor. lib. 1. cap. 27, eique demum victas dare manus Baſnagius haud renuit. Tum quia difficile admodum fit, quod Dicaſterium recens ab Ethnico Præſide inſtitutum tantæ confeſtim apud Judæos adeo ab Ethnicorum inſtitutis abhorrentes auctoritatis evaſerit, tantaque in reverentia fuerit habitum, ut de Religionis negotiis omnibus defi-

niendi sibi facultatem adsumeret, veluti persæpe factum sub Christo D., & Apostolis ex paullo superius Evangelii, & Actorum locis factum est planum. Tum quia Synedrii mentio passim occurrit apud Paraphrastem Chaldaicum Exodi cap. 15, Ruth cap. 4, Psalm. 107, v. 32, & Psal. 122, v. 5, qui Christi D. ætatem facile superavit. Tum quia sub Machabæis supremum quemdam Senatum obtinuisse liquet ex 1. Machab. cap. 5, v. 16, cap. 9, v. 28, & cap. 12, v. 6: quem alium non fuisse a Synedrio, quod a Juda, vel a Jonathamo instauratum autumat ideo Basnagius cap. 4, indeque Synagogæ nomen eidem inditum pronum est putare. Quibus junge cum pleraque ex Evangeliis, & Apostol. Actis paullo superius designata loca, ex quibus adparet Dicasterium apud Judæos, forumque judiciale ea adhuc sub ætate viguisse, illud sive Synedrium, sive Synagogam, sive Synodum dici malis, tum perennem Judæorum de Synedrii antiquitate, & duratione traditionem, cui plane non est, cur fides detrahatur. Denique de Synedrii distinctione a Synagoga dissentiunt viri docti, quorum aliis, uti Seldeno de Syned. lib. 2. cap. 16. §. 6. unum idemque visum est Tribunal, aliis vero cum Judæis in Talm. Hierosolym. *Megilla* fol. 17, seq., & in Talm. Babyl. *Joma* fol. 69, Gantzio in *Zemach David* ad an. 3413, &c., tum Christianis Meyero in *Seder Olam* p. 1076, Goodvvino lib. 5. cap. 1. §. 6, Carpzovio ibid., & in Crit. Sacr. par. 1. cap. 5. §. 9, Vitringæ de Synag. Vet. par. 1. lib. 1. cap. 7, & lib. 2. cap. 9, seq. &c. Synedrium ex numero saltem distinguere a Synagoga placuit: nam illius Judices 70. erant, istius adsessores ad 120. evaserunt, quos tamen non omnes simul, sed successive Judiciis interesse consueviſse censent. Subjungunt post Urbis cladem alteram fuisse Regiminis Judaici faciem, aliamque Judiciorum formam induisse: nempe Synedrii, vel Synagogæ loco successisse Concilium Sacerdotum, de quo liquido Evangelia, & Apost. loquuntur Acta: quique Synedrii Princeps erat, Scholæ Judaicæ Rectorem evasisse, qui vero Dicasterii Pater, ad privati Judicis, litigantium partes componentis, gradum fuisse detrusum. Sed hac de nomine lite paginam implere non opus est.

Propius igitur ad Sacerdotum Judæorum, ac Pontificis quammaxime officium, Judiciariamque potestatem accedendo, prætero-

ritoque

ritoque ſermone de precibus, de Sacrificiis, deque doctrina, circa quæ potiſſimum occupari illos conſueviſſe liquet ex Deut. 17, 9, 2. Chron. 17, 8, ſeq., cap. 19, 8, Eſdr. 7, 10, Hier. 36, 6, Pſal. 45, 2, Matth. 9, 3, c. 26, 3, c. 57, 59, Luc. 5, 17, 21. &c., indubium eſt hanc Civili haud fuiſſe obnoxiam, imo ſupra Civilem excelluiſſe, atque in Civilem imperium exercuiſſe. Enim vero coaluerit etſi ex Sacerdotibus, Populique Senioribus Judæorum ſive Synedrium, ſive Synagoga, præ Senioribus attamen potiores circa res ipſas Civiles Sacerdotibus, ac Pontifici quammaxime partes accreviſſe dubitare non ſinunt cum Veteris, tum Novi Teſtamenti ubique paginæ, ſuperius indicatæ, quibus jungendæ Matth. 23, 6, Marc. 12, 38, Luc. 11, 43, & 20, 46, ibidemque conferendi vel Camero in Myrothecio, ubi de Clave Scientiæ, Scultetus Exercit. Evang. lib. 1. cap. 54, & Scaliger elench. trihær. cap. 11. Atque generatim utique Sacerdotes dignitate ipſo honoratiores Principe, officioque præſtantiores habitos fuiſſe, cum multis aliis ex locis, tum diſtinctim ex Levit. cap. 4, v. 3, ſeqq., quo Sacrificium pro Sacerdotis ignorantiis Principis Sacrificio præfertur, rite colligunt Theodoretus in Levit. Q. 1, & Procopius ibid. Sed enim Synedrii, ſive Sacerdotum poteſtas in pœnarum qua Spiritualium, qua Corporalium irrogatione elucebat. Atque quod ad primum attingit caput, triplex Excommunicationis genus erat, de quo R. Gerſom apud Buxtorfium de ſcribendi modo Epiſt. hebr. p. 59, R. Elias Levita in *Thisbi*, & Maimonides in Talmud *Thora* capp. 6, & 7, ex Legis interpretatione. 1. *Niddui*, qua immundi, velut abominandi, ab hominum contubernio, civilique ſocietate, ad tempus lege indictum, abigebantur, quin tamen a Templi ingreſſu prohiberentur, veluti dicitur in Cod. *Middoth* cap. 2, & in *Horae Chaim* cap. 359, unde ſic ſeparati Judæis dicebantur *Menuddah*. Quam 24. ob cauſſas infligi conſueviſſe notat Maimonides in doctrina Legis capp. 6, & 7; duraſſe vero dies 30, quibus elapſis, niſi ea irretitus reſipiſceret, ad dies 60. geminari ſueviſſe, poſt quos in crimine pertinax 2. Excommunicationis ſpecie plectebatur, legitur in Cod. *Moed Katon* fol. 16, & in *Megilla* cap. 3. Species 2. *Cherem* dicebatur, qua Eccleſiaſtico a Cœtu, ſive a Synagoga cum maledictione, diriſque excludebantur in crimine

mine obdurati, eisque Templi quidem ingressus permittebatur, sed per sinistram dumtaxat portam, ut habetur in Cod. *Middoth* cap. 2., in *Jore Dea* n. 33, ac tradit Maimonides in *Madda* cap. 7. Ceteris gravior 3. species erat *Schamma*, eratque a Republica, & Ecclesia totalis, ac finalis expulsio, qua pridem abscissus, nec ad cor regrediens ad æternam adjudicabatur mortem, solius Dei judicio reservatus, veluti legitur in Cod. *Moed Katon* p. 17, memoratque R. Elias in *Thisbi* apud Buxtorfium in Lex. p. 2463. Quamquam ita excommunicatis absolutionis aditum adhuc patuisse fertur in Cod. *Cholin* fol. 132, in *Moed Katon* fol. 26, & in *Nedar* fol. 8. Verum hanc tertiam haud secretam ab Excommunicationis 2. specie fuisse opinio fert Eruditorum receptior, adeo ut apud Judæos duplex, Major ideſt, & Minor, dumtaxat, una Civilis, altera Ecclesiastica, *Niddui*, & *Cherem* esset, atque utriusque exemplum exhiberi Genes. cap. 4, v. 14, & 16, & cap. 17, v. 14 &c., qua de re fusius præter Judæorum Magistros præcit., Bonav. Cornel. Bertramus de Republ. Hebr. cap. 2, Theod. Beza in Joh. cap. 9, v. 22, Constantinus L'Empereur in Not. ad Bertramum Crit. Sacr. Tom. 6. p. 751, seq. edit. Francof. 1696, Ludov. Capellus ad cit. S. Joh. locum, Mercerus apud Pagninum in Lex., Cochius in Excerpt. Gem. Sanhedrim cap. 1. §. 9, Seldenus de Jure Nat., & Gent. lib. 4. cap. 8, seq., & de Syned. lib. 1. cap. 7, Goodvvinus de Moyse, & Aaron p. 394, seqq., Reisius ibid., Henr. Otto Lex. p. 179, seqq., Ligfoothus Tom. 2. p. 888, seqq., Leusdenius in Philolog. hebr. p. 341, Buxtorfius in Lex. p. 1303, 2463, seqq., Drusius Q., & Resp. lib. 1. q. 9, Carpzovius ad Goodv. lib. 5. cap. 2. §. 1, seqq., Bartholocius Tom. 3. p. 415, ac Tom. 4. p. 454, seq., & Cherubinus a S. Joseph Bibl. Crit. Tom. 1. de Excom. art. 8, ubi sect. 4. ex Buxtorfio, & Bartholocio formulas exhibet, quas usurpare in Excommunicatione ferenda Judæis solemne erat, de quibus etiam Seldenus de Jure N., & G. lib. 4. cap. 7. p. 524, seqq.

De potestate nunc Corporales infligendi pœnas, qua Judæorum Sacerdotes potiebantur, loquendo, de Tribu, de Propheta, de Pontifice judicium ferre soli Synedrio, non etiam Regi, fas erat, ut habent Maimonides in *Sanhedrin* cap. 5, Sigonius de Republ. Hebr.

Hebr. lib. 6. cap. 7, & Grotius de Jure B., & P. lib. 1. cap. 3. De Regibus quoque Judæ quidem, etſi non Iſraelis, judicare Synedrio licuiſſe docent Talmudici in Gemara Hieroſol. Cod. *Sanhedrin* cap. 2. fol. 20, & Maimonides in *Helac Melachim* cap. 3. Quin etiam, niſi de Synedrii ſententia, conſtitui Rex nequibat, teſte Maimonide in *Melachim* cap. 1, & in *Sanhedrin* cap. 5, de bello quoque arbitrario decernere Synedrii fuiſſe tradunt Maimonides in *Melachim* cap. 5, & Obedias Bartenorius ad *Sota* cap. 8. Jam vero pœnam Carceris, Capitiſque judicium in cauſſa quammaxime hæreſis ad Synedrium pertinuiſſe liquet ex Act. 9, 2, quo Saulus a Principe Sacerdotum facultatem, quæ tam ipſi propria erat, quam toti communis Synedrio, ut ex Act. 22, 5. patet, Chriſtianæ fidei profeſſores in vincula conjiciendi legitur impetraſſe, atque ex Deuter. 17, 11. probat Maimonides in *Mamrim* cap. 1. Judicium etiam de homicidio Synedrio tribuunt Judæi in Cod. *Sanhedrin* cap. 9, & Maimonides in *Rotſeach* cap. 2. Etſi contradicant Cod. *Chetubboth* fol. 30, Cod. *Bava Metzia* fol. 82, Cod. *Machot* fol. 7, *Sanhedrin* fol. 32, & Cod. *Avoda Zarah* fol. 8, qua de pœna Goodvvinus lib. 5. cap. 7, ſeqq., Leuſdenius in Philolog. hebr. diſs. 47. p. 323, Ligfoothus Tom. 2. p. 370, ſeqq., Henr. Otto in Lex. p. 618, Bartholocius Bibl. Rabb. Tom. 2. p. 577, Cherubinus a S. Joſeph Bibl. Crit. Tom. 1. par. 2. diſp. 1. art. 1, &c. Pertinuiſſe combuſtionis pœnam, eamque decem graviores ob cauſsas infligi conſueviſſe tradit R. Moyſes Cotzius in *Sanhedrin* cap. 9, cujus etiam habentur exempla Gen. 38, 24, Levit. 20, 14, & 21, 9, Joſv. 7, 15, ac Jud. 15, 6. Pertinuiſſe & lapidationis pœnam, eamque octodecim ob criminum ſpecies irrogari ſolitam docet idem R. Moyſes Cotzius in *Sanhedrin* cap. 7, qua de pœna expreſsa ſunt loca Exodi 19, 13, Levit. 20, 2, 16, 27, & 24, 23, Num. 15, 35, Deuter. 13, 10, ac 17, 5, & 21, 20, Joſv. 7, 25, & 3. Reg. 21, 13. Flagellationis quoque pœnam infligere ad Synedrium pertinuiſſe, & quidem 27. ob flagitiorum genera, ex Tract. *Maccboth* cap. 3. refert Leuſdenius in Philolog. hebr. p. 337: qua in infligenda pœna uti Judæos conſueviſſe flagello tribus loris vitulinis conſtante, ac 13. ictibus plagas 39. infligente, teſtatur Joſephus Antiq. Jud. lib. 4.

lib. 4. cap. 8, ex cit. vero *Macchoth* obſervant Leuſdenius p. 335, Ligfoothus Tom. 2. p. 677, Druſius in 2. Corinth. 11, 24, Goodvinus de Moyſe, & Aaron p. 437, Buxtorfius in Synag. Jud. cap. 25, &c. Mitto ceteras levioris momenti pœnas, ex ſupradictis enim ſatis patet, ſuperque, quæ, quantaque Synedrio poteſtas ineſſet.

Quæ vero communis erat Synedrio, eadem Sacerdotum Principis, qui omnium in ſe complectebatur officia, ut advertit Grotius in Matth. 5, 22, adeo propria erat poteſtas, amplior quin etiam, ut per ſe met, quæ poteſtatis illius fines intra, & extra poſita eſſent, præſtare valeret. Quamvis enim Synedrii Principem non ſemper fuiſſe Pontificem M., quod perſuaſum habuere Baronius ad an. 31. n. 10, & Meuſchenius in Diatriba de Pontif. M. directore Synedrii, darerur ultro Schvarzkpfio in Nov. Teſt. ex Talmude illuſtrato p. 1184, ſeqq., Seldeno de Syned. lib. 2. cap. 15. §. 14, Caſaubono Exerc. 13. in Baron., Montacutio Analect. Exercit. 6. ſect. 5, Goodvvino Antiq. Cod. Sacr. lib. 5. cap. 1. §. 6, & Carpzovio ibid. in Annot., eo potiſſimum momento ſuffultis, quod teſte Davide Ganizio in *Zemach David* ad an. M. 3725, Synedrii Princeps ex familia David ſemper fuerit, teſtata res tamen eſt cum ad Synedrium Pontificem M. ſemper pertinuiſſe, tum de cauſſis in Synedrio agitatis certiorem eumdem fieri debuiſſe, ex Deuter. cap. 17, v. 9, & Joſepho Antiq. Jud. lib. 20. cap. 8. referente ab Anano Pontifice, Synedrio ſuam in ſententiam coacto, nec intercedente Synedrii Principe, Jacobum cognomento *Juſtum* neci fuiſſe traditum. Sed enim quod ſupra Synedrium Pontificis M. dignitatem, poteſtatemque altius evehebat, conjunctio erat Sacerdotii, & Imperii. Atque ſub Judicum ætate quidem præ Synedrio potioribus in adminiſtratione Judaicæ Reipublicæ partibus defunctos fuiſſe Pontifices multis oſtendendum adſumpſere Spencerus de Legib. hebr. Ritual. in diſſert. de Theocratia Jud. lib. 1. cap. 1. ſect. 3, & Hobbeſius de Cive cap. 16. §. 14, ſeq. Nempe dum adhuc Divino ſub regimine Judæorum Reſpublica integra ſtaret, Pontificis M. imprimis opera, tanquam Suffetis, ſive Proregis imperium Deus ipſe exercebat. Hinc Numer. cap. 27, v. 21. ad Eleazari verbum egredi, & ingredi

gredi tam Jove, quam Israel omnis jubetur, hoc est, ei obedire, atque Deuter. cap. 17, v. 8, seqq. in ambiguis rebus, difficilibusque adeundus Pontifex M. Judæis præcipitur. Er hac de causa *Pectorale Judicii*, non Judicum alicui, sed uni Pontifici singulari privilegio traditum legitur Exod. cap. 28, v. 30, quod ille scilicet primarius esset in regimine publico Dei administer, ac præcipuus Judiciorum, ac litium arbiter. Qui ideo, dum Res. publica dubiis torqueretur sententiis, Deum consulere per *Urim*, ac *Thummim* deberet, quid tum facto opus esset, velut habetur Jud. cap. 20, v. 18, 27, seq., quæ demum Oracula sub Regibus desiisse, idest sub ultima Davidis, aut prima Salomonis tempora, quum nempe Theocratia illa, sive Divinum Imperium ad extrema venisse visum est, autumat Spencerus disert. 7. de *Urim*, ac *Thummim* lib. 3. cap. 7. Hinc potissima ratio petenda, cur Deo Judaica Respublica *Regnum Sacerdotale* Exod. 19, 6, vel ut recitatur 1. Petri 2, 9. *Sacerdotium Regale* dicenda placuerit: quod nempe Pontifices Summos Regni Judices destinasset. Cujusce destinationis ea quoque facilis suberat, pronaque ratio, quod ii legum scientia, probitareque morum cæteris præstantes, Populo juxta præscriptarum legum formam instituendo, regendoque idonei magis essent, aptioresque. Atque hæc causa fuit, cur Philo lib. de Creat. Princip. de Principis, aliorumque Judicum officio verba faciens, in more positum adfirmarit, ut perplexæ causæ, dubiæque ad Sacerdotes, ac Pontificem ablegarentur: cur Josephus lib. 2. contra Appion. p. 1379, seq. postquam Deum ipsum Reipublicæ Judaicæ Rectorem immediatum statuisset; indeque ejusdem statum longe ceteris excellentiorem ostendisset, Dei vice Pontificem M. rei Civili curandæ, procurandæque fuisse præfectum concluderet: cur denique Synesius epist. 57, & 121. historiæ cum sacræ, tum exoticæ monumentis edoctus scripserit: *Hebræi*, & *Ægyptii* (quos apud posteriores utique Pontifex M. supremi Dicasterii præses erat, inque signum Judicis supremi, cujus defungebatur officio, gemmam ἀλήθεια dictam gestabat, qua de re Witsius in Ægyptiacis lib. 3. cap. 11. p 258.) χρόνον συχνὸν ὑπὸτῶν Ἱερέων ἐβασιλεύθησαν, *longo tempore Sacerdotum Regalium imperio usi sunt*. Itaque Pontificem M. Sacerdo-

tis, ac Judicis ſupremi partes ſuſtinuiſſe, in ejuſque perſonam utramque Sacerdotii, & Imperii præfecturam coaluiſse, niſi Deus extra ordinem Judicem excitaſſet, quo ſublato rerum ſummam ad Pontificem rediiſſe, concludunt Spencerus diſsert. 7. de *Urim*, & *Thummim* lib. 3. cap. 6. ſect. 3, & Seldenus de Syned. lib. 2. cap. 15. §. 12. Poſt reditum a Babylonica ſervitute, reſtaurato fœdere, reſtitutum quoque fuiſse *Regnum Sacerdotale*, quale fuerat ad initium Regum, obſervat Hobbeſius de Cive cap. 16. §. 17, atque manſiſse uſque ad Herodem in Aſsamonæis ex Joſepho paullo ſuperius indicatum eſt. Confer interea, quæ de Jaddo Pontifice M., ſuis ut Principe imperante, ab Alexandro M. habito tradit Joſephus Antiq. lib. 11. cap. 1, & quæ de Onia pariter, ut Judæorum ſupremo Principe agnito ab Oniare, ſeu Areo Lacedæmonum Rege referuntur lib. 1. Machab. cap. 12, v. 20, & a Joſepho lib. 13. cap. 8. Quæ, & quanta in Principes ipſos Pontificis M. fuerit poteſtas, jam paucis, ut fieri poterit, inquirere præſtat. Itaque peculiare illud Pontificis fuiſse, ut abſque ipſius, ac Senatorum ſententia nihil Rex agere momenti adgrederetur, memorat Joſephus apud Sigonium de Republ. Hebr. lib. 6. cap. 4. Peculiare illud quoque, ut in Regum cauſſis Pontifex ſolus teſtimonium proferret, habetur in Gemara Babyl. tit. *Sanhedrin* cap. 2, traditque Maimonides in tract. *Aidoth* cap. 1. §. 3, & cap. 11. § 9. Qua de re videndi, ſi licet, Samuel Petitus Lect. variar. cap. 16, & Seldenus de Syned. lib. 2. cap. 13. §. 11. An judicium præterea de Regibus proferre fas Pontifici M. fuerit, dubium, ac lis eſt inter Doctos. Proedriæ ratione, poteſtatiſque Synedrio licuiſse de Regibus judicium ferre perſuaſum Baronio ad an. 32. n. 11, quam in Reges facultatem Pontifici quoque facit ad an. 57. n. 36, atque Lorino ad Num. cap. 11, v. 16. fuit. Contra Caſaubonus Exercit. 13. §. 5, & Seldenus de Syned. lib. 2. cap. 10. §. 6. id juris Pontifici denegant, auctoritate, non multi alioqui roboris, innixi cum Miſnæ tit. *Sanhedrin* cap. 2, tum Talmudis in *Maſſechet Hiſſaned Perech* cap. 2, ubi de Pontifice dicitur quidem: *Judicat, & judicatur, teſtimonium perhibet, & teſtimonium adverſus illum admittitur, diſcalceat, & diſcalceant pro Uxore ejus*: (quibus poſtremis verbis locus indicatur Deuter. cap. 25, v. 9, ubi

ubi Divino juſsu Mulieris jus ſtabilitur Leviri calceamentum ſolvendi, qui poſteritatem Fratri, nominiſque memoriam excitare renueret: quo de Ritu, aliiſque huicce finitimis multa & tradit, & turbat Carpzovius diſsert. 3. de Diſcalceat. Relig.); de Rege vero contrarium dicitur: *Non judicat Rex, nec de illo judicatur*: quibus adſtipulatur R. Barnachmoni in Talmude tit. *de Judicibus* ſic habens: *Nulla Creatura judicat Regem, ſed Deus benedictus*. Negari tamen nequit legem hanc a Judæis haud inductam ante tempora Aſmonæorum, 170. annos ideſt ante Chriſti Natalem, ſive ante tempus Alexandri Jannæi, ut habetur ibidem in Gemara, & in Miſna, notatque Maimonides apud Seldenum de Synedr. lib. 2. cap. 14. §. 1; neque hanc legem in Regibus Juda locum habuiſse, qui *Judicabant*, & *Judicabantur*, ſed in Regibus Iſrael dumtaxat, uti habent Miſna in *Pirush*, Maimonides in *Helach Melachim* cap. 3, in *Sanhedrin* cap. 2, & Moyſes Mikotzi in præcept. affirmat. 97, apud Seldenum lib. 3. cap. 9. §. 2. Qui tamen §. ſeq. ex Jehuda in Gemara Babyl. ad tit. *Sanhedrim* cap. 2, ex Cochio in Excerpt. *Sanhedrin* cap. 2, ex Moyſe Mikotzi præcept. affirm. 115, ex Gemara Hieroſolym. ad tit. *Sanhedrin* cap. 2, & Jarchio ad Pſal. 17. Reges indiſcriminatim ab omni prorſus judicio immunes contendit, pro ſua laudans perinde ſententia Samuelem Petitum in Diatriba de Jure Principum Edictis Eccleſiæ quæſiro cap. 2, & Salmaſium in Defenſ. Regia cap. 2. in ea perſuaſione verſatos, quod etiam Synedrii legibus ſoluti Reges eſsent. Quamvis ſub Ariſtobulo, & ſequentibus Regibus uſque ad Herodem M. plurimum Synedrium potuiſse, neque ejus abſque conſilio, & conſenſu quicquam majoris, quod eſset, momenti, Regibus agere licuiſse haud diffiteatur. Cæterum Baronii ſententiæ ſuffragatur, ut jam innui, Grotius de Jure B., & P. lib. 1. cap. 3. §. 20, & ad Matth. cap. 5. p. 8. quædam cognitionum genera, qualia de Tribu, de Propheta, de Pontifice Regibus adempta manſiſse penes Synedrium integra adfirmans. Quod confirmat exemplo Prophetæ, qui a Regis Sedechiæ judicio poſtulatus ad Synedrii M. tribunal legitur Hier. cap. 38, v. 5, ac reſpondiſse Rex: *Ecce ipſe in manibus veſtris eſt: nec enim fas eſt Regem vobis quicquam negare*, ſive ut habet Textus hebræus: *Quia non Rex in vos poteſt quicquam*;

seu ut legit Græcus Ὅτι οὐκ ἐδυνάσθη ὁ βασιλεὺς πρὸς αὐτούς: *Quia non potuerit Rex adverſus eos*: Quem ipſum cum Græco Chaldæus, Syrus, & Arabs inferunt ſenſum. Quod vero ibi de Propheta dicitur, locum potiori jure habere in Tribu, & Pontifice adnotat Grotius. Facit & huc quammaxime celebre illud Joſephi Antiq. Jud. lib. 4. cap. 8. teſtimonium, quo Regis legem Deut. 17 latam exponens, ſcribit a Moyſe Populo dictum de Rege fuiſſe: Is, quiſque fuerit, plus Legibus, & Deo, quam ſuæ Sapientiæ tribuat; Πράσσέτω δὲ μηδὲν δίκα τὸ Ἀρχιερέως, καὶ τῆς ταις γερουσιαστῶν γνώμης, *Nihilque præter Pontificis, ac Senatus ſententia faciat*. Itaque hac ratione diverſas Rabbinorum conciliat ſententias Bacchinius de Eccl. Hier. orig. part. 1. cap. 2. §. 11, ſeq p. 120, ſeqq., quibus nempe Synedrii, ac Pontificis judicio Reges obnoxios affirmant, & negant, ut nempe qui affirmant, de Regibus loquantur ante captivitatem, qui profecto Synedrio, Pontificique ſuberant; qui negant, de Regibus poſt captivitatem accipi debeant, qui tum demum a Pontificum, & Synedrii poteſtate ſe ſe ſubduxerint. Quamquam & Salmaſio in Defenſ. Reg. cap 2, & Seldeno de Syned. lib. 3 cap. 9. puram eſſe, putamque fabulam indulſerim, qua fertur apud Talmudicos Regi eas in leges, quæ de Regis officio ſcriptæ erant, peccanti infligi verbera conſueviſſe, quæ tamen flagellatio omni prorſus infamia careret, a Rege in pœnitentiæ ſignum ultroci troque ſuſciperetur, qui ſuo & arbitrio verberibus ſtatueret modum. Nullo demum omittendum modo, quin obiter adnotetur, quod præcit. Deuter. cap. 17, v. 8, ſeqq. locum de ſuprema tam in Veteri Lege Pontificis M., ac Synedrii, quam in Nova Pontificis Rom., ac Synodorum generalium judiciaria poteſtate, cui ſtandum omnibus ſit, accipiendum non dubitarunt S. Cyprianus epiſt. 55. ad S. Cornelium, S. Baſilius in procœm. lib. de Moribus, Theophilus Alex. epiſt. Paſch. 1. ad Epiſcopos Ægypti, S. Hieronymus in Aggæi cap. 2, & in epiſt. ad Heliodor., S. Cyrillus Alex. lib. 13. de Adorat., Procopius Gazæus, & Rabanus in Comment., Synodi Pariſienſis ſub Ludovico Pio in præfat., Aquiſgranenſis ſub eodem Imperat. cap. 97, Germanica ſub Conrado Honorii III. Papæ Legato cap. 6, Lateranenſis ſub Leone X. Seſſ. 11, & Senonenſis decret. 3, & 6, Innocentius

tius III. Cap. *Solitæ* de Major., & Obed., Hadrianus VI. in Bulla adverſ. Luther., Henricus Gandav. Quodl. 6. q. 23, Joh. Bacco in Prolog. ad 4. q. 11. art. 4, Franc. Mayro Quodl. q. 11, Bertrandus Æduen. de Orig. poteſt. Eccleſ., Abbas Panorm. in cit. Cap. *Solitæ* &c.

Sed his jam dimiſſis, quæ ad unionem utriuſque poteſtatis in una, eademque perſona reſpiciunt, ut detur aſſequi demum, quatenus Sacerdotii, & Imperii diſcreta invicem fuerint jura, quove Pontificis M. loco poſita dignitas, ac poteſtas fuerit, non opus eſt utique ad Talmudicos confugere libros, liquido ſiquidem id adpareat ex 2. Paralip. cap. 19. v. 11, ubi dicitur: *Amarias Sacerdos, & Pontifex in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit; Zabadias filius Iſmahel, qui eſt Dux in Domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent*; & Zachar. cap. 6. v. 13, ſeq., ubi de Zorobabele dicitur: *Portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo*: Quodque ſimiliter Jeſu filius Joſedech: *Sacerdos erit ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos*. Ex quibus duobus, ut alia dimittam, Scripturæ locis viden, ut componi utraque poteſtas Civilis, & Eccleſiaſtica ad commune bonum promovendum & debeat, & poſſit, veluti declararunt S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 61, & S. Nicolaus I. epiſt. 32.! Viden etiam, ut Eccleſiaſtica poteſtati Civili obnoxia non ſit, ſed hæc potius illi ſubordinata, velut oſtendunt etiam Petrus de Marca de Concord. lib 2. cap 1, Fevretus tract. de Abuſu lib. 1. cap. 7, Duarenus de ſacr. Eccl Miniſtris lib. 1. cap. 2, Boſſuetius deſenſ. Declar. par. 1. lib. 1. cap. 33, Charlaſius de Libert. Eccl. Gallic. lib. 10. cap. 11 Quod ſane dictum de Pontificibus, ac Regibus Veter. Teſtamenti, quid demum prohibeat, cur de Regibus, ac Pontificibus Novi Teſt. dicatur? Dicatur quin imo quamvis in Veteri Teſtamento Pontificibus haud quidem fas fuiſſe in Regum Palatia, reſque introſpicere, contra vero licuiſſe Regibus res non modo Civicas Domi, Militiæque moderari, ſed religioſis etiam, ſactiſque ſe immiſcere, velut ex factis Moyſis (quem Sacerdotio etiam inſignem, diverſi tamen ab Aaronico generis, ſive extraordinario ex Pſal. 98. v. 6. affirment verius etſi Philo lib. 3. ejus vitæ, R. Kimchi, & Abenezra

nezra in cit. Pſalm., Auctor Conſt. Apoſtol. lib. 2. cap. 29, Origenes hom. 15. in Joſue cap. 19, S. Ephræm de Sacerd., S. Gregorius Nazian. Orat. 6. ad Nyſſen., Scriptor Eccleſ. Hierar. ſub nomine S. Dionyſii Areop. cap. 5, S. Hieronymus lib. 1. adverſ. Jovin., S. Auguſtinus in cit. Pſal., & q. 23. in Levit., Arnobius in eumdem Pſal., S. Leo M. epiſt. 92. vet. edit., Synod. Hiſpalenſis II. Can. 7, & Aquiſgranenſis ſub Ludovico Pio cap. 9, quibus adhærent S. Petrus Damian. epiſt. 16. cap. 9, Riccardus de Mediavilla in 4. diſt. 24. art. 5. q. 3. ad 5, Mayronius in Quodl. q. 11, Henricus Gandav. Quodl. 6. q. 23, Bellarminus Controv. lib. 1. p. 57, Didacus de Caſtillo, & Artiga de ornatu, & veſtitu Aaron. q. 1. p. 5, Bacchinius Eccleſ. Hier. Orig. par. 1. c. 2. § 6. p. 102, Seldenus de ſucceſſ. in Pontif. lib. 1. cap. 1, & de Syned. lib. 1. cap. 16, ac lib. 2. cap. 2, Burmannus, & Salchlinus de Salvatore a Paulo dicto Hebr. 3. 1. Theſaur. Theolog. Philolog. par. 2. To. 2. §. 7. p. 965, ſeq. edit. Amſtel. 1732. præter locum Pſal. cit., teſtimonio innixus Levit. 8, ubi Sacerdotis officio Moyſes defunctus legitur, negant attamen Calovius Bibl. illuſt. ad Pſal. 98, 6, Pfeifferus Dub. vexat. Cent. 3. loc. 77. p. 621, Dorſchæus in diſput. de Agno Paſch. §. 11, & Carpzovius in annot. ad Goodvvini lib. 1. cap. 5. §. 4. p 69, ſeq., qui præcit. locum Pſal. 98. vel non ad Moyſem, ſed ad Aaronem, & Samuelem tantummodo pertinere ſentit, vel Moyſem inter Sacerdotes recenſeri, qui Deum laudibus celebrent, non qui Sacerdotii fungantur officio, vel eo loci Sacerdotis nomine accipi Regiminis adminiſtros credit, quo ſenſu filii Davidis Sacerdotis nomine veniunt 2. Reg. 8, 18, & 1. Chron. 18, 17, velut etiam obſervat Schmidius in hunc locum) ex factis, inquam, Moyſis, Davidis, Salomonis, Joſaphati, Ezechiæ, Joſiæ &c. augurari forſan licet, atque ex Talmudicis inſinuare conatur Petrus Cunæus de Republ. Hebr. lib. 1. cap. 14. (iametſi factis iſtis obſtent exempla Saulis, cui vetitum thus adolere, mactareque victimas, & Oziæ, qui thymiama velut Sacerdos offerre auſus, a Deo lepra percuſſus legitur), dici nequit tamen in Novo Teſtam. ita Regibus in poteſtatis Spiritualis partes ingreſſum fuiſſe permiſſum, ut potius e contrario Pontificibus Sacrorum in ipſos Principes, ſi quando a Reli-

Religionis tramite deflecterent, animadvertendi facultas facta fuerit. Et in Christiana Republica quidem Imperii, & Sacerdotii invicem discriminatas fuisse dignitates, ac Potestates haud difficilis fateor, ita tamen, ut diffiteatur nemo, utrasque Religionis communi vinculo fuisse compaginatas, unam alteri quoad Religionis officia integre subjugatam, atque Ecclesiasticæ tam Jurisdictionem, quam Imperium, quod Civilis est proprium, adeo competere, ut & in Civilem exerere illud valeat, in unaque persona utraque dignitas, ac potestas coadunata haud immerito videri potuerit. Eccur enim, eccere, Christiana Respublica juxta Melchisedechi, qui Sacerdotii, & Regni simul insignia gessit, ordinem, idest sub Monarchiæ, ac Hierarchiæ ratione, a Christo D. constituta diceretur Hebr. cap. 7, unde ego moveor, ne Vitringæ in *Archi-Synagogo* ex Maimonidis commentis, & Leonis de Modena, neve Bacchinio in Orig. Eccl. Hier. adsensum præbeam Synagogæ formam in Christianam Ecclesiam fuisse translatam existimantibus, nisi in unam, eamdemque personam utraque & Regalis Moysis, & Sacerdotalis Aaronis potestas, dignitasque confluxisset? Hac item hercle de caussa & Regno Cœlorum sæpius Ecclesia comparatur in Evangelio, & Εὐαγγέλιον τῆς Βασιλείας Matth. 4, 23, *Evangelium Regni* cognominatur, & *Regale Sacerdotium* dicitur 1. Petri 2, 9, quia nempe Sacerdotes in Ecclesia & Jurisdictione, & Imperio, quæ duo Regum in administranda Republica adeo sunt propria, indutos Christus D, adauctosque voluit, atque Sacerdotali quinimo subordinari Regalem, subessequeque potestatem jussit. Sed hoc de argumento copiosius Articulo seq.

Præterito nunc igitur isto, quod ex Regiminis Ecclesiastici forma urgeri caput valdequam posset, progrediendum ad aliud, quod ex Religionis fine sic deducere instituo. Ergo, si veritate nititur, quo verius nihil utique ostendit Ant. Blancus de potest., & polit. Eccl. lib. 2. §. 17, & Illust. Tria lib. 1. cap. 5. 1. 2, seqq. adverss. Bodinum, Machiavellum, Jannonum &c., Rempublicam nempe perfectam in una Religione Christiana consistere, a qua sola dirigi ad æternam felicitatem homines possunt, & in qua sola, veræ ad bene, rectèque Rempublicam administrandam, atque tran-

tranquillam, beatamque transigendam vitam edocentur virtutes; quibus duobus ostendendis tendebant olim veterum Christianorum Apologiæ, Legationes, Institutiones Athenagoræ, Justini, Arnobii, Tertulliani, Cypriani, Lactantii, Minucii &c., sequitur inde, quod Reipublicæ leges Religionis Christianæ legibus nedum præponi non debeant, sed coaptari potius oporteat, a quibus proinde si abscedant, emendari, & abrogari etiam indigeant. Quod vero de legibus, idem de personis dicere pronum erit, deque potestate, qua funguntur utrinque. Et hanc in rem sane egregia S. Thomas utitur similitudine Opusc. 20. lib. 3. cap. 10: *Sicut*, inquiens, *Corpus per Animam habet esse, virtutem, & operationem*, (quod Aristotelis, & S. Augustini auctoritate corroborat): *Ita temporalis Jurisdictio Principum per spiritualem Petri, & Successorum ejus*. Quam perinde sententiam propriam sibi fecisse leguntur Hugo Vict. de Sacr. fid. lib. 2. par. 2. cap. 3, Alexander Halens. in expos. Can. Missæ V. *Papa*, Ægidius Rom. de potest. Eccl. par. 1. cap. 3, aliique de Schola Theologi, dum nempe Ecclesiasticæ tribuunt Civilem dirigere ad finem, Civilique Christiani Regiminis præscribere formam. Quare Gersonius potestatis Ecclesiasticæ alioqui non multus assertor, de potest. Eccl. consid. 12, eidem in Laicam *Dominium regitivum, directivum, regulativum, & ordinativum*, velut ipse barbare loquitur, adserere non dubitavit. Launojus quoque Principalium, si quis alter, Jurium vindex acerrimus, in Tract. de Regia in Matrim. potest. inficias haud ire sustinuit, quin Principum leges ab Ecclesiæ Pastoribus abrogari queant, si quidpiam decernere præsumant, *Vel contra Jus Divinum, vel contra Jus Naturale*. Quo ex principio facili, pronoque velut alveo fluit, Religionis curare res, ac procurare ita demum ad Pontifices intime pertinere, ut ab iis quoque dependere eos prorsus oporteat, quibus Reipublicæ curandæ partes demandatæ sunt: ita videlicet, ut pro Religionis incolumitate, quinimo pro ipsius Reipublicæ integritate, a supremo rerum Sacrarum Præside in ordinem redigi possit, qui rerum Civilium administrationi præest, si quando eum proprii extra juris orbitam excurrere contingat; neque recte proinde argumentatum Loysæum Des Seign. cap. 15. n. 4, dum æque Sacris in rebus Civili

vili præeſſe ſpiritualem, quam huic præſit illa in Laicis, inferendum adſumpſit. Præter quam vero, quod naturalis ratio ita poſcebat, ut quæ inferioris ſunt ordinis, iis proxime ſubordinentur, quæ ſuperiorem ad ordinem ſpectant; unde recte Plato dialogo 1. de Legib., *Humana ad Divina, Divina vero ad Mentem Principem referenda ſunt*, e re tam Reipublicæ, quam Religionis erat, ut quò arctius una alteri conglutinaretur, eò firmior, tutiorque utriuſque incolumitas, & unitas evaderet: Quod ita fieri rationibus utriuſque conducebat quammaxime. Namque ſi Regali Eccleſiaſtica iviſſet poteſtas obnoxia, Regibuſque fas ineſſet de rebus decernendi Eccleſiaſticis, ſiquidem frequentiſſima circa res Eccleſiaſticas exoriri dubia ſoleant, quis exinde futurum perquam facile non perſpiciat, ut pro ſuæ quilibet Princeps opinione diverſas in Provincia leges ediceret, diverſa ederet decreta? Quo nihil pejus ad Eccleſiæ unitatem peſſum mittendam, doctrinaſque in Eccleſiam inferendas diverſas, & adverſas: quæ tandem in Reipublicæ quoque vergerent diſcrimen, quod ex Religionum diverſitate, & adverſitate facile incumbere nemo, puto, non intelligit. Eo igitur meliori jure his incommodis a Deo O.M. conſultum eſt, optimaque ratione tam Religionis, quam Reipublicæ rebus proſpectum, unum in Eccleſia ſupremum conſtituendo Caput, cujus unius ſententiæ obtemperarent omnes, unitaſque eo modo integra ſervaretur. Atque ab hoc utique argumenti genere neque abhorruit Thorndicius Anglus Scriptor in Origin. Eccleſ. cap. 31, ut oſtenderet regendæ Eccleſiæ jus Regibus nullo modo a Chriſto D. fuiſſe conceſſum, neque congruum, expeditumque, ut concederetur unquam.

Age modo, ſepoſito naturalis rationis lumine, ad Sacrarum litterarum ineluctabilem auctoritatem Eccleſiaſtici Principatus ſupra laicam quamlibet poteſtatem elati, & a qualibet Laica potentia independentis Divina inſtitutio exigenda jam eſt. Sed enim in tanta, qua undique penes obruimur, Sacrorum Teſtimoniorum copia, habendus eſt delectus, iiſque paucis contentos eſſe oportet, quæ operæ pretium faciant, atque rem omnem efficaciſſime prorſus conficere ſufficiant. Illud itaque principii loco ponendum, ſtatuminandumque, quod in Chriſto D. miro quodam

nexu cum Sacerdotali conjunctam Regalem fuiſse poteſtatem obſervant paſſim ex utriuſque Teſtamenti paginis SS. Eccleſiæ Patres, velut ex Pſal. 131, v. 10. S. Irenæus lib. 3. cap. 9, Arnobius ibid., & S. Johannes Damaſc. lib. 4. de fide Orthod.; ex Pſal. 2. Tertullianus adv. Judæos cap. 14, S. Optatus Milev. lib. 2. adv. Parmen., S. Baſilius in Schol., & in epiſt. ad Amphiloch., Caſſiodorus in Expoſit. ejuſdem Pſal., Vigilius Tapſ. lib. 5. contra Eutychem, Titus Boſtrenſis in Luc. 1, Anaſtaſius lib. 5. Anagog., & S. Fulgentius in Arian.; ex Pſal. 71. S. Juſtinus in Dialogo cum Tryph. n. 34, & S. Gregorius Nyſs. in fragm. Bibl. PP. To. 3., ex Pſal 88. Euſebius ibid., S. Ambroſius lib. 3. in Luc. cap. 3, S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 12, & Euthymius; ex Matth. 1. S. Gregorius Nazian. in Carm. de Chriſti genealog., ex Matth. 2, 2. Theophilus Alex. in hunc loc., & Theodotus Ancyr. orat. de Nativ., ex Matth. 27, 11, & 28, 10. S. Hilarius in Pſal. 2. n. 24, ſeqq., & lib. 11. de Trinit. n. 29, ex Matth. 28, 18. S. Athanaſius contra Arian.; ex Luc. 23, 3. Arnoldus Bonævallis Abbas de Jejun., & tent. Chriſti inter Opera S. Cypriani; ex Johan. 8. V. Beda ibid.; ex epiſt. ad Epheſ. cap. 1. S. Joh. Chryſoſtomus homil. 3, Theodoretus ibid., in Pſal. 88, & in 1. Corinth. 15, S. Cyrillus de recta fide, & lib. 11. in Joh. cap. 15, S. Thomas ibid., & in cap. 1. ad Hebr., & in cap. 8, ac 19. Johan., S. Bonaventura in 2. diſt. 1. p. 1. art. 2, & Halenſis in 4. q. 8. mem. 5. art. 1; ex epiſt. ad Hebr. cap. 1. S. Auguſtinus in Pſal. 109, S. Proſper in eumdem loc., Theophylactus, & Primaſius ibid., & S. Maximus hom. 2. de Epiph., & S. Anſelmus ibid., ex cap. 2. ad Hebr. Ambroſiaſter in Comment., S. Gregorius M. homil. 13. in Ezech., Rupertus in Daniel. cap. 2, & Hugo Victor. q. 25, ſeq.; ex cap. 7: ad Hebr., & Rom. 1, 3. S. Epiphanius hæreſ. 29; ex 1. Petri cap. 2, 9. S. Bernardus in epiſt. 143. ad Conradum Imp.; ex Apocal. cap. 19, 15, ſeq. S. Gregorius Nyſſen. loc. cit.; & Richardus Victor. ibid. Quò igitur ab ea, quam ipſemet in vivis agens, regiminis formam geſſit Chriſtus D., alteram poſt obitum Eccleſiæ inditam ab ipſo fuiſse nefas eſt putare, eò perinde credere oportet ex Chriſti D. dignitate, inſtitutioneque Sacerdotalem, Regiamque ab Eccleſia poteſtatem adquiſitam fuiſſe, eamdemque ſupre-

ſupremo proinde, quo excidere nequiret unquam, auctoritatis, dignitatiſque faſtigio poſitam, adeo ut, quam vere dictum in perſona Vatis de Rege Chriſto Pſal. 2,6, ſeqq. *Ego autem conſtitutus ſum Rex &c.*, *Reges eos in virga ferrea &c.*, tam recte perinde ipſius in Regno velut ex aſſe Succeſſores futuros Principes Apoſtolos, & Epiſcopos, velut exponunt SS. Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus epiſt. 140. ad Principiam, Theodoretus, S. Cyrillus Alex. in Joh. cap. 23, Arnobius, Ruffinus, Andreas Cæſar. in Apocalyp. cap. 19, Procopius Gazæus in Gen. cap. 49, & Iſaiæ cap. 1, Euthymius, V. Beda &c., S. Hormiſdas in epiſt. ad Juſtinum, S. Gregorius M. in 1. Reg. cap. 2, & S. Nicolaus I. in epiſt. ad Michaelem Imp. Quod ipſum præciniſſe ſane Regius Pſaltes videtur Pſal. 44, v. 17. verbis illis: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem Terram*; velut ipſum de Apoſtolis primum accipiendum, atque de Epiſcopis perinde jubent S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Euthymius &c. in expoſit. Ex illuſtri altero Pſal. 109, ver. 2, ſeqq. *Virgam virtutis tuæ &c.* loco poteſtatem quoque coactivam in Eccleſiam a Chriſto D. fuiſſe transfuſam docere profecto non dubitarunt SS. Baſilius, Ambroſius, Chryſoſtomus in eumdem Pſal., Euſebius Demonſt. Evang. lib. 5. cap. 4, S. Auguſtinus de Civit. lib. 17. cap. 17, Euthymius, V. Beda ibid., Aymo in Apocalyp. cap. 2, aliique, quo de argumento fuſius Art. 6. Quid vero, quod ex eodem Pſal. v. 4. *Tu es Sacerdos* &c. Regnum, Sacerdotium, ac Prophetiam tam e Veteri ſub Adamo Eccleſia, quam e Judaica ſub Moyſe Synagoga in veram Chriſti Eccleſiam, ac Romanam quammaxime, cui vice Chriſti D. præeſt Roman. Pontifex, tranſiiſſe demum ſententia eſt apud ipſos Orientales Jacobitas receptiſſima, cujus ſe vadem Abrahamus Ecchelenſis de Orig. nom. Papæ cap. 26. ſemet exhibet? In his enim Jacobus Baradæus, alias Zanzalus, ex quo infauſtum Jacobitis nomen adhæſit, in Catecheſi, quæ Romæ ſervatur in Bibl. Maronitarum, tres illas notas Eccleſiæ Catholicæ, quam falſo tamen ſua reponit in ſecta, adſcribere non dubitavit, vere tamen Romanæ aptandas judicavit Geographus Nubienſis par. 2. Clim. 5, de Romana agens Urbe, quo de ſcriptore explicatiora infra. Sed enim ex Iſaiæ, & Jeremiæ

miæ vaticiniis expreſſiorem futuræ Eccleſiaſticæ Politiæ ſpeciem accipere juvat: Reges enim, & Regna fore, ut Eccleſiæ ſubjecta eant, non uno in loco prædixit uterque. Iſaias quidem cap. 49, v. 23. de ea loquens, *Erunt*, inquit, *Reges nutritii tui*, .. *Vultu in terra demiſſo adorabunt te* &c.; & cap. 60, v. 10, ſeq. *Reges miniſtrabunt tibi* &c., *Gens, & Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit* &c., quæ de obedientia, & obſequio a Regibus debito, ac dependendo perſpicua ſunt, & plana. Poſt quæ ſic pergit Sacer Vates ex verſ. Septuag. v. 17. *Dabo Principes tuos in pace, & Epiſcopos tuos in Juſtitia*; Δώσω τὰς Ἀρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ, καὶ τὰς ἐπισκοπάς σου ἐν δικαιοσύνῃ: Quem plane locum de Apoſtolis intelligendum volunt S. Irenæus lib. 4. contra hær. cap. 26. edit. Maſſuet., S. Joh. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, S. Cyrillus Alex., Ruffinus, Procopius in hunc loc., S. Proſper de prædict. par. 3. prom. 6, S. Leo II. in epiſt. ad Conſtantinum Imp., Synodi Byzacena in epiſt. ad eumdem Imp., & Nicæna II. Act. 6. prope fin., S. Leander Hiſpal., Julianus Pomerius lib. 1. adv. Judæos, S. Ildephonſus de Virg. B. Virg. cap. 7, Petrus Bleſenſis &c. Jam vero inſignis alter ex Jeremiæ cap. 1, v. 10. ſuppetit locus, ex verbis ſcilicet illis: *Ecce conſtitui te ſuper Gentes, & ſuper Regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*: Quæ dicta quidem proprie ad Chriſtum D. pertinere ex complurium ſententia docet S. Hieronymus in Comment., atque ita plane Chriſto D applicanda duxere Origenes hom. 1. in Jerem. n. 6, hom. 14. n. 5, & in Matth. Tom. 12. n. 9. pag. 522. Oper. To. 3. edit. Pariſ. 1740, S. Cyprianus lib. 1. contra Judæos, S. Ambroſius in Pſal. 43, S. Gregorius Nyſſen. lib. de incredul. Judæor., Rabanus in Pſal. 43, Rupertus in Comment. Jer. cap. 4, &c. De poteſtate vero Eccleſiaſtica, ac Pontificia quammaxime ſupra laicam præſtantiori accipiendum perinde locum perſuaſum habent ex Conciliis Conſtantinopolit. ſub Menna in Sent. contra Anthimum Act. 4, Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 10, & 11, ac Meldenſe ſub Carolo Calvo an. 845. in præfat., Eccleſia Orientalis in epiſt. Synod. ad S. Symmachum apud Baronium ad an. 512. n. 50; ex Pontificibus Johannes VIII. in epiſt. ad Baſilium Imp. apud Baronium ad an. 879. n. 24, S. Gregorius VII. lib. 6. epiſt. 12. ad Lan-

Landulphum, Innocentius III. ſerm. 1. de ſua conſecr., & ſer. 1. de S. Silveſtro, ac Bonifacius VIII. Cap. *Unam Sanctam* de Major., & Obed; ex Patribus, ac Latinis quidem S. Bernardus epiſt. 237. ad Eugenium III., S. Hildegardis in epiſt. ad eumdem Pontif., Petrus Bleſenſis ep. 144. Reginæ Angl. nomine ad Cæleſtinum III., V. Petrus Cluniac. lib. 6. epiſt. 29. ad Eugenium, Ambroſius Anſpertus init. Comment. in Apocalyp., S. Thomas Cantuar. lib. 3. epiſt. 79. ad Humbaldum Hoſtienſ. edit. Lupi Tom. 10. Oper., Willelmus Senon. lib. 1. ep. 82. ad Alexandrum III. inter epiſtolas S. Thomæ &c., ex Græcis vero Theophilus Alex. epiſt. 4. ad S. Epiphanium, S. Joh. Chryſoſtomus in Matth., Theodotus Ancyr. in Orat. contra Neſtorium in Synodo Epheſina habita apud Harduinum To. 1. par. 4. p. 1666, Georgius Patriarcha Antiochenus in Comment. cap. 16. Matth. apud Ecchelſenſem de Orig. nom. Papæ cap. 22, & Johannes Hieroſolym. in Synodica ad hononymum Conſtantinopolit. an. 518. ab Epiſcopis 30. Palæſtinæ ſubſcriptæ, ac Synodi Coſtantinopolit. ſub Menna Actioni 5. inſerta apud Harduinum To. 2. p. 1342, ſeq.; ex Theologis item Hugo Victor. Erudit. Theolog. lib. 2. tit. 28, & lib. 2. de Sacr. fidei par. 2. cap. 4, S. Thomas Opuſc. 20. de Regim. Princip. lib. 3. cap. 19, (ſi tamen germanus ejus eſt fœtus) Alexander Halenſ. par. 3. q. 40. memb. 2, Franc. Mayronus in Quodl. q. 11, Ægidius Rom. de poteſt. Eccl. part. 1. cap. 3, &c., ut mirari propterea valdequam ſubeat, cur poſt Ochamum de poteſt. Pontif. cap. 10. q. 1. Bonifacii VIII. Decretalem *Unam Sanctam* vellicare, ſollicitare, ac laceſſere Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ad Sæcul. XIII., & XIV. diſſert. 9. art. 2. non ſit veritus, quaſi S. Scriptura abuſus fœde Pontifex ſit, dum præfatum Hieremiæ locum proptiam in opinionem, remque, ſed prorſus alienam intorſerit. Jungendæ, quas Artic. ſeq. attingemus Ezechielis cap. 21, v. 26, & cap. 37. v. 22, Oſeæ cap. 1, v. 11, & Zachar. cap. 6, v. 11, ſeq. Prophetiæ de Sacerdotali, Regiaque in Chriſto D., in S. Petrum exinde confluxura, poteſtate. Quibus affinis eſt inſignis Prophetia altera Danielis cap. 2, v. 44, hiſce deſcripta verbis: *Suſcitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri Populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet*

ſumet univerſa Regna, & ipſum ſtabit in æternum. Quam probe de futura Chriſti D. Sacerdotali, Regalique dignitate, poteſtateque interpretari non dubitarunt Origines de recta in Deum fide ſect. 1. To. 1. pag. 818. edit. Pariſ. 1733, cui jam præceſſerat in ſententia S. Juſtinus in Dialog. cum Tryph. n. 86, Tertullianus lib. adv. Judæos cap. 14, Anaſtaſius Nicæn. q. 52, Hilarus Diac. in epiſt. ad Rom. cap. 9, S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 12, S. Hieronymus in Iſa. cap. 2, S. Auguſtinus tract. 4. in Johan., V. Beda in Iſa. 2, S. Idelphonſus de Virg. B. Mariæ cap. 7, Rupertus in Daniel. 2, aliique; de eadem vero dignitate, poteſtateque a Chriſto D. in Rom. Pontificem, & Epiſcopos transferenda intelligere pariter non ambegerunt, ex Græcis S. Ignatius in epiſt. ad Magneſ. n. 6, S. Irenæus lib. 5. adv. Hær. cap. 26, Auctor Conſtit. Apoſtol. lib. 5. cap. 20, S. Joh. Chryſoſtomus hom. 10. in Matth., Baſilius Seleuc. Orat. 1. de Incarn., Anaſtaſius Synaita lib. 9. Anagog. in Hexam., S. Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſt. 218, Philo Carpatius in 1. Cantic., &c., ex Latinis vero Tertullianus loc. cit., S. Hieronymus in Iſa. cap. 2, S. Auguſtinus in Pſal. 98, & tract. 9. in Joh., S. Felix IV. in epiſt. ad Epiſcopos, S. Gregorius M. lib. 6. ep. ad Eulogium Alex., Julianus Pomerius lib. 1. contra Judæos, Hadrianus 1. in Apolog. pro Synodo VII. ad Carolum M., Aymo in Apocalyp. lib. 2. cap. 4, & lib. 7. cap. 21, Anſpertus in Apocal. lib. 4, Guitmundus Averſanus de Corp., & Sang. Chriſti lib. 3, Otto Friſing. lib. 6. cap. 36, Dionyſius Carthuſ. in cit. Daniel. loc., S. Thomas de Regim. Princip. lib. 3. capp. 10, 12, ſeq., Durandus Meld. de Orig. juriſd. ad calcem, Bartholus in Extravag. *Ad reprimendam*, S. Johannes a Capiſtrano de poteſt. Papæ &c.

Cedo nunc mihi explicatiſſima ex Teſtamento novo Teſtimonia, quæ tamen, non ſecus atque prolata hactenus ex veteri Teſtamento eo demum accipi ſenſu velim, ut in Eccleſiam Reiminis Monarchici ratio inducta quidem intelligatur, atque cum Juriſdictione, & Imperio Ordo Epiſcopalis inſtitutus, non quaſi temporali Regum propria, directaque in Regum temporalia poteſtate induta Eccleſia inſuper æſtimari debeat. Quod ſane monere ſacrum mihi fuerat, ne agere fruſtra eorum inſtar ego putarer, qui Sacerdotii dignitatem tueri neſciunt, niſi ſua Regnum exſpolient.

lient. Imprimis igitur ex S. Paulo ad Hebr. 7, 11. egregium ſuccurrit illud, quo in unam, eamdemque Chriſti D. perſonam cum Sacerdotio translatum Regnum docet: *Neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedec alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici.* Ita nempe iter Synagogam, & Eccleſiam diſcrimen in eo poſitum indicat, quod tam ex Tribu Levi Sacerdotii, quam ex Tribu Juda Regni dignitatem, in eumdem poſtea, quem poſt ſe Eccleſiæ Primatem deſignabat, tranſmittendam, in ſemet adſumere Chriſtus D. voluit, fierique ideo Sacerdos ſecundum ordinem, non ſolius utique Aaron, ſed Melchiſedech, qui Sacerdotio, Regnoque ſimul fuit illuſtris. Atque hæc plane germana S. Pauli, aut ego fallor, ſententia Patribus viſa eſt, veluti S. Gregorio Nyſſ. hom. de occurſu Dom., S. Joh. Chryſoſtomo in hunc loc., S. Epiphanio hær. 55. de Melchiſ., ac 29. de Nazar., Hilario Sardenſi heic, S. Hieronymo epiſt. 116. ad Evangelum, Theodoreto in hunc loc., & in Pſal. 119, Theophylacto, Primaſio, Aymoni, ſive Remigio Antiſiod., S. Anſelmo ibid., Hugoni Vict. in hanc epiſt. q. 66, S. Petro Damiani lib. 7. epiſt. 9. ad Henricum III. Imp., Petro Lombardo, S. Bonaventuræ 2. diſt. 25. par. 1. art. 2. q. 3, aliiſque. Neque hinc procul abfuit S. Petrus, qui epiſt. 1. cap. 2, v. 9. de novæ Legis procul dubio ſupra Veterem, cui Exod. 19, 6. neque *Regni Sacerdotalis* denegatum legitur nomen, præſtantia loquens, *Regale Sacerdotium* in Eccleſia inſtitutum adfirmat, ita declarans utramque profecto dignitatem Sacerdotalem, ac Regiam, quæ in Judæorum Republica duas in Tribus diſcretæ erant, in unum, eumdemque Eccleſiæ univerſæ Pontificem, ex quo ceteri deinde inferiorum Eccleſiarum Præſules fierent participes, fuiſſe transfuſam. Quo ſane loquutum ſenſu S. Petrum accipere non dubitarunt Auctor Conſtit. Apoſtol. lib. 2. cap. 25, S. Leo M. in Nat. Apoſtol., & ſerm. 2. de ſua aſſumpt., S. Leo IX. in epiſt. ad Michaelem Cerular., & Leonem Acrid., Johannes VIII. in epiſt. 68. ad Lambertum Comit., Innoc. III. ſerm. de S. Silveſtro, & in expoſit. Pſal. 50, Synodus Aquiſgranenſis ſub Ludovico Pio cap. 4, Dydimus Alex. in hunc S. Petri locum, S. Hieronymus in præcit. epiſt. 116, S. Auguſtinus lib. 17. de Civit. cap. 4, Primaſius in cap. 7. ad Hebr.,

V. Be-

V. Beda, Œcumenius, Haymo in 1. Petri cap. 2, Petrus Blesensis serm. 5. habito in Synodo ad Sacerdotes, S. Bernardus epist. 40. ad Conradum Imp., S. Thomas de Regim. Princip. lib. 1. cap. 14, S. Bonaventura in 4. dist. 24. dub. 4, Riccardus de Mediavilla in 4. dist. 24. art. 1. q. 1, aliique de Schola Theologi illustres. Conferunt ad hæc confirmanda, quæ pariter habet S. Johannes in Apocalyp. cap. 1, v. 6, & cap. 5, v. 10, ubi Ecclesiam a Christo D. & Regno, & Sacerdotio insignitam prædicat, quæque plane de Sacerdotali, Regalique potestate in Ecclesiam translata intelligunt Scriptores Ecclesiastici passim in hunc locum, Victorinus, Primasius, Beda, Anselmus, Anspertus, Rupertus &c. Quæ omnia eò demum collineant, ut ostendant eo potiri, Christi D. beneficio, Ecclesiam imperio, quo & Imperiali dignitate præstet, & ab Imperiali potestate non dependeat. Atque hunc quidem Ecclesiæ Principatum supra Regalem extollere, verosque Principes agnoscere Ecclesiæ Præsules haud ambegere SS. Patres, in quibus S. Ignatius M. in epist. ad Trallian. n. 3, sic habet: ὁμοίως πάντες ἐντρέπεσθωσαν τον ἐπίσκοπον ὄντα τύπον τοῦ πατρός: *Cuncti similiter revereantur Episcopum, ut eum, qui est figura Patris*, Divini nempe; & in epist. ad Smyrn. n. 8. πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρί: *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem*. Quorum simillima referunt S. Joh. Damascenus in Parall. lib. 2. cap. 25, & Antiochus hom. 124: quibusque eam inesse vim existimat Vossius in Not., ut nihil infra Deum sit, cui magis, quam Episcopo sit obediendum. Unde non erat, cur in Not. ad cit. locum ad Trall. acerbe adeo commoveretur in Interpolatorem S. Ignatii, quod scripserit: *Quid aliud est Episcopus, quam is, qui omni Principatu, & potestate superior est?* Nam juxta S. Ignatium Episcopo summam deberi & obedientiam, & observantiam, velut ei, qui Dei, & Christi refert imaginem, Dei ob Principatum, Christi ob Sacerdotium observat Hugo Menardus in Not. ad S. Barnabæ epist. n. 29. Sed enim quæ in Interpolatore S. Ignatii reprehendit Vossius, explicitissima reperiet in Auctore Constit. Apostol., qui lib. 2. cap. 11. Episcopum alloquens hæc habet: ὡς

Θεοῦ

Θεῦ τύπον ἔχων ἐν ἀνθρώποις, τῷ πάντων ἄρχειν ἀνθρώπων, ἱερεῖ, βασιλέων, ἀρχόντων, πατέρων, υἱῶν, διδασκάλων &c., *Epiſcope inter homines figuram obtines Dei, præſidendo cunctis mortalibus, Sacerdotibus, Regibus, Principibus, Patribus, Filiis, Doctoribus &c.* Similibus abundat phraſibus capp. 20, 25, 26. Ὁ ἐπίσκοπος .... οὗτος ἄρχων καὶ ἡγούμενος ὑμῶν, οὗτος βασιλεὺς καὶ δυνάστης: *Qui Epiſcopus eſt, hic Princeps, & Dux veſter, hic veſter Rex, & Dynaſtes.* Cap. 30, & 34, ubi ea ratione Sacerdotium Regno præſtare ſcribit, qua corpore præſtat anima: qua etiam ſimilitudine uſus legitur S. Joh. Chryſoſtomus hom. 4. de verb. Iſa., lib. 3. de Sacerd. cap. 1, & hom. 15, in epiſt. 2. ad Corinth.; ac parem ante ipſos adhibuiſſe Philo Judæus habetur in Legat. ad Cajum, quo loci tanto ſupra Regnum extolli Pontificatum ait, quanto Deus, ac Divina hominibus, ac humanis excellunt. Unde injuſtam ferri a Balſamone ad Can. 7. Trullan. cenſuram in eos, qui Eccleſiaſticas dignitates Imperatoriis anteferunt, obſervat Cotelerius in Not. ad cap. 34. n. 11. Ineſt hæc ipſa de poteſtate Epiſcopali Civili nulla inferiori perſuaſio S. Juſtino, qui Apolog. 1. n. 97. non altero illos nomine donat, quam προεστῶτων, *Præſidum*, Pſeudo-Areopagitæ, qui epiſt. 7. ad Demophilum hoc Epiſcopatum eximio exornat titulo: ἡ τῶν ἱερῶν ἁγία ταξιαρχία, *Sacrorum Sacer Ordinis Principatus*, S. Irenæo, qui lib. 4. cap. 26. ex Iſaiæ cap 60, v. 17. juxta verſ. LXX. *Principes* appellandi eos occaſionem arripuit, & S. Cyprianus, qui epiſt. 55, 65, & 69. ad Exod. 22, 28, & Act. 23, 5. reſpiciens *Principum* nomen Epiſcopis aptat. Quo perinde nomine, locoque eorundem habere dignitatem, auctoritatemque non dubitarunt Origenes hom. 11. in Exod., & hom. 22. in Numer., S. Hilarius in Pſalm. 67. n. 14 pulcre ſuam in rem trahens locum ex 1. Corinth. 4, 8, S. Baſilius M. in cap. 13. Iſaiæ; S. Gregorius Nazian. Orat. 20. n. 50, & 58, ubi Epiſcopis ἐξουσίαν, καὶ δυναστείαν Juriſdictionem veluti Regiam, & coercitivam attribuit, & S. Ambroſius epiſt 13. ad Valentinianum, & in Pſalm. 77. ex Græco *Epiſcopus*, Latinum *Superinſpectorem* faciens: quæ derivatio perinde accepta fuit Liciniano Epiſcopo Conc. Hiſp. T. 2. p. 427, Sidonio

lib. 6. ep. 1, & lib. 9. ep. 3, Cassiodoro in Psalm. 108. v. 6., S. Gregorio M. lib. 11. epist. 42, & S. Isidoro Hispal. Origin. lib. 7. cap. 12. Nec altero ab hoc Regum, ac Principum nomine independentem a Principali, istaque præstantiorem Episcoporum auctoritatem designandam sibi sumpsere S. Epiphanius hær. 29. n. 3, seq., S. Hieronymus in Psalm. 2. v. 10, S. Augustinus in Psalm. 126, *Ideo altior*, inquiens, *locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant &c.*, Hilarus Diac. in 1. Corinth. 1., & ad Ephes. cap. 4, Arnobius in Psalm. 137. v. 4, S. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 125. ad Theodosium Presbyt., Rusticus Diac. adv. Acephalos, S. Leo M. epist. 87, in edit. Quesn. 1, Baller. 12. cap. 1, relatus a Gratiano Can. 25. *Principatus* 1. Q. 1, & S. Cyrillus Alex. in Oseæ cap. 9. Episcopos σχοινοὺς nominatos observans, τοὺς τὸν λαὸν προεστηκότας, ὑψοῦντε ἠρμένους, διάπυμον, *Præsides Populorum, & in sublimi dignitatum gradu collocatos*. Conferendus & Goffridus Vindocin. in Opusc. 2, & 4, quo loci Episcopum denominare Imperatorem, Principem, & Regem Ecclesiæ, velut eum, qui Divino jure Regibus, Principibus, ac Imperatoribus dominatur, haud reformidat. Mitto alios plerosque, a quibus Monarchica denominatio, & auctoritas Episcopis passim tributa legitur, qua de re Casaubonus Exercit. 15. cap. 11, & Cotelerius in Not. 1. ad Constit. Apostol. lib. 2. cap. 11.

Tam igitur nihil hac in re aut novi, aut nostri attulimus, quam minus notum ex Scripturis patefaciendum adsumpsimus, quodque Patribus acceptum semper probare e religione nostra esse duximus: quorum auctoritatem, quamvis heterodoxi flocci, naucique facere non reformident, nemo tamen, opinor, frugi, sanique consilii vir erit, qui eam Erasto, Grotio, Hennigesio &c. anteponendam non facile adsentiatur. Ratum itaque, fixumque stat hanc fuisse Romanis imprimis Pontificibus arcte impressam animis de Ecclesiastica a Laica independente potestate, supra Laicamque præstante sententiam. Nempe Liberio, qui epist. 2. Constantium Imp. longius a rerum Sacrarum, quæ sui non erant juris, cognitione abesse jubebat. Qua perinde fortitudine inducti Osius Cord., Lucifer Calar., S. Eusebius, S. Hilarius, S. Athanasius &c. in faciem ipsi obsistere non extimuere. S. Felici III.,

III. , qui epiſt. 9. Zenonem Imp. edocebat Chriſti Sacerdotibus Regiam ſubmittere volontatem , quæque ſibi expedirent ad ſalutem , ex ipſorum ore diſcere : *Certum eſt* , inquiens , *hoc rebus veſtris eſſe ſalutare , ut quum in cauſſis Dei agitur , juxta ipſius conſtitutum , Regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere , non præferre , & ſacroſancta per eorum Præſules diſcere potius , quam docere , Eccleſiæ formam ſequi , non huic humanitus ſequenda jura præfigere , nec ejus ſanctionibus velle dominari , cui Deus voluit Clementiam tuam piæ devotionis colla ſubmittere* . Ex quibus , aliiſque ſimilibus , quæ olim S. Gelaſio tributa , eidem in Suppl. Acac. To. 6. Concil. Lab. edit. Ven. reſtituit Ill. Maffejus , inſignis Baſnagii ſplendido cum mendacio conjuncta retunditur temeritas ad an. 482. §. 5. effutientis Zenoni Imp. fas fuiſſe Johannem cognomento Talajam Alex. Patriarcham ob crimen cum naturæ , Civiliſque poteſtatis legibus pugnans , perjurii nempe cauſſa , in exſilium pellere , nefas e contra Patriarchæ ad Rom. Pontificem appellare . S. Gelaſio , qui epiſt. 4. Anaſtaſio Imp. obligationem ingerere ſtudebat obediendi Sacerdotibus, velut iis , a quorum judicio ſe pendere cognoſceret . Cujus egregiam mutuati deinde leguntur ſententiam Patres Synodi Troſlejanæ Can. 2 , & Pariſienſis ſub Ludovico , & Lothario lib. 1. cap. 6 , S. Symmachus epiſt. 4. Apolog. ad eumdem Imperat. tanto a Pontificia Imperatoriam diſtare dignitatem oſtendens , quanto rebus Imperator humanis , Pontifex Divinis præeſſe dignoſcitur , S Nicolaus I. epiſt. 7. ad Michaelem Imp. relata Can. 8. *Quoniam* diſt. 10 , S. Gregorius VII. lib. 8. epiſt. 28 , Ivo Carnot., & Gratianus Can. 10. *Duo ſunt* diſt. 96 : ut mirari valde ſubeat , quid cauſſæ fuerit, cur projecti vir pudoris Petrus Jannonus Hiſt. Regn. Neap. lib. 1. cap. ult. hoc S. Gelaſii loco, inſigni non abſque temeritate, ac mendacio, ad ſupremum Regis jus adſtruendum abuti non erubuerit . In hæc ipſa ingreſſus veſtigia S. Hormiſdas , in epiſt. 2. ad Monachos ſecundæ Syriæ , quæ refertur Act. 5. Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna , ſuperhumanam prædicat Eccleſiæ poteſtatem , quam nec impune laicis Principibus invadere liceat . Cui paria regerentes S. Agapetus in epiſt. 6 ad Juſtinianum apud Baronium ad an. 535. n. 31 , & S. Gregorius II. in ep. 1. ad Leo-

nem Isaur. memores illos esse jubebant, *S. Ecclesiæ Dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum*, ideoque ab iis, veluti Divinis scirent religiose sibi abstinendum. Nec a dogmatibus dumtaxat, sed & ab Ecclesiarum dispositionibus, & a Sacrorum Magistratuum electionibus abstinendum eisdem inculcant, prior ille quidem in allocut. ad Justin., posterior iste vero in epist. 2. ad eumdem Isaur. Quod ipsum de SS. Ecclesiis a Principum jure prorsus liberis docere non destiterunt Auctor Const. Apostol. lib. 2. cap. 57, seq., Eusebius lib. 6. hist Eccl. cap. 25. edit. Cacciari, S. Joh. Chrysostomus Orat. de S. Babyla, hom. 83. in Matth., & hom. 8. in Acta Apost., S. Ambrosius in epist. ad Marcellinam Soror., & apud Theodoretum lib. 5. cap. 17, ac Sozomenum lib. 7. cap. 24, S. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 28. ad Eusebium, &c., quibus adsentiri Theodosius Imp. in Ephesina Synodo cap. 21. religioni habuit. Sed hoc de argumento fusius Art. 4. De nullo præterea in Sacris electionibus Principum jure auctores locupletes accedunt Compilator Apostol. Canon. Can. 30, in vers. Græca Can 31, quo Canone S. Athanasius in epist. ad Solitar. vitam agent. Gregorii in Alexandrinam Ecclesiam intrusionem suggillavit, quod Imperatoris ope ea fuisset peracta; Patres Synodi Romanæ II. sub S. Symmacho Can. 3, Nicænæ II. Can. 3, Moguntinæ sub Carolo M. Can. 29, Cabilonensis Can. 42, Turonensis Can. 15, Arelatensis sub eodem Can. 4, S. Nicolaus I. in citat. epist. ad Michaelem, Moguntina Synodus sub Rabano Can. 12, altera sub Arnulpho Can. 5, Holonensis cap. 3, & apud Meldensem an. 845. Can. 10, Wormatiensis Can. 57, Constantinopolitana IV. gener. VIII. Can. 2, & 22, Nicolaus II. in Synodo Romana 113. Episcop. Can. 6, S. Gregorius VII. in Romanis Synodis an. 6. capp. 2, & 3, & an. 7. capp. 1, & 2, Pictavensis an. 1078 Can. 1, alteraque an. 1100. Can. 3, Victor III. in Beneventana Can. 1, & 2, Urbanus II. in Melphitana Can. 8, & Claromontana Can. 15, Paschalis II. in epist. 24. ad Guidonem Vienn., aliisque passim ad S. Anselmum Cantuar., & ad Henricum cum Imper. Germ., tum Angliæ Regem, nec non in Synodis Romanis 1102, 1104, 1110, 1111, & 1116, Beneventanæ 1, 2, 3, Guastallensis cap. 2, Trecensis, Londinensis II, & III, Viennensis,

ſis, Anſana ſub Paſchali II, Calliſtus II. in Remenſi Synodo Can. 2, & in Lateranenſi I. Can. 4, & 14, Londinenſis ſub Honorio II. cap 4, Innocentius II. in Remenſi Can. 7, & in Lateranenſi II. Can. 10, & 25, Alexander III. in epiſt. cum ad Henricum II. Angl. Regem, tum ad S. Thomam Cantuar., alioſque Epiſcopos Angl., atque in Concilio Lateranenſi III. cap. 14, Synodus Dioclienſis in Dalmatia an. 1199. cap. 8, Avenionenſis an. 1209. Can 8, Palentina an. 1129. cap. 10, Innocentius III. in Lateranenſi IV. cap. 25, ſive cap. 43. *Quiſquis* Decret. lib. 1. tit. 1. *De Elect.*, &c. De his proinde, horumque ſimilibus diſſerens Petrus de Marca lib. 2. Conc. cap. 10. *Non indigent*, inquit, *ea Decreta imperio Principis, ut Chriſtianos conſtringant, quum juri Divino nitantur, quod ceteris omnibus præcellit*. Quo perinde jure Laica poteſtate longe Eccleſiaſticam excellere conſequens eſt. Confer, qui præterea Eccleſiaſticam poteſtatem eo loco ponunt, quo a Laica non dependeat, quin potius ei dominetur, S. Nicolaum I. in epiſt. ad Michaelem, & Ludovicum Imp., Johannem VIII. in Can. 11. *Si Imperator* diſt. 96, ſi tamen hic Canon ſuppoſitionis morbo non laborat, de quo Berardus in Grat. Emend. Tom. 2. par. 2 cap. 78. p. 357, Stephanum VI. in epiſt. ad Baſilium Imperat., Alexandrum II. in epiſt. ad Belam Hungariæ Regem apud Ughellum To. 2. in Append. ad Epiſcopos Narn., S. Gregorium VII. lib. 2. epiſt. 75. ad Suenium Daniæ Regem, ubi Rom. Pontifici integram adſerit poteſtatem corripiendi, prout oporteat, Reges, eiſque leges, ut fuerit opus, diſciplinæ præſcribendi, & Innocentium III. cap 6 *Solitæ* Decret. lib. 1. tit. 33. *De Major, & Obed.*, ubi detertimo ab errore Conſtantinum Imp. Sacerdotium Imperio ſubeſſe contendentem revocare multis, validiſque inſtituit.

Neque hanc ſane Pontificum docendi, agendique rationem ullatenus ſuſpectam haberi ſinit concors, & unanimis SS. Patrum in eamdem conſpirantium cohors, quibus inviſa res ſemper accidit, ut Laici Judices aut ſe Sacerdotibus præferre, aut Sacris inferre ſe ſe tentarent. Ex Græcis ergo S. Ignatius Martyr in epiſt. ad Epheſios cap. 2. Epiſcopo ſubjectos omnes ex Dei juſſu eſſe debere docet, ὑποτασσομένοι τῷ ἐπισκόπῳ &c., quod reperit in epiſt. ad Magneſ. cap. 3, in epiſt. ad Trall. cap. 2. Epiſcopo ſubeſſe jubens,

bens, veluti Jesu Christo, τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς Ἰησοῦ χριστῷ, in epist. ad Symrn. capp. 8, seq. omnes Episcopum sequi, sicuti Jesus Christus Patrem, honoreque prosequi, si a Deo honorari ament, præcipiens, & in epist. ad S. Polycarp. capp. 5, seq. Episcopo majorem esse neminem, attendere omnes oportere subjungit. Quo in pretio Sacerdotes, & Episcopi habiti ab Auctore Const. Apost. fuerint, paullo superius attigimus, abundeque patet ex lib. 2. cap. 34, ubi de illis sic loquitur: Τούτους ἄρχοντας ὑμῶν, καὶ βασιλεῖς ἡγεῖσθαι νομίζετε &c. *Hos Principum, ac Regum loco vobis præesse existimate* &c., & paullo post sic pergit: Τὸν ἐπίσκοπον ςέργειν ὀφείλετε ὡς πατέρα, φοβεῖσθαι ὡς βασιλέα, τιμᾶν ὡς κύριον, *Episcopum diligere ut Patrem debetis, vereri ut Regem, honorare ut Dominum*: Quæ immerito sane reprehendere ibid. in Not. 8. Clericus non erubuit, siquidem in ea pares sententia Patres stetisse alios ignorare nequibat. Et certe nonnisi hac Apostolico Can. 30. suffulta de Ecclesiastica loco supra laicam quamlibet posita auctoritate, dignitateque persuasione ductus S. Athanasius in epist. ad Solitar. Constantio Imp. ingenti vertit crimini, quod judicium in Synodo sibi usurpare attentaverit: *Quando*, inquiens, *a condito ævo auditum est, quod judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit? Aut quando unquam hoc pro judicio agnitum est?* Pergit deinde narrare plurimas habitas Synodos, quin in earum ulla desiderata Principis fuerit sententia, S. Pauli accersens insuper exemplum, qui complures etsi in Cæsaris domo amicos haberet, eorum nullum in ferendis judiciis consortem usquam adhibuit. Haud absimili animi confidentia, ut de Liberio, ac Lucifero Calar., de SS. Eusebio Verc., & Hilario Pict., de Osio Cord. &c. taceam, Leontius Tripolis Lydiæ Episcopus, uti refert Suidas, ceteros Episcopos Constantio Imp. applaudentes, eumque inter Sacerdotes sedentem conspiciens, tum illos libere a tanta dementia, cum hunc a tanta deterruit temeritate, Ecclesiastica judicia ad solos pertinere Sacerdotes ostendens: *Miror*, inquit, *qui fiat, ut quum aliis curandis distinearis, alia tractes! Quum enim rei militari, & civilibus negotiis præsis, tamen Episcopis ea præscribis, quæ ad solos pertinent* [illegible]. Tantum absunt quoque, ut tam S. Basilius, quam S. Gre-

S. Gregorius Nazian. Imperiali ſe poteſtati ſubjectos agnoverint, ut ſe potius illi confidentiſſime prætulerint, ille quidem, dum Modeſto Valentis Præfecto, ſuam, & Imperatoris gratiam, ſocietatemque magnifacienti repoſuit, in eorum ſe illos poſuiſſe numerum, quibus ipſe præſcribere, imperareque ſoleret, τῶν ὑφ' ἡμῖν τεταγμένων: *Ut alios ex his, qui nobis ſubjecti ſunt*, digno ideo mactatus elogio a S. Gregorio Naz. Orat. 20. n. 74, iſte vero dum Orat. 17. n. 13, ſeqq. Principes, ac Præfectos his alloquebatur verbis: *Vos quoque imperio meo, ac throno lex Chriſti ſubjicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præſtantius, ac perfectius: Niſi vero æquum eſt Spiritum carni faſces ſubmittere, & Cæleſtia terrenis cedere*: dignus, qui & conferatur Orat. 9. ad Julianum Tributorum Exæquatorem n. 28, & 42. Quorum in perſuaſionem ingreſſi pariter SS. Epiphanius, & Joh. Chryſoſtomus ad Eccleſiaſtici officii partes implendas, Laicoſque in officio, propriique intra limites juris continendos expedire, ac probe conferre experimento didicerant, ut quatenus utraque haberi poteſtas, unaque præſtare alteri debeat, utrinque cognoſcerentur. Hinc prior ille Hær. 29. perpetuus eſt in docendo e veteri Synagoga & Regiam David, & Sacerdotalem Aaron dignitatem in Chriſtianam confluxiſſe Eccleſiam, poſterior hic vero ultra progreſſus Reges etiam Diaconis ſubjectos eſſe docet, hæc Diacono ſuo hom. 83. in Matth. mandans: *Si Dux quiſpiam, ſi Conſul, ſi is, qui Diademate ornatur, indigne accedat* (ad Euchariſtiam) *cohibe, & coerce: majorem tu illo habes poteſtatem*. Sacerdotis multo magis ſupra Regalem extollendi dignitatem hom. 5. in cap. 6. Iſaiæ rationem accipit tam ex rebus Divinis, quas adminiſtrat, quam ex poteſtate adminiſtrandi Divinitus accepta, ideſt ex officio mediatoris Deum inter, & homines: *Ideo*, inquiens, *Deus ipſum Regale caput Sacerdotis manibus ſubjecit, nos erudiens, quod hic Princeps eſt illo major*. De propria vero loco longe ſuperiori poſita poteſtate loquens hom. 15. in epiſt. 2. ad Corinth., recitatis verbis illis: *Obedite Præpoſitis veſtris &c.* ſubjungit, eadem hoc veluti gloſſemate illuſtrans: *Hoc imperium tanto Civili excellentius eſt, quanto Cælum terra; imo etiam multo præſtantius*: quod ex comparatione poteſtatis utriuſque confirmat. Similia mul-

multa habet lib. 3. de Sacerd. cap. 5, ser. 50. de utilit. lect. S. Script., & Apostolatus dignitate, nec non de laud. S. Babylæ, quem facto præclare docuisse memorat, qualiter Sacerdotes *Regum principatui præesse oporteat*. Cui persimile Eulogii Presbyteri exemplum suppeditat Theodoretus hist. Eccl. lib. 4. cap. 16. Is nempe imperanti Præfecto, ut Imperatoris Valentis Religio una, eademque ei esset, & cum Arianis Sacrorum consortio conjungeretur, in hæc strenue respondit verba: *Nunquid ille una cum Imperio Sacerdotium adeptus est?* Quasi diceret Religionis res unam penes Ecclesiam integre stare, ideoque propriæ extra limites potestatis Imperatorem egredi, dum se illis ingerere suscipit. Pari ecclesiastica magnanimitate Oeniander Episcopus apud Cedrenum fertur Anastasii Imp. prehensa veste gravissimis hisce ejus castigavisse fastum, quo in Ecclesiæ negotia irrumpere non desistebat: *Hæc chlamys nequaquam te post mortem comitabitur. Missam fac Ecclesiam, satis tibi sit, quod Imperator es; Antistites Ecclesiæ noli vexare*. Pulcra sub altera denique animæ, & corporis assumpta specie potestatis Ecclesiasticæ supra Civilem præstantiam exprimunt SS. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 249. ad homonymum, & Nilus apud Damascenum lib. 2. Parall. cap. 21: *Tanto sublimius esse Regno Sacerdotium* asserentes, *quanto spiritus est carne præstantior*. Atque horum perinde similia qui passim habent, videndi S. Maximus Abb. in suis Actis, S. Theodorus Studites in vita S. Nicetæ, S. Johannes Damasc. Orat. 1, & 2. de Imag., Theophanes in epist. de præstantia Sacerd., Procopius Gazæus in cap. 9. Isaiæ &c.

Atque hanc quidem Græcorum Patrum de Sacerdotali potestate sententiam magno profecto Latinorum numero juvant suffragia, quibus adstipulari perinde nolle, præfracti sit ingenii, bonam ad frugem indeflexi. Sed enim hos persequi ad unum omnes nec otium, nec animus est, ut qui, etsi possem, ac vellem, fastidium inde lectori vel liberaliori adveniendum, ex re veluti tritissima, haud ignorem. Jamdiu scitum itaque quanta, & quam Episcopo digna fortitudine Lucifer Calar. lib. 1, & Osius Cord. apud S. Athan. epist. ad Solit. Constantium Imp. ab Ecclesiæ juribus, & Episcoporum judiciis gravissima ea proposita sententia ab-

abſterrere inſtituerint, quod res Eccleſiæ, ſuperioris utpote ordinis, ad laici Judicis cognitionem non pertinent; & quod Epiſcopi, ſiquidem eorum ſtatutis obedire Imperatores ipſi jubentur, poteſtate Laicis quibuſque præſtant, tantum abſit, ut cuipiam inferiores ſint. Qua etiam præditi conſtantia SS. Euſebius Vercell., & Hilarius Pict. lib. 1. n. 1. eumdem Imperatorem monitum voluere, ut tam ipſe ab Eccleſiæ negotiis religioſe abſtineret, quam ab eorumdem cognitione Judices ſuppedaneos arceret: *Provideat*, inquiens, *& decernat Clementia tua, ut omnes ubique Judices... a religioſa ſe obſervantia abſtineant, neque poſthac præſumant, atque uſurpent, & putent ſe cauſſas cognoſcere Clericorum.* Cujuſmodi quoque juſti poteſtatis utriuſque confines eſſent, apprime, ſi quis alter, perſpectos habuit S. Ambroſius, exploratamque, quæ unius præ altera præſtantia eſſet. Igitur in epiſt. 32. ad Valentin. ex Scriptura, & Traditione probat in cauſſis fidei *Epiſcopos ſolere de Imperatoribus judicare*; & Chriſtianum Imperatorem Eccleſiæ filium eſſe, non dominum, intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam, Eccleſiæ ſubeſſe, non præeſſe frequens affirmat in epiſt. ad Marcellinam Soror., & in ſer. adv. Auxentium: *Quid honorificentius, quam ut Imperator Eccleſiæ filius dicatur &c. Imperator intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt* &c. Pulcherrimam inde poteſtatis utriuſque ſpeciem exprimit lib. 2. de dignit. Sacerd. cap. 2. Sacræ nempe ſub auro, Laicæ ſub plumbo, hanc ideo illa longe inferiorem rite conficiens. Quam perinde ſimilitudinem propriam feciſſe legitur S. Gregorius VII. lib. 4. epiſt. 2. ad Herimannum Metenſ. edit. Hard. Videndæ præterea ejuſdem S. Doctoris epiſtolæ 17, & 21. nov. edit. ad Valentinianum II, & epiſt. 40, ſeq., quæ eodem ſpiritu refertæ ſunt. Idem propterea in Concilio Aquilejenſi (quod opus a Vigilio Tapſenſi confictum arbitratus Chiffletius in Vindic. Oper. Vigilii refellitur ab Hermantio in vita S. Ambroſii lib. 3. cap. 3.) Palladium Arianarum partium Epiſcopum eo præterea nomine damnandum dixit, quod ſua in cauſſa Laicos etiam Judices deſideraſſet: *Quoniam & in hoc ipſo damnandus eſt, quod Laicorum expectat ſententiam: quum magis de Laicis Sacerdotes debeant judicare.* Ingens nefas igitur erat, quod a Laicis id genus judicii arriperetur, S. Martini Tu-

ron. quoque ſententia, qui apud Sulpitium lib. 2. Sac. hiſt. Maximo Tyranno dixiſse olim fertur: *Novum eſſe, & inauditum nefas, quod cauſſam Eccleſiæ Judex Sæculi judicaret.* Facit & huc inſigne Eccleſiaſticæ fortitudinis exemplum, quo Provinciæ Byzacenæ Epiſcopi in Synodo congregati an. 504. Traſamundo Vandalorum Regi, animo Eccleſiam abolendi, defunctis Epiſcopis alios ſuperordinari prohibenti, adverſa obſiſtere fronte non pertimuere. Documentis his, exempliſque inſtructi, animatique ſequioris ætatis Epiſcopi, Scriptoreſque, Eccleſiaſticæ poteſtatis acerrimos ſe præbere vindices, aſſertoreſque non deſtitere. Atque hac utique poteſtate imprimis induti monita, & mandata caritate, auctoritateque plena Regibus paſſim dediſſe leguntur Epiſcopi in Synodis Pariſienſi VI. an. 829. par 2. cap. 13, apud Theodonis Villam an. 844. Can. 2, 6, &c., Vernenſi II. eodem an. Can. 1, ſeqq., Meldenſi an. 845. Can. 8, 9, & duobus ſeqq., Cariſiaca an, 858. cap. 11, 15. &c., apud S. Macram an. 881. Can. 8, Moguntina an. 888. Can. 2, ſeq., Troslejana an. 909. Can. 2, ſeq. &c. Quanta dignitate, poteſtateque apud Gallos polleret, atque pollebat quammaxima plane, Agobardus Lugdun. totus in id incubuiſſe legitur in Opuſc. de Comparat. Regim. Eccleſ., & Polit. Ludovico Pio dicato, ut oſtenderet, quatenus Eccleſiæ dignitas, ac poteſtas Imperii Majeſtate præfulgeat, ideoque Imperatori, velut obſervat Franciſcus Pagius, concordiam Regni redintegrandam ſuaderet ex legibus præſcribendis a Gregorio IV. P. M., quem Lotharianæ conjurationis fautorem temere, falſoque putabat, hæc inter alia Ludovico ipſi objicere non reformidans: *Neque ignorare debueratis majus eſſe regimen animarum, quod eſt Pontificale, quam Imperiale, quod eſt temporale.* Videm hinc vero obiter, ut Auctores M. Bibl. Eccleſ. Tom. 1. p. 148. perperam dixerint: *De Papa in Agobardo nihil!* Ut ut eſſet autem erga Pontifices MM. animo minus recte comparatus Hincmarus Rem., non adeo deſipuerat attamen, ut communia cum Pontificibus Epiſcopatus jura ultro prodere voluerit. Ideo in epiſt. 4. ad Galliar. Epiſcopos poſtquam adfirmaſſet Chriſtum D. Sacerdotem, ſimulque Regem fuiſſe, ſuamque S. Gelaſii in epiſt. ad Anaſtaſium Imp. ſententiam feciſſet, *Tanto*, pergit, *eſt dignitas Pontifi-*

tificum major, quam Regum, quia Reges in culmen Regium ſacrantur a Pontificibus, Pontifices autem a Regibus conſecrari non poſſunt &c. Infirmior hæc quidem ratio, qua tamen idemmet longe firmiora ex S. Leone M. epiſt. 54. ad Marcianum; ex S. Gelaſio epiſt. cit. ad Anaſtaſium, atque ex LL. Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii congeſſit deinde in Epiſt. Caroli Calvi nomine ad Hadrianum II. exarata, & in Opuſc. 6. cap. 33, ſeq. Sinceriori veritatis amore Oddo Cantuar. Archiep. in ſuis Eccleſ. Conſtit. cap. 2. Reges, ac Principes de obedientia Epiſcopis impendenda graviſſimis admonendos verbis adorſus legitur. Ad hæc duobus apud Evangeliſtas gladiis poteſtatem utramque Sacerdotalem, ac Regiam comparandam duxit S. Hildebertus Cænom. in epiſt. 40. ad Herlonem: quomodo etiam fecit S. Anſelmus Cant. in Matth. cap. 27; cujus præterea, non ſecus atque S. Thomæ Cant. itidem Archipræſ., cujus etiam inter alias legenda epiſt. 65. lib. 1. ad Henricum Angl. Regem, hac in re eximium fortitudinis Eccleſiaſticæ Laicas ideſt adverſus Poteſtates exemplum perſpectum adeo, exploratumque cunctis, ut iterum producere non opus ſit. Non prætereunda tamen egregia Sacerdotalis pectoris magnanimitas, qua indutus Johannes Cantuar. item Antiſtes epiſtola ad Regem Eduardum e Synodo Lambethenſi an. 1281. exarata apud Harduinum Tom. 7. p. 875. eumdem de obedientia decretis Pontificum, Conciliorum ſtatutis, ac legibus Patrum a Regibus etiam præſtanda liquidis ex Deuter. 17, Matth. 16, & 18; ac Luc. 10 documentis admonitum voluit. Nec minus expreſſa Arnulphi Lexov. in epiſt. 68. ad Alexandrum III. P. M. ſententia eſt, hiſce concepta verbis: *Dignitas Eccleſiaſtica Regiam provehit, & Regalis dignitas Eccleſiaſticam conſervare potius conſuevit, quam tollere libertatem* &c. Cujus perinde vindicem ſe præſtitit acerrimum in Concilio Turonenſi an. 1163. Sermone habito, quo Friderici Ænobarbi audaciam, qua Principatui ſpirituali Eccleſiæ laicum præferre attentabat, perſtringens, *Utinam*, inquiebat, *humilietur ſub potenti manu Dei, & Principatum Eccleſiæ ſuo præeſſe Principatui recognoſcat!* Qua vero hic fortitudine Friderico Imp. obſtitit, Henrico Angliæ Regi haud impari ſcripſit epiſt. 52. edit. Jureti Ivo Carnot. *Celſitudinem veſtram*, inquiens, *obſecran-*

crando monemus, quatenus .. Regnum terrenum Cæleſti Regno, quod Eccleſiæ commiſſum eſt, ſubditum eſſe debere ſemper cogitetis. Sicut enim ſenſus animalis ſubditus eſſe debet rationi, ita poteſtas terrena ſubdita eſſe debet Eccleſiaſtico regimini &c. Argumento graviori altero de Chriſto D. Rege, ac Sacerdote aſſumpto Lupus Ferrar. epiſt. 81. ad Amulum Lugd. oſtendere inſtituit, qua ratione demum in Eccleſiæ ſubſidium concurrere, eidemque ſubdi Regiam oporteat poteſtatem. Quin & Goffridus Vindoc. Opuſc. 2, & 4. Bibl. PP. Tom. 15. edit. Pariſ. 1644. p. 544, ſeqq., Eccleſiæ Dominum, ac Principem Epiſcopum, qui jure Divino Principibus, ac Regibus dominatur, nuncupare nec hettam dubitavit. *Dominus*, & *Imperator*, ita de Epiſcopi electione loquitur Opuſc. 2. de Ordinat. Epiſcop., *creatur Chriſtianorum*, & Opuſc. 4. de Inveſt. Reg., *Ex jure Divino*, inquit de Epiſcopali auctoritate, *Regibus*, & *Imperatoribus dominamur* &c. Quam pariter in ſententiam conferre juvabit S. Bernardum epiſt. 183, & 243. ad Conradum Imp., 255. ad Ludovicum Franc. Reg., ac lib. 1. de Conſid. cap. 6, S. Petrum Damian. lib. 7. epiſt. 3. ad Henricum III. Imp., Bertrandum Augustod. de Orig., & uſu Juriſd., Hugonem Victor. de Sacram. fid. lib. 2. par. 2. cap. 4, Nicolaum Lyran. in Deut. cap. 17, Joh. Nodinium Ord. Min. in Comment. ad Exod. cap. 5, ubi multis ex Dei Verbo ſcripto, & tradito rem hancce conficit, alioſque plures, quorum locis paginam implere nec otium, nec opus eſt.

Jam vero ſi Epiſcopis ſingularibus ita ſuus in Eccleſia Principatus adſtruitur, qualis, ecaſtor, putas, Romano adſtruendus venit Pontifici? Non alius plane, quam omnino ſupremus, atque omnium quidem ſententia; de qua tamen fuſius Articulo 4. ſeq. 3. ſuo tanquam proprio magis loco. Interea quæ de Eccleſiaſtica poteſtate Laica quacumque longe præſtantiori ab Eccleſiæ Præſulibus hactenus tradita accepimus, ne, quæſo, putet quis ex propriæ cauſſæ præpoſtero affectu ab illis fuiſſe procuſa; ex veritatis enim potius amore prolata vel exinde probantur, quod Laici ipſi Principes, quorum alioquin intererat adeo, in eamdem utroque pede ſententiam deſcenderint. In quibus, ut prætermittantur Aurelianus, & Conſtantinus, de quibus alibi dictum, Theodoſius

doſius M. *Fas non eſt*, inquit, *ut Divini muneris miniſtri temporalium Poteſtatum ſubdantur arbitrio*. LL. 21,& ult. Cod. Theod. De Epiſcopis, & Cleric. Ingenti Valentiniano I. laudi vertit S. Ambroſius in epiſt. 32, nunc 21. ad Valentinianum II., quod lege lata ſanxiſſet: *In cauſſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis, hoc eſt Sacerdotes de Sacerdotibus*. Quod ità nempe Chriſtiano Imperatore dignam de Sacerdotali poteſtate a Laica libera, eaque ſuperiori infixam animo perſuaſionem geſſerit. Qua ſane perſuaſione ductum Synodorum indictioni ſemet immiſcere illum noluiſſe auctor eſt Sozomenus lib. 6. cap. 7; Cronopium e contra Epiſcopum, qui a Synodo 70. Epiſcoporum ad ipſum provocare fuerat auſus, pœna mulctaſſe pecuniaria in pauperes eroganda legitur L. 20. Cod. Theod. *Quorum appell.* Nec altera plane animo inerat Gratiano religio, qui in epiſt. ad Aquilejenſem Epiſcop. lecta in Synodo Aquilejenſi exortas de rebus Eccleſiaſticis controverſias finiendas ab Epiſcopis fore agnovit, & adfirmavit, nefas, ſi ad inferius Laicum tribunal traherentur. Quamobrem digno ipſum mactavit elogio S. Ambroſius, non ſecus atque ſimilem ob religionis erga Epiſcopos obſervantiam a S. Innocentio I. apud Palladium in vita S. Joh. Chryſoſt. p. 28. laudum præconiis exceptus legitur Honorius Imp., cujus hac de re litteras ad Arcadium legere præſtat apud Coutantium p. 801. e veteſto Bibl. Vatic. libro Collect. Pontif. Epiſt. deſcriptas. Dignum quoque ſe præſtitit, qui laudibus extolleretur a S. Nicolao I. in epiſt. 8. Collect. Hard. To. 5. p. 172. ad Michaelem Imp. (quam perperam Hadriano Papæ tribuit Nicolaus Schatten in Carolo M. vindicato adv. Nifanium lib. 2. cap. 3.) Theodoſius Junior ideo, quod in epiſt. ad Synodum Epheſ. inter epiſt. S. Cyrilli Alex. 17, indignum judicaverit, illicitumque Laicos Judices tractatibus immiſceri Eccleſiaſticis, ab ipſorum cognitione longe ſepoſitis. Potius igitur Eccleſiaſticæ poteſtati obedientiæ religioſum dependendum obſequium, quam elato contra ſupercilio obſiſtendum rite ducebat Valentinianus III., a quo ideo Conſtitutione an. 455. edita latam adverſus S. Hilarium Arelat. a S. Leone M. ſententiam executioni demandare Laici Judices juſſi leguntur; quænam

vero

vero hoc in negotio partes essent suæ, ipsemet explicat, ut refractarii nempe ad obedientiam Pontifici M. præstandam adigerentur. Quo vero studio ab Episcopis Pontificem M. obediri curabat, eo ipse se obsequentissimum eidem S. Leoni præstitit Marcianus. Qui proinde in Concilio Chalcedonensi Act. 6, ut omnem prorsus ambitus suspicionem, in quam de arrogato sibi in Synodum jure venire potuisset, ab se amoliretur: *Nos*, inquit, *ad fidem confirmandam, non ad aliquam potentiam exercendam Synodo interesse voluimus*. Quis erga S. Johannem I. religiosior Justino, quem pronum in terram in Pontifice M. supremam revereri dignitatem non dedignatum fuisse refert Anastasius Bibl.? Sed enim idem religionis obsequium S. Agapeto præstitum a Justiniano Sen., & Constantino P. M. a Justiniano Jun. tradit idem Bibliothecarius. Quo ferme sub tempore eo frequentia, quo illustria suppetunt Græcorum Principum erga Rom. Pontifices venerationis documenta, veluti Pompeii Anastasii Imp. Nepotis erga S. Hormisdam, ac Theodoriti Lignidensis erga eumdem. Propriæ quidem extra potestatis orbitam excurrere Justinianus aliquando visus est, in Ecclesiasticas plerumque causas, plusquam ipsi liceret, irrumpere haud veritus, ut jure proinde, meritoque ipsius ausus reprimere Facundo Hetm. lib. 12. cap. 3. curæ fuerit. Cæterum tam in Novella 42, quam in epist. ad Johannem II. lib. 7. Cod. *De Sum. Trinit.* ea agendi ratione id unum se intendisse professus legitur, ut conditis semel a Sacerdotibus legibus cuncti obtemperarent, neque suam supra Ecclesiasticam efferre potestatem animo sibi unquam fuisse propositum, bene vero satagere, ne a Laicis impune labefactarentur. Quibus haud absimilia de Mauritii Imp. religione refert S. Gregorius M. lib. 5. epist. 25, cui id dictum assentandi animo, nisi impudens, nemo imputabit. Sanctior dubio procul Basilio Macedoni dicto insedit erga Episcopos religio, quos Pastores, se Ovem, illisque ideo, non item sibi, de rebus disponendi Ecclesiasticis integram insedere auctoritatem fateri, ac profiteri officio duxit in Adlocut. ad Synodum VIII. Act. 10. Qua perinde a religione ne transversum quidem deflexit unguem Leo cognomento Sapiens, quem religiose ab invadendis Ecclesiæ juribus sibi abstinendum, satius arbitratum eidem integra suis in causis, veluti

supe-

ſuperioris ordinis, judicia eſſe ſinenda, duxiſſe liquet ex ipſius Legibus 2, 16, & 75. Non opus eſt plurium adhuc documentis argumentum hoc bona jam in luce poſitum exagitare, ac perſequi amplius, ſed id unum adjunxiſſe ſatis erit, ſuperque, ex quo dicta hactenus majorem vim habeant, quod nempe Chriſtiana Religio diu, multumque integra ſtetit, mirumque amplificata in modum eſt ullo abſque Chriſtianæ Reipublicæ Civili capite, ideoque ſuis opportune adminiſtrandis rebus ſatis una ſuffecit. Enim vero ſicuti Chriſtus D., dum ſuam conſtituebat Eccleſiam, nihil e re Sacra Regibus detuliſſe legitur, ita neque unquam Apoſtolis id demandaſſe, ut ad terræ Reges Sacris de rebus confugerent. Nec unquam iterum Apoſtolis id venit in mentem, ut Principum in rebus Sacris rationem haberent ullam. Scitum eſt utique eos ſimul, neque ſemel ad conſulendum conveniſſe, Conventus, Synodoſque celebraſſe, Leges ſtatuiſſe, Eccleſias gentium ubique inſtituiſſe, verbo dicam, univerſa peregiſſe, quæ ad Eccleſiæ regimen pertinerent. Ubi vero ad id operis Imperatorum, aut Regum operam, opemque advocaſſe, adhibuiſſeque leguntur? Apoſtolorum preſſe inhærentes veſtigiis, qui deinde ſacris præfuere Religionis rebus, Epiſcopi, ac Pontifices Rom. quammaxime, ubinam gentium, per Jovem obſecro, reperiuntur Poteſtatis laicæ juſſione, ſententia, jure totum id peregiſſe, quin ex parte ſaltem, ſive quum Synodos agerent, ſive quum Canones adornarent, ſive quum de peccatis ſtatuerent, ſive quum de præceptis dicerent, ſive quum de Eccleſiaſticis officiis, Electionibus, ſexcentiſque aliis Diſciplinæ capitibus decernerent? Atque hoc plane argumenti genus, quo pridem feliciter uſi leguntur Florus Magiſter in Opuſc. ad calcem Agobardi edito, & S. Thomas Cant. lib. 1. epiſt. 64. ad Henricum Angl. Reg., paucis deinde egregie confecit Bellarminus de Laic. lib. 3. cap. 17, obſervans Eccleſiam a Chriſto D. Apoſtolis, ac S. Petro in Evangelio, ſive Epiſcopis, ac Romano Pontifici adminiſtrandam fuiſſe commiſſam, non Principibus, eamque reapſe abſque Principibus Chriſtianis per annos 300. a ſolis Epiſcopis, Romanoque Pontifice fuiſſe adminiſtratam. Quamvis eo loci Philippi Imp. Chriſtiani meminerit, quem tamen e Chriſtianorum albo expungendum adverſus Baronium, Huetium, Weſtenium,

ſtenium, Moynium; Bonam, Tillemontium, Taſſineum, Bollandum, Natalem &c. exiſtimant Pagius uterque, Boſius, Blanchinius, Monelia &c., ex Proteſtantibus vero Joſephus Scaliger, Chriſtianus Kortholtus, Cellarius, Spanhemius, Baſnagius, Pictetus &c. Bellarmini porro argumentum illud ſollicitare, exagitareque inſtituit Hennigeſius de Imper. ſum. Poteſt. circa Sacra cap. 2. Sed adeo levidenſe, elumbe, ac titivilitium eſt omne, quod oggerit, ut non ſit proinde, cur eis retundendis operam demus. Videatur tamen, qui efficaciter id præſtitit, vir doctiſs. Mamachius Orig., & Antiq. Chriſt. lib. 2. cap. 24. in Not.

Imperatorum optime de Eccleſiaſtica poteſtate meritæ Religioni non deneganda profecto ſuffragia, quæ ferre paſſim Occidentis Principibus ne leve quidem unquam dubium inceſſit. Atque inter Reges Italiæ de Theodorico Gotho illud laude valdequam dignum in Actis Synodi Romanæ an. 501. celebratur, quod Arianus etſi, dum tamen ad S. Symmachi P. M. adventum eſt cauſsam, religioſe agnoverit: *In Synodali eſſe arbitrio in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe, præter reverentiam, de Eccleſiaſticis negotiis pertinere.* Quem ideo Pontificio juri facere infeſtum viden, ut fruſtra conatus Goldaſtus ſit! Nec alteram ſane animo prætulit opinionem Athalaricus, qui apud Caſſiodorum Var. lib. 8. ep. 24. Edicto lato vetuiſſe legitur, ne amplius Magiſtratus ante Laicos Clerici compellerentur: cujuſce legis cauſſam adfert *Divinam reverentiam*, quam Sedi deberi Apoſtolicæ agnoſcebat, cujus ideo contemptores decem librarum auri a Pontifice M. erogandarum in pauperes diſpendio feriri jubet. Francorum Regibus faciendo nunc locum, quin innumeris, quæ ſuppeterent, eiſque ſplendidiſſimis, reverentiæ, ac religionis erga perſonas, reſque Sacras ab ipſis præſtitis, nec uno in loco, nec uno tempore, argumentis corradendis prolixiorem impendam operam, qua alioqui me jam ex parte defunctum memini Par. 1. To. 2. Art. 9. §. 1, ſeq., rurſuſque Par. II. Tom. 3. Art. 5. in Proleg., ſatius habebo ex Baluzio documenta indicare illuſtriora, e quibus illorum ſingularis de Sacerdotali poteſtate exiſtimatio, ergaque Epiſcopos, ac Pontifices obſervantia ampliſſime pateat. Ejuſmodi ſunt ergo Childeberti Conſtitutio a n. 554. de abolendis

Ido-

Idololatriæ reliquiis, deque Sanctorum dierum feſtivitatibus caſte, devoteque celebrandis, To. 1. p. 5; Guntramni Præceptio in Synodo an. 585. p. 9; Clotarii II. Edictum in Concilio anno circiter 614. p. 22; Carolomanni Capitulare Germanicum, & Liptinenſe an. 743, & ſeq. p. 145, ſeqq.; Pippini Sanctiones in Synodis Sueſſionenſi an. 744, Vermerienſi an. 752, Metenſi an. 753, Vernenſi an. 755, Compendienſi an. 756, & Gentiliacenſi an. 767, p. 156, ſeqq.; Caroli M. Capitulare an. 769, Wormatienſe 770, Synodicum 779. p. 189, ſeqq., Aquiſgranenſe an. 789. ex Veterum Synodorum Canonibus conflatum p. 209, ſeqq., Edictum an. 800 de honore, & adjutorio Epiſcopis impendendo a Comitibus, aliiſque Judicibus p. 330, Capitulare an. 801. de honoranda Sede Apoſtolica, aliudque Epiſcoporum p. 357, ſeq., Wormatienſe an. 803. de Immunit. Epiſcop., & Sacerd. p. 405, ſeqq., de honore Epiſcop., & Sacerd. an. 805. p. 438, Capitulare interrogationis an. 811. p. 479, & de confirmatione Conſtitutionum, quas Epiſcopi in Synodis edidiſſent, ſcilicet in Moguntina, Remenſi II., Turonenſi III., & Cabilonenſi II. an. 813. celebratis p. 501, ſeqq.; Ludovici Pii Capitularia Aquiſgranenſe an 816, ac ſeq. p. 579, ſeqq., apud Theodonis Villam an. 821, ac Triburienſe an. 822. p. 621; Lotharii Capitulare Romanum an. 824. p. 647; Aquiſgranenſe Ludovici an. 828. p. 656, in Synodis Pariſienſi, & Wormatienſi an. 829. p. 674, in Wormatienſi altera apud Dacherium an. 833, & Aquiſgranenſi an. 836. apud Harduinum To. 4. p. 1387, ſeqq.; Caroli Calvi Capitulare Colonienſe an. 843, Toloſanum, apud Theodonis Villam, Vernenſe an. 844, & Belvacenſe an. 845, quæ deinde probata fuere in Synodis Meldenſi an. 845, & Pariſienſi an. 847. apud Baluzium To. 2. p. 1, ſeqq., Capitulare apud Villam Sparnaci an. 847. p. 31, editum in Synodis Sueſſionenſi, & Vermerienſi an. 853. p. 53, ſeqq., in Attiniacenſi an. 854, Vermerienſi, & Baſienſi an. 856, & Cariſiacis an. 857, ſeq. apud Sirmondum To. 3. Oper. p. 66. ad 91; Ludovici II. Capitula edita in Synodis Ticinenſi an. 855, Sueſſionenſi an. 858. apud Harduinum To. 5. pag. 97, & 463, Confluentina an. 860. apud Baluzium To. 2. p. 137, ſeqq., & Compedienſi an. 877. apud Sirmondum pag. 227, ſeqq.; Caroli Calvi

iterum Capitula adornata in Synodis Tullensi an. 859. p. 133, in Tusiacensi an 865, Compendiensi an. 868, apud Sirmondum p. 174, seqq., Metensi an. 869. pag. 216, in Pistensi eodem anno apud Dacherium To. 2. Spicileg. p. 712, in Silvanectensi an. 873. apud Harduinum To. 6. p. 143, in Ticinensi, & Pontigonensi an. 876. apud Baluzium p. 237, seqq., & Harduinum p. 166, seqq.; Bosonis Arelatensis Regis, ab Episcopis in Synodo Mantalensi an. 879. inaugurati, responsio, de qua Harduinus To. 6. p. 347; Carolomanni in Capit. Vernensi an. 884. apud Sirmondum p. 250, seqq.; Odonis Promissio facta Walterio Archiep. Senon. an. 888, de qua Baluzius p. 291; Arnulphi egregia, in Concilio Triburiensi an. 895. Can. 3. expressa, sententia apud Harduinum p. 439; Caroli III. Epistola ad Episcopos Regni sui an. circiter 920. p. 552, seq. Ex quibus liquido patet, quam perperam, falsoque post Radulphum Præsleum in tract. de potest. Pontif., & Reg., & Claudium Gousteum de potest. Reg. in Eccles., Petrus de Marca de Concord. lib. 2. cap. 12, Baluzius in præfat. ad Capitul. §. 10, Pithœus, aliique apud ipsum Politici opinati sint Francorum Regum una dumtaxat auctoritate Capitularia fuisse adornata; interque Principalis juris particulas hanc propterea recensendam fore, potestatem nempe leges Ecclesiasticas ad disciplinam spectantes condendi: quum luce sit manifestius eadem Capitularia aut in Synodis fuisse efformata, aut ex Synodorum Canonibus conflata, aut in Synodis ab Episcopis confirmata, ideoque una ab Ecclesia obligandi vim omnem obtinuisse: quo de argumento recole, si placet, dicta To. 3. Par. 2. Art. 5. in Proleg. p. 315, seqq.; quo loci dictis id adjungam unum, quod ex Pontificum Rom. Epistolis Caroli M. jussu Ecclesiasticos Canones, ab se deinde evulgandos, collegisse legitur Remedius, aliis Remigius Curiensis Episcopus, de quo Fabricius Bibl. Lat. To. 6. p. 65. Jam vero his Galliarum Regibus religione erga Sacerdotes, & Episcopos, reverentiaque erga Ecclesiarum jura haud dispares se se dedere Hispaniarum Reges, atque in his Reccaredus in Edicto lato in Concilio Toletano III. an. 589. apud Harduinum To. 3. p. 483; Chintilla in Toletano V. an. 638. p. 600; Recceswinthus in Decreto edito in Toletano VIII. an. 653. p. 968; Ervigius in Toletano XII. an. 681. p. 1716, in Toletano XIII.

XIII. an. 683. p. 1735, & in Toletano XV. an. 688. p. 1759; Egica in Toletano XVI. an. 693. p. 1786, & in Toletano XVII. p. 1818; Alphonſus in Ovetenſi an. 873. apud Harduinum To. 6. p. 130; Alphonſus V. in Legionenſi an. 1012. p. 803, & Ferdinandus cognomento Magnus in Cojacenſi an. 1050. p. 1025. Jungendi Angliæ Reges, atque in his præſertim Ina in Legib. Eccleſ., quas ex Epiſcoporum ſententia tuliſſe an. 692. legitur apud Harduinum To. 3 p. 1782; Withredus in Synodo Berghamſtedenſi an. 697. p. 1818; Naitanus in Synodo an. circiter 714. p. 1850: Alfuvaldus in Calchutenſi an. 787. p. 2080; Offa in Verolamienſi an. 794, de quo Harduinus To. 4. p. 863; Kenulphus in Celichytenſi an. 816. p. 1219; Beornulphus in Cloveshovienſi an. 822. p. 1246; Withleſius in Londonienſi an. 833. p. 1375: Kenethus Scotiæ Rex in Legib. Eccl. circa an. 840. p. 1454: Alfridus, & Guthurnus in Legib. Eccleſ. circa an. 885. apud Harduinum To. 6. p. 377; Eduardus in Synodo an. circiter 896. p. 425. Idem, & Guthurnus iterum in Legib. Eccleſ. an. 905, aut inſeq. p. 495: Athelſtanus in Synodo Grateleana an. 928. p. 565: Hoeli in Leg. Eccleſ. circa an. 940. p. 576: Edmundus in Legib. Eccleſ. an. 944. circiter p. 593; Edgarus tam in Chartis an. 964. p. 637, an. 966. p. 643, & an. 971. p. 683, quam in Legibus Eccl. an. ſeq. p. 657, & in Orat. ad Epiſcopos Angl. an. 969. p. 673: Æthelredus in Synodo Ænamenſi an. circiter 1009. p. 773, & in Leg. Eccl. an. 1012. p. 793; Canutus in Synodo Winthonienſi an. 1021. p. 825., & in Legib. Eccleſ. an. 1032. p. 895: Macchabæus Scotiæ Rex in Legib. Eccl. an. 1049. p. 979: S. Eduardus in Legib. Eccl. an. 1050. p. 985; Willelmus in Synodo Juliobonenſi an. 1080. p. 1598, & in Charta de Placitis Eccleſ. ſecernendis a Civilibus an. 1085. p. 1611. ſeqq.; S. Canutus Daniæ Rex, de quo refert Saxo Gram. apud Baronium ad an. 1081. n. 37. Chriſti Sacerdotes ut Barbaræ gente reverendos maxime faceret, in Principum, & Ducum faſtigium ſublimaſſe, & Sæcularibus Poteſtatibus ſublimiores ſedere feciſſe. Miſſos longe plures facio, ut dicendi faciam aliquando finem; nam alioqui prolata hactenus teſtimonia ad fidem dictis conciliandam ſatis, opinor, haberi ſuperque poſſunt.

Jam vero quæ a Laicis Principibus aut exambita paſſim con-

tra Eccleſiaſticam poteſtatem, aut contra perſonas Eccleſiaſticas peccata frequentiſſime referuntur, tanti profecto non ſunt, ut moram aliò properantibus inferre poſſent, eo potiſſime, quod præcipua, quæ opponi ſolent capita, quantum operæ fuerat pretium, abunde, aut ego fallor, jam diſpuncta ſunt To. 3. Art. 5. in Prolog., reliquis vero, in quibus vis ineſſe aliqua videri potuit, ad calcem ſuper. Artic. factum eſt ſatis. Ne tamen aleam declinaſſe potius, quam ſuperaſſe videamur, age potiora, quæ in aciem inſtrui ab adverſariis ſolent, intacta ne prætermittamus. Illud igitur primum adverſariis, ac perpetuum eſt, quod tam in veteri Teſtamento Judæorum Rempublicam, quam in Novo Chriſtianorum Eccleſiam ſub Regibus, eorumque Regimini ſubjectam eſſe Deus O. M. ſapientiſſime voluerit. Enim vero, inquiunt, Samuel lib. 1. Reg. cap. 8. Jus Regium deſcribens, iſtud eo collocat loco, quo in omnes indiſcriminatim integra ſit auctoritas, nullius autem ſubjaceat viciſſim animadverſioni. Quare Deum alloquens David ajebat Pſal. 50. *Tibi ſoli peccavi*: quem ad locum reſpicientes S. Ambroſius in apolog. David cap. 10. *Rex erat*, inquit, *nullis ipſe legibus tenebatur*: *quia liberi ſunt Reges a vinculis delictorum*: & S. Hieronymus in epiſt. ad Ruſticum de Pœnit. *Rex enim*, ait, *erat*, *alium non timebat*, *alium non habebat ſuper ſe*. Paria habent ad eumdem Pſalmum Arnobius Junior, Caſſiodorus, Euthymius in Pſal. 50, aliique Patres apud Salmaſium in reſp. ad Miltonum p. 205, ſeqq. Quod argumenti genus poſt Calvinum urgens Renatus Choppinus in præfat. Sac. Polit. Regum apud Hebræos facta producit inſuper, a quibus in Sacerdotes, reſque Sacras exercita facultas oſtenditur: Moyſis nempe, a quo præcepta morum tradita, ſcriptaſque leges ad Dei cultum pertinentes ignorat nemo; Joſue, a quo multa perinde de Religione fuiſſe ſancita certum eſt quammaxime; Saulis, qui Religionis puritati conſulens, Ariolos, Magoſque Regno excedere juſſit; Davidis, qui 1. Paralip. cap. 16. in claſſes diſtribuiſſe Levitas, eiſque officia præſcripſiſſe legitur; Salomonis, qui 3. Reg. cap. 8., ſeq. ſacra Cæremonia devoviſſe Templum, & cap. 2. Sacerdotem Abiathar ſubmoviſſe, ejuſque loco alterum ſubſtituiſſe traditur; Joſaphati, qui in Libros Legis diligenter inveſtigaſ-

ſtigaſſe legitur; Johas, a quo 4. Reg. cap 12. Sacerdotes in officio contenti ſunt, illiſque ratio inſtaurandi Templi præſcripta, & Arca in Templum inferri juſſa legitur; Ezechiæ, quem rebus Divinis ſingulari devotione ſtuduiſſe cunctis eſt notum; Joſiæ, a quo Deorum ſuperſtitione deleta, ut Divini ritus, Religioque majorum reſtituerentur, enixe curatum eſt; Judæ Machabæi, a quo purgatum Templum, reſtitutumque fuiſſe ſcitum eſt. In Novo quoque Fœdere Chriſtus D. Matth. cap. 22. v. 21. præcipiens dari Cæſari, quæ Cæſaris eſſent, docuit plane a ſuæ Diſciplinæ Sectatoribus, nullo prorſus excepto, Apoſtolis, ipſoque Petro, obedientiam Poteſtatibus ſummis deberi. Hinc S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 94. *Agnoſco*, haud invitus fatebatur, *Imperatorem a Deo conceſſum non Militibus tantum, ſed Sacerdotibus etiam dominari*. In hanc rurſus rem Joh. cap. 18. v. 36. *Regnum meum*, inquiebat Chriſtus D., *non eſt de hoc Mundo*, ut daret intelligi Eccleſiæ ab ſe nihil fuiſſe collatum, quo in Reges inſurgere valeret, inque illos jus diſtringere. Hinc celebre illud S. Optati Milev. lib. 3. adv. Parmen. edit. Albaſp. p. 64. effatum: *Non enim Reſpublica eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica eſt, ideſt in Imperio Romano: quod Libanum appellat Chriſtus in Canticis Canticor.* &c. Chriſtiana ideo diſciplina hac imbuti Principes Apoſtolorum nihil habebant antiquius, quam ad Poteſtatum Civilium obſervantiam exacte Chriſtifideles inſtituere, S. Petrus quidem Epiſt. 1. cap. 2. v. 13, & 17. *Subjecti eſtote*, inquiens, *omni humanæ Creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti &c. Regem honorificate &c.*, S. Paulus vero in Epiſt. ad Rom. cap. 13. v. 1, ſeq. *Omnis anima*, ſcribens, *Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit &c. Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit &c.* Quem ad locum reſpicientes S. Joh. Chryſoſtomus homil. ad Rom. 13. *Subdita ſit*, inquit, *etiam ſi fuerit Apoſtolus, Evangeliſta, Propheta, Sacerdos*; & S. Bernardus in epiſt. 42. ad Henricum Senon. *Omnis anima*, ſcribit, *ſubdita ſit. Quis vos excepit ab univerſitate? Certe qui tentat excipere, tentat decipere*. Nec ab hac ſane lege Chriſti D., & Apoſtoli diſceſſit unquam conſuetudo veterum Chriſtianorum, optima Divinæ legis interpres: quibus, etſi peſſimi ſæpius homines Imperium tenerent, pravi nunquam

quam illud consilii venit in mentem, ut eisdem se vel Religionis intuitu, vel Reipublicæ obponerent: quorum proinde hac in re famam apud Ethnicos abunde liberarunt Tertullianus Apolog. cap. 35, & Auctor Const. Apostol. lib. 4. cap. 13, & lib. 7. cap. 16. Atque horum exemplis insistentes S. Ambrosius Orat. in Auxent. relatus a Gratiano Can. 21. *Convenior* 23. q. 8., ac Epist. 32, seq. adv. Valentinianum Jun. non armis, sed lacrymis sibi utendum est ratus; S. Gregorius Nazian. Orat. 1. in Julian. illum, quum pessima agitaret in ipsorum perniciem consilia, Christianorum lacrymis, non armorum vi fuisse repressum perhibet; & S. Gregorius M. lib. 7. ep. 1. in cœde Langobardorum potuisse se quidem miscere scribit, quod si præstitisset, *Gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet*, noluisse tamen, rem arbitratus Christiano Sacerdote indignam. Qua de S. Gregorii nostri religione erga Imperatores testes accedunt præterea locupletes Socrates lib. 2. cap. 12, & Sozomenus lib. 3. cap. 20. Ei vero pares jampridem in sententia præiverant de obedientia Potestatibus summis impendenda Tertullianus de Idololat. cap. 15, Origenes in epist. ad Rom. cap. 13, S. Athanasius in Apolog. ad Constantium, S. Basilius in Regul. cap. 22, S. Eusebius Samos. apud Theodoretum hist. Eccles. lib. 4. cap. 13, aliique, quibus supersedeo. Hinc Imperatores ipsi Religionis bono qua præceptis, qua pœnis consulere, prospicereque e re procul dubio sua ducebant, nec ita agentes, se injuriam Ecclesiastico juri inferre existimabant. Itaque Constantinus M. tanquam κοινὸς ἐπισκόπος *Communis* ipse *Episcopus* Orbis Romani apud Eusebium lib. 1. cap. 44. ad Episcopos Ecclesiæ Christianæ ὑμεῖς μὲν τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος ἐπισκόπος ἂν εἴην, *Vos*, inquiebat, *Episcopi circa interiora Ecclesiæ, Ego circa Ecclesiæ externa Episcopus a Deo sum constitutus*; idest illi circa doctrinam, & Sacra, ego circa Regimen, & tutelam. Videndus Eusebius de vita Const. lib. 4. cap. 24, qui & lib. 3. cap. 16. falsorum Numinum superstitione deleta, ut una erga Deum vera Religio vigeret, summopere eumdem refert enixum. Hoc etiam sensu Socrates in præfat. lib. 5. hist. Eccl. observat, quod ab eo tempore, quo Imperatores Christianam Religionem colere ceperunt, *Ab illis pependerunt res Ecclesiæ*. Et certe Marcianus

Imp.

Imp. erga Religionem, ſi quis alter, optime affectus, in Concilio Chalcedonenſi leges multas de Verſione, lectioneque S. Scripturæ, de Inſtitutione, officiiſque Clericorum, de Feriis, Ordinationibus, boniſque Eccleſiarum tuliſſe legitur. Quibus etiam legibus reſertiſſimi ſunt uterque Codex Theodoſ., & Juſtin. adeo, ut ſupervacaneum haberi debeat pluribus harum referendis operam impendere. Tantum vero abeſt, ut id ei crimini tributum fuerit a S. Leone M., ut potius epiſt. 59, edit. Queſn. 89, Baller. 115. in eo &*Regia potentia*, & *Sacerdotalis induſtria* laudibus fuerit celebrata. Similibus quin etiam elogiis a S. Leone frequens exornatos Imperatores obſervat ibidem Queſnellus, nempe in epiſt. 124, edit. Ball. 155. *Regiam*, & *Sacerdotalem mentem*, in epiſt. 125, Baller. 156. cap. 6. *Sacerdotalem*, & *Apoſtolicum animum*, in epiſt. 112, Ball. 142. *Sacerdotalem ſollicitudinem*, in epiſt. 84, Baller. 111. cap. 3. *Regiam Coronam*, & *Sacerdotalem Palmam*, in epiſt. 90, Baller. 116. *Potentiam Regiam*, & *Sacerdotalem Doctrinam*, in epiſt. 88, Baller. 117. cap. 2. *Regium culmen*, & *Sacerdotalem ſanctitatem*, in epiſt. 105, Ball. 134., & in epiſt. 123, Baller. 154. *Sacerdotalem affectum* Imperatoribus tribuere haud verito. Cui jungendi & Patres Concilii Chalcedonenſis, qui Act. 6. eidem Marciano τῷ Ἱερεῖ, τῷ βασιλεῖ, *Sacerdoti Imperatori*, & Patres Concilii Conſtantinopolitani ſub Flaviano, qui pari encomio Theodoſio τῷ Ἀρχιερεῖ, τῷ βασιλεῖ, *Pontifici Imperatori* acclamare non dubitarunt; Fortunatus item, a quo lib. 2. carm. 11. Childebertus Francor. Rex hiſce laudibus celebratus legitur: *Melchiſedech noſter merito Rex, atque Sacerdos complevit Laicus Religionis opus*; Patres denique Concilii Moguntini an. 813, a quibus Imperatores dici meruere *Rectores Eccleſiæ*, *Rectores veræ Religionis*. Cujus rei ea videri merito poteſt ratio, quam Juſtinianus Novella 7. cap. 2. indicat, quæque adverſatiis prora eſt, & puppis: *Quum nec multum differant ab alterutro Sacerdotium*, & *Imperium*, & *Res Sacræ a Communibus*, & *Publicis*. Unde fit, ut ſicut his, ſic illis etiam, ſe ſe ingerere in Poteſtatis Laicæ facultate poſitum ſit. His itaque, ſimilibuſque liris, nugiſque pro Laica Poteſtate adverſus Eccleſiaſticam tam Proteſtantes, quam Politici pugnant.

Atqui

Atqui principio mirari valdequam ſubit, quì fieri potuerit, ut ii de Poteſtatis abuſu Pontifices, & Epiſcopos accuſare non ceſſent, de uſurpata vero Poteſtate Eccleſiaſtica Laicis Principibus, ac Judicibus litem nedum intendere ullam cogitent unquam, ſed utraque plaudere manu, inflatiſque gratulari buccis non deſiſtant? Quam turpem vero, & quam honeſto, frugique indignam homine hoc in negotio ἀνισορροπίαν, καὶ παραφροσύνην, inſcitiam produnt, & inſaniam, qui nihil penſi habent in publicum efferre, non quæ veritas, ac Religio utique attente perſpecta exerere ſuadet, ſed quæ ingenium præpoſterum, invidiaque præceps effutire jubent! Tam vero fruſtra, quam falſo ex utroque Teſtamento teſtimonia quæruntur ad conciliandam Principali ſupra Eccleſiaſticam poteſtati dignitatem, atque præſtantiam. Enim vero Jus Regis apud Samuelem intelligi debere, non utique de facultate honeſte, juſteque aliquid agendi, veluti conſentit etiam Grotius de Jure B., & P. lib. 1. cap. 4. §. 3, bene vero de Regum inſita conſuetudine ſic faciendi, velut adnotat Gronovius ibid., admonent, probantque rationibus, exempliſque vulgo Interpretes, de quibus ſupra jam dictum eſt, atque exinde adparet, quod longe alia regnandi, vivendique ratio præſcribitur Regi in ea parte legis Deuter. cap. 17, v. 14, ſeqq., quæ de Regis eſt officio. Quamvis autem impudens tam eſſe utique nolim, ut cum Gronovio in Not. ad Grotii lib. 1. cap 3. §. 20. Patres locum Pſal. 50. male intellexiſſe inquiam, atque probem ipſius interpretationem, non ea tamen loco illi vis ineſt, ut Reges a legum Eccleſiaſticarum obligatione liberi abeant, ſed ut pœnis in legum tranſgreſſores latis obligari dumtaxat nequeant. Quo plane ſenſu loquutos SS. Patres rite perpendenti certo conſtabit. Nec vero magis urgent veterum apud Hebræos Ducum, Regumque facta, exemplaque. (E quibus Moyſem exceptum modo volo, qui vel Dux Judæorum nedum, ſed etiam Sacerdos, non ordinarius quidem, nam fuit Aaron, ſed extraordinarius probabiliter fuit, vel poteſtate ſaltem Divinitus ſibi permiſſa ea præſtitit, quæ alioqui Pontificii erant juris:) Nam ii quædam interdum egere poteſtate extraordinaria, atque a Deo ſpeciatim demandata, ideoque non tam ut Duces, Regeſque, quam ut Prophetæ geſſere ſe ſe, ut paſſim legitur

gitur de Josue, Davide, Salomone, Josaphate &c.; quædam vicissim egere ordinaria legitima potestate, uti Principes, quæ nempe ad Legis defensionem, Religionisque custodiam quammaxime conferrent, ob quæ plane nullum eisdem facessendum de usurpato alieno jure venit negotium; quædam imo præter facultatem egere aliquando, Religionis negotiis præter fas, & opus se implicando. At quis, amabo, ex factis per nefas patratis ita faciendi jus rite arguat, cunctisque indiscriminatim adstruat? Cæterum in Lege veteri de Religione, de Legibus, de Cultu, de Ritibus, de Festis, de Cæremoniis, de Sacris adeundos ex Dei præcepto Sacerdotes fuisse, non Duces, nec Reges, manifeste adparet ex Deuter. cap. 17, v. 8, seqq., 2. Paralip. cap. 19, v. 8, seqq., Aggæi cap. 2, v. 12, seqq., Malachiæ cap. 2, v. 1, seqq., sexcentisque locis aliis, unde Saulem, & Oziam Sacerdotis sibi munus adsumentes a Deo abjectos didicimus. Denique, ut super. Artic. dicebamus, etsi id Hebræorum licuisset Regibus, non licere tamen Regibus Christianis voluit Christus D., cujusce rei discrimen & dedimus. Qua igitur fronte, quo fundamento adversarii Christi D. institutione Regibus aut Ecclesiam fuisse subjectam, aut in Ecclesiastica immigrare negotia fas esse contendunt? Nec enim ita præfert Christi D. præceptum de Tributo Cæsari dependendo, quod sane præceptum locum habere dumtaxat in his, qui de bonis ad Cæsaris jura pertinentibus aliquod possident, germana Patrum est interpretatio, Origenis in Comm. ad Roman. 13, ubi de terrenis loquens patrimoniis: *Qui hæc non habent*, inquit, *nec Cæsari habent, quod reddant*; Osii Cord. apud S. Athanasium in epist. ad Solit., qui vicissim ex eodem Christi D. effato adversus Constantium arguit, nihil Imperatori res in Ecclesiasticas juris inesse, siquidem eæ inter res Cæsaris annumerandæ neutiquam veniant; S. Hilarii Comment. in Matth. 23. n. 2, ubi de obligationis vinculo, quo erga Cæsarem obstringuntur bona, sic habet: *Si nihil ejus penes nos resederit, conditione reddendi ei, quæ sua sunt, non tenebimur*; S. Ambrosii in epist. ad Marcellinam Soror., qui propius, expressiusque in rem nostram sic effatur: *Ecclesia* Dei *est, Cæsari utique non debet addici, quia jus Cæsaris esse non potest Dei Templum* &c., & S. Gregorii Nazian. in

Orat. ad Julianum, ubi quæ S. Ambrosius Ecclesiis, Ecclesiasticis indiscriminatim ipse aptat rebus, nihil Cæsari deberi a Sacerdotibus inde ostendens: *Qui Cæsaris nihil, a Deo omnia habent*. Manifesta vero loco ex S. Johanne laudato vis infertur, dum exinde suadere tentant nullum Ecclesiæ in res temporales jus competere, sed integrum hoc Potestatibus laicis inesse. Non enim eo loci Christus D. dixit: *Regnum meum non est in hoc Mundo*, sed *non est de hoc Mundo*, ut significaret in Mundo quidem Regnum suum existere, quod est Ecclesia, non esse tamen de hoc Mundo, idest humana ordinatione constitutum, sed Divina institutione dispositum, ideoque non humanis dumtaxat legibus, sed Divinis administrandum. Ex quo sequi nemo non videt Christi D. Regnum humano Regum dominio, ac regimini haud esse obnoxium. Quæ vero germana perinde sit tam S. Petri, quam S. Pauli ex Christi D. præcepto sententia, explicant Patres, ac Interpretes, qui omnes quidem eòdem conveniunt, ut adserant optimo plane consilio ab utroque Apostolorum Principe fuisse provisum, ut Laicis Potestatibus honor a Christianis impenderetur, pro eorum salute, & pace orationes, & preces funderentur, tum ut omnis occasio procul tolleretur Principes afficiendi contumelia, quod nefarium Judæ Gallilæo, ac Saducæis insedisse consilium, quo nempe Populum a Romanorum obedientia avertere meditabantur, illis non parendum fore publice jactantes, testibus Apollinari in Catena Græca, & Balsamone in Nomocan. tit. 9. cap. 35; tum ut inde Principes bene de Christi Religione existimandi argumentum caperent, beneque ideo in Christianos animati Evangelii prædicationi impedimento non essent, quin imo facilius ipsi, Deo inspirante, ad fidem allicerentur, atque ita plane Athenagoras in Apolog., Tertullianus Apolog. cap. 35, seq., Origenes in epist. ad Rom. 13, ac Theodulus Presbyter Cœlesyriæ in Comment. ad eumdem locum. Eorum tamen alii, ut Origenes loco cit., animæ nomine ab Apostolo minime designari Sacerdotes autumant, sed Laicos dumtaxat sæcularibus rebus implicitos, quos ideo in hujusce genus rebus Laicis Potestatibus subjacere jussit. Alii, ut Lucifer Calar. lib. *De non parcendo in Deum delinquentibus*, S. Symmachus in Apolog., Primasius, Sedulius

&c.

&c. S. Pauli locum de poteſtate Eccleſiaſtica principaliter accipiendum fore putant. Alii, ut Origenes, S. Joh. Chryſoſtomus in hunc loc., S. Gregorius Nazian. Orat. 17. ad Cives, Clerus Conſtantinopolit. in libello ſupplici ad Imperat. pro Synodo Epheſ., Prudentius in vita Romani Antiocheni, Ivo Carnot. epiſt. 15. ad Philippum Franc. Reg. &c. intelligi quidem locum Apoſtoli de Poteſtatibus quoque laicis haud abnnunt, ſub ea lege tamen, ut id ordine, & ratione fiat, ideſt modo laica Poteſtas nihil adverſus leges Eccleſiaſticas agat, quæ potius ad eaſdem in tuto ponendas ſe ipſam totam impendere debet. Quas plane officii partes ad Reges pertinere faſſi, ac profeſſi ſuis in legibus Eccleſiaſticis leguntur inter alios cap. 9. S. Canutus apud Harduinum To. 6. p. 903, & cap. 14. S. Edwardus ibid. p. 988 uterque Rex Angliæ. Recentiores alii, ut Eraſmus, Clarius, Grotius &c. Critic. Sacr. To. 4. edit. Francof. p. 2569, ſeqq. ita locum Apoſtoli jubent accipi, ut ſignificetur poteſtatem quidem a Deo τεταγμένην ordinatam eſſe, a quo nempe ordinem accipiunt omnia, non etiam ut a Deo immediate ſint Principes, quorum translatitiam eſſe poteſtatem obſervatum jam eſt: quo pacto laica Poteſtas dicitur etiam a S. Petro humana ordinatio.

Ad Patrum interpretationem quod attinet, errant profecto quammaxime, qui S. Optatum erroris ſui patronum agere non verentur, totoque ab ipſius aſſequendo ſenſu oſtio aberrant. Eo loci enim loquitur de Eccleſia, quo tempore a Chriſto D. eſt inſtituta, quatenus ideſt in Romana Republica tum Ethnica fundata fuit: quomodo Reſpublica tum extra Eccleſiam erat. At quæſtio nobis eſt de Republica Chriſtiana: quomodo accepta intra Eccleſiam eſt; ſiquidem Eccleſia non ſit, niſi Chriſtifidelium omnium Congregatio, ii ſive Clerici ſint, ſive Laici, ſub uno Capite viſibili Rom. Pontifice. Hoc item ſenſu, velut exponit Franciſcus Hallier in proleg. Hier. Eccl. cap. 1. §. 14, quod Reipublicæ ſiquidem Religio ſit neceſsaria, quia videlicet non utilitatis, paciſque tantummodo cauſſa, ſed virtutis inſuper, honeſtatiſque Civilis Societas inſtituta ſit, felicitas vero æterna virtutis finis, ac virtus ipſa per Religionem procuretur, intelligendus eſt S. Optatus, dum Eccleſiam in Republica eſſe dixit, quia finis bene inſti-

tutæ Reipublicæ a fine Religionis eſt indivulſus. Præterea S. Optatus ibidem diſputans adverſus Donatiſtas, qui ſpreta Eccleſiæ Catholicæ communione, in Africæ angulo, ſuoque dumtaxat in Cœtu veram Chriſti D. Eccleſiam integram conſiſtere ſuperbe jactantes, eleemoſynas ideo a Conſtante Imp. ad Africanas Eccleſias miſſas aſpernabantur, ajentes: *Quid eſt Imperatori cum Eccleſia?* iſtud eorum effatum temeritatis juſte redarguit, illud oſtendens adverſum Apoſtolo, a quo jubemur Reges honorare, ac pro Regibus apud Deum preces effundere; eoque magis, quod ſiquidem Eccleſia in Romana Republica fundata fuerit, Imperator propterea, qui eidem Reipublicæ præeſt, ſpeciali dignus honore eſſet. En integrum S. Optati textum lib. 3. p. 64. edit. Albaſp. *Jam tunc meditabatur* (Donatus) *contra præcepta Apoſtoli Pauli, Poteſtatibus, & Regibus injuriam facere, pro quibus, ſi Apoſtolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet B. Apoſtolus Paulus*: Rogate pro Regibus &c. *Non enim Reſpublica* &c. Quò ferme recidit expoſitio, quam ibid. in Not. p. 145, & 188. adhibent tam Gabriel Albaſpinæus, quam Franc. Balduinus, juxta ſenſum Apoſtoli ſcilicet juſſiſſe S. Optatum, ut pro Romanis Imperatoribus Orationes fierent, quod ſub ipſis quietam vitam degere jam Chriſtianis liceret, quodque Imperii tam amplitudo, quam incolumitas prodeſſet ad Eccleſiæ propagationem, incolumitatemque, uti Veteribus Chriſtianis erat perſuaſum, Tertulliano Apolog. cap. 31, ſeq., Euſebio Demonſt. Evang. lib. 3. circa fin., S. Ambroſio in Pſal. 46, & Prudentio lib. 2. contra Symmachum. Multo autem minus rectum S. Gregorii M., qui poſt alios illum objecit, aſſequutus eſt ſenſum Jannonus. Præter enim quam quod locus ille, prout ab ipſo profertur, nullibi, ut noverim, in S. Gregorio legitur, niſi quod lib. 3. epiſt. 46. nov. edit. Pariſ. 1705. S. Pontifex cum Theodoro Medico Mauritii Imp. de lege ab eo lata, qua Milites a Monaſteriis arcebantur, conqueritur in hæc verba: *Valde mihi durum videtur, ut ab ejus ſervitio Milites ſuos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum Militibus, ſed etiam Sacerdotibus conceſſit*: Quo tamen ex loco non inferri quidem a Jannono debuerat Laicæ poteſtatis in Sacerdotes imperium, ſed potius demirari tanti Pontificis erat modeſtiam,

ſtiam, qua tum ſe *Servum Dei Servorum* nuncupare, ac teſte Johanne Diac. lib. 4. cap. 58. Laicos quoslibet haud omnino proletarios *Dominorum* nomine cohoneſtare conſuevit: quomodo lib. 3. epiſt. 63. nov. edit. *Dominum ſuum* appellare Mauritium ipſum non abſtinuit, dum nondum Imperator audiebat, ſeque ipſum profiteri indignum famulum, ſervumque ipſius poſtremum: explicatiſſima ex adverſo obſtat S. Gregorii ſententia, dum enim non de nominibus, ſed re ipſa agebatur, Eccleſiam a Principali jure profecto abſolutiſſime liberam apertiſſime pronuntiavit in Expoſit. Pſal. 5. pœnit., ubi Imperatorem, quem alii Mauritium ipſum conjiciunt, Antarium Langob. Regem alii, ſic interpellat: *Eccleſiam, quam ſui ſanguinis pretio redemptam Salvator noſter voluit eſſe liberam*, (quo perinde argumento uſus Eccleſiæ libertatem vindicandam adſumpſiſſe legitur Paſchalis II. epiſt. 73. lib. 3. inter S Anſelmi editas a Pichardo ad Rothardum Mogunt.), *hanc iſte, poteſtatis Regiæ jura tranſcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret ſibi dominam ſuam eſſe agnoſcere, eique, Religioſorum Principum exemplo, devotionis obſequium exhibere. Intantum autem ſuam temeritatem extendit veſaniæ, ut Caput omnium Eccleſiarum, Romanam Eccleſiam, ſibi vindicet, & in Domina gentium terrenæ jus poteſtatis uſurpet*. Non me fugit quidem hanc in Pſal. pœnit. Expoſitionem S. Gregorio M. abjudicari, ac potius S. Gregorio VII. adſcribi a Petro Guſſanvillæo in edit. Pariſ. an. 1675. ab ſe adornata, a Dupinio vero Bibl. Eccl. ſect. 6, & ab Oudino de Script. Eccleſ. Tom. 2. p. 768, ſeqq. Roberto de Tumbalenia Abbati S. Vigoris juxta Urbem Bajocenſem, S. Gregorio VII. amicitia conjunctiſſimo, adjudicari, tum quod opus hoc in Codicibus Mſs. Bibliothecarum Galliæ deſideretur; tum quod periocha illa ſive Mauritio, ſive Phocæ ægre admodum accommodari queat. Mitto ceteras levioris momenti conjecturas, queis hoc apto reſponſum. Ab Eruditis profecto Editoribus Operum S. Gregorii M. diligenter perluſtratis Italiæ, Galliæ, Angliæ, Germaniæ, & Hiſpaniæ Bibliothecis, agnitum demum Opus fuiſſe legitimum, ideoque a Doctiſs. Mauriuis locum inter germana ipſius Opera eidem factum. Periodum illam autem congruere aptiſſime vel Mauritio, a quo graviſſimas tuliſſe moleſtias, infeſtatio-

ſtationeſque, ob ejus avaritiam, rapacitatem, ſimoniam, aliaque ejus genus vitia, perpeſsum optimum Pontificem conſtat ex Johanne Diacono lib. 4 cap. 17, & S. Gregorio ipſo lib. 13. epiſt. 38. ad Phocam, ac lib. 5. epiſt. 41. ad Conſtantinam Auguſtam; vel Antario Langob. Regi, ad quem reſpexiſse ex ipſius periochæ integro contextu veri fit ſimilius, quemve *nefandiſſimi* nomine idem Pontifex lib. 1. epiſt. 17. ad Epiſcopos Ital. nuncupat. Cæterum hujus Expoſitionis ſtilus, atque ſcribendi ratio ceteris S. Gregorii ſcriptis apprime conformis dignoſcitur; aliunde quoque S. Paterius ejus diſcipulus in Commentariis brevibus in Pſalmos, ex S. Gregorio verbo plerumque ad verbum hauſtis, pleraque ex hacce Gregoriana Expoſitione in ſeptem Pſalmos pœnit. deſcripſit. Confer, qui hac de re fuſe diſputat, doctiſs. Blancum de Polit., & poteſt. Eccl. Tom. 3. lib. 1. cap. 1. §. 7. Quod autem ad S. Joh. Chryſoſtomum reſpicit, germana ipſius ſententia ex delibatis paullo ſuperius liquido patet. Nempe Imperatoribus obedientiam deberi ab omnibus, obſequiumque, in his attamen, quæ libertatem Eccleſiæ, Eccleſiaſticaſque leges non lædant, nec labefactent. Neque vero de Clericis tantum, ſed de Laicis etiam locum Apoſtoli eſt interpretatus, ideſt tam Clericos, quam Laicos, ordine ſuo, Poteſtatibus ſublimioribus eſse debere ſubjectos. Legatur quoque S. Bernardi textus integer, liquidoque conſtabit ſiniſtrum prorſus in ſenſum a Jannono fuiſse inflexum. Eo enim loci non loquitur utique de officio a Clericis ſæculi Poteſtatibus impendendo, ſed de obedientia a Clericis inferioris ordinis Hierarchis Eccleſiaſticis deferenda, adſumptoque argumento, quod a minori ad majus in Scholis vocari vulgo ſolet, ex eo quod Chriſtus D. cum tributum Cæſari dependendum edixit, tum Pilato ſemetipſum occidendum tradere non detrectavit, infert, atque concludit, multo magis Chriſti D. Vicario eſse obediendum: *Indignum erit*, inquiens, *vobis cuicumque Chriſti Vicario taliter exhibere, qualiter ab antiquo inter Eccleſias ordinatum eſt?* Id ſi obſervaſset Jannonus, prodere abſque delectu S. Pauli exemplum cauſsam ſuam apud Feſtum agitantis, & ad Cæſaris Tribunal appellantis, omnem prorſus ſi neduni exuit pudorem, ſodes dic, auſus ne fuiſset?

Bene

Bene tandem, optimeque ſe habet, quod Chriſti D., Apoſtolorumque doctrinis, exempliſque Chriſtiani veteres imbuti, eruditique a conjurationibus in Sæculi Poteſtates abhorruerint quammaxime, ſemperque, cujuſmodi diſciplinæ, Religioniſque veſtigium in Can 83. ex iis, qui a Græcis adſcribi ſolent Apoſtolis, videre licet, quo nempe dignas luere pro facinore pœnas jubentur, qui virum Principem afficere contumelia non horruiſſent. Quorum ideo Religionem erga Reges tum preſſo ſequi veſtigio, tum ab Ethnicorum calumniis in tuto ponere veteribus illis Patribus Juſtino Apolog. 1. n. 17, Athenagoræ, Tertulliano, Lucifero Calar., Apollinari, Origeni, SS. Athanaſio, Baſilio, Ambroſio, Euſebio Samoſ., Gregorio &c. adeo cordi fuit, impenſæque curæ. Religionis hoc ſpecimen a Majoribus acceptum integre quoque nobis probatur, arctiſſimeque infixum animo retinetur, quo erga Principes optime affectos, ut oportet plane, Chriſtifideles eſſe omnes pro virili parte ſuademus, & perſuademus. Quin etiam præ Chriſtifidelium vulgo ad Sacerdotum partes accedere ſentimus Populos in officio, & obſequio erga Principes continere, pœnis quinimo Spiritualibus, prout opus fuerit, ad parendum Sæculi Poteſtatibus eos compellere. Quo plane Religionis erga Reges officio haud ſemel probe defuncti tam Pontifices Summi, quam ſingulares Epiſcopi leguntur paſſim, a queis labentibus Sæculis allaboratum maxime ſcimus, quo Populorum adverſus Principes inſolentia, temeritaſque comprimeretur, tumultuſque compeſcerentur. Atque ita profecto quum in Hiſpania proprios in Reges Gothos Populi maxima facile inſania ſolerent invehi, adeoque ut qui minus ipſis adprobaretur, extemplo aut Regno deturbaretur, aut morte afficeretur turpi, teſtibus Annonio lib. 2. cap. 20, & Roderico lib. 2. cap. 2, ac lib. 3 cap. 20, Synodus propterea Toletana IV. cap. 75, ac Synodi ſubinde Toletana V. cap. 2, ſeqq., Toletana VI. capp. 14, 16, ſeqq., Toletana XIII. capp. 4, & 5, ac Toletana XVI. capp. 8, & 9, Regum ſaluti, capiti, & vitæ conſulturæ, Gentis temeritatem, inſaniamque terribili denuntiato anathemate deterrendam, removendamque ſtatuere. Sic deinde Sancius I. Aragoniæ Rex, ut ſibi, Regnoque ſuo, ac Proli proſpiceret, optimo conſilio Regnum Eccle-

ſiæ

siæ Romanæ, annuo instituto tributo, vectigale fecit, veluti fidem indubiam faciunt Urbani II. litteræ in Archivo Monasterii Montis Aragonum servatæ, quarum exemplar in lucem produxit Josephus Stephanus Valentinus lib. 1. de potest. coact. Rom. Pontif. cap. 11. n. 22. Sic etiam Paulo II. suam in Castellæ Regnum restitutionem debet Henricus IV, in quem conspiratio Procerum facta nonnisi Pontificiis comprimi fulminibus potuit. Nefarius mos ille adversus Reges insurgendi quum apud Anglos etiam invaleseeret, uti testatur Gaguinus lib. 4, tam Reges, ut propriæ incolumitati consulerent, annuo tributo Regnum totum Ecclesiæ Romanæ addicendum duxere, quam Episcopi, ac Pontifices, ut Regum dignitatem, vitamque in tuto collocarent, Sacerdotali utendum sibi auctoritate rati sunt, veluti Leo III, qui Legatis a latere in Angliam dimissis, gentem, a qua Northumbriæ legitimus Rex Eardulphus, eidem Alfuvoldo suffecto, e Regno pulsus fuerat, ad officium redigere non prætermisit; Johannes X, a quo Æthelstano in Angliæ Regnum jura tum egregie vindicata sunt, tum in eum structæ ab Alfredo insidiæ valide sunt amolitæ apud Willelmum Malmesb. lib. 11. cap. 6; Innocentius III, qui Johanni Regi obedientiam dependere Anglos imperavit, vegrandibus in perduelles intentatis pœnarum minis apud Matthæum Paris. ad an. 1215; Urbanus IV, & Clemens IV, a quibus Angli in Henricum III. Regem rebelles in officio cohibiti sunt; Episcopi quoque, velut in Synodis Cloveshovienſi II. anno 747. Can. 30, Ænhamenſi an. 1009. cap. 26, Oxonienſi an. 1222. tit. de Sent. Excom., Redingenſi an. 1279. cap. 3, &c. Quomodo Francorum quoque Reges sibi Majestas inviolabilis ut esset, semet, filios, ditionesque Apostolicæ Sedis officiis, auctoritatique commendare non dubitarunt, veluti Carolus M., Ludovicus Pius, Ludovicus II, Ludovicus Balbus, Ludovicus III, Carolomannus, Carolus simplex, Ludovicus IV. apud Flodoardum lib. 4 capp. 3, 21. &c. Ludovicus VII. &c. Utque profecto inviolabilis eadem permaneret Majestas, opera nunquam defuere sua cum Pontifices MM. S. Nicolaus I. in epist. ad Synodum Suessionensem, & Gall. Episcopos, Hadrianus II. in ep. 2, 15, & 16. ad Ludovicum Germ. Reg., Johannes VIII. in epist. ad Germ. Episcopos, ad Franc. Reges,

ges, & Optimates, Formoſus, a quo Caroli Simplicis jura contra Odonem Pariſ. Comitem ſtrenue vindicata ſunt, Stephanus VIII. apud Flodoardum in Chron. ad an. 942; Agapetus II. opera Legati ad Synodum Ingelheimenſem, Innocentius III. apud Raynaldum ad an. 1199, Urbanus V, a quo conſpirantes adverſus Carolum VI. compreſſi ſunt, &c.; tum etiam Synodi Metenſis an. 590, & Francofordienſis an. 794. Can. 3, Turonenſis III. an. 813. Can. 1, Aquiſgranenſis II. an. 836. Can. 12, Moguntina I. an. 847. cap. 5, Tullenſis an. 859. Can. 8, Sueſſionenſis III. an. 866. in Synodica ad S. Nicolaum I, Troslejana an. 909. cap. 2, Ingelheimenſis an. 948. Can. 1, &c. Quid vero, quod Regibus contra Fulconem Comitem Fulbertus Carnot. epiſt. 100, & contra Comitem Rogerium S. Lantfrancus Cantuar. epiſt. 41. ſuppetias tuliſſe, ingentique ſane fuiſſe ope leguntur? At enim longe potiori Henrico IV. Imp., & Henrici II. filiis ſubſidio fuere Alexander III. in Append. 2. ep. 1010, & apud Petrum Bleſenſem epiſt. 69, 136, 144, ſeqq., Willelmo Regi Siciliæ idem Pontifex Append. 2. ep. 94, Regique Armeniæ Innocentius III. ep. 22, 23, & apud Raynaldum ad an. 1199. n. 67. Undè jure, optimeque Urbanus IV. in epiſt. ad Michaelem Græcor. Imp. ſcripſit: Occidentis Reges certiſſimum, præſentiſſimumque in Apoſtolicæ Sedis interventione perfugium ſemper habere, ad mutuas componendas diſſenſiones, rebellioneſque Populorum frangendas. Atque ita perinde Reginæ Aragoniæ defenſionem in ſe ſuſcepiſſe legitur Clemens IV, Alphonſi X. Regis Caſtellæ Martinus IV, qui & Carolo Andegavenſi Siciliæ Regi adjutorio præſentiſſimus adfuit, Johannis Caſtellæ item Regis Eugenius IV, Maximiliani Rom. Regis, ac Philippi Filii adverſus Belgas Innocentius VIII, ac Ladislai Regis Hungariæ Leo X, apud Raynaldum ad annos 1266. n. 27, ſeq., 1283. n. 55, ſeq, 1441. n. 19, 1516. n. 60, ſeq., &c. Caſus perſimiles defenſionis plerumque Rom. a Pontificibus impenſæ Regibus Bohemiæ, Hiſpaniæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ &c. legere paſſim eſt in Decret. 6. lib. 1. tit. 8. cap. 2, apud Cardinalem Papienſem epiſt. 122, & Raynaldum ad annos 1472. n. 33, 1486. n. 47, 1487. n. 17, 1488. n. 3, 1489. n. 17. &c. Græcos quoque a tumultu in Conſtantinum Porphyrog. excitando excommuni-

municationis comminatione deterritos ab Alexio Patriarcha, & a Synodo Constantinopolitana sub ipso legere præstat Jur. Orient. Tom. 1. p. 118, 280, & 290. Confer & doctiss. Thomassinum Vet., & nov. Discipl. par. 2. lib. 3. cap. 93, seq., ac dicta nobis Vind. Tom. 3. Par. 2. Art. 5. in Proleg. p. 333 Factum hinc facile putare quid prohibet, ecquis invidiæ, culpæque deputare præsumat, ut qua Reges Ecclesiæ, præsertim Romanæ, Regna sua ultrocitroque obnoxia facere non reformidarent, qua Imperatores, fidei præstito Sacramento, Apostolicæ Sedi obedientiam obligare suam non dubitarent, quod nempe arcte persuasum haberent subjectionem hanc, obedientiamque Regnis, Imperioque incremento potius, incolumitatique futuram, quam imminutioni, & injuriæ. Quo de argumento, copiosius, si Superis placebit, seq. Artic. 4. Erga Imperatores ergo, Regesque, quandiu Ecclesiæ non se præberent infestos, ejusque in jura prorumpere auderent, reverenti, pronoque se ferre animo religioni habebant veteres Patres. Quum vero illos potestatis extra propriæ fines efferri, molestiamque Religioni inferre viderunt, scitum est, qua demum animi virtute induti obviam illis occurrere, viriliterque obsistere non extimuerint, veluti Constantio S. Athanasius, Theodosio S. Ambrosius, Valenti S. Basilius, Zenoni S. Hormisdas, Justiniano Vigilius, Mauritio S. Gregorius, Alexio Innocentius III., aliisque alii, uti sub Artic. 1. initium indicatum est. Qui si armis depugnasse spiritualibus dumtaxat leguntur, nihilotamen minus sic depugnando palam fecere in ea utique parte, quæ maxima profecto erat, Potestati Civili Ecclesiasticam longe præstare, legemque sancire posse.

Quod ad Imperatorum, Regumque facta, legesque, quibus Ecclestasticis se se rebus ingerere voluisse visi aliquando sunt, demum attinet, quo recto denique, proboque accipi sensu queant, debeantque, abunde, opinor, vice plus simplici explicatum est. Injuriæ vero Constantino M. vertitur, quod ingenti cedere ipsi gloriæ debebat, dum Ecclesiastici veluti juris invasor traducitur. Qui si Episcopum se circa Ecclesiæ externa, sive extra Ecclesiam dixit, dictum accipi debet, non de regiminis parte quidem sibi sumpta, veluti perperam accipiendum pugnant Nicolaus Vedelius de

de Epiſcopatu Conſtantini M., Andrevvs Lancellotus in tortura Torti, ideſt Bellarmini, p. 363, Joh. Rainoldus in Colloquio cum Hardto, Joh. Dallæus contra Adamum, & Cottibium par. 2. p. 79, Hugo Grotius de Imp. ſum. Poteſt. circa Sacra, & Oper. Theolog. To. 3. p. 142, Gerhardus Joh. Voſſius epiſt. 23. ad Grotium, David Blondellus lib. de Formula *Regnante Chriſto* p. 175, ſeq., ac de Primatu in Eccleſ. p. 1116, M. Antonius de Dominis de Republ. lib. 6. cap. 5, ſeq., Henricus Stebbingius de Civili regim. circa Relig., & Willelmus Prynnius in hiſt Chronolog. vind. ſupr. Eccl. Juriſd., quos laudat, & ſequitur Joh. Albertus Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 13. p. 282, ſeq., bene vero vel cum Leone Allatio de Conſenſu utriuſque Eccl. p. 230, ſeq. de rebus Civilibus, non de Eccleſiaſticis, vel cum Petro de Marca de Concord. lib. 2. cap. 10. de Gentilibus, non de Chriſtianis, vel cum Balleriniis in adnot. ad epiſt. 115. S. Leonis M. de tutela, ac defenſione Eccleſiæ impenſa. Quo plane ſenſu accipiendum fore id quoque efficaciterque ſuadet, quod eumdem Imperatorem Sacerdotibus inferiorem ſe dictis, factiſque reputaſſe, oſtendiſſeque pluries memoriæ prodidere Euſebius in ipſius vita (cui libros hoſce quatuor abjudicandos exiſtimarunt Jacobus Gottofredus in diſſer. ad Philoſtorgium p. 273, & in epiſt. ad Rivetum ſub Pacidii nomine, ac Dorſcheus in Diatypoſi Concil Nicæni p. 3, Macario vero Hieroſolym. tribuendos arbitratus eſt Sandius in Nucleo hiſt. Eccl. p. 48, Acacio Luſco in Epiſcopatu Cæſar. ejus ſucceſſori adſcribendos cenſet Fuhrmannus hiſt. de Baptiſmo Conſt. par. 1. Colloq. 5. §. 28, minus probabiliter tamen, veluti Socratis lib. 1. capp. 1, & 8, ac lib. 5. cap. 22, Sozomeni, Photii Cod. 127. p. 306, Gelaſii Cyziceni, Nicephori, Theodoreti, quibus Philoſtorgium lib. 1. n. 2. adjungit Pagius ad an. 340. n. 23, teſtimoniis Euſebii opus eſſe demonſtrant Martinus Hanckius de Byzant. rer. Script. par. 1. §. 175. p. 81, ſeqq., Joh. Andreas Boſius de Pontificatu M. Imperat. p. 63, ſeq., & Valeſius p. 216.) Euſebius, inquam, in ipſius vita lib. 3. cap. 18. referens Divinæ voluntati ab eo tribui conſuevisſe, quidquid ab Epiſcopis fuiſſet decretum. Horum decreta ſua ideo conſignanda duxiſſe auctoritate: *Ne reliquarum gentium Principibus liceret, quæ ab eis decreta eſſent, abrogare.*

Cujuſvis enim Judicis ſententiæ Sacerdotum Dei judicium anteponendum eſſe ſentiebat, & dicebat. Et lib. 9. hiſt. Eccl. cap. 10. verſ. Ruff. ſummæ ipſius erga Sacerdotes obſervantiæ, reverentiæque locuples accedens teſtis hiſce verbis: *Sacerdotibus Dei non credebat ſufficere, ſi ſe æqualem præberet, niſi eos, & longe præferret, & ad imaginem quamdam veneraretur Divinæ præſentiæ.* Socrates lib. 1. cap. 5. tanto illum erga Nicænos Epiſcopos pudore, demiſſaque reverentia affectum tradens, ut prius aſſidere renuerit, quam Epiſcopi, ut ita faceret, innuiſſent. Imperator ipſemet cum in Epiſtolis ad Eccleſias de Synodo Nicæna apud Theodoretum quoque lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 10, & ad Synodum Tyriam ibid. cap. 29, & apud Euſebium lib. 4. cap. 42: ipſius vitæ, tum in Orat. ad SS. Cœtum ad calcem lib. 4. vitæ ejuſdem, alibique ſæpe quam ſublimis, & quam intima de Epiſcopali dignitate, decretiſque ab Epiſcopis editis animo ſibi inhæreret ſententia, & obſervantia patefaciens, adeo ut ſemet illis & erudiendum, & corrigendum exhibere non erubeſceret: *Vos*, ſic eos obſervans, *ſi quid forte erroris acciderit, me ſedulo corrigatis*, in Orat. ad SS. Cœtum p. 331, & in Epiſt. ad Synod. Tyr. p. 321: *Veſtræ*, ſic eos alloquens, *Sanctitatis partes ſunt ſecundum Eccleſiaſticam, & Apoſtolicam regulam omnibus erratis curationem adhibere.* Qui ita plane optime animo, intimeque erat affectus, quì fieri tandem poterat, ut Epiſcopis ſe parem efferre poteſtate affectaret, exambiretque? Videſis interea de loquutionibus hujuſmodi fuſe diſſerentem Illuſt. Franciſcum Rotomagenſem Archiep. de reb. Eccleſ. lib. 1. cap. 3. Atque probo hoc ipſo ſenſu, facilique intelligi oportere, quæ a Marciano, Imperatoribuſque aliis de rebus Eccleſiaſticis editæ feruntur, leges exinde compertum evadit; non ſecus atque iis multis exemplis, quorum ad ſuadendum Imperatores Carolingicos, ac Germanicos e re ſua, jureque duxiſſe negotiis ſemet Eccleſiaſticis implicare, fuſiſſimam, indigeſtamque texuit hypothypoſim Pfeifferus ad Vitriarii lib. 3. Jur. publ. tit. 2. §. 8. a pag. 5. ad p. 88, aliud non evinci, niſi tum pleraque illicite ab illis fuiſſe uſurpata, tum plurima extra Protectionis ordinariæ Eccleſiis impenſæ fines haud egreſſa, tum alia extraordinariæ proviſioni, & Advocatiæ, ut quum Eccleſia ab exerenda Juriſdictione exte-

exterius impediretur, deputanda fuiſſe oſtendit Carolus Chriſtoph. Loven Conſil. Aulicus Bamberg. in diſſert. de Jure Princip. Cathol circa Sacra cap. 2 §. 10. p. 39. Quibus adjungere ſatis habeo, ſuperque illuſtre Ludovici Pii effatum, quo in Capitul. 2. lib. 2. cap. 4. Epiſcopis adjutorio ſe haud defuturum pollicitus, ſic eoſdem alloquitur: *Ut noſtro auxilio ſuffulti, quod veſtra Auctoritas expoſcit, famulante, ut decet, poteſtate noſtra, perficere valeatis*, apud Harduinum To. 4. p. 1250. Quo ex loco Boſſuetius in ſerm. de Unitate Eccleſiæ in Comitiis an. 1682. habito, ad quæ alioqui Regiam ad deprimendam, locoque Eccleſiaſticam extollendam non admodum paratus advenerat, oſtendere adgreſſus eſt Regiæ poteſtati, ubi rebus in Civilibus dominatur, in Eccleſiaſticis obſequi, religioni, officioque cedere. Nec eſt vero, cur in S. Leonis M. epiſtolis quæratur effugium, & a Queſnello ſiniſtrum id intorqueatur in ſenſum, quaſi ejus ſententia non modica Imperatoriæ in Eccleſiaſticis cauſſis poteſtati obtingat pars. Qui enim pro fide, unitate, & legibus Eccleſiæ ſuo loco ſtatuendis, firmandiſque labores, induſtrias, curaſque adſerunt, ſiquidem, quantum per ipſos fieri potuit, in ſemet Imperatores ſuſceperant, uti Theodoſius, Marcianus, Leo &c., iidem plane, utpote Sacerdotalis officii participes, & Sacerdotis, & Epiſcopi titulo, qui condecorarentur, ſe dignos exhibuere. Hoc ergo ſenſu a S. Leone Imperatores illi diverſis, quæ propius Epiſcoporum, Sacerdotumque tangunt officium, adpellationibus cohoneſtati ſunt, quibus eorum ſollicitudo, induſtria, affectuſque pro Eccleſia celebrabatur, non ita etiam, ut in Eccleſiam ipſis adſtrueretur juriſdictio, veluti recte animadvertunt Ballerinii Fratres in Adnot. ad epiſt. 115. S. Leonis Oper. To. 2. pag. 1526. Straminea denique, roboriſque prorſus expers eſt ratio ex Juſtiniano petita, qua totius argumentationis vim ſuffulcire conantur. Eò enim Sacerdotium ab Imperio, a Civilibuſque Sacræ differunt, quò Anima a corpore, ab humanis Divina diſcernuntur. Ejus itaque loco ea nobis ſufficienda videtur ratio, qua validiſſime adverſus Le Vayer de Auct. Reg. in adminiſt. Eccleſ. p. 9, ſeq., alioſque Politicos Regiæ poteſtatis aſſentatores pugnat Illuſt. quidam Galliar. Epiſcopus in Opuſculo Gallice inſcripto: *Le veritable uſage de l' Auto-*

rita-

torité ſeculiere dans les Materies, qui concernent la Religion, Avignon 1753. Nempe Poteſtas Eccleſiaſtica quolibet tempore, quolibetque loco eadem in ſe eſt, ſibimet eadem ſufficiens eſt, neque ſe major, aut minor æſtimari debet, ubi Principes aut Ethnica adhucdum, vel Hæretica ſuperſtitione detineantur, aut ubi Deo adſpirante, Chriſtianæ Religioni nomen jam dederint. Jam vero ſi Ethnicis, aut Hæreticis introſpiciendi in Eccleſiaſtica jura, & negotia fas juſte denegatur omne, a nemineque vegrandi abſque Religionis injuria fiet, quorſum id poſtea juris, amplumque Chriſtianis indulgeri Principibus haud extimetur? Chriſtiana enim vero Religio intacta Principum jura relinquit, nec eadem auget, aut minuit, ac ſiquidem ad felicitatem æternam Principes dirigat, Eccleſiaſticæ potius ſubjugat poteſtati. Ea itaque ratione a Religionis negotiis abſtinendum Chriſtianis Principibus eſt, qua ſe eiſdem implicare Ethinicis nefas erat, præque his illis præterea id incumbit, ut Religionis defenſores agant, ejuſque Miniſtris obedientes ſe dedant. Quo ergo jure reprehenditur execranda Principum Ethnicorum perverſitas, qua tum prædicari Religionem vetabant, tum ejuſdem Profeſſores diverſo mortis genere, diroque afficiebant, pari ſe dignos reprehenſione Principes exhibent, qui ſe rebus implicare Religionis temere volunt. Quo caſu plane Defenſoris, ac Protectoris deſunt officio, quod Chriſtiana eis impoſuit Religio, (quodque non in Eccleſiaſticæ poteſtatis uſurpatione, everſioneque conſiſtit, ſed in opera, opeque tradenda, qua Eccleſiaſtica ſe ſe exerere poteſtas valeat, non in dominatione ſupra Epiſcopos, & Sacerdotes affectanda, ſed in ſollicitudine, ſtudioque, ut eis debita obedientia dependatur, & obſervantia. Atque ideo in iis non advocatos, qui laboranti opem ferant, afflictiſque rebus ſuis adjutorio, ſubſidioque ſint, ſed Tyrannos, qui ſuam opprimant libertatem, juraque uſurpent, nacta fuiſſet Eccleſia. Ex his generatim præſtabilitis deſcendendo ad particularia, antequam de poteſtate Eccleſiaſtica in Laicam ſermonem inſtituam, diſputandumque queis de capitibus, de quotve modis quæſtionem in Laicas poteſtates agere poſſit Eccleſia, mihi ſuſcipiam, quædam paucis expedire præſtabit, quæ peculiaris Eccleſiæ quidem ſunt juris, in quæ tamen immigrare paſſim Lai-

Laicas Poteſtates intuemur. Quod ſequenti perficiendum Articulo jam adgredior.

De Poteſtate Eccleſiæ in propria Loca, Perſonas, ac Res, ſive de Immunitate Locali, Perſonali, ac Reali.

ARTICULUS III.

TErgemina, ut vides, ad ſumma capita, ſub quibus cetera facile comprehenduntur, præſentem, quam mihi propoſui, redigo quæſtionem, atque ita fidem paullo ſuperius obligatam liberabo meam, ideſt ad Loca Sacra, Sacras ad Perſonas, atque ad Res Sacras ad eorum alterutrum attinentes. Circa quæ omnia profecto Eccleſiam ſibi prorſus, ſolamque plene ſufficere dubitabit utique nemo, qui perſuaſum habeat Eccleſiaſtici Regiminis formam a Deo inſtitutam Monarchicam eſſe, & Hierarchicam, ideſt a Deo in Eccleſia diverſos inductos fuiſſe gradus, diverſaque inſtituta officia, quibus adimplendis pleniſſimam eidem factam a Deo poteſtatem fuiſſe profecto inde conſequitur. Quia tamen hacce de Regiminis forma ſequenti Articulo, propriori veluti loco, quo tanquam fundamento rato, fixoque diſputanda pleraque ſuperſtruere cogito, fuſius diſputaturum me ſpero, impræſentiarum intra hæc tria capita, quæ velut e re ipſa nata mihi ſupperunt, ſermone me devolvo. Quemadmodum itaque Synodorum cogendarum ad Religionis res pertractandas integra unam penes Eccleſiam manet poteſtas, qua de nobis quidem ante præfari oporteret, quam ad tractationem de Chriſtianis aliis conventibus noſter ſe attemperaret ſermo, niſi ſatis haberi, ſuperque deberent abunde dicta Par. II. To. 3. Art. 2 §. 1. p. 145, ſeqq., non ſecus Templa ædificandi, dedicandique ad cultum publice Deo O. M. præſtandum ampliſſima Eccleſiæ vindicanda modo facultas obtingit. Circa quæ ſane principio, ad omnes prorſus τὰς λῆρους, καὶ τὰς φλυαρίας, tricas, ineptias, nugaſque expediendas, ſecernendum diligenter jus a facto eſt: jure namque Divino priſcis Chriſtifidelibus Templa habere, Conventuſque agere fas fuiſſe defendimus, facto vero inique ab Ethinicis, intemperiis in ipſos exagitatis, impediti perſæ-

perſæpe nequibant. Quamquam & facto tam pleroſque agi Conventus conſueviſſe, quam plurima fuiſſe Templa conſtructa ad publicum Religionis exercitium peragendum Eccleſiaſtica nos paſſim docet hiſtoria, multiſque oppido palam fieri exemplis poteſt, evincique, perperam ſcripturiiſſe poſt Dallæum de Pſeudepigraphis Apoſtol. lib. 3. cap. 13. p. 163, poſt Mornæum lib. 2. de Euchar. cap. 1, poſt Blondellum de Epiſcop., & Presbyter. ſect. 3. p. 216. ſeq., 249, ſeq., ac 254. ſeq., poſt Vedelium in S. Ignatii epiſt. ad Magneſ. cap. 3, poſt Moylæum, poſt Bohemerum diſſert. Jur. Eccleſ. Antiq. diſſert. 1, poſt Walchium Antiq. Eccleſ. lib. 1. cap. 1. de Loc. Sacris, & in hiſt. Eccl. Sæculi I. cap. 3, poſt Schurzfleiſchium Controv., & Quæſt. Antiq. Eccleſ. 8. §. 1, ſcripturiiſſe, inquam, Petrum Jannonum Hiſt. Reg. Neapol. lib. 1. cap. ult., perſecutionum obtinente tempeſtate publicis Chriſtianorum Cœtibus nullibi gentium locum fuiſſe, neque Religionis exercitium uſpiam publicum audiviſſe, neque publicæ Evangelii prædicandi factam aliquando facultatem: quæ tum demum facta primum a Chriſtianis Imperatoribus fuerit, quum per otium, & pacem Eccleſiæ licuit. Et certe jam ſub Apoſtolis Templa ad Dei cultum erecta fuiſſe, congregandiſque ad rem Sacram Chriſtifidelibus deſtinata liquet ex 1. ad Corinth. 11, 18, ſeqq., ubi Apoſtolus nomine Eccleſiæ denotare voluit non tam eorum multitudinem, qui conveniebant, quam locum, in quem convenire mos eſſet. Atque ita plane accipiendum locum illum docent Hilarus Diacon., Theodoretus ibid., & S. Auguſtinus epiſt. 157, & Quæſt. in Levit. lib. 3. q. 57: *Eccleſia*, inquiens, *dicitur locus, quo Eccleſia congregatur. Nam Eccleſia homines ſunt, de quibus dicitur.* Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam. *Hanc tamen vocari etiam ipſam domum Orationum idem Apoſtolus teſtis eſt, ubi ait*: Nunquid domos non habetis &c., aut Eccleſiam Dei contemnitis &c. Quod argumenti ſane genus hinc arreptum egregie verſant, exagitantque cum adverſus Scultetum, Rivetum, & Dupinium Templa priſcis in uſu Chriſtifidelibus fuiſſe inficiantes Card. Laurentius Cozza in Vindic. Areopag. par. 2. cap. 13, tum adverſus Piccininum Card. Gotti de vera Chriſti Eccleſia To. 2. par. 2. Art. 16. §. 17. Atque in hanc utique interpretationem utroque confluunt pede

pede S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolit. in Theoria Myſtica, Gerardus Camerac. Epiſcopus in Synodo Atrebatenſi an. 1025. cap. 3, Ducangius in Gloſsar. V. *Eccleſia* To. 3. edit. Ven. 1738. pag. 7, Fullerus Miſcell. Sacr. lib. 2. cap. 9. Crit. Sacr. To. 7. p. 91. edit. Francof., Grotius ad 1. Gorinth. 11, 20, & Seldenus de Syned. lib. 3. cap. 15. n. 2.

Atqui S. Paulo teſtes adſtipulantur locupletes (ut de Philone quidem Judæo ſileam, qui lib. de vita Theoretica, ſive Supplicum Euſebio lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 17, S. Epiphanio hær. 29. n. 5, S. Hieronymo de Script. Eccleſ. cap. 11, Sozomeno lib. 1. cap. 12, aliiſque longe plurimis de Templis a priſcis Chriſtianis in Ægypto paſſim exſtructis loqui viſus eſt: quum veri ſiat longe ſimilius loquutum fuiſſe illum, non de Philoſophis Ethnicis judaizantibus, uti demum augurari placuit Joh. Joachimo Langio diſſert. de Therapeutis Halæ 1721, & Nicolao Nonnen diſſert. pro Canonica auctor. Cant. Cant. Trajecti 1725, quos refellunt Heumannus in Actis Philoſoph. par. 16, & Zinchius diſſert. de Therap. Lip. 1724, ſed de Eſſæorum apud gentiles ſuos religioſa, famoſaque ſecta, quam in rem conferendus Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 3. n. 7, ubi pro utraque parte viciſſim ſtantes recenſet Scriptores tam veteres, quam nuperos) adſtipulantur, inquam, ex SS. Patribus S. Ignatius, qui epiſt. germ. ad Magneſ. n. 7, & ad Philadelph. n. 4. Templi, & Altaris, quo convenire, de quove participare Chriſtifideles ſolerent, mentionem ingerit; Auctor Conſtit. Apoſtolic. ſub S. Clementis nomine lib. 2. cap. 57, ubi Templi, veluti rei apud Chriſtianos antiquæ, diſponendi formam tradit, deque reverentia eo loci ſervanda utriuſque ſexus Chriſtifideles diligenter inſtruit; S. Juſtinus, qui Apolog. 1. ad Imp. Antoninum Pium n. 67. ſacri loci meminit; quod Templum erat profecto, quo ad ſacras percipiendas lectiones, Divinamque faciendam rem, Dominica quaque confluere fideles ſolebant; Auctor libror. de Eccleſ. Hierarch. (quos S. Dionyſio Areopagitæ abjudicant quidem ex noſtris Launojus de libr. S. Dionyſio inſcript., Labbeus de Script. Eccl. To. 1. p. 766, ſeqq., Nourrius in appar. ad Bibl. PP. diſſert. 10, Joh. Morinus de Sacr. Ordinat. p. 421, ſeqq., Tillemontius Monum. Eccleſ.

To. 2. p. 437, ſeq., Lequiennius diſſert. 2. Damaſcenica &c.; ex Proteſtantibus vero Dallæus lib. 1. de Script. Ignat., & Dionyſ., Alexander Morus ad Act. cap. 17. v. 34, Georgius Hachevillus lib. de Provid. Dei p. 208, ſeq., Albertinus de Euchar. p. 260, ſeq., Uſſerius diſſert. de Dionyſio ad calcem libri de Script., Sacriſque Vernac., Tentzelius Exercit. ſelect. To. 2. p. 285, Ittigius diſſert. d. PP. Apoſtol. p. 143, & 165, ac in Select. hiſt. Eccleſ. Sæculi I. capit. p. 25, & 43, Fabricius Bibl. Græcæ To. 5. lib. 5. cap. 1. p. 4, ſeq., &c., Contra vero adſcribere non dubitarunt poſt S. Maximum, Genebrardum, Baronium, Bellarminum, Scheleſtratium &c. Johannes a S. Franciſco Prior Fulienſis in Apolog. ad Oper. calcem edit. Pariſ., Martinus del Rio in Vindic. Areop. adverſus Scaligerum cap. 8, ſeqq. Oper. edit. Venet. 1756. To. 2. p. 262, ſeqq., Petrus Alloixius quæſt. 2. ibid. p. 210, ſeqq., Gaultier in Apologia Tabulæ ſuæ Chronograph. Sæculi I. inſerta, Petrus Lanſellius diſput. Apolog. eodem T. 2. Oper. p. 284, ſeqq., Johannes de Chaumont in defenſ. Areop. adv. Dallæum ibid. p. 305, ſeqq., Natalis Alexander hiſt. Eccl. ad Sæcul. I. art. 15. cap. 10, & diſſert. 22, Claudius Davidius diſſert. de S. Dionyſio Pariſ. 1702, Card. Laurentius Cozza in Vind. Areop., Joh. Novius Apolog. pro Operibus S. Dionyſii adv. Laur. Vallam Cozzæ libro ſubjuncta, &c.; quoſque libros ſaltem neque Apollinariſtæ cujuſpiam, ut putavit Stillingfleetus in reſponſ. ad Creſſii Apolog., neque Eutychiani alicujus, ſive Monophyſitæ, veluti Morino, & Lequiennio viſum eſt, multoque minus S. Gregorii M., uti Dodvvelli ſuſpicio fuit, legitimum eſſe fœtum Auctor Gallus Problematis de Libris S. Dionyſii Oper. To. 2. p. 327, ſeqq., & Joh. Franc. Bernardus de Rubeis diſſert. adverſ. Lequiennium ibid. p. 434, ſeqq. oſtendunt, qui potius antiqui Patris alicujus Opus eſſe, in quod pleraque e Clemente Alex., & S. Gregorio Nyſſeno confluxerint), Auctor, inquam, Eccl. Hier. cap. 3. par. 2, & cap 4. par. 2. item, quo loci & Chori, & Altaris, & Templi, pro ſacra peragenda Synaxi, & ſacrarum prælectionibus Scripturarum, memoriam facit, ubi videndus Georgius Pachymer in paraphraſi, & Corderius in Not. To. 1. p. 222, ſeqq.; S. Dionyſius Alexand. in epiſt. 1. ad Baſilidem a

Pho-

Photio citata in Nomoc., ac ſæpius edita cum Balſamonis, & Zonaræ Scholiis in Bibl. PP., ac To. 1. Concil. Labbei p. 831, & Harduini p. 186, Can. 2. τὸ οἶκον τοῦ Θεοῦ *Domum Dei*, juxta verſionem Frontonis Ducæi, memorat, in quam ingredi fœminas abſceſſu non prohiberi docet; apud Euſebium lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 22. locum quemcumque, perſecutione ſæviente, ad peragendas Synaxes inſtar Templi ſibi, Populoque deſerviiſſe perhibet; Tertullianus, qui de Idol. cap. 7, & lib. adv. Valentinianos cap. 2, & 7, & S. Cyprianus, qui de Oper., & eleemoyſ. p. 203, ac epiſt. 55, alias 59. priſcis Chriſtianis Templa uſu frequentata expliciſſime referunt; S. Gregorius Thaumaturgus, a quo apud Ruffinum hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 25, Templum, miraculo etiam adhibito, exſtructum legitur, & S. Cyrillus Hieroſolym., qui Catech. 6. ab Apoſtolis conſecratum in Eccleſiam Cœnaculum, ubi Spiritu S. afflati fuerant, auctor eſt; non ſecus ac Antiochiæ a S. Petro in Templum fuiſſe converſam Theophili domum refert Auctor Recognit. lib. 10. n. 71, quem tamen fluxam admodum gerere fidem ignorat nemo. Atque horum quidem auctoritati non officiunt, quæ a Dallæo, a Duplexio, a Blondello, a Bohemero, a Vedelio, a Walchio, a Jannone indigeſtim abſque delectu conglomerari, exaggerarique loca ſolent ex Clemente Alex. Stromat. lib. 7. n. 7. p. 851. edit. Ven. 1757, ex Minucio Felice in Oct. p. 6, ex Origene contra Celſum lib. 3. n. 34. p. 469, edit. Pariſ. 1733, & lib. 8. n. 17. Oper. To. 1. p. 755, ex Arnobio lib. 6. adv. Gent. ſub init., ex Lactantio lib. 1. de falſa Relig. cap. 10, lib. 2. de Orig. erroris cap. 2, lib. 5. de Juſtitia cap. 2, lib. 6. cap. 25, lib. de Ira Dei cap. 24, & lib. 7. de Benef. cap. 7, ex S. Iſidoro Peluſ. lib. 2. epiſt. 247. ad Theodoſium Epiſcop. &c., qui adverſus Ethnicos diſputantes, aut falſos Chriſtianos redarguentes, qui de Templis ab ſe ædificatis adblandiebantur, dum interea de puritate morum, qua coli Religio deberet, nihil faciebant penſi, nullaque affectos ſollicitudine ſe præbebant, Templa ad Dei cultum apud Chriſtianos veteres exſtructa negare videntur. Nam de Templis loquuntur ritu Ethnico dedicatis, quæ non erant, niſi buſta, cineres, oſſa, functorumque fœda corporum ſepulcra, quorum ideo a nomine ipſo abhorriſſe Chriſtifide-

les quammaxime admonet S. Zeno Veron. Serm. de Continentia, quæ Ethnicis *Templa*, noſtris *Eccleſiæ* nomine veniſſe memorans: quo plane ſenſu accipiendos Clementem Alex., Minutium Felic., Origenem, Lactantium, Arnobium obſervant Deſiderius Heraldus ad Arnobii lib. 6. p. 190, Geverhartus Elmenhorſtius ad eumdem p 173, & ad Minutium p. 5, Franciſcus Balduinus in Prolegom. ad eumdem, Joh. Wovverius ibid. p. 118, & Chriſtianus Kortholtus in tract. de calumniis Pagan. cap. 8, & in Athenagoram de legat. cap. 25; vel de Templis verba faciunt Ethnicorum more, opinioneque habitis, ſic ut aræ immolandis animalibus; thuribus adolendis exſtructæ viderentur, eorum velut ambitu ſupremum circumſcribi Numen exiſtimaretur, ac varius ſuperſtitionis cultus ſimulacris exhiberetur: qua ratione intelligendos Clementem Alex. oſtendit Gentianus Hervetus ad lib. 7. Strom. p 714, ſeq., & Arnobium Heraldus p. 229, ſeq., & Helmenhorſtius p. 173; vel de Templis, quæ faſtu Ethnico ſublimioribus fuiſſent elata faſtigiis, in quibuſque ad ornatum conſpicerentur ἀγάλματα, Ξόανα, Ἀφομοίωμα, εἰδώλωνα, εἰκόνωνα, ἢ Ἀνδριάντωνα, Simulacra, Idola, Statuæ, Imagines, pictæ Tabulæ, atque hoſtiles etiam prædæ, quorum mentio apud Homerum, Euſtathium, Heſychium, Livium lib. 4, 32, 38, & Agathiam lib. 5, qua ideo vel a profana abſtinere appellatione Chriſtianis erat religio: quo modo ſane accipiendos præſertim Origenem, & Minutium (quorum intimum propterea ſenſum haud aſſequutus videtur Petavius, dum lib. 15. de Incarn. cap. 13. num. 1. utriuſque opinione Chriſtianos veteres a Templis abhoruiſſe putat) rectius animadvertunt Carolus de la Rue in Not. ad Origen. p. 754, ſeq., Joh. Wovverius ad Minut. p. 118, & Franc. Balduinus in Proleg. ad eumdem; vel ita loquentes reſpiciebant ad interiorem animi, puriorem que cultum, morumque illibatam diſciplinam, quæ Deo O. M. præ Templis longe probari, atque perinde Chriſtifidelibus præ exteriori Templorum ornatu, ac ſpecie longe pluris fieri adfirmabant: quo profecto ſenſu loquutos fuiſſe Lactantium, & S. Iſidorum vel eorum lectio confeſtim indicat, & obſervat Heraldus in Arnob. p. 194; vel fari demum ita fas illis fuerat, poſtquam iniquiſſimo Diocletiani edicto Templa

D.

D. O. M. exſtructa, & dicata ubique gentium everſa, ſoloque æquata illis viſa ſunt: qua de re Spencerus etiam ad Origen. adv. Celſ. lib 8. p. 389. Cæterum enim Chriſtianis uſu antiquiſſimo veniſſe Templa ipſiſmet Scriptoribus tam certum fuit, quam quod certiſſimum, Origeni, qui præf. lib. 8. adv. Celſ. cum Ethnicorum Templis non utique conferenda Templa fidelium oſtendit, nec horum Simulacra, Altaria, ſuffituſque cum illorum Idolis, cruentis aris, & nidoribus, in Numer. hom. 11, & in Joſue hom. 10 Chriſtifidelium in Eccleſiam adventum, erga Sacerdotes officia, confertaſque ad Eccleſiarum, Altariumque ornatum eleemoſynas deſcribit, & Tract. 28. in Matth. ardente Maximini perſequutione Eccleſias devaſtatas, incenſasque refert; Arnobio, qui lib 4. ſub finem p. 152, & ipſe Templorum everſiones impie a Tyrannis imperatas, peractaſque vehementer dolet; Lactantio, qui lib. 5. Divin. Inſtit. cap. 2. in Bithynia Dei Templum everſum, eodem lib 5. Divin. Inſt. cap. 11. in Phrygia incenſum alterum memorat, & libro de Mortib. Perſecut. cap. 1. everſam Nicomediæ Eccleſiam iterum majore cum gloria inſtaurari cœpiſſe teſtatur, cap. 13. in Galliis quoque, flagrante perſecutione, Templa dirui paſſum Conſtantium perhibet, & cap. 48. Edictum Conſtantini, & Licinii pro Chriſtianis refert, quo locorum, ad quæ olim convenire Chriſtianis ſolemne erat, ullo abſque pretio eiſdem reſtitui jubentur, fitque mentio præterea bonorum ad Eccleſias pertinentium, quæ reddi perinde imperantur. Hunc Lactantio quidem librum abjudicant Nourrius in differr. ſpeciali, Maſſuetius, Auctor Obſervat. Critic. in Auctores Vet., & Recent. ab eruditis Britannis inchoat. vol. 4. To. 1. p. 70. edit. Amſtel. 1737, Ballerinii Fratr. in Hiſtor. Donatiſt. par. 1. cap. 3. Oper. Norisii To. 4. p 35, ſeq., Pfaffius in præfat. ad Lactantii Epitomen, & Clericus Bibl. nov. To. 1. p. 436, ſeq., qua tamen a ſententia recedit Art. Crit. par. 2. cap. 10. Contra vero Lactantio vindicate non dubitant Baluzius Miſcell. To. 2, Joh. Fellus in Schol., Giſbertus Cuperus, Nicol. Toinardus, Johan. Columbus in Not., Bauldrius in præfat., Sparkius in Not., Maucroixius, Gilb. Burnetus, Joh. G. Grævius, Elias Boherellus, Thom. Galæus, Jacob. Tollius in Not., Maturinus Veiſſ. la Croze in reflex. ad nov. edit.

edit. libri hujus, Maichelius de Bibliot. PP. p. 187, seq., Grainvillius in elect. rei Numar., Walchius in diatriba de Lact. stylo cap. 5, Ferstchius in dissert. de mort. Persecut., Bunemannus in edit. Oper. Lact. p. 1364, Lestocquius in disquisit. apud Langlet Oper. Lact. To. 2., Heumannus Append. 1. ad Symposium p. 218, seq., multisque nuper Eduardus a S. Xaverio To. 2. dissert. 13, ac Fabricius Bibl. Lat. lib. 4. cap. 3, & Bibl. med., & inf. Latin. lib. 11. Quibus jungendi S. Zeno Veron. Serm. in Psal. 126, ubi de Christianis Templis, veluti de locis usu sacro antiquis, sic habet: *Conventus Ecclesiarum, quos ad secretam* (qua de Arcani disciplina multa Scheleſtratius, ac nuper Scholliner adversus Dallæum, Albertinum, Tentzelium, Binghamum, Bohemerum &c) *Sacramentorum Religionem ædificiorum sepia concludunt, consuetudo nostra Domum Dei solita est nuncupare*; S. Optatus, qui lib. 1. adv. Parmen. p. 41. edit. Albasp. Ecclesiis Africæ, tempore Maxentii, quamplurima ex auro, & argento fuisse ornamenta testatur: quomodo etiam S. Augustinus lib. 3. contra Cresconi. cap. 29. in Cirtensi Donatistarum Ecclesia, Diocletiani persecutione desæviente, Calices aureos duos fuisse, sex argenteos, cum ejusdem metalli lucerna testis accedit; & Ammianus Marcellinus lib. 27, ubi in Basilica Sicinini concursus fieri Christianorum ad Sacra celebranda consueviſſe, ibique una die triginta septem supra centum interfectos tradit.

Etsi ergo nullum aliud suppeteret argumentum, ipsa saltem Imperatorum Edicta de Christianorum Ecclesiis demoliendis, ac solo æquandis, quorum Lactantius de Mortib. Persecutor. cap. 11, S. Optatus lib. 1. p. 39, Eusebius hist. Eccl. lib 8. cap. 2, S. Hieronymus in Zachar. cap. 8, & Theodoretus lib. 5. hist. Eccl. cap. 39. meminere, fidem certissimam facerent. Atqui documenta, monumentaque non desunt indubia, quæ probent cum ante persecutiones in Ecclesiam commotas Templa extitisse a Christianis ad Dei cultum ædificata, tum ipso in persecutionum æstu nec omnia penitus fuisse destructa. Enim vero ecquis in animum inducat suum, Christifidelium in dies crescente multitudine, ac tot numero Episcopis, Presbyteris, Diaconis ubique locorum constitutis, eos omnes sine Aris, sine Templis extitisse, eademque ædificandi aut defuis-

defuiſſe modum, aut conſilium non ſubveniſſe? Atque hoc plane argumento contra Petrobruſianos feliciter dimicaſſe legitur V. Petrus Cluniac., improbabile prorſus adfirmans, quod per annos 25. S. Petrus de Templo Romæ excitando non cogitaverit, non Arelate S. Trophimus, non Lugduni S. Irenæus, non Viennæ S. Creſcens, non Bituricis S. Urſinus, non Narbonæ S. Paulus, non Toloſæ S. Saturninus, a queis alioqui Chriſtiana de re amplificanda tantam animo ſollicitudinem indutam conſtat. Cujus ideo opinione fieri nequaquam potuit, ut a S. Johanne in Aſia, a S. Marco Alexandriæ, a S. Jacobo Hieroſolymis, Epheſi a Timotheo, Antiochiæ ab Ignatio, Smyrnæ a Polycarpo, Cretæ a Tito, alibique ab aliis de Templis ædificandis cogitatum non fuerit. Atque quidem, amabo, quid aliud præferunt, niſi Ædes Sacras, Eccleſiaſque Divino nomini, ac SS. Martyribus (nam SS. Confeſſoribus ante Bonifacii IV. ætatem Templum ullum dicatum haud legitur) a prima Eccleſiæ ætate dedicatas antiquiſſima illa nomina, quibus loca Sacra Ethnicis oculere Chriſtianis adeo cordi erat, quove ipſis ſæpe convenire erat ſolemne? Erant enim *Dominica*, teſtibus S. Cypriano de Opere, & Eleem. p. 203, & Euſebio hiſt. Eccl. lib. 9. cap. 9. verſ. Ruff., ſic dicta, quod *Domino*, ideſt Chriſto D. conſecrata eſſent, ceu arbitratur Rhenanus; vel quod Domus eſſent Orationis, ut exiſtimat Cacciari in Not. ad Euſeb. loc. cit., quove de nomine S. Hieronymus in Chron., Marcellinus, & Fauſtinus in libello precum ad Imp. p. 63, ſeq., Salvianus de Gubern. lib. 6, in Actis S. Philippi Adrianopol. Epiſcopi apud Mabillonium Analect. Tom. 4. p. 136, aliique Recentiores apud Ducangium Tom. 2. edit. Ven. 1737. p. 1513. Quæ vero Latinis *Dominica*, Græcis erant Κυριακὰ, ut in Conciliis Ancyrano Can. 14, Neocæſareenſi Can. 5, & 13, Laodiceno Can. 28, in Actis S. Saturnini, & Socior. num. 2, in vita S. Nili Junior. p. 164, in Itinerario S. Willibaldi num. 16, in Regula S. Pachomii cap. 54. &c. Erant *Memoriæ*, ſic denominatæ, quod ibidem SS. Martyrum aut Reliquiæ conditæ eſſent, aut annua recoli Paſſionum memoria, ſolemnitaſque ſolerent, qua de adpellatione ſæpe S. Auguſtinus de Cura pro morr. cap. 4, in Pſal. 48, lib. 10. contra Fauſtum cap. 21, & lib. 22. de Civit. cap. 10, Lucifer Calar. lib. 2.

pro

pro S. Athan. p. 112. edit. 1., S. Athanasius in vita S. Antonii cap. 3, S. Hieronymus in Isajæ cap. 22, & epist. 17, S. Paulinus epist. 13, & 23, S. Gregorius Turon. de Mirac. lib. 1. cap. 27, aliique plures apud Ducangium Tom. 4. p. 621. Erant *Martyria*, quod Ædes essent Deo sub Martyrum invocatione dicatæ, ut aliquibus visum est, quibus favent ex Græcis præsertim L. 6. Cod. Theod. de Sepulc. violat., Concilium Laodicenum Can. 8, Socrates lib. 4. cap. 18, Sozomenus lib. 2. cap. 26, Theodoretus lib. 3. cap. 2, ex Latinis quoque S. Hieronymus in Chron., & in Apolog. ad Pammach. cap. 6, S. Isidorus lib. 15. cap. 9, Theodulphus lib. 2. Carm. 9. de S. Quintino &c.; quamvis eo nomine proxime Altaria supra Martyrum reliquias ædificata veniisse significant S. Augustinus de Civit. lib. 22. cap. 10, lib. 20. contra Faustum cap. 21, & serm. 101. de Divers., Auctor lib. Pontific. in S. Felice, & habetur in Cæremoniali Episcop. lib. 1. cap. 12, & censet Eruditiss. Benedictus XIV. de SS. Canon. lib 1. cap. 3. num. 8; qua de re videndus etiam, si libet, Xantus Gentilius in Diatriba Civili. Canon. ad Leg. 10. duodecim Tabul. par. 2. tit. 1. num. 5, seqq. Erant *Trophæa*, quo nomine loca, in quibus passi SS. Martyres fuissent, eorumque festa recoli consuebant, afficit Cajus antiquus Scriptor apud Eusebium lib. 3. cap. 24. Erant *Tituli*, teste Anastasio Bibl. in SS. Evaristo, Marcello, Silvestro, Damaso, Innocentio &c., de quibus etiam Alexander III. in epist ad Cardin. apud Baronium ad an. 1148. num. 39, inde dicti, quod vel Crucis titulo apposito loca Sacra censerentur, ut existimat Baronius in Notis ad Martyrolog. die 26. Julii, adpellationem vero desumptam ad an. 112. num. 5, seq. putat a Titulis Fiscalibus, quorum appositione rem aliquam sibi Fiscus vindicare solebat, de qua lib. 15. Cod. Theod. tit. 2. L. 4, S. Augustinus in Psal. 22, S. Gregorius M. lib. 4. epist. 33, & S. Nicolaus I. apud Anastasium in epist. ad Ravenat. Episcop.; vel quod SS. Martyrum Imagines depictæ, aut nomina ad Ædium fores descripta loca pietati, Divinoque cultui destinata indicarent, quò ad sacras celebrandas Synaxes conveniendum sibi scirent Christifideles, ac pauperibus etiam, profugisque ad hospitium esse patentia, veluti probat Card. Albitius disput. de Jurisd. Cardin. in suos Titulos num. 4. apud Pignatel-

lum

lum Tom. 19. Conſult. 117, & de Luca de Juriſd. in fin. diſc. 2; cujuſmodi etiam Titulos Chriſtianorum Tumulis appoſitos, vulgo epitaphia paſſim deſcribunt Brouverus in Proparaſc. ad Annal. Trevir. p. 59, ſeqq., & in Annal. p. 404, & 439. edit. 2; Sigehardus in vita S. Albani apud Caniſium To. 5, & Mabillonium Sæculo IV. Bened. par. 2. p. 58. Quam in rem conferendi etiam idem Mabillonius Comment. in Ordin. Roman. cap. 3, Blanchinius Anaſtaſii Tom. 2. in S. Evariſto ſect. 6. p. 77, ſeq., & in S. Pio ſect. 12. p. 124, ſeqq., Laderchius in diſſert. hiſtor. de Sacr. Baſilicis SS. Martyr. Marcellini Presbyt., & Petri Exorc. part. 2. p. 202, ſeq., & Antonellus in diſſert. de Titulis S. Evariſti. Vetera inter Monumenta vero, quæ ſuperſunt, inſigne profecto illud eſt, quod ſuppetit ex Martyrologio Lucæ edito a Florentinio, teſtimoniis S. Ambroſii, Theodoreti, Theophylacti, Œcumenii, ac Primaſii comprobatum, cuique optime concordant Martyrologia S. Hieronymi apud Dacherium, Rabani Mſ. apud Card. Bonam, Notkerii, & Corbejenſe, ubi Kalend. Auguſti ſic habetur: *Romæ dedicatio primæ Eccleſiæ a B. Petro Apoſtolo conſtructæ, & conſecratæ*: de qua conferendi iidem Florentinius Exerc. 11, & Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 19. num. 1. Quo etiam pertinent Ædes ſacræ, tum a S. Anacleto in honorem S. Petri ædificata, teſte Auctore Pontificalis, ſive ut explicat Altaſerra, jam exſtructa a S. Pontifice dicata S. Petro, ſeu verius, ut Marangonius exponit de rebus Gentil. in Eccleſiæ uſum translatis cap. 43, novum Sacellum in Templo Apollini olim Sacro, ac S. Petro deinde poſt ipſius obitum dicato, exſtructum; quem Pontificem ideo, quaſi idololatriam, Templum S. Petro dedicando, induxerit, a Proteſtantium calumniis abunde vindicat Joh. Bern. Pozzolus de Papa, & Symbolo lib. 1. par. 2. cap. 16, evidentiſſimis SS. Patrum, Scriptorumque documentis oſtendens tam priſcum eſſe, quam pium in Eccleſia Templorum dedicationum uſum, ritumque; tum a S. Pio, rogatu S. Praxedis, in Thermis Novati dedicata S. Pudentianæ, Eupreſdiæ Domus etiam Divino mancipata cultui, aliæque longe plures, quas ſua ætate quadraginta ſex numero Romæ extitiſſe teſtatur S. Cornelius epiſt. ad Fabium Antioch. apud Euſebium hiſt. Eccl. lib 6. cap. 33, quam in Epiſtolam confer & Cou-

tantium in Not. p. 150, atque quadraginta etiam, ampliuſque Romæ Baſilicas ante dinumerabat S. Optatus lib. 2. p. 49, quam Diocletianea obtinuerit perſequutio, eaſdemque ſolo exæquaverit. Confer Baronium ad an. 57. num. 98, ſeq., Panvinium Opuſc. de ſeptem Urbis Baſil., & Blanchinium Anaſt. Tom. 2. in S. Anacleto ſect. 5. p. 71, & in S. Pio ſect. 12. p. 123, ſeqq.

Et certe quidem, antequam prima a Nerone an. Chriſti 64, Baronio 65, in noſtros commoveretur perſecutio, de qua Tertullianus Apolog. cap. 5, & Scorp. cap. 15, Lactantius de mort. Perſecut. cap. 2, Sulpitius hiſt. Sac. lib. 2. cap. 28, S. Auguſtinus de Civit. lib. 18. cap. 52, Oroſius lib. 7. cap. 2; ex Nuperis vero Tillemontius hiſt. Imperat. Tom. 1. edit. Amſtel p. 564, ſeq., & 1036, ac Tom. 2. Monum. Eccl. edit. Pariſ. p. 71, 493, ſeqq., Alphonſus de Vignoles diſſert. de temp. perſecut. Neron. inſerta Tom. 8. hiſt. Crit. litter. Gallice a Maſſono evulgatæ p. 74, ſeq., Chriſtoph. Cellarius diſſert. Acad. p. 614, ſeq., & Campegius Vitringa Obſerv. Sacr. lib. 4. cap. 7, nihil erat omnino, quo Chriſtifidelium in dies excreſcens multitudo ab exſtruendis ubique Templis abſtineretur. Quæ namque prius motæ in Noſtros tempeſtates leguntur, privatæ illæ, rarioreſque fuere, ex Judæorum potiſſimum invidia, & malevolentia excitatæ, quæ proinde nihil, aut parum Chriſtianæ rei damni intulere, Religioniſque propagationi eſſe impedimento nequivere, de quibus in Actibus paſſim Apoſtol. cap. 4, 18, cap. 5, 18, cap. 6, 11, cap. 7, 57, cap. 8, 1, cap. 9, 2, cap. 13, 45, ſeqq., cap. 14, 2, cap. 17, 5, cap. 18, 12, cap. 19, 13, cap. 21, 27, cap. 22, 3, cap. 23, 12, cap. 24, 1. cap. 25, 2, cap. 26, 9, & cap. 28, 22; agunt etiam S. Juſtinus in Dialogo adv. Tryphonem a Styano Thirlbio egregiis illuſtrato notis num. 108. p. 202. edit. Pariſ. 1742, Tertullianus lib. 1. ad Nation. cap. 14, lib. 3. contra Marcion. cap. 23, & Apologet. cap. 7, (quo poſteriori quidem de libro, alteri a Presbytero Carthag., illique homonymo Juriſconſulto, cujus nomen legitur in Pandectis, tribuendus an ſit, diſputant Henr. Valeſius ad Euſebii lib. 2. cap. 2, Dodvvellus de ſucceſ. Pontif. p. 216, & ad S. Irenæum p. 327, ac Tourneminius in Memor. Trevolt. Auguſti 1702. pag. 311. ſeq. edit. Amſtel., Q. Septimii Flor. Tertulliani germanum tamen eſſe

fœtum alii longe plures haud dubitant, qua de re Moynius in Not. ad Varia Sacra p. 140, Ittigius in præfat. ad diſſert. de Hæreſiarchis p. 3, atque conſulendæ Variorum Notæ in eumdem Apolog. ex recognitione Sigeberti Havercampi Lugd. Batav. 1718), Origenes hom. 10. in Hierem. cap. 12, 8, & contra Celſum lib. 6. num. 27. pag. 651, qui & lib. 4. num. 52. p. 544. a Jaſone diſputatione victum refert Papiſcum Judæum Alex., Euſebius hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 15, & S. Hieronymus lib. 1. in Amos nov. edit. p. 1378, & lib. 3. p. 1440, de quibus etiam Joh. Fileſacus in Select. lib. 1. p. 188, ſeq., Tillemontius Monum. Eccleſ. Tom. 1. p. 155, ſeq., Gisbertus Voetius diſſert. Select. Tom. 2. pag. 81, Hottingerus Theſau. Philolog. p. 53, Wolfius Bibl. Hebr. Tom. 2. p. 1103, Jacobus Scudt hiſt. Judaic. cap. 24, Joh. David Baer in Schediaſmate de Judæor. erga Chriſt. hoſtilitate, Chriſt. Kortholtus diſſert. de Chriſto Crucifixo &c., Andreas Conr. Wernerus de verit. Divin. de Chriſto doctrinæ, Fabricius de verit. Relig. cap. 37, &c. Viciſſim vero, quæ publicæ diu poſt inductæ perſecutiones ſunt, Chriſtianis non magis, quam Judæis factæ communes fuere. Quæ tamen ſi id efficere nequiverunt, ut Proſeuchæ illorum ubique prorſus abolerentur, certe nec etiam, ut Eccleſiæ Chriſtiano ex Orbe Romano funditus delerentur omnes. Atque id ante temporis ſane Tiberius Imp., Tertulliano Apolog. cap. 5, Euſebio lib. 2. cap. 2, & S. Hieronymo in Chron. ad an. Tiberii 22. (quod tamen a Tiberio quadriennio citius factum diſputat Samuel Petitus in Diatriba de Jure Principum Edictis Eccleſiæ quæſito p. 21, ſeqq) teſtibus, quorum ideo teſtimonio detrahere haud veritus Baſnagius ad ann. 33. num. 191. jure, meritoque reprehenditur a Fabricio Salut. Luc. Evang. cap. 12. §. 2, Tiberius, inquam, in Chriſtum, ac Chriſtianos bene animatus, tametſi ut in votis habebat, a Senatu impetrare nequiviſset, ut Chriſti D. nomen gentilia inter ſacra referretur, Edicto propoſito Chriſtianorum Accuſatoribus capitis pœnam comminatus eſt. Quì igitur fieri prohibebat, quominus pace, favoreque Principis fruentes Chriſtiani liberrimam amplificandæ Religioni, Templiſque conſtruendis operam darent? Hegeſippo apud Euſebium lib. 3. cap. 20, ac Tertulliano Apolog. cap. 5. auctoribus, Domitianus perſecu-

tionem, quæ sub Imperii sui exitum in Christianos fuerat excitata, Edicto cessare jussit. Ejus successor imo Nerva in Christianos propensior, referentibus e Dione Xiphilino, & Lactantio de mortib. Persecut. cap. 3, pro Religione captivos, exulesque in libertatem aseruit, nullumque deinceps eo nomine accusari sustinuit. Quo factum, quis non perspiciat, facile, ut Religio mirum amplificaretur in modum, Divinoque cultui Templa impune ubique terrarum erigerentur? Junge Claudii Edictum an. 41. Æræ Christianæ vulgatum apud Josephum Antiq. Jud. lib. 19. cap. 4, quo petentibus Agrippa, & Herode Regibus, Judæorum libertatem, ac Jura pridem a Caligula insigniter imminuta, toto in Orbe Romano in integrum restituit. At enim Judæorum nomine tam eos, qui Judaicis adhærebant ritibus, quam eos, qui Christo nomina dedissent, fuisse comprehensos, Viris persuasum fuit Doctiss., Petro Pithæo animad. lib. 2. cap. 3, Lipsio ad Taciti Annal. lib. 15. cap. 83, Petavio ad Themistii orat. 12, & ad S. Epiphanii hær. 29. num. 5, Batthio ad Rutilii itiner. p. 395, Joh. Drusio ad Sulpitium lib. 2, &c. Ad hæc Trajanus in Rescripto ad Plinium Bithyniæ Propræt. lib. 10. epist. 98, & in Edicto ad Tiberianum primæ Palæstinæ Præsidem, de quo Suidas V. Τραϊανός edit. Porti, & Kusteri Tom. 3. p. 496, Joh. Malala in Chron. p. 356, & Peiresciana Excerpta p. 818, unde non erat utique, cur illud in dubium vocaret, silentio ductus Eusebii, Cotelerius in S. Ignatii epist. ad Philadelph. num. 9, quod legitimum sane habere non dubitat ibid. Usserius in Not., Christianos neque ad necem conquiri, neque pœna affici ulla præcepit. Quo plane ex Trajani Edicto frustra impie Romanos in Pontifices invidiæ conflandæ occasionem quæsivit Vossius in Comment. ad epist. Plinii ad Trajanum de Christ. persecut., quod nempe Fidei Quæsitoribus in Hæreticos inquirendi provinciam imposuerint, quam Ethnicis Judicibus in Christianos Trajanus eripuisset. Ita nempe insano Vossii sensu pessime agent vel Imperatores Christianis molestiam inferri prohibendo, vel Pontifices impune grassari hæreses haud permittendo. Sed apage deterrimum Religionis hostem! Ad Plinium vero reflectendo, & ipse in præcit. epist. 102. lib. 10. ad Trajan. testis accedit locuples de Christianæ Religionis erectis ubique Templis, dum frequentes

Chri-

Chriſtianorum deſcribit conventus. Quos conventus ad Agapes dumtaxat, communes ideſt Epulas, mutuæ caritatis indices, & illices, celebrandas fuiſſe inſtitutos, non etiam ad Sacras peragendas Synaxes, ſive ad Euchariſtiam conficiendam, ac Miſſas peragendas, commentus Dodvvellus in diſſert. Cyprian. 11. cap. 25. p. 246. refellitur a Tillemontio Monum. Eccl. Tom. 2. part. 2. edit. Bruxell. 1695. art. 5. p. 18. eo potiſſimo argumento, quod eum ignorare non oportuiſſet tum adhuc temporis, nonniſi poſt Euchariſtiæ ſumptionem Agapes fieri conſueviſſe. Multo vero minus a crudelitate in Chriſtianos exercenda ſe alienum præſtitiſſe ante ipſos Veſpaſianum, ac nullum ab eo impetum perpeſsam Eccleſiam, ab eoque nullam adverſus Chriſtianæ Religionis profeſsores legem impreſsam auctores ſunt Tertullianus Apolog. cap. 5, Lactantius de mortib. Perſecut. cap. 3, & Euſebius lib. 3. cap. 17. Quare & per illum nihil plane fuit, quo ab ædificandis ubique Dei nomini Eccleſiis Chriſtiani deterrerentur, uti bene advertit etiam Beveregius in Cod. Eccleſ. Canon. vindic. lib. 2. cap. 8. §. 3. Conjecturam hanc vero egregie adjuvat, confirmatque valde Lucianus, qui velut indicat Suidas in Lex. Tom. 2. p. 457, circa Trajani tempora vixit, quod & probat Grotius in Pſal. 104. v. 3, de Chriſtianis enim rebus luſum, jocumque pro impietate faciens in Philoparide, Critiam quemdam introducit a Chriſtiano quopiam Chriſti Religionem amplecti ſuaſum, qui ab eo deductus in locum χρυσόροφον οἶκον, ſive *Domum aurato faſtigio inſignem*, dicitur, ubi Chriſtianorum agebatur conventus. Sunt quidem, qui Dialogi hujus auctorem ſequioris faciunt ætatis, ſub temporibus nempe vel Gallieni, uti Dodvvellus in diſſert. inter Moylii Opuſc. Tom. 1. p. 312, ſeq. edit. 1726, vel Aureliani, uti Maturinus Veiſſerius la Croze, vel Diocletiani, veluti Moylius in diſſert. epiſtol. de vera ætate Philopar. Oper. Tom. 1, vel imo Juliani, veluti Geſnerus in ſingul. diſſert. Viciſſim tamen ſunt, qui antiquiorem Trajani ætate Scriptorem exiſtimant, ſicut Huetius Demonſt. Evang. prop 4. cap. 2. n. 53. p. 68. edit. Ven. 1733, Mycillus in Argum., Marcillius in Not., & Raynaudus de bonis, & mal. lib. p. 195; vel qui ſaltem Dialogum ſub Antoninis ſcriptum autument, ſicut Moynius Var.

Sacr

Sacr. Tom. 2. p. 186, Bullus in defens. fid. Nicæn. sect. 2. cap. 4, Eckardus in Diatriba de non Christianorum de Christo testimoniis advers. Gesnerum cap. 7, & Fabricius Bibl. Græc. Tom. 3. lib. 4. cap. 16. p. 504, & Salut. Luc. Evang. cap. 8. §. 10. p. 154.

Quid ad hæc vero, quod Apologiis SS. Quadrati, & Aristidis, ut opinari pronum est, de quibus imo SS. Justinus, & Melito apud Eusebium lib. 4. capp. 8, & 26, ac S. Hieronymum de Script. Eccles. capp. 19, & 20, permotus Hadrianus Edicto ad Minucium Fundanum Asiæ Proconsulem dato an. Chr. Aeræ 129, & ad alios Provinciarum Præsides inde transmisso, de quo Xiphilinus in Antonino Pio, Eusebius lib. 4. cap. 9, S. Hieronymus in Chron. ad an. 10. Hadriani, Orosius lib. 7. cap. 13, Sulpitius lib. 2. cap. 31, Baronius ad an. 128. n. 5, & Franc. Balduinus ad Edicta Princip. de Christ. p. 75, & 83, Religionis obtentu Christianis molestiæ quidpiam inferri prohibuit non modo, sed Christo D. quin etiam Templa parasse, sed invidia prohibitum ab eis fuisse, qui Ethnicorum Sacris præerant, verbis tradit explicitissimis Ælius Lampridius in Alexandro Severo cap. 43? Quod liquidum Lampridii testimonium elevare, inficiasque quidem ire haud veriti sunt Casaubonus in Not. ad Lamprid., Pagius ad an. 134. n 4, & Basnagius ad an. 126. n. 5, defendunt tamen Huetius Demonst. Evang. prop. 3. §. 23. p. 45, Dominicus de Colonia de Relig. Christ. comprobata testim. Vet. Script. Ethn. Tom. 2. p. 13, seq., & Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 12. §. 5, S. Justini, Athenagoræ, Tertulliani, S. Cypriani, atque Spartiani maxime silentio, cui illi potissime innituntur, adeo disertum Lampridii testimonium haud infringi pugnantes. Ejusdem cum Hadrianeo argumenti Edicto ad Judices Asiæ sive Antoninus Pius an. Chr. Ær. 152, ut habet Melito Sard. apud Eusebium lib. 4. cap. 13, ex quo illud referunt Chronicon Paschale p. 259, & Nicephorus lib. 3. cap. 13, videndusque Tillemontius hist. Imper. Tom. 2. p. 572, in Apologia ad Lucium Verum, post ejus obitum M. Aurelio Antonino reddita apud Eusebium cap. 26; sive M. Aurelius, velut habet inscriptio apud S. Justinum in Apolog. 2. ex Latina veteri Ruffini versione, & apud Auctorem hist. Miscellæ lib. 10. cap. 12, sicuti putant Valesius in Not. ad Eusebii lib. 4. cap. 13, Scaliger in Chro-

Chronog. p. 219, Dodvvellus diſſert. Cyprian. II. cap. 39. p. 266, & Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 12. §. 6, contra pugnantibus Ant. Pagio ad an. 148. n. 4, ac 174. n. 2, & Cacciaro in Not. ad Euſebium lib. 4. cap 12. verſ. Ruff., conferendique Tillemontius Monum. hiſt. Eccl. Tom. 2. par. 2. edit. Bruxell. p. 390, ſeqq., ac 599, ſeqq., quo loci Scaligerum, Valeſium, & Dodvvellum refellendos adſumpſit, ac Papebrochius ad diem 13. April. in vita S. Juſtini, Chriſtianis ob Religionem quidpiam faceſſiri negotii, diſtricte prohibuere: quibus ideo pace, quieteque fruentibus Templa pro Dei cultu, peragendiſque Sacris ædificare fas erat. Nec imo, Tertulliano Apolog. cap 5, & lib. ad Scapulam cap. 4, Euſebio Apollinaris inſuper teſtimonium adhibente lib. 5. cap. 5, & Oroſio lib. 7. cap. 15. affirmantibus, inficias ire licet, a M. Aurelio, occaſione impetratæ, Chriſtianorum Militum precibus, Exercitui pluvia, Epiſtolam ad Senatum exaratam, ſive Edictum Judicibus datum, quo exerte prohibuerit, ne Chriſtianis ob Religionem ulla crearetur moleſtia. Nam etſi detur Scaligero ad Euſebii Chron. p. 222, Salmaſio ad Capitolinum in M. Aurelio cap. 24, Huetio Demonſt. Evang. prop. 3. §. 19. p. 41, Witſio in Diatriba de Legione fulm., Pagio ad an. 174. n. 2, Kortholto lib. de Perſecut. p. 238, & Baſnagio Tom. 2. Annal. p. 156, ſeq. n. 7, Epiſtolam illam, pro ut Græce, Latineque extat ad calcem poſterioris Apologiæ S. Juſtini, atque Græce a Franc. Balduino refertur in Comment. ad Edicta Vet. Princip. de Chriſt. p. 93, Latine vero e Codice Vatic. profertur a Baronio ad an. 176 n. 21, a Panvinio lib. 2. Faſtor. p. 234, & ab Angelo Rocca de Bibl. Vatic. p. 288, pſeudepigraphis eſſe adcenſendam, negari tamen nequit cum præfractæ frontis viris. Daniele Larroquano diſſert. ſubjecta Adverſariis Matthæi Larroquani parentis, Waltero, Moylio diſſert. contra Kingium Oper. Tom. 2, Joh. Clerico hiſt. Eccl. Sæculi II. &c., quin aut Epiſtola, aut Edicto Chriſtianorum rebus aliquo modo fuerit a M. Aurelio conſultum. Qua de re fuſius Baronius loc. cit., Montfauconus Antiq. illuſt. Tom. 2 lib. 2. tab. 13, Havercampus ad Tertulliani Apolog. cap 5, Panvinius Faſtor. lib. 2, Huetius demonſt. Evang. prop. 3. §. 19. Dominicus de Colonia de Relig. Chriſt. &c. cap. 3, Celarius diſſert. p. 313, ſeqq.

Ob-

Obrechtus dissert. Acad. 18, Kingius dissert. inserta Tom. 2. Oper. Moylii, Matthias Zimermannus Analect. p. 129, Wisthonus dissert. contra Moylium, Willel. Wotonus dissert. contra Daniel. Larroquanum, Thomas Woolstonus dissert. contra Moylium, Adolphus Boysen de Legione fulm., & Joh. Fridericus Kœbergius dissert. apud Fabricium Salut. Luc. Evang. cap. 7. p. 139. Ut ut de his sit, adhuc tamen Antonini Pii legem, qua Judæis filios circumcidendi facultas indulta fuit, Christianos etiam fuisse complexam, quibus Religionis pariter liber fuerit indultus cultus, admodum probabile evadit ex Modestino L. 11. *Circumcidere* ff. tit. ad Leg. Corneliam *De Sicariis*, ex Paullo Sentent. lib. 5. tit. 3, & Origene adv. Celsum lib. 2. p. 385, seqq. a Judæis Christianos haud discretos tradente. Quin etiam neque defuere Jurisconsulti doctissimi, qui Judaicam apud Ulpianum L. 3. §. 3. tit. *De Decurionibus* superstitionem pro Religione Christiana pariter accipiendam existimarint: qua de re Alciatus Dispunct. lib. 3. cap. 8, & ad L. *Quidam ignaviæ* Cod. *De Decurion.*, Antonius Augustinus ad Modestinum p. 331, & Samuel Petitus de Jure Princip. Edic. Eccl. quæs. cap. 6. Videndus & Modestinus ipse L. 15. *De Excusationibus* §. 6. De Septimio quoque Severo, ejusque Filio Antonino Caracalla memoriæ prodidit Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 4. eos Imperii principio a lædendis, lacessendisque Christianis religiose abstinuisse non modo, sed imo ne ab ullo invidia ii appeterentur, injuriaque, districte inhibuisse, honoribus insuper alios perhumaniter affeciisse, aliosque in Palatio habuisse Officiorum participes, in quibus signatim Proculus Torpacio, de quo Baronius ad an. 195. n. 5, & Tillemontius in Severo Art. 1. Monum. Eccles. Tom. 3. par. 1. edit. Brux. p. 193. A Severo rursus, & ab Antonino Reipublicæ administrandæ egregiæ virtutis ex Nostratibus Viros admotos, sub quibus proinde rei Christianæ publice dari operam licuisse, ædesque Sacras a fundamentis ædificari, fas est putare, testis accedit liquidus Ulpianus lib. 50. *De Offic. Proconf.* L. 3. §. 3. *De Decurionibus*. Quò etiam pertinent, quæ appositè observarunt viri Eruditi Alciatus dispunct. lib. 3. cap. 8, & Petitus de Jure Princip. Edict. Eccl. quæs. p. 64, seq. Sed enim sub Alexandro Severo, ejusque Matre Julia Ma-

Mamæa longe felicius res Noſtris ex voto ceſſere. Nam ab hac quidem haud parvo in honore Chriſtianos habitos perhibent Euſebius lib. 6. cap. 16. verſ. Ruff., S. Hieronymus de Vir. Illuſt. cap. 54, Suidas Tom. 2. p. 762, Georg. Syncellus, Nicephorus lib. 5. cap. 17, Glycas, Cedrenus, Zonaras &c., inter alia referentes illam de Origenis præſentia, doctrina, fide, ſermone fuiſſe ſummopere delectatam; ab illo vero Chriſti D. imagini ſuo in Lario cultum, ethnica licet pietate, delatum, de Templo eidem dedicando excogitatum, Chriſtianorum pleriſque locum inter domeſticos factum, Templum a Popinariis occupatum Chriſtianis reſtitui juſſum, ac B. Virgini trans Tyberim dedicari indultum, affirmant Lampridius in ejus vita capp. 29, 43, 49, & 51, Euſebius lib. 6. cap. 28, & Egnatius de Rom. Princip. lib. 1. in Severo. Videndi etiam Baronius ad an. 219. n. 4, & 220. n. 6, ſeq., Halloixius vit. Orig. p. 37, Huetius Orig. lib. 1. cap. 2. §. 7, Tillemontius in Not. 16. ad Origen. Tom. 3. par. 3. Monum. Eccl. p. 347, ſeq. cit. edit., Card. Bona rer. Liturg. lib. 1. cap. 19, & D. Victorius de Num. Æreo Vet. Chriſt. par. 1. cap. 6, diſſert. Apolog. de Num. Alexandri Severi adv. Paciandium pag. 18, ſeq., & in epiſt. ad eumdem p. 22, ſeq. Alterius Eccleſiæ Chriſtiano ritu conſecratæ meminit etiam apud Vopiſcum Valerianus Imperator: quo in bello cum Perſis capto, Gallienus a perſecutione temperans, duobus anno Chriſti 260. promulgatis Edictis θρησκεύσιμα, *Loca Sacra*, quæ ex Decii præſcripto Chriſtianis erepta fuerant, & ab Ethnicis occupata, Epiſcopis reſtituenda decreviſſe legitur apud Euſebium lib. 7. cap. 13. Sub eodem Gallieno Cæſareæ Palæſtinæ, tum temporis eam regente Eccleſiam Theotecno, Templum Dei cultui erectum extitiſſe liquet ex Martyrio S. Marini militis, quod refert Euſebius lib. 7. cap. 12. verſ. Ruff., eum a Theotecno Epiſcopo ad Eccleſiam ante perductum memorans, ibique in fide confirmatum. Tum igitur temporis, multoque jam antea, univerſo in Orbe Romano Eccleſias Dei nomine dedicatas extitiſſe inde fit evidens. Aureliano quoque imperante, aliqua ſaltem apud Chriſtianos Templa ſtetiſſe integra, vel illud unum ipſius celebre de Eccleſia Antiochiæ a Paulo Samoſateno occupata Chriſtianis Romanæ communionis extradendâ decretum, de quo Eu-

ſebius lib. 7. cap. 29, abunde demonſtrat. Sed & in vita Aureliani Vopiſcus ipſius ad Senatores epiſtolam refert, qua eos objurgans, quod Sibyllinos aperire libros ambigerent, Chriſtianorum Eccleſiæ meminit: *Miror vos*, inquiens, *de aperiendis Sibyllinis dubitaſſe libris, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, non in Templo Deorum omnium tractaretis*. Atqui facit huc quammaxime, quæ habet luculentius Euſebius lib. 8. cap. 1, quo loci de halcyoniis, felicique rerum Chriſtianarum ſucceſsu, quietoque ſtatu, ſub intervallo temporis, quod a Valeriani perſecutione ad eam, quæ a Diocletiano prioribus acerbior commota eſt, pacifice effluxit, verba faciens, in Oratoria primum Chriſtifidelium concurſus fieri conſueviſſe refert, quibus deinde frequentiores capere, haud ſufficientibus, ſpatioſa, & ampla, ac plurima in ſingulis Urbibus a fundamentis excitata Templa ſufficere oportuit. Cruentiſſima quin etiam Diocletianea obtinente perſecutione, vel Romæ quadraginta, & amplius ſubſtitiſſe Baſilicas, quò ad Divina celebranda myſteria, peragendaque Religionis negotia Chriſtifideles multitudinem quammaximam confluere ſolerent, auctor eſt liquidus S. Optatus lib. 2. adv. Parm., manſiſſe quoque incolumem, quæ Neocæſareæ a S. Gregorio pridem exſtructa fuerat, Eccleſiam teſtis accedit S. Gregorius Nyſſen. p. 554. Eodem denique Euſebio lib. 8. capp. 16, & 19, lib. 9. capp. 1, 9, ſeq., & lib. 10. cap. 5, atque Lactantio de Mort. Perſecut. capp. 34, & 48. teſtibus, ut de Conſtantio, de quo Euſebius in vita Conſtantini lib. 1. capp. 13, 16, 17, & 27, ac lib. 2. cap. 49, & Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. ult., ac Pagius ad an. 303. n. 7, nec non de Conſtantino taceam, tum Maxentius an. 306, tum Gallerius Maximianus an. 311, tum Jovius Maximinus an. 312, tum Licinius denique an. 314. publicis Edictis propoſitis, Chriſtianis & publicum Religionis exercitium, & publica *Dominica*, hoc eſt Eccleſias, ad Dei cultum reædificari indulſerunt. Confer eumdem Euſebium in Orat. de laud. Conſtantini, Nicephorum lib. 7. cap. 41, Joh. Malalam in Chron. p. 417, Balduinum in Comment. ad Edicta Vet. Princip. pro Chriſt., Petitum de Jure Princip. Edict. Eccl. quæſ., Pagium ad cit. an., Gisbertum Cuperum in Not. ad Lactantium de mort. Perſec. cap. 34, &c.

Ad

Ad hæc autem, quæ veritate conſtant undique verſum, ſi ad ſingularium Eccleſiarum traditionem attendere non pigreſcamus, neque ſequioris ætatis Scriptoribus fidem adhibere gravemur, Chriſto D. Servatori Templum olim Æſculapio ſacrum in Villaforti prope Alexandriam Statiellorum in Liguria, unde Oppidum deinde nomen accepit, dedicatum imprimis a S. Syro Papienſi Epiſcopo a S. Petro ordinato, ejuſque poſt obitum, Templum aliud Neptuno, ac Nymphis olim conſecratum, cujus in fronte vetus adhuc conſpicitur inſcriptio: *Q. Fulvius Neptuno, & Nymphis*, eidem S. Syro inauguratum reperiemus apud Franc. Auguſtinum ab Eccleſia in hiſt. S. Syri lib. 2. cap. 8, a S. Proſdocimo, eò a S. Petro miſſo, eidem Servatori ſub titulo S. Sophiæ, ideſt Divinæ Sapientiæ, Templum Martis Patavii dicatum legemus apud Portenarium, & Urſatum in hiſt. Patav.; a S. Dionyſio quoque Pariſienſi Antiſtite in honorem cum SS. Trinitatis, tum Chriſti D. Templa duo, falſis olim Numinibus Sacra, prope Pariſios conſecrata ex Vet. Monumentis nos docet Andreas Sauſſajus in Martyrolog. Gallic. ad diem 9. Octob. Veritati magis innititur, quod de Eccleſia Paléa, ſive Veteri Antiochiæ ab ipſis Apoſtolis exſtructa tradit S. Joh. Chryſoſtomus Orat. 12. Tom. 5. Oper. p. 152: quod ipſum de Domo Hieroſolymis Divino cultui ab Apoſtolis etiam conſecrata ex S. Cyrillo Catech. 16. didicimus. B. Virgini adhuc in terris agenti non ſecus Eccleſiam apud Tortoſam, ſeu Antaradum Maris Phœnicii Inſulam, a SS. Petro, & Paulo Antiochiam properantibus erectam fuiſſe audiemus, referentibus Rafaele Volaterano Geogr. lib. 11, Chriſtiano Adricomio in Theatro Terræ S. lib. 2. cap. 7, & Willebrando de Oldenburgo in Itin. Terræ S., qua de re videndus etiam Ducangius in Not. ad Joinvillam p. 98. Id tamen alii Dioſpolitanæ, ſive Liddenſi, 18. milliaribus ab Hieroſolymis, Eccleſiæ honoris adſcribunt, in eaque repoſitam a SS. Petro, & Johanne B. Virginis Imaginem a S. Luca depictam tradunt S. Johannes Damaſc., ſive Orientales in Synodica ad Theophilum Imper. p. 115, Simeon Logotheta in Leone Armeno n. 5, & Anonymus de Imagine Deiparæ apud Lambecium Bibl. Vindob. lib. 8. p. 380. Eidem B. Virgini tum Romæ Templum erigi permiſſum ab Alexandro Severo paullo ſuperius adnotatum

est, tum longe pridem erectum fuisse Cæsarauguſtæ a S. Jacobo Apoſtolo referunt Marinæus Sicul. lib. 5. de laud. Hiſp. cap. de Sacr. Ædib., Petrus Beuter Chron. Hiſp. lib. 1. cap. 23, Ambroſius Morales Rer. Hiſp. lib. 9. cap. 7, Joh. Mariana lib. 4. Hiſp. rer. cap. 2, Garſias Loaiza de Primatu Eccl. Toler., Andreas Schottus Bibl. Hiſp. Tom 1. cap. 5, Caniſius de B. Virg. lib. 5. capp. 21, & 23, longeque plures apud ipſos, & Malvendam de Antichr. lib. 4. cap. 5: quod Calliſtus III. Diplomate Kal. Octob. an. 1456. dato confirmat. Quin etiam in Tabulario Eccleſiæ Carnotenſis extat Charta Johannis Francor. Regis an. 1356. exarata, qua ex antiquis Monumentis eadem Eccleſia B. Virgini adhuc in vivis agenti exſtructa refertur. Cui tamen Chartæ fidem adhibeat, per me licet, qui fidei prodigus ſit. Sacro ejuſdem Deiparæ nomine denique tum Aſtæ Pompejæ dedicatum a S. Syro Templum, Junoni olim religioſum, ex veteribus Monumentis refert Ughellus Tom. 4, tum Vicentiæ in Monte Sumano aliud Plutoni Sacrum a S. Proſdocimo memorant idem Scriptor Tom. 5, ac Barbaranus hiſt. Vicent. lib. 1. cap. 8, tum a S. Dionyſio Templum Martis prope Pariſios, quod nunc B. Mariæ de Campis dicitur, tradit cit. Sauſsajus, apud quos integra horum eſto fides. S. Petro quoque adhuc viventi Templa fuiſse erecta feruntur, Senonis a S. Sabiniano, non ſecus atque B. Virgini, & SS. Johanni Bapt., ac Stephano, velut habet Nicolaus Lyranus in Pſal. 18, in proœm. Abdiæ, & in Matth. 24, Argentinæ a S. Materno, ceu ex traditione Eccleſiæ Trevir., & Colon. affirmat Caniſius de B. Virg. lib. 5. cap. 23, Glaſtoniæ in Agro Somerſetenſi a Joſepho Arimathienſi, ſicuti ſcribunt Uſserius de Britan. Eccleſ. primord. cap. 2, & Spelmannus in Concil. Britan. p. 9, Romæ a S. Anacleto, uti ſuperius obſervatum jam eſt, Antiochiæ a priſcis Chriſtianis, ceu refert Auctor Recognit. lib. 10. cap. ult., Alexandriæ a S. Marco, velut auctores ſunt S. Gelaſius in Synodo Rom., V. Beda in Martyrolog., S. Petrus Damiani ſerm. de S. Marco, cujus in Actis Græcis antiquiſſimis mentio etiam occurrit Eccleſiæ a Chriſtianis ſub Marco conſtructa in loco Bucoli: quorum ſane de Actorum ſinceritate, dubitationem etſi induerit Tillemontius in Not. 1. ad S. Marcum Monum. Eccl. Tom. 2. par. 1. edit. Brux. p. 390,

agunt

agunt copioſe Henſchenius ad diem 25. April., & Mazochius in vetus Marmor. Eccl. Neapol. Kalendar. Tom. 1. Diatriba de his Actis cap. 1. §. 3. p. 238, quam tamen Eccleſiam non omnino quidem publicam, ſed in abrupto poſitam fuiſſe loco putat. Eumdem in cenſum referenda Templa, quod Atinæ in Latio, Jovi olim inauguratum, a S. Marco S. Petri diſcipulo Chriſtiano ritu dedicatum ex antiquiſſimo Chronico Atinenſi traditur ab Ughello To. 1; quod Mutinæ, Jovi pariter ſacrum, a S. Cleto primo ejuſdem Urbis Epiſcopo circa an. Chr. 103. Dei cultui conſecratum legitur apud eumdem Scriptorem Tom. 2, & quod Cenetæ in Marca Trivigiana, Palladi olim religioſum, ad Chriſtianæ Religionis uſum translatum refertur Tom. 5. Ital. Sac. Sed enim S. Auguſtinus is eſt, cui affirmanti tutius fidere poſſimus, ut qui Chriſtianarum antiquitatum tam ſolers indagator extitit, quam teſtis nobis accedit idoneus. Refert autem tam S. Stephano Anconæ Oratorium ab Apoſtolorum ætate dicatum obtinuiſſe ſetm. 323, quam SS. Gervaſii, & Protaſii cum Hippone, tum inde procul decem leucis, aut duodecim Templa olim dedicata ſer. 286, & de Civit. lib. 22. cap. 8. Adhæc in Actis S. Clementis P., & M. cap. 22. apud Cotelerium Tom. 1. p. 813. edit. Amſtel. 1724. ab ipſo una in Provincia Cherronenſi, intra anni unius ſpatium, quinque ſupra ſeptuaginta ædificatæ leguntur Eccleſiæ. Sed enim Actorum horum fides emunctioris natis Criticis valde ſuſpecta evaſit, inter quos adeundus Tillemontius Monum. Eccl. hiſt. Tom. 2. par. 1. Not. 12. ad S. Clem. p. 520; verique viciſſim fit longe ſimilius ejuſdem S. Clementis domum, ipſo vivente adhuc, vel poſt obitum ſtatim, Divino ritu fuiſſe dedicatam, velut indicare videtur S. Hieronymus de Script. Eccl. in S. Clemente, qua de re plura Rondininus de S. Clemente, ejuſque Baſilica lib. 2. cap. 3. Ab anno denique Chriſt. Æræ 33. uſque ad an. 275. Eccleſias Dei nomine a Chriſtianis in Orbe excitatas 800. circiter recenſuit Johannes Ciampinus Veter. Monum. Tom. 1. cap. 18: ſed quia plerumque, ac ferme non aliis ex fontibus, quam ex parum ad fidem proclivibus hauſit, velut ex Abdia Babyl., Heſychio Hieroſol., Auctore Recognit., Metaphraſte, Nicephoro, S. Antonino, Philippo Betgom., Petro Natali, Johanne Bapt. de Groſſis, Ro-

Rocho Pyrrho, Ughello, San Marthanis, Francioto, Joh. Placen. sino Trudonensi, Antonio Democharis &c.; nolim ego quidem his fidem prorsus obligare meam. Quæ proculdubio tamen fides præstanda documentis aliis, monumentisque oprimæ notæ, quibus longo catalogo priscis Christianis loca publica, ad orandum, celebrandasque Synaxes, prima sub ætate non defuisse, late probant Baronius ad an. 57. n. 99, seqq., 211. n. 5, seqq., & 224. n. 2, seqq., Bellarminus de SS. Cultu lib. 3. cap. 4, Polydorus Virgilius de Rer. invent. lib. 5. cap. 6, Alphonsus a Castro de Hæres. lib. 14. V. *Templum*, Durandus de Ritib. Eccl. lib. 1. cap. 2, Casalius de Vet. Christ. Ritib. par. 3. cap. 33, Joh. Quintinus in Synodum Gangrensem Can. 5, Paganinus Gaudentius de vita Christian. ante Constantinum cap. 25, Alexander Donatus de Urbe Roma lib. 4. cap. 1, Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 19, Aringhius Romæ Subter. lib. 1. cap. 2, Joseph Isæus in Not. ad Lactant. lib. 2. cap. 2, Tillemontius Monum. Eccl. Tom. 3. par. 2. edit. Brux. Art. 6. p. 68, seqq., Bencinus in Not. ad Anastasium Tom. 2. in S. Dionysio sect. 26. p. 228, seq., Marangonius de Rebus gentil. in Eccl. usum translatis cap. 43, seq., Paulus Ma Paciaudius Antiq. Christ. dissert. 1. cap. 1, Josephus Catalanus Tom. 2. Comment. in par. 2. Rom. Pontif. tit. 1, &c.; ex Protestantibus vero Magdeburgenses Cent. 3. cap. 6, Hospinianus de Templis, licet eo turpiter in errore obversatus lib. 1. cap 6, ac lib. 4. cap. 1, seq., ut existimet ex Judaismi, & Ethnicismi superstitiosa κακοζηλία profecta, (quo pariter errore putide imbutus Middletonus epist. Romæ an. 1729. ad Amicum Lond. scripta, Actis Lipsi. an. inseq. pag. 364. inserta, ex Templis Romæ falsis olim Numinibus dedicatis in Sanctorum deinde Martyrum honorem conversis, a Romanis superstitiosa id factum Ethnicorum rituum imitatione, & æmulatione scripturire non est veritus, quem tamen viden, ut dignis castiget Marangonius lib. cit. cap. 44.), Josephus Middus de Templ. Christ., Cavæus de primit. Christ. lib. 1. cap. 6, Binghamus orig. Eccles. lib. 8. cap. 7, Hardmajerus in Lexico Antiq. Eccles. V. *Templum*, Seldenus de Syned. lib. 3. cap. 15, aliique, quorum nominibus implere paginam non otium est, nec opus.

Jam

Jam vero de Templorum Azylis, quod caput eſt alterum, in quo nobis cum Pſeudo-politicis haud leve negotium intervenit, ut pauca, quoad ejus fieri poterit, concitato tangamus calamo, ſcitum imprimis, tritumque ſermone jamdudum eſt, trifariam diſtingui Eccleſiaſticæ Immunitatis ſpeciem, ut alia ſit nempe Localis, alia Perſonalis, alia Realis, quarum obverſatur prima circa Loca, ſecunda circa Perſonas, tertia circa Bona. A prima itaque initum capiendo, Templa pro Azylis ſtatuere, non ad Eccleſiaſticam, ſed ad Laicam ſpectare poteſtatem cum Petro Gambacurta, Paulo Sarpio de Jure Azylor. cap. 1, aliiſque poteſtatis Eccleſiaſticæ profligatiſſimis Oſoribus defendere Petrus Jannonus hiſt. Neap. lib. 3. cap. ult. §. 5. præ infrunito Eccleſiaſticis detrahendi juribus ingenio non reformidavit. Atqui jure Religionis inducta Templorum azyla, inſtitutioneque Divina inniti, quod perinde negare Oſiander Antiq. Græc. To. 6. p. 2837, ſeq., Poter, Samuel Petitus, Sarpius &c. non exhorruere, inficias profecto nemo iverit, qui Divina in hiſtoria prorſus hoſpes non ſit. Ex Exodi enim cap. 21. v. 13, Num. cap. 35. v. 6, ſeqq., ac Deuter. cap. 4. v. 41, ſeq., & cap. 19. v. 3, ſeqq. facile intelliget Divino juſſu a Moyſe ſex Refugii Urbes fuiſſe deſignatas, ad quas confugientes, qui caſu, aut ex iræ primo impetu truces in quempiam injeciſſent manus, a moleſtia prorſus omni eſſent immunes. Cur autem Civitates ſex profugis, (quibus adjuncta Num. cap. 35, v. 6. Oppida 42. Levitis adſignata) & cur trans Jordanem tres Deuter. cap. 4. verſ. 43, treſque reliquæ in terra Chanaam fuerint conſtitutæ Joſv. cap. 20. v. 7, myſticam rationem proſequitur Philo Jud. lib. de Profugis p. 639, hiſtoricam vero deſcriptionem ex Judæorum Gloſſis, ac traditionibus collegit Paulus Fagius in Thargum Onkelii, & ad Num. cap. 35. Critic. ſacr. To. 1. edit. Francof 1695. p. 1124, ſeqq. Intelliget ex 3. Reg. cap. 2, & 4. Reg. cap. 11. Tabernaculo, ac Templo tantum religionis a Judæis Divino juſſu impenſum, ut vel ingentibus facinoribus irretiti, ibidem in tuto ſe degere crederent. Adeo vero Judæis univerſim animo inſita religio hæc erga Templum manſit, ut Demetrius Syriæ Rex ad eorum captandas contra Alexandrum Regem Antiochi filium voluntates, & partes, inter alia

Tem-

Templi immunitatem ſpoponderit, ita ut illuc confugientibus, vel qui obnoxii Regi eſſent, nullum ex ſe diſcrimen incumberet, Machab. lib. 1. cap. 10. v. 43. Qua imo de Judæorum erga Templum religione perſuaſi adeo ibant Syri, ut a Jonatha perſequente refugium in Dagonis Templum, quod Azoti reliquum adhucdum erat, ſibi quærendum ſtatuiſſe legantur ibid. v. 83. Unde procul ab vero aberrant Sarpius de Jure Azyl., & Auctor Spiritus legum ab Iſraelitis Azyli jus ablegantes: contra quos vide, ſi lubet, quæ egregie diſputat Octavianus de Guaſco diſſert. de Azylis. De Azyli porro diverſis jure, ac ratione ſequioris ætatis Judæis ſolemnibus agit Seldenus de Jure Nat., & Gent. lib. 4. cap. 2, & de Syned. lib. 3. cap. 8. Mutuatum hinc, inque Templa ſua translatum ab Ethnicis Azylorum jus conjicere licet. Quaſi enim duce natura ipſa, rationeque magiſtra naſcebatur, ut quo Templum apud Hebræos, eodem apud Ethnicos quoque Templa privilegio, non tam in hominum gratiam, quam Deorum ob Religionem fruerentur. Apud Ethnicos porro primum Templorum conditorem Deucalionem facit Lucianus de Dea Syra. Jovem alii, Iſidem Ægyptii, Oſiridem Diodorus lib. 1, Cretenſes Meliſſeum, Cecropem Græci. Arnobius contra Gentes lib. 6. aut Meropem, aut Phoronæum Ægyptium. Varro Eacum a Jove prognatum; Ianum in Italia Macrobius Satur. lib. 1. cap. 19, Faunum alii, unde Fana dicta cenſet Banuier Mytholog. lib. 4. cap. 2. Atque in Italia certe antiquiſſima habentur Templa duo Saturni, & Herculis in Agro Setino, de quibus Corradinus Veter. Latii prof. To. 2. lib. 2. capp. 3, & 6. Ab Ægyptiis morem ædificandi Templa manaſſe ad Aſſyrios, Phœnices, ac Græcos tandem ſcripſit Lucianus de Dea Syra. Sed enim ab Hebræis morem cœpiſſe, a quibus ſub Moyſe Templa Dei cultui Heliopolis, & Athos ædificata ex Hebræorum traditionibus refert Euſebius præp. Evang. lib. 9. capp. 23, & 29. Ut vero incerta valde ſunt iſta, tam indubium viciſſim eſt confeſtim ab ædificatione Templa ejuſmodi Azyli jure fuiſſe donata. Itaque Oſiridis in Ægypto, Apollinis in Syria, & Neptuni in Taenaro, & in Calabria Templa Azylo fuiſſe celebria memorat Strabo Geogr. lib. 8, & 17, ſicut Herculis ad Nili oſtia Herodotus, Canopis, hodie Bochiris,

Stra-

Strabo lib. 13, & ad Gadium promontoria Pomponius Mela lib. 3. Apud Græcos primus omnium Cadmus, dum Thebas conderet, Azylum aperuiſſe fertur, ad quod fugientes ſine diſcrimine, ſive ſervi, ſive liberi ab omni pœnæ genere tuti forent. At viciſſim ab Herculis prognatis Athenis primo Azylum inſtitutum docet Statius lib. 7. Theb. Poſt quod in Rhetæo littore fuit Ajacis Azylum, & in Sigæo Achillis, ut habent Strabo lib. 3, & Servius ad Æneid. 6. Atque quidem Athenis ſex in Templis, ideſt Miſericordiæ, Eumenidum, Munichiæ, ac Theſſei duobus, jus Azyli ſancitum obſervat Hofmannus in Lexico. Clementiæ item Aram, & Nemus Athenis, tradunt Pauſanias in Attic., & Statius Theb. lib. 12. Templa Minervæ Cydone, & Neptuni Lacedæmone ſummæ fuiſſe obſervantiæ, adeoque ut, ſiquis ad eadem confugiſſet, eum inde divellere per Religionem nefas eſſet, ſcribit Pauſanias in Achaicis. Qui & in Lacon. de Eleæ Minervæ Templo loquens, illud Peloponeſo univerſo antiqua Religione adeo ſacroſanctum extitiſſe teſtatur, ut qui illuc ſe recepiſſent, violari eos non fas eſſet. Eamdem erga Templa Leotychide, & Chryſide religionem Argivos inceſſiſſe ſubjungit. Spartanis etiam erga Minervæ Templum Chalciæci, ſive Poliuchi in Arce conſiti ſcribit in Atticis. Fuiſſe & Habes Ciceroni 6. in Verr. Ganimedæ, Deæ in Arce Phliaſiorum tradit in Corint. Epheſium quoque Dianæ Templum pro Azylo fuiſſe, quod Alexander M. ad Stadium extendit, paullo plus Mithridates, & M. Antoninus demum ad magnam Urbis partem, memoriæ prodidit Strabo lib. 14. Ab eodem Alexandro M., Tyro capta, Cives profugos ad Aras Azylo fuiſſe donatos obſervat etiam S. Auguſtinus de Civit. lib: 1. cap. 5. Plutarcho teſte lib. de non fœnerando & Artemiſium in Epheſo, & Pergami Æſculapii Ædes, & Calydoniæ Palladis Templum ad illa confugientes a pecunia, & a noxa præſtabant immunes. Palladis item Celeuſæ Lacedæmone, & Itoniæ Pauſania in Lacon., & Polybio lib. 4. In Peloponeſo inſuper Templum in Hermione Cereri, ac Proſerpinæ Sacrum pro Azylo erat. Apud Moloſſos, Samothraces, Crotoniatas, Meſſenios, alioſque Deorum Aras Azyli loco fuiſſe, ut Ithacenſibus Jovis Ara, Athenienſibus etiam Theſſei ſepulcrum, de quibus Virgilius Æn. 3, & Apulejus cap. 2. In Thracia Dianæ Templum, &

Smyrne, de quo Herodotus lib. 3, & Pausanias in Achaic., Neptunni Temnis, Palladis in Aphrodisio, & Papho Veneris, Jovis, & Triviæ Stratonicæ, teste Tacito Annal. lib. 3. p. 32. Populos etiam Tyssagetes, & Arympheos sacro gavisos Azylo tradunt Mela lib. 3. cap. 5, & Plinius lib. 6. cap. 13. Totam Samothraciæ Insulam Cibeli sacram pro Azylo fuisse referunt Diodorus lib. 3, Livius lib. 45. cap. 5, & Florus lib. 2. cap. 12. Siculis Ara Salisci, Philiasiis Ædes Pubertatis, teste Pausania in Corinth. Siculis iterum Palicarum Dearum Templum, apud Diodorum lib. 11, Philippensibus Bacchi tumulus, apud Appianum de bello Civ. lib. 4. p. 749. Trojæ Junonis Templum pro tutissimo erat Azylo, de quo Virgilius Æn. 2, & S. Augustinus de Civit. lib. 1. cap. 4; Tyri Herculis, de quo Q. Curtius lib. 4; Mespurbi in Saxonia Mercurii, sive Martis, quod postea subvertit Carolus M., de quo Meibomius, & Munsterus Cosmog. lib. 5. cap. 43. Non secus pro Azylo erant tutissimo Templa Veneris Biblis, Delii Apollinis, teste Livio lib. 35. cap. 51, & apud Gyraldum Syntag. 17. de Sacrificiis, Idæ, Paphos, & Ithacæ Jovis, alibique, de quibus videndi Natalis Comes Mythолog. lib. 1. cap. 10, Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 3. cap. 20, ac post ipsos Pfeifferus Antiq. Græcar. lib. 1. cap. 39. Romæ in Vertice Capitolino, ubi alia subinde adfixa Sacellis commemorat Cicero de Leg. Agraria, Azylum Jovi sacrum a Romulo constructum auctores sunt Virgilius Æneid. 8. v. 342, Dionysius Halicar. lib. 2. cap. 6, Livius lib. 1. cap. 8, Juvenalis sat. 8. v. 272, & Plutarchus in Romulo p. 41, aliudque Dianæ in Aventino a Servio Tullio excitatum tradit Dionysius Halic. lib. 4. Quæ sane patebant Servis fugitivis, obæratis, & maleficis, ac dicta Azyla ab A privativo, & verbo συλάω, *Spolio*, sive ἀσυρον, a verbo σύρω, quod est *Traho*, per lambdacismum littera P mutata in λ, Gloss. in L. 17. §. 12. ff. de *Ædil.*, Ludovicus Vives in S. Augustinum de Civ. lib. 1. cap. 4, & Laurentius Joseph Antiq. Græcar. To. 7. p. 232, ideo quod aliquem ibi spoliare, vel inde detrahere vegrande nefas esset, ut adnotat Servius ad Æn. 2. v. 160, qui & ad Æn. 8. speciali consecrationis ritu Azyla dedicari Romanis consuevisse indicat. Siquidem vero Azylorum nimia frequentia flagitiis occasionem quotidie

præ-

præberet, a Tiberio Imp. demum Azylorum jus, moremque abolitum refert Svetonius cap. 37, atque ita eum capit ibid. Casaubonus: quod intelligendum tamen de Azylis extra Romanam Urbem exstructis monet Tacitus Annal. lib. 3. cap. 63. Quin id falsum imo ostendit post Marshamum in Can. Chron. p. 356. Spanhemius in dissert. de Præst., & usu Numis. p. 288. ex fide veterum Nummorum, in quibus haud obscura juris Azylorum post Tiberium passim mentio occurrit. Ita nempe in Nummis Tyri, & Apameæ vetustioribus, ac in recentioribus Seleuciæ, Damasci, Heracleæ, Laodiceæ, Gabalorum &c. sub Claudio, Vespasiano, Domitiano, Trajano, M. Aurelio, Macrino, Elagabalo, Decio; Samosatæ sub Tito, Cæsareæ sub M. Aurelio, Gabali apud Goltzium, Parætonii apud Seldenum &c., aliisque apud Vaillantium sub Claudio, Decio, Hadriano, Antoninis, Philippis, Valeriano &c. Sed & antea coarctatum Azylorum jus ab Augusto refert Strabo, a quo tamen haud prorsus abolitum, sicuti putavit Ubbo Emmius apud Gronovium To. 4. p. 546, sed Ephesinæ Urbis dumtaxat observat cit. dissert. sect. 5. Octavianus de Guasco. Quamquam nec apud Græcos, nec apud Romanos intemeratam semper religionem hanc erga Templa custoditam observat S. Augustinus de Civit. lib. 1. cap. 2. usque ad 7, quod antea scripserat Thucydes de bello Pelopon. lib. 4, sed ad eadem confugientes hostes passim ibidem interfici a Victoribus, Victorumque spolia, opesque ibidem repositas inde auferri impune consuevisse, ceu videre licet apud Virgilium Æn. lib. 2, Sallustium de Conjur. Catil., ac Livium lib. 5. cap. 4. Tametsi negari nequeat Romanis sacro in more positum fuisse, in Templis, veluti tutissimis in locis, opes suas recondere, ceu in Templo Opis, teste Cicerone Philip. 2, in Templo Castoris, teste Juvenale Sat. 14, in Templo Pacis, referente Herodoto, in Templo Saturni, referente Svetonio in Augusto cap. 49, qua de re Donatus de Urbe Roma lib. 2. cap. 10, & Marangonius de reb. Gentil. ad usum Eccl. transl. cap. 50. Pro reverentia tandem erga Templa, eadem adire non fas omnibus fuisse, sed inde abscedere profanos debuisse, fures hoc est, adultos, homicidas, nothos, illotos &c., congestis veterum Scriptorum testimoniis ostendunt Pfeifferus Antiq. Græc. lib. 1. cap.

39, & Bannier Mytholog. lib. 4. capp. 1, & 3. Apud Ethnicos denique pro Azylo erant Imperatores etiam fatis functi, teste Dione lib. 56, eorumque Statuæ, L. 1. §§. 1, & 8. ff. *de Offic. Præfecti Urb*, L. 17. §. 12. ff. *De Ædil.*, L. 28. ff. *De Pœnis*, & L. un. Cod. *De his, qui ad Statuas confug.* ac testibus Homero Odyss. 22. v. 335, Seneca de Clemen. lib. 1. cap. 8, Plinio epist. 16. ad Trajan., Tacito Annal. lib. 3. p. 312, Philostrato de vita Apollonii lib. 1, Dionysio Halic. lib. 56, Livio lib. 23. cap. 19, Svetonio in Tiberio cap. 53: qua de re videndus Octavianus de Guasco in dissert. hist. Polit., & litter. dissert. de Azylis sect. 1. Pto Azylo etiam erant Aquilæ Romanæ, velut habent Josephus Antiq. lib. 18, & Svetonius in Calig. cap. 14, & in Vitellio cap. 2; Legati Rom. Populi, ac Græcorum, teste Marciano L. 8. §. 1. *De divis. rer.*; Tribuni Plebis apud Plutarchum in Probl.; Ædiles apud Festum V. *Sacrosanctus*; Præcones, qui & Caduceatores apud Pollucem Onom. lib. 8; Vestales testibus Plutarcho in Numa, & Aulo Gellio Noct. Attic. lib. 10. cap. 15; Sacerdotes Jovis eodem Plutarcho referente in Probl.; Archontes Athenienses, de quibus Corsinus in Fastis Attic.; Urbes aliquæ, uti Hierusalem apud Josephum Antiq. lib. 13. cap. 5, Smyrnæ apud Arundelium in Marmor. Oxon. par. 1. p. 6, Alexandria, ob Serapidis Templum, de quo Tillemontius hist. Imp. Tom. 4. p. 207, aliæque plures apud Norisium de Epoch. Syromaced. dissert. 1, Octavianum de Guasco dissert. cit., Leibnitium in Cod. Diplom., & Spanhemium loc. cit.; Sepulcra denique, uti Cadmi, Achillis, Thesei, Anchisis, Hectoris, Hippolythi, Ini &c., de quibus Non. Marcellus cap. 6. n. 92, Gyraldus Syntag. 17, Dempsterus p. 91, &c., videndique de hisce fusius agentes Abbas Brissi dissert. de Azyl. Acad. Paris. To. 1, Simonius dissert. de eodem argumento ibid. To. 3. p. 37, & Bannier Mytholog. lib. 4. cap. 12; nobis enim dicta satis sunt, ac super.

Potiori igitur ratione, jureque meliori Immunitatem hanc Ecclesiatum, juri naturæ conformem, Divinaque lege insinuatam, quæ Templo dabatur Judæorum, Fanis quin etiam Paganorum (quæ sic dicebantur a Formula solemni, qua Augures locum effati Sacrum efficiebant, *Effari, & Effata*, qua de Livius lib. 10. cap. 37, Varro

Varro lib. 2. de Ling latin., Aulus Gellius Noct. Artic. lib. 14. cap. 7, & Briſsonius de Form. lib. 1. cap. 191.), quin inſuper Principum Statuis, Curiis, ac Tumulis etiam (qua in re obſervatu dignum, quod de Theophilo Græcor. Imp. memorat Cedrenus p. 429, ab illo nempe poſt an. 829. defunctæ Filiæ ſuæ Tumulum azyli jure decorari juſſum ad reorum relaxationem), non denegabatur, inter proprii jutis partes Eccleſia vindicat. Atque tam tutiſſimam reis, ac capitis ad Eccleſias confugientibus a moleſtiis, a pœnis, a morte immunitatem ab Eccleſia præſtitam fuiſse, quam ejuſmodi præſtandæ immunitatis antiquiſſimum in Eccleſia jus eſse, moremque, qui Eccleſiæ ipſi proinde coævus recte putetur, Apoſtoliſque referatur acceptus, liquido nos, locupletique teſtimonio ſuo, ac traditione dubitare SS. Patres non ſinunt. In quibus S. Athanaſius de Sacris Azylis in lege tam veteri, quam nova inſtitutis verba faciens in Apolog. Divinæ eadem inſtitutioni tribuere non ambigit: *In Lege*, inquiens, *præceptum erat, ut conſtituerentur Civitates Refugii* &c.; *In conſumatione porro ſæculorum, quum adveniſſet illud ipſum Verbum Patris, quod Moyſi ante locutus fuerat, rurſus hoc præceptum dedit &c.* Quo ex loco adverſus Covarruviam variar. Reſol. lib. 2. cap. 20. localem Eccleſiarum Immunitatem Divini eſſe juris inficiantem pugnat, Divinoque eam jure defendi probat ipſemet e Proteſtantium grege Georgius Rittethuſius de Jure azylor. cap. 4. Quin etiam obſervans ex Tacito Annal. lib. 3. p. 323. Deorum monitu ab Epheſiis Dianæ, & Apollinis Nemus ſacratum habitum, a Smyrnæis item Veneris Templum, & a Teneis Neptuni Ædem. Sic etiam a Romulo azylo ſuo auctoritatem Pythiæ oraculo conciliatam ex Statio lib. 12. Theb. advertens. Confer & Willelmum Zepperum legum Moſaycar. & Forenſ. explanat. lib. 1. cap. 7, ubi legem de Azylis leges inter Cæremoniales, ac Forenſes non modo, ſed & inter Morales comprehendere, quæ ideo lege Evangelica ſublata non fuerit, veluti Covarruviæ fuerat viſum, non dubitat. S. Ambroſius lib. 5. epiſt. 33. ad Marcellinam Soror. Oper. To. 3. p. 129. intima in ea perſuaſione verſabatur, ita Divini Numinis proprias Eccleſias eſſe, ut in eas Laicæ poteſtati nullum jus reliquum inſit. Ideo Magiſtratibus de Baſilica eis conſignanda, queis Imperator jubebat, ſollicitantibus invictum pectus

ctus objiciens : *Convenior*, inquit, *ipſe a Comitibus, & Tribunis, ut Baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem jure ſuo uti, & quod in poteſtate ejus eſſent omnia. Reſpondi ea, quæ Divina, Imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubjecta.* Quorum ſimillima repetit eodem libro Orat. in Auxentium de Baſilicis tradendis p. 128. To. 3. edit. Coſterii Baſil. 1555. iis, qui ſibi de Imperatore faciebant invidiam, ſic invicte reponens : *Tributum Cæſaris eſt, non negatur. Eccleſia Dei eſt, Cæſari utique non debet addici : quia jus Cæſaris eſſe non poteſt Dei Templum.* Sequitur igitur, S. Ambroſii ſententia, ut Eccleſiæ Sacroſanctæ ita ſint, ut in ſupremi Numinis vegrandem vergat injuriam, quidquid contra earum immunitatem per vim a laicis Magiſtratibus attentetur. Meminit & S. Paulinus in vita S. Ambroſii circa med. Creſconii, quem ad Sacrum Altare profugum ab Arianis Militibus, eum inde abſtrahere nitentibus, defendere S. Antiſtes pro virili parte adnixus eſt. Prævaluiſſe quidem illos, hominemque inde rapuiſſe ſubjungit, eos tamen Dei vindicta inſectante, violatæ immunitatis pœnas dediſſe, doluiſſe quoque facti vehementer Stiliconem, quod id permiſiſſet, egiſſeque pœnitentiam, illæſum vero Creſconium in exſilium, (nam alioqui facinoribus prægravatus erat), fuiſſe dimiſſum. Morte ſua pariter Maſchezilam Gildonis fratrem violatæ Eccleſiaſticæ immunitatis luiſſe pœnas referunt Oroſius lib. 7. cap. 36, & Paulus Diac. lib. 13. Duplicis profecto laude digniſſimum de S. Baſilii magnanimitate, ac manſuetudine illud celebrat S. Gregorius Nazian. Orat. 20, quod tam Viduæ cujuſdam nobilis, & opulentæ ad potentis Judicis, procique inſidias declinandas ad Eccleſiam confugientis, quam Judicis ipſius, ad furentis in ſe Populi, armiſque perſequentis effugiendam iram, in Eccleſia pariter refugium quærentis defenſionem in ſe receperit. Cujuſce ſimile aliud profert exemplum Ammianus Marcellinus lib. 15. Sua perinde ſub ætate ad Epiſcoporum pedes ſemet abjicere ſolitos criminum conſcios, ut eorum interceſſione, ac reverentia, a carcere, ac morte immunes evaderent, auctor eſt S. Auguſtinus ſerm. 18. de Verb. Apoſt. Qua plane de Epiſcoporum erga captivos, reoſque flagrantiſſima caritate, pietateque late Doctiſs. Thomaſſinus Vet., & nov. Diſcipl. par. 2. lib. 3. cap. 95,

95, seqq. Ab eodem S. Augustino severo anathemate innodatus Bonifacius Comes ideo, quod Aras amplectentem reum inde vi abstrahi jussisset, legitur apud Gratianum Can. 8. *Miror* 17. q. 4. Sed enim epistola 187, e qua Canon ille excerptus est, etsi Baronio probata, Lovanienſibus tamen Theologis, ac PP. Maurinis, a quibus ideo in Append. To 1. rejecta est, venam, ingenium, stylumque S. Augustini non sapit. Confer & Doctiss. Sebastianum Berardi in Grat. emend To. 4. par. 3. cap. 19. p. 404, seq. Videndæ tamen germanæ S. Doctoris epist. 215, & 230. Moris nihilominus Africana in Ecclesia receptissimi, ut Episcopi publicos apud Magistratus pro reis ad Ecclesiam profugis intercederent, germana in epist. 115. ad Fortunatum Cirtensem Antistitem S. Doctor testem se dat locupletem, ubi de quodam Faventio, qui ad Ecclesiam Hipponensem aufugerat, scribens: *Is*, inquit, *quum ab ejusdem possessionis Domino, nescio quid, sibi metueret, ad Hipponensem confugit Ecclesiam, & ibi erat, ut confugientes solent, expectans, quomodo per intercessionem nostram sua negotia terminaret*. Eutropio, homini ingentium alioqui facinorum atrocitate bonis omnibus invisо, ad Ecclesiam se recipienti, cujus azylo cæteroqui se indignum præstiterat, ut qui Arcadio Imp. nefarii Edicti L. 3. *De his, qui confug. ad Eccles.* Cod. Theod, quo videlicet Ecclesiarum azyla abolerentur, auctor fuisset, quod Edictum tamen eodem, quo latum fuerat, anno diligenti S. Joh. Chrysostomi opera abrogatum est, defensionem impendere eumdem S. Doctorem non dedignatum, testatur scriptor de Promiss., & prædict., quod Opus S. Prospero tribui passim solet, par. 3. cap. 38. Confer eumdem S. Chrysostomum Orat. de Eutrop., Socratem lib. 6. cap. 5, Sozomenum lib. 8. cap. 7, ac Baronium ad an. 398. n. 88, seqq., & 399 n. 8, seqq. Cyrenium Ducem asperrime objurgatum iniquo a proposito delendi Azyla deterruisse legitur S. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 174. ad eumdem, crudelitati non modo, sed impietati attentatum istiusmodi tribuere non dubitans. S. Gregorius Turon. lib. 5. cap. 3. Servum quemdam, qui ad Ecclesiam aufugerat, incolumem adversus herum ab Episcopo strenue servatum memorat, ac lib. 9. cap. 3. Regi Guntramno id egregiæ laudi vertit, quod sacri Azyli immu-

immunitate frui impium quemdam permiserit, qui truces in ipsum injicere manus fuerat inique meditatus. Inter Excerptiones Egberti Eborac. Archiep. Can. 75, seq. apud Harduinum To. 3. p. 1968, laudato quin etiam S. Hieronymi nomine, defendi ab Ecclesia debere, qui ad Ecclesiam confugerint, expresse decernitur. Eginhardus Abbas epist. 23. apud Duchesnium To. 2. p. 700. interfectori ad Ecclesiam profugo veniam, ob Ecclesiæ reverentiam, haud negandam ostendit. Oratorio in honorem B. Alexis condito sacri Azyli collatum jus a B. Meinverco Paderbonensi Antistite legitur apud Surium ad diem 5. Junii. Magistratui in Ecclesiam recepto, qui solvendo non erat, ne cibus denegaretur, neve inde deduceretur, intercessisse S. Tarasium, atque in Milites, qui eum inde violenter abducere non exhorruerant, severa animadvertisse anathematis sententia, refert vitæ ipsius Scriptor apud Surium ad 25. Febr. cap. 26, seq. Sub id etiam temporis S. Theodorus Studites lib. 2. epist. 202. edit. Sirmondi Ven. To. 5. Mariæ Spathariæ ob violatum Ecclesiæ azylum pœnitentiam indixisse haud exiguam legitur, abstinentiæ a Sacris idest per totam Quadragesimam, decies genuflexionum singulis diebus, & quinquagies trium Psalmorum 6, 47, & 50. recitationis, ac quadraginta aureorum in pauperes erogandorum. Captum in acie contra Carolum Andegavensem Corradini partes ajuvantem Henricum Castellæ Regis fratrem, atque custodiendum sibi traditum reddere constantissime Abbas Cassinensis abnuit, nisi de ipsius vitæ incolumitate ante securitatem accepisset, veluti legitur in vita S. Ludovici Franc. Regis apud Duchesnium To. 5. p. 382. Arcte insita animo eadem inerat Ecclesiasticæ immunitatis tutela Hugoni Lincolnienſi Antistiti, qui quum obvium incidisset in furem ab hominum furente turba raptum ad mortem, *Solvite*, inquit, *eum, & finite abire: ubi enim Episcopus cum Fidelium Populo congregatus est, ibi est Ecclesia: nec minor immunitas debetur lapidibus vivis, quam mortuis*, apud Surium ad diem 17. Novemb. cap. 17. Pari indutus constantia pro Ecclesiastica immunitate S. Bertholdus Abbas, furem alterum ad supplicium quæsitum, qui ad ipsius Cœnobium iccirco profugerat, a violentia defendit, invictumque iis, qui abducere inde conabantur, animum

mum objecit, de quo idem Surius ad 17. Julii. Pro eadem Sacri Azyli religione ſtrenue laicos adverſus Judices, cenſuris etiam, ſibi decertandum duxerunt Epiſcopus Aurelianenſis in epiſt. 16. ad Sugerium Abb., & Hildebertus Turon. epiſt. 49. Ad hæc denique Gloſſa Pragm. Sanct. tit. *Quomodo Divin. Officium ſit celeb.* Presbyteri Euchariſtiam deferentis immunitati aperte ſuffragatur. Pro qua pariter ſententia utroque ſtant pede Juris utriuſque Interpretes, Hoſtienſis in Cap. *Sane* de Elect., Oldradus Conſ. 54. n. 5, Igenus ad L. 1. §. 5. ff. *De SC. ſilan.*, Boſius tract. Crim. tit. de Capt. n. 29, Petrus Greg. Tholoſanus Syntag. Jur. univ. lib. 33. cap. 21. n. 15, Sacerdoti nempe Euchariſtiam deferenti Azyli jus attribuentes. Contra tamen contendentibus Covarruvia lib. 2. Var. cap. 20. n. 6, & Georgio Ritterhuſio de Jure Azylor. cap. 2, ubi pro more Proteſtantium in ſacrum geſtandæ ſolemniter Euchariſtiæ ritum, velut idololatricum, & a Perſis mutuatum, (quorum Regibus in more poſitum, ut Regia egredientibus ignis perpetuus in foco ingenti præferretur, referunt Xenophon, & Ammianus Marcellinus lib. 23,) a Pontificibus inductum invehitur, & bacchatur. In Galliis igitur, veluti præter alios obſervant Ludov. Thomaſſinus vet., & nov. Diſcipl. par. 2, lib. 3. cap. 100, ac Joh. Petrus Gibert Jur. Canon. To. 2. tract. de Eccl. tit. 17. de Locis Sacris §. 6. p. 535, Sacrum Azyli jus manſit integrum uſque ad Franciſcum I, a quo primum Edicto an. 1539. ſancitum, ut Judicis ſententia ab Eccleſiis abſtracti rei, Judicis ſententia reſtitui deberent, habetur apud Bochellum p. 637, qua de re infra.

Egregiam in eamdem SS. Patrum, Scriptorumque ſententiam concurrere ultrocitroque haud morandum ſibi duxere in Conciliis Epiſcopi, quibus ſacri Azyli religionem in tuto ponere nullo non tempore cordi maximopere fuit. In Sardicenſi Can. 8. relato a Gratiano Can. 28. *Si vobis* 23. q. 8 pro reis ad Eccleſiam confugientibus pro capitali pœna enixe ab Eccleſia intercedendum edictum eſt. A Carthaginenſi IV. ſub Aurelio an. 399. duorum Epiſcoporum legatione ad Honorium Imp. decreta rogatum legitur: *Ut pro confugientibus ad Eccleſiam, quocumque reatu involutis, legem de glorioſiſſ. Principibus mereantur, ne quis eos audeat*

abſtrahere. Ita nempe ut Judices, quos in officio cohibere Religio non valebat, Imperialis cohiberet ſaltem auctoritas. Eorum vero votis feciſſe Imperatorem ſatis, Lege ad Sapidianum Africæ Vicarium data, quam fruſtra in Codice ſive Theod., ſive Juſtin. quæras, conjicere licet ex Can. 56. Cod. Eccl. Afric. In Arauſicano I. an. 441. Can. 5, & 6, apud Gratianum Can. 6. *Eos, qui* Diſt. 87, reorum, captivorumque ad Eccleſias confugientium incolumitati conſultum eſt: eos enim *Tradi non oportere, ſed loci Sancti reverentia, & interceſſione defendi*, Cenſurarum intentatis minis, ſancitum eſt. Canonem hunc proprium deinde fecit Arelatenſe II. an. 452, eiſdem inſtauratis Can. 30. Cenſuris in eos, qui ab Eccleſia ſub promiſſione indulgentiæ egredientibus pœnam intuliſſent aliquam. Ab Aurelianenſi I. an. 511. ſub Clodovæo circa homicidas, adulteros, & fures ad Eccleſiam fugientes ſacrum Azyli jus, per Canones, legeſque Romanas adſertum, illæſum ſervari juſſum eſt, ut inde abſtrahi, niſi juramento de indemnitate danda interpoſito, nequirent Can. 36. Servos etiam corporalibus abſolvi pœnis, ſacri Azyli reverentia, & intuitu, ſancitum legitur in Epaonenſi an. 517. Can. 39. Qui vero reos ab Eccleſiis abducere auderent, excommunicatione plecti, publicæque ſubſterni pœnitentiæ ab Aurelianenſi IV. an. 541. Can. 21. juſſi ſunt. Quod idem circa Servos ab Eccleſiis avulſos decretum inſtauratum eſt deinde in Aurelianenſi V. an. 549. Can. 22. In Matiſconenſi II. an. 585, gravibus auditis de Azyli Eccleſiaſtici violatoribus paſſim querelis, tum demum Can. 8. de ſarto illo, tectoque ſervando deinceps ſalubre captum eſt conſilium. Quo ſimiliter tam in Synodo incerti loci an. circiter 615. in Galliis habita Can. 9, quam in Remenſi an. 625. Can. 7. ad Eccleſiam confugientium incolumitati contra vim inferentes diſtricte conſultum eſt. Ervigii Regis etiam accedente conſenſu, a Concilio Toletano XII. an. 681. Can. 10. Eccleſiis ad 30. paſſus jus Azyli tributum eſt. In Moguntino an. 813. Can. 39, ſive Capitul. Caroli M. lib. 5. cap. 90, reos ad Eccleſiam profugos inde abſtrahere, pœnæ, mortique addjicere prohibitum eſt. Cujuſmodi Azyli indulgentia etiam ad Eccleſiæ atrium extenditur Capitul. ejuſdem Caroli M. lib. 3. cap. 140. apud Harduinum Tom. 4. p. 953, & Can. 7. *Siquis in atrio* 17. q. 4. Cujus etiam indul-

indulgentiæ ſpecies a Cojacenſi an. 1050. Cap. 12, ad triginta circum Eccleſiam paſsus confirmata fuit, propoſita anathematis in violatores pœna. Eccleſiæ quin etiam majoris Azylum ad paſsus 60, minoris vero ad 30. ampliatum a Romano an. 1059. ſub Nicolao II. legitur, ejuſmodique decretum epiſt. 8. ad Galliar. Epiſcopos obſervari in Gallia demandatum. At Can. 6. *Sicut antiquitus* 17. q. 4, Nicolai Papæ nomine a Gratiano laudato, Eccleſiis majoribus 40. dumtaxat paſsus, minoribus 30. pro immunitate deſignati habentur. Verum ab Antonio Auguſtino Dialogo 17. lib. 2. de Emend. Gratiani, a Romanis Correctoribus, ac recens a doctiſs. Berardi de Grat. emend. Tom. 3. par. 2. cap. 77. p. 329. dudum obſervatum eſt in veteribus Gratiani Codicibus LX. paſſus pro XL. legi, atque legiſse Ivonem par. 3. Decreti cap. 104, legendumque ita ſuaderi præcit. Nicolai II. epiſtola ex apographo Sirmondi a Concil. Collectoribus deſcripta. Apud Ivonem tamen eo loci ſermo non eſt de Eccleſiarum confinibus, prout videtur apud Gratianum, ſed potius de confinibus Cœmeteriorum, quæ ad præcit. paſsus violari prohibentur. Adverbio illo autem *ſicut antiquitus* deſignari Capitulare 2. an. 803, ac Capitula legi Salicæ adjecta cap. 3, regeſtaque Capitul. lib. 1. cap. 134, ac in lib. 2. leg. Langob. tit. 40. cap. 5. conjecta, adnotare loc. cit. Berardi non deſinit. Confer & ſeqq. Canones uſque ad 21. Cauſ. eadem 17. q. 4, queis cum ſacri Azyli limites circumſcribuntur, tum excipiuntur caſus, in quibus Azyli jus reis haud ſuffragari declaratur. Ad Cruces etiam publicis in viis erectas ampliatum jus Azyli a Claromontano an. 1095. Can. 29, ſeq. conſpicitur. Quid imo, quod jus Azyli non ipſis tantummodo Templis, eorumque Atriis, ſed adjacentibus etiam terris attributum ab Atrebatenſi an. 1097. diſcimus ex Epiſtola 40. Lamberti ejuſdem Urbis Epiſcopi ad Gotefridum Lenſenſem Caſtellanum ex Baluzio Miſcell. Tom. 5. p. 309. deſcripta a Cl. Manſio Suppl. Tom. 2. p. 149, ſeq. ? Iterum, qui reum in Eccleſia, vel Cœmeterio comprehendere auderent, diro configuntur anathemate a Remenſi an. 1131. Can. 14. Anno vero ſeq. Crucibus defixis Azyli limites in Tractu Narbonenſi deſignatos ab Epiſcopis conſtat. Eccleſiaſticæ tam localis, quam perſonalis immunitatis violatores excommunicatione per-

culsi, ab altero, quam a Rom. Pontifice absolvi a Londinensi an. 1143. prohibentur. Excommunicationis quoque telum in ejusmodi temeratores tam in Turonensi an. 1163. Can. 2. ex iis novem, qui in Cod. Mſ. S. Michaelis in periculo Maris Can. 9. subjuncti leguntur apud Harduinum Tom. 6. par. 2. p. 1600, quam in Aquilejensi an. 1184. a Gotifredo Patriarca intortum habetur apud Ughellum Ital. Sac. Tom. 5. p. 68. Inter Statuta an. 1225. a Concilio Scotico, de quo Wilkinsius Tom. 1. p. 607. num. 26, illud salubriter pro Ecclesiæ decore, bonoque Reipublicæ sancitum est, quod fugientibus ad Ecclesiam defensione quidem Ecclesia non desit, sed hanc tamen publicis aut agrorum depopulatoribus, aut viarum prædonibus, aut Sacrorum locorum effractoribus, aut a Canone, vel ab homine excommunicatis prorsus deneget: Quibus interea casibus illi tuendi adhuc dicuntur, donec a Judice Ecclesiastico lata sententia Ecclesiæ tuitione indigni fuerint judicati. Excommunicationis pariter lata sententia a Roffiacensi an. 1258. cap. 2. perstringuntur, qui sacri Azyli religionem lædere non extimerent. In Lambetano præterea an. 1261. Can. 12. diris ii prorsus devoventur, qui cibum inferri prohiberent iis, qui ad Ecclesias, aut Cœmeteria confugissent, aut inde egredientes interciperent. Ex quibus liquido patet temere prorsus a Paulo Sarpio de Jure Azyl. cap. 4. scriptum, Azylorum jure donata nusquam adparere Cœmeteria, Hospitalia, & Cœnobia: qui dignis ideo vapulat ab ipsomet Ritterhusio de Jure Azyli cap. 12. Tam vero reos, quam res ab Ecclesiis abstrahi, & auferri a Londinensi an. 1268. cap. 13. interdictum est. In abstrahentes instauratum anathema discimus a Bituricensi an. 1276. Can. 12, confirmato deinde in Redingensi an. 1279. cap. 3, quo insuper profugis victum prohiberi interdicitur, a Nugaroliensi an. 1303. Can. 6, quo cautum est pariter victus refugis deferri ne impediarur, in Marciacensi an. 1326. Can. 15, in Silvanectensi an. eodem cap. 5. aufugientibus ad Ecclesias præterea alimenta deferri prohibentes eadem pœna mulctantur, & in Vaurensi an. 1368. cap 93. A Palentino quoque an. 1322. cap. 17. profugis ad Ecclesias molestiæ quidpiam inferri districte vetitum fuit. Juxta facti qualitatem Ecclesiastico perfrui Azylo, aut privari reos

vo-

voluit Colonienſe an. 1280. cap. 13. Xenodochia, Religioſaſque Domos azylis adnumerandas, (quod aut ignoravit turpiter, aut iniquius diſſimulavit Sarpius), duxit Nemauſenſe an. 1284, publicis exceptis prædonibus, Azyloque temere abutentibus. Inter alia querelarum capita, de quibus apud Eduardum II. Angliæ Regem a Clero Anglicano expoſtulatum eſt, illud habetur, quo de violatis impune ſacri Azyli legibus acerbe dolent art. 10. inter alios, qui Regi an. 1316. oblati leguntur apud Harduinum Tom. 7. p. 1401. Qui pridem apud Henricum III. ejuſmodi querelarum ſpeciem inſtauraſſe fertur a Matthæo Pariſio ad an. 1233. Ad Eccleſias, aut Cœmeteria ſe recipientes nec inde avelli, nec eiſdem alimenta denegari, ſub anathematis interminatione, a Silvanectenſi an. 1326. cap. 5, a Salmanticenſi an. 1335. cap. 8, & a Dublinenſi an. 1348. ſtat. 2. apud Wilkins Tom. 2. p. 746. interdicitur. Quod iterum Statutum inſtauratum legitur a Dublinenſi altero an. 1351. num. 5. apud eumdem Collectorem Tom. 3. p. 18, & a Vaurenſi an. 1368. cap. 93. Commorantes in Eccleſiis, aut Cœmeteriis, Ordinariorum abſque licentia petita, & impetrata, nullo gaudere prorſus immunitatis privilegio judicavit Caſhelenſe an. 1453. cap. 31, deſcriptum a Wilkinſio Tom. 3. p. 565, & poſt ipſum a Manſio Suppl. Tom. 5. p. 288. A Florentino an. 1517, a Leone X. Conſt. *In Apoſtolicæ* confirmato apud Manſium Tom. 5. p. 408, & 498, Rubr. *De Immun. Eccleſ.* cap. 2, ſeq. declaratum habetur Florentiæ, ubi frequentiores Eccleſiæ conſpiciuntur, ne tota fere Civitas reddita videretur immunis, ea dumtaxat loca circum Eccleſias immunitatem ad ſe confugientibus præſtare: *Quæ aliquo notabili ſigno a viis publicis, & aliis locis profanis diſtincta ſunt.* Cujuſmodi decretum innovatum legitur a Florentino altero an. 1573. Rubr. 13. *De Immun. Eccl.* cap. 3. ibid. p. 929. Confer & Canonem 35. *Definivit* 17. q. 4. A Colonienſi an. 1536. Can. 20. tam publico Reipublicæ bono, quam Eccleſiarum decori, honeſtatique proviſum eſt, ut Latrones publici, volontarii homicidæ, Civilis ſocietatis perturbatores, & Eccleſiarum, ſepulcrorumpe violatores ſacris ab Altaribus poſſent abripi, non abſque tamen Epiſcopi conſcientia, & conſenſu. Et uni Epiſcopo certe reorum ad Eccleſias confugientium cuſto-

dia,

dia, & defenſio concreditur a Mediolanenſi V. p. 3. cap. 9; cognitio item caſus reſervatur, an crimen ejuſmodi ſit, cui Azylum ſuffragetur. Pertinet huc quoque Conſentinæ Synodi an. 1579. ſeſſ. 3. *De Immun. Eccleſ.* decretum, quo a laicis Magiſtratibus, ac Principibus Sacros Canones, queis ad Eccleſiam profugis ſecuritas legitur conceſsa, diligenter obſervari præcipiuntur. In Mexicana denique an. 1585. lib. 3. tit. 19. §. 1. ita ſacri Azyli immunitati conſultum eſt, ut ejuſdem violatoribus pecuniaria inſuper pœna, fabricæ applicanda, fuerit indicta. Apud Græcos tandem, atque Conſtantinopoli quammaxime in Templo partem quamdam tutiſſimo pro Azylo deſtinatam fuiſse, refert Anna Comnena Alex. lib. 2. Quod plane Imperatoribus ipſis plus vice ſimplici peropportunum ad incumbens vitæ diſcrimen evadendum accidiſse, congeſtis exemplis declarat Nicephorus Gregoras lib. 9. Quamquam, ad Latinæ quin fortaſſis exemplum, in Concilio Trullano Can. 97, in Nomoc. Balſamonis tit. 9. cap. 25, homicidis, adulteris, & raptoribus Azyli immunitas denegatur. Græcorum vero tantummodo uſum fuiſſe, ut Templis immunitatem tribuerent, Sarpius de Jure Azyl. cap. ult. temere affirmans ex dictis refellitur, non ſecus atque a Ritterhuſio de Jure Azyl. cap. 12. Confer inter alios hoc in argumento diligenter obverſatos Cl. Thomaſſinum vet., & nov. Diſcip. part. 2. lib. 3. cap. 95, ſeq., ex quo plurimum hac in re me profeciſſe libens, & ingenuus haud diffiteor.

Atqui præ omnibus, ſicut omnibus poteſtate, officioque præeunt, ac præcellunt, Eccleſiaſticæ immunitatis potiores ſe defenſores, vindiceſque præſtitere Romani Pontifices. Apud Gratianum Can. 10. *Frater* 17. q. 4. fertur S. Gelaſius Eccleſiarum immunitatem declaraſſe juris Divini, neque Principibus unquam licuiſſe inde reos extrahere. Ut ſit hoc de loco, quem ex epiſtola S. Gelaſii nomine ad Victorem, Conſtantinum, Martyrium, Feliciſſimum, & Timotheum Epiſcopos deſcriptum pſeudepigraphis adcenſere non dubitat Van-Eſpenius in diſſert. de Azylo Templor. cap. 3, de quave tam dubitandi, quam non rationes in partem utramque proponit Berardi Grat. emend. To. 2. part. 2. cap. 46. p. 441., ſeq., indubium eſt a S. Gregorio M. lib. 1. epiſt. 35.

epiſt. 35. Ravennatem Epiſcopum fuiſſe ſollicitatum, ut pro Maurilione Expræfecto, qui ad Eccleſiam confugerat, ſequeſter apud Præfectum Georgium intrepidus interveniret, ne ulla ſacri Azyli juri injuria irrogaretur. Nolens tamen, ad infamiam, quæ ex ſceleſtorum Reipublicæ noxiorum tuitione in Eccleſiam redundaſſet, vitandam, pro furti publici reis defenſionem ſuſcipi lib. 7. epiſt. 24. De Parricidis quoque ad Eccleſiam refugientibus judicium Epiſcopo relinqui integrum voluit S. Nicolaus I. in epiſt. ad Bulgar. quæſt. 24; illibatum alioquin a Bulgaris obſervari Eccleſiaſtici Azyli jus, producto imo Romuli exemplo, a quo Templum pro Azylo fuiſſe olim conſtitutum ſuperius dicebamus, ad quæſt. 95. jubens. Quæ præclara Nicolao II. de immunitate Eccleſiarum inſederit ſententia, relata Can. 6. *Sicut antiquitus* 17. q. 4. dictum eſt paullo ſupra. Innocentius III. *Extra de immun. Eccleſ.* Capp. 6, 9, & 10. ad conſulta Regis Scotiæ reſpondiſſe legitur, ab Eccleſia hominem extrahi nequire, niſi impunitate deſponſa, furibus tamen exceptis, publiciſque viarum deprædatoribus. A Gregorio IX. Eccleſias nedum etſi dedicatas, in quibus tamen celebrarentur Myſteria, eodem gaudere jure declaratum ſcimus: quo defraudarentur tamen, qui Eccleſias, aut Sepulcra cæde inquinaſſent. Confer Decret. hujuſce Pontificis lib. 3. tit. 23, ac tit. 49. in 6, in Clement. lib. 3. tit. 17. Cap. *Immunitatem*, de Immun. Eccleſ., Cap. *Pro humani* de Homicidio in 6; Cap. *Eccleſiæ* 9, Cap. *Inter alia* 6, Cap. *Id conſtituimus*, Cap. *Præſenti*, & Cap. *De his, qui ad Eccl. confug.* de Immun. Eccleſ., quibus graviorum quorumdam flagitiorum rei Azyli jure, beneficioque excluduntur. Ad hæc Martinus IV. apud Raynaldum ad an. 1281. num. 18. Galliarum Epiſcopos data epiſtola edoctos voluit de Apoſtatis, & Hæreticis azylo Eccleſiæ abjiciendis. Saxonibus de variis diſciplinæ dubiis an. 1447. apud eumdem Annaliſtam num. 28. interrogantibus, quoad Azylorum jus reſpondit Nicolaus V, eo frui quidem Parochi domum (multo igitur magis Domum Epiſcopi azyli jure gaudere intelligendum hinc eſt, de qua conſulendi Juris Canonici Interpretes in Cap. penult. *De Immun. Eccleſ.*, ac inter alios Brunus de Cæremoniis lib. 3. cap. 3, ac Nicolius ad tit. *De his, qui ſui* de Immun. num. 23, Cardinalium quoque Domos, de quibus

bus Fagnanus in Cap. 9. *De Immun. Eccleſ.*, quamvis eas, quas in Urbe inhabitant, Azylo privarunt Hadrianus VI. an. 1522, & Julius III. an. 1550.) Parochi domum, inquam, areamque circumjacentem intra paſſus 40. majoris Eccleſiæ, aut 30. minoris conſitam, publicis tamen furibus illius ſpe prorſus dejectis. Publicis iterum latronibus, viarumque infeſtatoribus Eccleſiaſticum intercludendum Azylum decrevit an. 1453. Card. Tuttavillenſis in Galliis de latere Legatus ibid. num. 22. Pius II. gravibus Henrici Caſtellæ Regis querelis inflexus an. 1459, Hiſpalenſem de legavit Epiſcopum, qui de abuſibus ſuper Azylis diligenter cognoſceret, apud Raynaldum num. 25. Ad Henrici VII. inſtantiam an. 1488. committentes in ſpem Azyli privilegio exuit Innocentius VIII. apud Fleurium hiſt. Eccl. lib. 116. num. 93, ſeq. In Anglia quoque læſæ Majeſtatis reos, homicidas, & deprædatores abſtrahi conceſſit Julius II. an. 1504. referente Raynaldo num. 35. Exceptiones deinde alias induxere Gregorius XIV. Conſtit. *Cum alias* an. 1591, Benedictus XIII. Conſtit. *Ex quo* an. 1725, quas geminas Gregorii, & Benedicti Conſtitutiones Clemens XII. Conſtit. *In ſupremo* die 22. Febr. 1735. confirmavit, univerſumque ad Eccleſiæ ſtatum extendit, Benedictus XIV. vero Conſt. 88. *Alias felicis* Bull. Tom. 1. p 297. ad alias Principum ditiones ampliavit, & Conſt. 29. *Officii noſtri* Tom. 3. p. 278. plurima, quæ circa præfatas Conſtitutiones ſuccurrere dubia poſſent, explicavit. Qui conferendus etiam in Conſt. 40. *Elapſo* Tom. 3. p. 331. §. 3, 4, ſeq, ac Inſtitut. Eccleſ. 41, ubi de immunitate locali erudite, lateque more ſuo agit.

Diſciplinam hanc porro Eccleſiæ agnatam, Jure Divino, Canonicoque ſuffultam, ac Conciliorum, Pontificumque decretis ſtabilitam, tantum abeſt, ut Poteſtates laicæ infringere auſæ fuerint, quod potius ſuſtentare pro virili parte non deſtitere. Atque quidem Religionis potius intuitu, quam Ethnicorum Principum exemplo, a quibus certe Templis Azylorum jus paſſim tributum legitur, veluti Magneſiis a Scipione, Sylla, & Auguſto, Stratonicæ, & Aphrodiſeæ a Julio, & ab eodem Auguſto, Hierocæſareenſibus a Cyro, & Perpenna, Cypriis a Teucro, Sardicenſibus ab Alexandro M., Mileſiis a Dario &c., de quibus Tacitus Annal.

Annal. lib. 3. Itaque Conſtantinus M., ut primum Chriſtiana Sacra profiteri cœpit, legibus eadem loco ponere tuto ſtuduit, atque ex ſeptem, quibus Religionem Chriſtianam omni ex parte communiendam, promovendamque ſibi cordi ſumpſit, lege quinta Chriſtianis Eccleſiis Azyli jus adſerendum duxit, de quo adeundus Paganinus Gaudentius lib. de Azyl., ac lib. de Sæculi Juſtinianei moribus cap. 11. Illæſum deinde idem jus juſſit Theodoſius M. L. 34. *De his, qui ad Eccleſias confugiunt* Cod. Theod., qua non alia de Eccleſiaſtico Azylo lex antiquior in utroque Codice habetur. Quamquam illud, qua parte Azylo Fiſci debitores excluduntur, arctatum potius ab eo videri poſſit. Sed hanc poſtea exceptionem delevit 'exploſitque Leo Imperator. Arcadius quoque, qui ab Eutropio inſtigatus ſacri Azyli jus ſuſtulerat, eodem nedum elapſo anno nova lege reſtituit. Quod anno 399. Africanis flagitantibus Epiſcopis ab Honorio confirmatum ſuperius jam innui. Anno 408. ſartum Azyli jus, tectumque juſſit etiam Theodoſius II, qui & an. 431. lege altera, L 4, quam tamen poſtea ob caſus aliquos emendare oportuit, illud ad Eccleſiarum Atria, porticus, habitacula, balnea, hortos &c. extendit. Quamvis L. 6. Armatos non deponentes arma inde abſtrahendos, prævio tamen Epiſcopi conſenſu, ne ſeditionem molirentur, edixit. Servum etiam armatum, ab Eccleſia avulſum, inermem Domino ſuo reddendum, impetrata prius delictorum indulgentia, ob ſacri loci reverentiam, L. 4. Cod. Juſt. imperavit. Religione ſacrum Azyli jus per ſe inviolatum manere, ultimo propoſito ſupplicio, præcepit etiam Marcianus Imp. an. 451. L. 5. ibid., ſolam Conſtantinopolitanam Urbem exceptam volens, ideo quia præſentia ſua pro Azylo præſto ſe futurum promittebat. Qui eum dein excepit, Leo Imp. an. 466. ampliſſima lege altera L. 6. eod. Eccleſiarum immunitati conſulendum duxit, a quo inſuper Theodoſii M. legem, qua Epiſcopos ære gravatis Azylum concedentes pretium creditoribus ipſos ſolvere juſſerat, ſublatam, abrogatamque mox advertebam. Non ſecus atque ab Anaſtaſio Imp. editam adverſus ſacri Azyli jura legem, de qua Nicephorus lib. 2, non obtinuiſſe ſcitum eſt. Equidem Juſtinianus Novel. 17, & 37. homicidis, adulteris, Virginum raptoribus, & Chriſtianis vim inferenti-

bus Azyli ſecuritatem denegavit; pro reliquis tamen reis intactum reliquit. Peſſime hinc porro Civili pure jure Azylorum jus introductum cum Sarpio, & Jannono quis argueret, ideo quia Civilibus paſſim legibus illud ſuſtentatum, aut coarctatum legatur. Quis enim in hiſtoria Eccleſiaſtica hoſpes adeo eſt, ut ignoret Laicæ poteſtatis opera frequens Eccleſiam indiguiſſe, ut leges alioqui tam Divinæ, quam Canonicæ tuto in loco collocarentur, ad earumque obſervantiam refractarii adigerentur? Unde Principum leges illæ non tam Eccleſiæ favendo, quam Eccleſiæ præceptis, juribuſque famulando latæ intelligendæ ſunt, velut habetur cap. 28. *Super Specula* Decret. lib. 5. tit. 33. *De Privilegiis*; atque ideo Eccleſia Imperatorum Legibus non jus utique, inſtitutionemque, ſed uſum dumtaxat, liberumque exercitium accepiſſe dicenda eſt, velut indicat Juſtinianus ipſe L. *Sancimus* 22. Cod. *De SS. Eccleſiis*. Qua de re fuſius paullo inferius. Quare Imperatores in ferendis legibus illis, quibus Azylorum jus aut adſtrui, aut arctari videbatur, reſpexiſſe exiſtimandi ſunt ad Eccleſiæ leges, quibus idem jus jampridem aut adſtructum, aut arctatum fuiſſe obſervabamus. Et certe ab Alarico, & Totila Romæ Templa reverenter, ut oportebat, habita refert etiam S. Auguſtinus de Civit. lib. 1. cap. 17, qua de re videndus & Tillemontius To. 6. hiſt. Imp. p. 593. De Theodorico Rege quoque tradit Caſſiodotus Variar. lib. 3. cap. 47. eum imperaſſe quidem, ut Jovinus Curialis, qui homicidio patrato ad Eccleſiæ ſepta refugerat, inde avulſus in Vulcaniam Inſulam exſilio deportaretur, ne videlicet tam nefarii ſceleris vindictam prorſus evaderet, ob reverentiam tamen Eccleſiæ debitam, capitis eidem veniam feciſſe. Solemni rurſus Edicto ad Eccleſiam aufugientes, ſi Servi eſſent, ab Archidiacono eos propriis reſtitui Dominis præcepit, expreſſa tamen ante veniæ ſponſione, aut Servos alios eorum in locum ſubjici. Si vero Fiſci debitores fuiſſent, ab Archidiacono cogi eos debere, ut aut inde exirent, rationeſque redderent, aut Magiſtratibus eorum res contraderent omnes, quas in Eccleſiam intuliſſent: alioquin Archidiaconus ipſe cogeretur ſolvere, quidquid ærario deberetur publico. Ex quibus haud obſcure adpareat, tam firmas tum temporis radices egiſſe Azyli Eccleſiaſtici jus, adeoque

eoque tum uſum firmatum, ut illud violare, infringereque vel hæretico Principi religioni ceſſerit. Ad hæc ea quoque Grimoaldum erga Templa Religio inceſſerat, ut Onulphum hoſtem, qui ad Baſilicam S. Michaelis Ticini ſe receperat, inde per vim abſtrahere non fuerit auſus, referente Paulo Diac. lib. 5. cap. 12, in quem videndi Lindenbrogius, & Blancus in Not., nec non Zanottus de Regno Langob. lib. 4. §. 24. Denique Luitprandus homicidas dumtaxat Azyli jure defraudandos judicavit LL. 2, & 4. *De his, qui ad Eccleſ. confug.* Leg. Langob. lib. 2. tit. 39: Quibus a legibus nec abhorruiſſe Eccleſiam ex dictis liquet. Equidem in Capitulari Caroli M. an. 779. lib. 5. cap. 122. illis, qui legibus mori debebant, ad Eccleſiam profugis victum dari prohibitum legitur. Dandum id quidem ætatis illius tam malitiæ, quam ignorantiæ, qua tum exundans flagitiorum colluvies aliquo compeſcenda erat modo, tum ſpiſſas inter tenebras obvoluta jacebant jura. Cæteroquin enim tam eo ipſo Capitulari confirmatur imo Azyli jus, nam Eccleſia reos extrahere permiſſum non habetur, quam Capitulari an. 801. lib. 1. cap. 140, & lib. 5. cap. 93, quo etiam ad Eccleſiæ atrium a Carolo M. Azyli jus extenditur, indeque vi reos abducere interdicitur. Poſtremo Capitularis illius, quo indirecte plane ſacri Azyli jus peti diſſimulari nequit, caput reformatum fuiſſe a Conciliis paſſim, Can. 35. *Definivit* 17. q. 4, Cap. *Inter alia* de Immunit., Cap. *Præſenti*, & Cap. *De his, qui ad Eccleſ. confug.*, ex dictis ſuperius abunde patet. Ad quæ Ludovicus Pius Capitul. an. 828. lib. 4. cap. 13. eum etiam, qui ipſa in Eccleſia cruentas inimico manus intuliſſet, Eccleſiaſtica immunitate gaudere, tantumque de vita componere, congruam facinoris ab Eccleſia ſubiturum pœnitentiam, indulſit haud difficilis. In Legibus ideo Alemanicis, & Bojoaricis paſſim Eccleſiaſtici Azyli jus in tuto poſitum intueri licet, obſervatque Thomaſſinus par. 2. lib. 3. cap. 97. n. 7. Itaque Franciſcus I. Galliarum Rex primus fertur apud Pragmaticos, qui Azylorum jus in Galliis abolendum ſibi ſumpſerit: ſiquidem Edicto lato an. 1539. Artic. 164. Judicis Laici ſententia ab Eccleſiis reos abſtrahi, aut eiſdem reſtitui juſſerit. Sed enim Doctiſſ. Thomaſſinus cap. 100. Articulum illum de reis intelligi jubet, quibus per Canones Azy-

li jus non ſuffragetur; non eos comprehendi, quos Eccleſiis remitti debere ſacris Canonibus ſancitum eſt: qua de re cognoſcere, ſetreque ſententiam ad Eccleſiaſticos Judices, non ad Laicos ſpectaſſe affirmando ſubjungit. Quamvis obſervat temporis ſucceſſu, Pontificibus Summis tacentibus, ac tolerantibus, eveniſſe demum, ut Azylorum libertas non parum ampliata occaſionem Judicibus Laicis ſe paſſim huic immiſcendi cognitioni dederit, quin etiam juris ejuſmodi detrahendi. Wiſigothorum legibus in Hiſpania ſpeciatim homicidis ad Eccleſiam refugientibus mortem inferri prohibitum legitur: neque per eas licebat ære alieno gravatis moleſtiam creare lib. 6. tit. 16, & lib. 9. tit. 3. In Anglia leges inter Eccleſiaſticas ab Ina Rege latas an. 692. ea cap. 5. locum habet, qua capitali a pœna immunes pronuntiantur, qui Eccleſiam adjiſſent. Ea quoque a S. Eduardo Rege promulgata, atque a Willelmo cognomine Notho confirmata, cap. 5. habetur, qua reis ad Eccleſiam, aut ejuſdem atrium, aut ad Parochi domum, domuique circumpoſitam aream, fundo Eccleſiæ inædificatam, quod ſacris pridem Canonibus præſcriptum legitur, confugientibus gravi a pœna immunitas adſcritur. Statutis denique Regni Poloniæ 453, & 498. deſignati an. 1543. provide ſunt ii, queis Azyli jus non ſuffragaretur. Iidem nempe, quibus ſpeciatim id juris Civilibus legibus, Canoniciſque decretis fuerat denegatum. Nonniſi igitur conformiter recte rationi, quemadmodum a veteribus Ethnicis gravioribus ideo delictis Azyli veniam denegatam congeſtis exemplis oſtendit Octavianus de Guaſco cit. diſſert. de Azyl. ſect. 3, Eccleſiæque decretis Azyli beneficio indignos edixere mortis reos Arcadius, & Honorius an. 398. L. 16. Cod. *De Epiſcop.*; reos Majeſtatis L. *Fidel.* an. 414. Theodoſius II; armis ſe in Eccleſiis defendentes Theodoſius, & Valentinianus an. 432; homicidas, adulteros, Virginumque raptores Juſtinianus Auth. *De Mand. Princip. coll.* 3. Illud denique haud prætermittendum, quod aliquando confugientium ad Templa in exſilium commutari ſolebat pœna, velut apud Judæos, ut habetur in Te almud, apud Græcos, teſtibus Euripide in Oreſt. v. 512, Homero Iliad. 15. v. 577, Porphyrio de non eſu animal. lib. 1, & apud Romanos, uti docet Servius ad Æneid. 6, & Cicero pro Ce-

Cecin. Ita demum in Italia Theodorico jubente apud Caſſiodorum, & in Anglia ſic volente Eduardo II. apud Polydorum Virg. lib. 1. hiſt. Sed hæc non tam pœna, quam beneficium, quo a morte ſervabantur immunes, æſtimanda fuerat. Atque de his hactenus.

Quo ex jure vero Eccleſiarum deſcendit immunitas, Localis ideſt, ex arcto nempe erga Deum reſpectu, eodem potiori Eccleſiaſticarum immunitas Perſonarum emanat, Divino nempe, ex Religione Divino Numini debita, qua fit, ut veneratione dignæ reddantur. Et ſane rationis ductu vel Ethnici edocti eodem ferme, quo Supremum Numen ſuſpiciendum duxerant, Religionis reſpectu, dicatas Numini perſonas ſuſpicere non dubitabant. Itaque tam Romæ, quam in Municipiis Flamines maximo in honore habitos tradunt Livius lib. 1. cap. 20, Plutarchus in Numa, & Cenſorinus de Die Natali cap. 4. Cujus honoris participes Veſtales factas, quas primum quatuor a Numa inſtitutas produnt Dionyſius Halic. lib. 2. p. 127, & Plutarchus loc. cit., duabus adauctas deinde ſive a Tarquinio Priſco, ut vult Dionyſius lib. 3. p. 196, ſive a Servio Tullio, ut viſum Plutarcho in Numa, atque ita ſexenario iſto numero Urbis univerſæ, quæ in ſex erat diſtributa partes, votis factum ſatis, quod Populus pro ſua quiſque parte Sacrorum haberet Miniſtram, tradit Feſtus, referunt Livius lib. 1. cap. 20, Plutarchus loc. ind., ac Svetonius in Auguſto cap. 31, & in Tiberio cap. 2. Videſis Lipſium de Veſtal. cap. 11, ſeq., Caſalium de Ritib. Rom. lib. 2, Nieupoortium de vet. Roman. Ritib. ſect. 4. cap. 2. §§. 12, & 17, Pitiſcum in Lex. V. *Flamines*, & *Veſtales*, alioſque longe plures apud ipſum. Tantam denique apud Romanos Sacerdotii etiam profani exiſtimationem viguiſſe, ut eorum cooptationes, & initiationes æreis, ac marmoreis Tabulis, Faſtis, & Kalendariis diligenter inſcribere ad Chriſtianæ uſque æræ Sæculum IV. non dubitarint, ex veteribus, quæ adhucdum ſuperſunt, Monumentis docet Cl. Blanchinius in præfat. ad Anaſtaſium To. 1. n. 21, ſeq. In Ægypto quoque eo honoris loco Sacerdotes habebantur, ut publicis alerentur ſumptibus, eorumque dicto audientes ſe omnes religioſe præberent, teſte Ælia-no Var. hiſt. lib. 14. cap. 34. Quò ſane pertinent Pharaonis factum,

a quo

a quo Sacerdotes, eorumque poſſeſſiones in libertatem priſtinam dimiſſæ præclaro leguntur exemplo Geneſ. cap. 47. v. 22, & 26, quod profertur Cap. *Non minus* de Immun. Eccleſ., quove pro Eccleſiaſtica immunitate in tuto ponenda ſapienter uſa legitur Synodus Conſentina an. 1579. ſeſſ. 3. cap. de Immun. Eccleſ. apud Manſium Suppl. To. 5. p. 1127. Quanti etiam fierent apud veteres Gallos Druidæ, & Bardes, declarant Cæſar de bello Gall. lib. 6, & Plinius lib. 6. cap. ult., apud Græcos Sacrorum Miniſtri, tradit Demetrius apud Plutarchum, Brachmannes apud Indos, memorant Strabo lib. 15, & Euſebius præpar. Evang. cap. 8, ac Gymnoſophiſtæ apud Æthiopes, indicant Philo lib. de Abrah., & Philoſtratus rat. lib. 1. cap. 1, ac lib. 6. cap. 4. Agrippèos ſimiliter magna proſequebantur religione Scythæ, ſi vera narrant Herodotus lib. 4, Magos Perſæ, velut auctores ſunt Juſtinus lib. 1, & Cicero lib. 1. de Divin., non ſecus ac hodie Caliphæ inter Arabes, Talismannes, & Mophtes inter Turcas, inter Japonios Bonzos, & apud Sinenſes ſummo habentur in honoris loco: ut nihil interea de Sacerdotibus Hebræorum retexam, quos ſupremo apud gentiles ſuos honoris gradu poſitos ex dictis Art. 1. patet. Sed enim ad Sacerdotes Evangelicæ legis etiam pertinent explicitiſſimi textus tam Pſal. 104. v. 15. *Nolite tangere Chriſtos meos*, quam Zachariæ cap. 2. v. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei:* quibus haud obſcure ſignificatur jure Divino inniti Sacerdotum immunitatem, velut eadem loca explicant Synodi Troslejana an. 909. cap. 5, Ravennatenſis an. 1311. Rubr. 26, ac Friſingenſis an. 1440. cap. 3, intellexitque S. Stephanus Hung. Rex in Monitis ad Emericum filium, de quibus infra. Quam tamen immunitatem propius reſpicit cum Chriſtus D. Lucæ cap. 10. v. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*, de Sacerdotibus loquens, ut exponit Synodus Aquiſgranenſis II. tit. 3. de perſona Regis cap. 7, tum S. Paulus 1. ad Timoth. cap. 5. v. 19. ſcribens: *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere*, ſic nempe indicans apud Epiſcopos jam tum ſub ipſa Apoſtolorum ætate proprium obtinuiſſe Tribunal, in quo Presbyterorum cauſſæ agitari deberent, velut advertunt Lorinus in hunc locum, Gretzerus de Immun. lib. 2. conſid. 8, Diana To. 7. tract. 1. reſolut.

ſolut. 6. n. 7, Tannerus in defenſ. libert. Eccleſ. lib. 1. cap. 14, Valboa in lect. Salmant. To 2. cap 2. de Judic. n. 39, Card. Petra ad Conſt. 5. Urbani IV. n. 8. To. 3, &c. Recte itaque Divina inſtitutione perſonas Eccleſiaſticas a poteſtate laica independentes pronuntiarunt in Synodo Lateranenſi V. ſeſſ. 9. Leo X. Conſt. *Supernæ* §. 40, ac Epiſcopi in Synodis Aquiſgranenſi II. an. 836. tit. de perſona Regis cap. 7, Salisburgenſi an. 1386. cap. 9, Friſingenſi an. 1440. cap. 3, & Conſentina an. 1579. ſeſſ. 3. cap. de Immun. Eccleſ. apud Manſium Suppl. To. 5. p. 1127.

Bene proinde, optimeque ſe habet, quod collatis utrinque ſtudiis, viribuſque conſertis ad hanc perſonis Eccleſiaſticis adſerendam, ac ſattam, tectamque ſervandam libertatem tam Romani imprimis Pontifices, quam Eccleſiarum perinde Antiſtites unanimi conſpirarint ſententia. Ingenti ergo Euſebianis inter alia crimini vertit S. Julius I. in epiſt. ad ipſos apud S. Athanaſium in Apolog contra Arian. n. 83, ideo quod Epiſcopali præterito, ad laici Præfecti Tribunal S. Athanaſii deferre cauſſam non fuiſſent veriti: *Nam oportuit hoc*, inquit, *negotii in Eccleſia a Clericis ſecundum leges examinari* &c. Quas autem heic, amabo, leges intelligit, niſi Apoſtolica traditione in Eccleſia cuſtoditas? Præterea in libro Pontificali legitur idem Pontifex conſtituiſſe: *Ut nullus Clericus cauſſam quamlibet in publico ageret, niſi in Eccleſia*. Quam periocham quidem commentis deputandam cenſet doctiſſ. Coutantius in Not. ad Decreta S. Julio adtributa §. 11. n. 21. p. 419, ideo quod tum eadem deſideretur in Exemplari Bollandiano, alteroque Foſſatenſi, tum quod id prohibere abſque Principum conſenſu Rom. Pontifici fas haud fuiſſe putet; a nullo vero Principum id conceſſum, ut Civiles Clericorum cauſſæ a Sæculari foro abducerentur. Sed enim huicce Viri doctiſſ. non admodum temperanti cenſuræ objicio tum Codices longe plures, optimæque notæ, quos ex Bibliothecis Vaticana, Reginæ Chriſtinæ, S. Marci Florentina, Caſſinenſi, Farneſiana &c. contulere Fabrottus, Baronius, Holſtenius, Scheleſtrates, qui diſſert. 3. cap. 4. Henſchenianum Codicem non ſatis accurate deſcriptum oſtendit, ac Blanchinius, qui adiri poterit Anaſtaſii To. 1. ſect. 36. p. 44, tum documenta longe ſolidiora, quæ ſequenti ex Pontifi-

tificibus, & Conciliis prosequor serie, quæque Divino profecto, Canonicoque jure, non autem Civili, sive Principum indulgentia, Ecclesiasticam libertatem demonstrant. Ex quatuor itaque Codicibus MSS. venerandæ antiquitatis Corbejensi uno, Colbertino altero, geminoque Germanensi S. Siricii fragmentum, sive Appendicem ad epistolam 1. ad Himerium exhibet idem Coutantius To. 1. Epist. Rom. Pontif. p. 638, seq., qua Pontifex jubet Ecclesiasticas caussas apud Ecclesiam definiri: *Quia*, inquiens, *quotiens de Religione agitur, Episcopos convenit judicare, si quando inter duas Ecclesias fuerit orta contentio, usque ad Synodum, vel ante Metropolim caussa Ecclesiastica deducatur. Nil liceat ante Principem ulla ratione suspendi; sed quod agitur inter Episcopos, Episcoporum sententia terminetur.* Viden igitur, ut Civiles Ecclesiarum caussæ earum numero adcensitæ sint a S. Siricio, quo locatæ Religionis habentur? Ita etiam a S. Damaso, Synodoque Romana sub ipso an. 378. laudati Gratianus, & Valentinianus leguntur ideo, quod lege caviſſent: *Ut Sacerdos, ne ulla fieri videretur injuria Sacerdotio, nulli profani Judicis arbitrio subjaceret.* Caussas inter Clericos exortas ab Episcopis terminandas esse S. Innocentii I. in epist. 2. ad Victricium Rotomag. cap. 3. explicita sententia etiam est, eidem sane suis receptissimæ Decessoribus traditioni nixa. In Maximum Valentinæ in Gallia Urbis Episcopum vehementer excanduisse, invectusque legitur item S. Bonifacius I. epist. 3. edit. Cout. ad Galliar. Episcopos, quod in criminali caussa Judicibus laicis coram comparere substinuisset, quam idcirco ab Episcopis definiri jubet. Neque vero ætate tam nuperus, antiquitatisque tam ignarus æstimari S. Gelasius debet, quin rei sub Apostolorum ævo, deincepsque receptissimæ idoneus admitti testis queat: quippe qui epist. 9. ad Dard. Episcopos edit. Hard. Ecclesiasticas personas ab Ecclesiarum Præsulibus judicari oportere scribens, ita a prima Ecclesiæ ætate servatum adfirmat, idque Principum quin etiam legibus cautum: indicans, nisi mea me fallit opinio, L. 41. *De Episcopis* Cod. Theod., & in Append. L. 15. lib. 16. tit. 2. L. 23. S. Gregorius M. lib. 1. epist. 32. Italiæ Exarchum severe reprehendit, quod Blandum Hortensem Episcopum diutius Ravennæ detinere auderet, imperans eumdem Synoda-

nodali judicio, ſi quid deliquiſſet, judicandum dimitteret. Quanto demum ſtudio defendendam Eccleſiaſticam libertatem idem S. Doctor adſumpſerit, multis, quibus ideo parco, demonſtrat Thomaſſinus par. 2. lib. 3 cap. 104. Gradus honore privandum, ab Eccleſia quin etiam pellendum decrevit S. Zacharias in Concilio Romano an. 743. Can. 12. Clericum, qui proprii Epiſcopi poſthabito foro, ad laicum Judicem interpellare non fuiſſet veritus. Inter Capitula Hadriano I. tributa cap. 35, alias 33, relato a Gratiano Can 48. *Clericus* 11. q. 1., & a Benedicto Levita in lib. 7. Capitul. cap. 332, ſive 251, *Clericus crimine, aut lite pulſatus non aliubi, quam in foro ſuo audiendus* jubetur. Eximio iſto Eccleſiaſtici decoris ſtudio inductus S. Nicolaus I. in epiſt. 8. ad Michaelem Imp. Sæculari poteſtati nullum prorſus in Eccleſiarum Præſules jus incumbere decernit. Refertur etiam a Gratiano Can. 7. *Evidenter* diſt. 96. In epiſtola item ad Carolum Moguntinum, ejuſque ſuffraganeos, quam ex Martenii vet. Monumentis deſcriptam Concilio Moguntino an. 857. adſignandam cenſuit Venetus Labbei editor, perperam tamen, ut obſervat Manſius Suppl. To. 1. p. 979, de cujus etiam ſinceritate dubitationem movet Berardi Grat. Emend. par. 2. cap. 77. T. 3. p. 294, quæ levior eſt tamen, unaque Marteniani Codicis auctoritate elevatur, relatus itidem totidem verbis a Gratiano Can. 6. *Inter hæc* 33. q. 2, de Eccleſiaſtica a laicis legibus libertate egregiam hancce periocham expromit: *Sancta Dei Eccleſia Mundanis nunquam conſtringitur legibus*. Cui approbe concordans Johannes VIII. in Synodo Ravennenſi an. 877. Can. 4. Clericos, & Sanctimoniales, Pupillos, & Viduas ſub Epiſcoporum tutela poſitos inde ad Sæcularia trahi judicia interdixit. Stephanus IX. Conſtitutione edita, & in Concilio quidem Romano an. 1058, velut ex ipſius verbis apud Muratorium Antiq. Ital. To. 5. p. 979, atque ex Chronographo Vulturnenſi Rer. Ital. To. 4. p. 514. recte auguratur Manſius Suppl. To. 1. p. 1315, ſeqq., Clero Lucenſi immunitatem, libertatemque aſſeruit, & vindicavit, allegatis Sacrorum nedum Canonum decretis, ſed Othonis etiam, aliorumque Imperatorum Reſcriptis, quibus inhibetur, ne Clerici ab ullo *Ad Sæcularia judicia pro qualicumque controverſia pertrahantur, vel ante Sæculares Judices examinentur, vel diſtringan-*

gantur, nisi tantum ab eorum Præsule. Clericos indiscriminatim omnes solius Episcopi foro obnoxios esse rescripsit Urbanus II. epist. 14. ad Rodulphum Comitem. Cujusce Rescriptum observari, religioseque adimpleri voluit Concilium Melphense sub eodem celebratum an. 1090. Can. 11. Prædecessorum vestigiis presse inhærens Callistus II. in Lateranensi generali I. an. 1123. Can. 20. pro officii parte *Ecclesias cum bonis suis, tam personis, quam possessionibus, Clericos videlicet, ac Monachos, eorumque Conversos, Aratores quoque, cum suis nihilominus rebus, quas ferunt, tutos, & sine molestia esse*, sub Anathematis pœna sancivit. Canones inter alios in Concilio Pisano an. 1134. ab Innocentio II. sancitos, quos ex Codice Vaticano a Cardinali Aragonio in vita ejusdem Pontificis Rer. Ital. To. 3. par. 1. p. 435. descriptos suo Conciliorum Supplemento To. 2. p. 417, seq. Mansius intexuit, Can. 12, in Remensi Can. 13, is, qui violentas in Clericum, aut Monachum injecisset manus, diro subjicitur Anathemati, a quo absolvi, nisi mortis instante periculo, a nemine possit, donec Apostolico se præsentaverit conspectui. Eugenius III. in Cap. 2. *Decernimus* de Judiciis Laicos a caussarum Ecclesiasticarum cognitione submovisse legitur: *Decernimus*, inquiens, *ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant, sed Episcopi* &c. Apertissima hac de re Alexandri III. sententia est cum in epist. 10. ad Henricum Angl. Regem, qua Clericos ad Tribunal sæculare trahi omnino prohibet, tum in Concilio Lateranensi III. Cap. 14, quo a Fidelium communione segregandos edicit Laicos, qui suo judicio stare personas Ecclesiasticas compellerent. Similibus ad Upsalensem Archiep., & ad Ludovicum VII. Gall. Regem litteris in Append. 19, & Append. 2. ep. 77. unum Clericis patere Tribunal Episcopale præcepit. Sed enim longe explicatior est Lucii III. sanctio in epist. ad Strigonienſem Archiep., relata in Cap. 8. *Clerici* de Judic., quo loci de Criminalibus Clericorum caussis hæc habet: *Clerici, maxime in Criminalibus, in nullo casu possunt ab alio, quam Ecclesiastico Judice condemnari; etsi consuetudo Regia habeatur, ut fures a Judicibus sæcularibus judicentur*. (Quibus verbis, ut audis, contraria libertati Ecclesiasticæ Civilis lex abrogatur): pergit deinde rationem proferens: *Quum Imperator*

dicat,

dicat, quod etiam leges non dedignantur ſacros Canones imitari: in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine Clericus debeat coram Eccleſiaſtico Judice conveniri; nec debet in hac parte Canonibus ex aliqua conſuetudine præjudicium generari. Veterem in Eccleſia hanc eſſe diſciplinam, eidemque coævam, ut a Laico diſtincto Eccleſia foro potiatur, auctor locuples accedit Cæleſtinus III. in Cap. 10. *Quum non ab homine* Decret. lib. 2. tit. 1. *De Judiciis*, & in Cap. 9. *Quod Clericis* tit. 2. *De Foro competenti*, ubi SS. Bonifacii, Gelaſii, aliorumque Deceſſorum laudatis decretis ſic loquitur: *Nullus Epiſcoporum, vel Clericorum ad Judicia Secularia eſt trahendus: habent enim illi Judices ſuos, nec quidquam eſt eis commune cum legibus.* Decerptus eſt locus ex L. 3. Cod. Theod. de Epiſcop. Judic. a Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio lata, relataque a Gratiano Can. 5. *Continua* 11. Q. 1. Ut erat vero tam harum rerum peritiſſimus, quam Eccleſiaſticæ poteſtatis vindex acerrimus Innocentius III, hanc paucis, ſed explicitiſſimis proinde in tuto poſuit Cap. *Eccleſia S. Mariæ* de Conſtit. *Quod Laicis*, inquiens, *ſuper Eccleſiaſticis perſonis, & Eccleſiis nulla ſit attributa facultas imperandi* &c. Datis etiam ad Epiſcopos Sardiniæ litteris lib. 7. epiſt. 111, & ad Turritanum Judicem epiſt. 113. apud Raynaldum ad an. 1204. n. 59. aſperrime increpuit cum illos, quod Eccleſiaſtico poſthabito foro, coram Laicis Magiſtratibus inter ſe ſe judicio contenderent, tum iſtum, quod Eccleſiaſticas perſonas apud Laicos cauſſam dicere, judiciumque ſubire cogeret. Denique Clericorum immunitati abunde proſpexit Cap. 12. Extra *De Foro compet.*, & Cap. 17. Extra *De Judic.* Friderici II. Conſtitutione confirmata, Clericorum judicia Epiſcopis religioſe reſervari diſtricte juſſit Honorius III. Conſt. 1. *Has leges*, in quam confer, ſi placet, Emin. Petram To. 2. n. 25, ſeqq.; a quo Pontifice decretam perinde in temeratores Eccleſiaſticæ libertatis excommunicationis ſententiam laudavit, ſuiſque ad Theobaldum Navarræ Regem litteris apud Martenium Anecdot. To. 1. p. 993. inſertam voluit Gregorius IX, qui præterea in epiſt. 28. ad Comitem Toloſanum Univerſitatem Toloſæ recens erectam adprobans, eidem plenam adſerit immunitatem. Innocentii, & Honorii decretis inſtauratis, eos, qui Eccleſiaſticam appetere libertatem,

laceſſereque auderent, cenſuris inuſſit Alexander IV, datis ad Galliar. Epiſcopos epiſt. 496. lib. 3, qua ad eamdem pro officio defendendam eoſdem Præſules excitat, & ad S. Ludovicum Regem epiſt. 133. eodem lib. 3. apud Raynaldum ad an. 1257. n. 54, & 1258. n. 16, qua eidem gratulatur, quod ad libertatem Eccleſiæ tuendam egregie ſe contuliſſet. Clerum Hiſpanum aſperrimis objurgavit Urbanus IV, quod Laicis coram Judicibus lites agitare ſuas indigne ſuſtineret. Quicumque occaſione cenſuræ latæ in perſonam cujuſque gradus, etiam Regalis, Epiſcopis injuriam, ac moleſtiam inferrent, diro anathemati ſubjiciuntur a B. Gregorio X. Conſtit. *Quicumque* edita in Concilio Lugdunenſi II. cap. 31, quam inſtauravit Bituricenſe an. 1286. cap. 11. Viciſſim vero ejuſdem Pontificis Conſtitutione altera eodem in Concilio lata *Sciant cuncti* Cap. 11. propria facta legitur a Melfitano an. 1284, apud Martenium vet. Monum. To. 7. p. 283, cap. 2, quo Eccleſiaſticis perſonis, electionis occaſione, gravamen, aut moleſtiam inferentes excommunicatione plectuntur. A Nicolao III. lib. 1. epiſt. 149. Philippo Audaci, non ſecus atque deinde a Nicolao IV. Philippo Pulcro, nec non a Johanne XXII. Philippo Longo Francor. Regibus indultum quidem, ut Clericos flagitiis deditiſſimos, ne videlicet Eccleſiaſtica freti libertate, temeritati, facinoribuſque cujuſque genus habenas impune laxarent, capi, & in Carceres trudi jubere poſſent, ita tamen, ut eorum de ſceleribus judicarent Epiſcopi apud Raynaldum ad an. 1278. n. 37, & 1317. n. 13. Et certe Honorius IV, & Nicolaus IV. tum Philippum Pulcrum Gall. Regem, tum Eduardum I. Regem Angl., tum Principes alios efficaciſſimis litteris apud Raynaldum ad an. 1285. n. 81, 1286. n. 29, ſeq., 1288. n. 19, ac 1290. n. 28, & 33. admonitos voluere, ut Adminiſtros ab inferendis Clericis injuriis, ac Judices laicos a cauſſarum ad Eccleſiaſticum forum attinentium cognitione ſerio, religioſeque deterrerent. Excommunicationis perinde ſententia cum a Bonifacio VIII. in eos promulgata eſt, qui Eccleſiaſticam juriſdictionem impedire tentaverint Cap. 4. *Quoniam De Immunit. Eccleſ.* in 6. lib. 3. tit. 23, tum a Clemente V. in eos confirmata, qui in Epiſcopos, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas inſævire, eoſque inſectari, ac proſcribere non expaverent, Clem.

Clem. 1. *Siquis*, & 2. *Multorum* lib. 5. tit. 8. *De Pœnis*, relata, quoque in Bullam Cœnæ cap. 11. Ad hæc Extravag. *Super Gentes De Conſuetudine* cap. un. a Johanne XXII. interdicto ſupponuntur loca, & Regna, in quibus Apoſtolicæ Sedis Legati, aliique Miniſtri admitti detrectentur, impedientibus anathematis inflicta ſententia. Ad infractam in Gallia paſſim, & Anglia laicis a Judicibus Eccleſiaſtici fori religionem, ac libertatem redintegrandam, ac in priſtinum erigendam decus converſi tam Benedictus XII. repetitis litteris cum ad Nuncios ſuos, tum ad Reges Philippum, & Eduardum apud Raynaldum ad an. 1337. n. 17, ſeqq., quam Clemens VI. litteris iteratis ad Eduardum Regem apud eumdem Annal. ad an. 1344 n. 55, & 1352. n. 17, in Hungaria item confirmatis ideo Concilii Poſonienſis decretis an. 1346. n. 73, ſeq., & in Hiſpania epiſt. ad Petrum Arag. ibid. an. 1350. n. 45. In eos iterum, qui perſonis Eccleſiaſticis injuriam conflare, moleſtiamque inferre præſumerent, diro anathematis telo animadvertit Urbanus VI. Conſtit. 3. *Quia ſicut*. Quibus præterea infamiæ notam inflixere Fridericus II, & Carolus IV. Imp. ſuis legibus, quas ſecundo confirmans Bonifacius IX. Conſt. 4. *Juſtis*, Clericorum cauſſas ab Epiſcopis dijudicandas definivit. Pœnas omnes ſuis a Prædeceſſoribus in violatores Eccleſiaſticæ immunitatis intortas complexus Martinus V. Conſt. 10. *Ad reprimendas* Romæ Kal. Febr. 1428. edita, ſub excommunicationis interata pœna Romano Pontifici reſervata, ac reſpective interdicti, tam Laicis cujuſque gradus prohibet Eccleſiaſticas perſonas ad Forum laicale trahere, quam Eccleſiaſticis ipſis, adjecta pœna amiſſionis cauſſæ, coram laicis Judicibus comparere, tam quoad actionem realem, quam perſonalem, & mixtam, Civilem, & Criminalem, tamque ſi de jure, quamve ſi ex conſuetudine. Friderici II. Edictum pro libertate Eccleſiaſtica, & a Foro laico exemptione ab Honorio IV. confirmatum inſtauravit denuo Calliſtus III, non ſecus atque Caroli IV. legem, Conſt. *Cum ſicut* an. 1455. apud Raynaldum n. 37. Ludovico XI. Gall. Regi oſtendit Sixtus IV. Fori jus inter alia Sacerdotibus ita proprium obtingere, ut in ſuum transferre Rex nullo quiret modo, apud eumdem Annaliſtam ad an. 1478. n. 23, & 27. Apud Epiſcopos dumtaxat Eccleſiaſticas agi cauſſas repetitis vicibus

bus voluit Leo X, nempe Conſt. 7. *Supernæ*, 10. *Regimini*, & 63. *Paſtoralis*. Julius III. in epiſt. ad Carolum V. Imp. inoleſcentem in Hiſpania abuſum, ut Clerici paſſim ad laicum Tribunal raperentur, extirpari prorſus juſſit apud Raynaldum ad an. 1551. n. 82. Quas inſuper partes idem Pontifex explevit pro libertate Clericis in Corſica vindicanda epiſt. ad Paulum de Thermes Gallum Proregem legenda apud Raynaldum ad an. 1555. n. 7. Hortante S. Pio V. libertatem Eccleſiæ tuto in loco ſtare in Poloniæ Regno imperavit Edicto lato Sigiſmundus Rex apud Laderchium ad an. 1568. p. 110. edit. Rom. 1733. Violatam a Senatu Dolenſi redintegrare ſtuduit epiſtolis apud eumdem ad an. 1571. p. 348, ſeq. Quibus adhuc efficacius effreni laicorum Judicum licentiæ frænum demum apponitur in Bulla Cœnæ D. quotannis promulgari ſolita, eaque ſpeciatim adeunda, quæ n. 14. incipit *Paſtoralis* §§. 15, & 16. a Benedicto XIV. Bull. To. 1. p. 35. edita 3. Kal. Apr. 1741. eſt.

Ab egregio iſto Rom. Pontificibus arcte inſito Eccleſiaſticæ immunitatis in tuto ponendæ ſtudio, officioque neque prope, neque procul abfuere Eccleſiarum Præſules, cupiditate non tam affecti propriæ amplificandæ poteſtatis, quam vero erga Religionis incolumitatem affectu incenſi. Non opus eſt utique, neque otium ſuppetit omnia, quæ ex Conciliis hanc in rem conferrent, documenta congerere, ſed ſatius habebo ea illuſtriora deligere, in quibus nullum plane ſit dubium, plurimum vero roboris inſit. A Concilio itaque Antiocheno an. 341. exordium capiendo, in eo Can. 11, ſeq. a Communione, & honore abjiciuntur Epiſcopi, & Clerici, qui Eccleſiaſtico derelicto Tribunali, ad laicos adjiſſent Judices. Refertur etiam a Gratiano Can. 2. *Siquis* 21. Q. 5. Sardicenſe in epiſt. Synodica ad Eccleſiam Alexand. preces apud Imperatores ab ſe interpoſitas memorat: *Ut illorum humanitas.... conſtituat, ne quis Judicum... aut Clericos judicet, aut ulla ratione impoſterum, ſub prætextu Eccleſiarum, quippiam contra Fratres molliatur*. In Carthaginenſi III. an. 397. cap. 9. relato quoque Can. 43. *Placuit* 11. Q. 1, ex quo pariter deſcriptus ab Iſidoro videtur Can. 14. *Relatum* ibid. a Gratiano tributus S. Alexandro I, Clerici a Tribunali laico, in cauſſa Criminali quidem ſub gradus amittendi pœna, in Civili vero ſub pœna cauſſæ perdendæ, elimina-

minati omnino ſunt. Cui probe congruit Concilii Africani Cap. 71, Carthaginenſis an. 407. Can. 19. ex iis, qui Milevitano II. tribui ſolent, in Codice Can. Eccl. Afric. Can. 15, & 104. Clericos ad Sæcularia judicia concurrere diſtricte vetat Chalcedonenſe an. 451. Can. 9, regeſto a Gratiano Can. 46. *Si Clericus* 11. Q. 1, ſed eorum negotia apud Epiſcopos agitari debere, aut apud Arbitros ab utraque parte eligendos audiri decernit. Ab Eccleſia extorres abire, dignique bonorum omnium deteſtatione ab Arelatenſi II. an. 452. Can. 31, jubentur, declaranturque Clerici, qui ad Sæculares Judices cauſſas deferre ſuas auderent. Andegavenſe an. 455. Can. 1, Chalcedonenſi 9. inſtaurato, Clericos ab Epiſcopali audientia proſilire, Judiceſque laicos expetere interdixit. Ab Epiſcopi proprii judicio ad aliorum Epiſcoporum audientiam provocare Clericis quidem permittit Veneticum an. 465. Can. 9, non tamen ad Sæcularis poteſtatis Tribunal appellere, ſub Anathematis pœna. Leo Bituricenſis in Synodica una cum Victurio Cenom., & Euſtochio Turon. ad Epiſcopos, & Presbyteros Prov. 3. Lugd., quæ eſt Provincia Turonica, olim inter Epiſtolas S. Leonis M. n. 96. falſo adſcripta, velut obſervat Sirmondus in Not., Clericum, qui Epiſcopali prætermiſſo judicio, publicum ſponte adjiſſet Judicem, gradu, & officio privandum decrevit. Ab Eccleſiæ quin etiam communione pelli Clericum, qui Laicum ad Judicem confugerit, aut criminale negotium in laico Judicio propoſuerit, imperat Agathenſe an. 506. Can. 8, & 32, relatis Can. 1. *Placuit* 21. Q. 5, & Can. 17. *Clericum* 11. Q. 1. In Epaonenſi an. 517. Can. 11, ne publicos interpellare Magiſtratus audeant, Clerici prohibentur. Ad Sæculare judicium accedere Clericum, vel alium attrahere diſerte noluit Aurelianenſe III. an. 538. Can. 32, qui habetur in Gratiani Decreto Can. 3. *Clericum* 21. Q. 1, atque inſtauratus legitur ab Aurelianenſi IV. an. 541. Can. 20. Nec ſane, niſi in Eccleſiaſtico foro, negotia, liteſque contra perſonas Eccleſiaſticas exagitari permittit Aurelianenſe V. an. 549. Can. 17, adprobato paullo poſt, promulgatoque ab Arvernenſi II. Can. 16. In Autiſiodorenſi an. 578. Can. 35. a Tribunali profano Clerici abſtrahuntur non modo, ſed profani Judices Clericos injuriis afficientes anno ab Eccleſiæ communione Can. 43. abſcinduntur.

Qui-

Quibus perquamsimilis est Censura, quæ a Concilio Matisconensi I. an. 581. Can. 7, seq. tam in laicos Judices Clericis molestiam inferentes, quam in Clericos ad Judices laicos alterum ex consortibus attrahentes distringitur: nam & illi ab Ecclesiæ liminibus arcentur, & isti, si gradus fuerint inferioris Subdiaconatu, uno minus de quadraginta verberibus subjiciuntur, si superioris, triginta dierum conclusione, idest carcere, damnantur. Videndæ Bignonii Notæ ad Marculfi Form. 3. lib. 1. Pertinent huc etiam Matisconensis II. an. 585. Canones 9, & 10, quibus Clericorum dignitas a Sæcularium Judicum molestiis eximitur. Caussa cadere, Ecclesiæque communione ejici a Toletano III. an. 589. Can. 13, relato Can. 42. *Inolita* 11. Q. 1, jubentur Clerici, qui consocios alios laicis coram Judicibus sisti cogerent. In Epistola Canonica incerti Auctoris, Sæculi VI. tamen, capitibus 11. constante, quam Atto Vercell. Antistes ex Collectione MS. additionum Dionysii Exigui, in Bibliotheca Capituli Vercell. extante, memorat in epist. ad Ambrosium Presbyterum Mediolan. apud Dacherium Spicileg. To. 1. p. 439, quamque ex duobus Codicibus MSS. Cassinensi, & Vaticano descripsit Sirmondus, ex ipsius vero schedis recensuit Baluzius Capitul. To. 2. in Append. n. 5. p. 1374, ex Codice rursus Lucensi MS. recudit Mansius Suppl. To. 1. p. 817, ac denique in quatuor Italicis Collectionibus Vaticana 1342, Barberina 2888, Vallicellana. A. 5, ac Ticinensi, nunc Vaticana 1343, extare observant Ballerinii Fratres in Append. ad S. Leonis M. Opera To. 3. p. 631, & 669, in ea, inquam, Epistola n. 11. Clerici omnes caussas suas coram Episcopo disceptare jubentur: *Nam per nulla Sæcularia Judicia adire præsumant*: contra facientibus a vini potione, esuque carnium abstinentia indicta, donec ad Metropolitanum accederent. Tamdiu vero ab Ecclesia sequestratus, quamdiu reatum non emendaverit, a Parisiensi V. an. circiter 615. Can. 4, apud Gratianum Can. 2. *Nullus* 11. Q. 1, laicus denuntiatur Judex, qui distringere in Clericum non vereretur. Canonem porro hunc Parisiensem in tuto deinde positum voluit Remense an. 625, aut 630. Can. 6, & 18. Liberam Ecclesiam relinqui, suisque frui judiciis, ad eamdem qualia pertineant, designans, districte præcipit Berghamstedense an. 697. Can. 1, &

22. Jus

22. Jus Eccleſiaſticum ut Epiſcopis integrum conſervaretur, enixis votis a Belvacenſi an. 845. Cap. 1. rogatus legitur Carolus Calvus. Quæ ſane preces ex Conventu apud Villam Colonian Can. 1, & ex Concilio apud Theodonis Villam Can. 12. repetitæ leguntur a Meldenſi eodem anno. Perpetua cura hæc perſonas Eccleſiaſticas a poteſtate laica vindicandi Conciliis hæſit Aquiſgranenſi II. an. 836. tit. *De perſona Regis* cap. 7, ſeqq., quibus cauſſas Eccleſiaſticas tam Civiles, quam Criminales jure Divino uni reſervatas Eccleſiæ docet; Moguntino an. 888. Can. 7, & 16, quibus Clericis inferri moleſtiam prohibet, qui vero necem intuliſſet, pœnitentiæ ſpatium, qualitatemque præſcribit; cui etiam Concilio Can. 2, ſeq. reſtituendum Canon. 11. *Si Imperator* diſt. 96, Johanni VIII. tributum perperam a Gratiano, ſuſpicatur Berardi par. 2. Tom. 3. cap. 78. p. 357; Triburienſi an. 895. Can. 5, & 20, quibus præcedentes Canones Moguntini comprobantur, & Can. 21, quo Sacerdotum cum Laicis lites apud Epiſcopum abſque juramento finiri jubentur; Troslejano an. 909. capp. 1, & 5, quibus tam Eccleſiis, quam earum Miniſtris digna etiam a Regibus exhibenda reverentia decernitur, allegatiſque ex Pſeudo-epigraphis quidem Pontificum epiſtolis, ſed etiam ex germanis Principum ſanctionibus, velut ex Capitul. lib. 5. cap. 121, & lib. 6. capp. 98, & 304, explicitis locis: *Dei Sacerdotes non infeſtandi, non contriſtandi, non accuſandi, non a Sæcularibus arguendi, non reprehendendi, non damnandi, non arcendi, non quibuslibet machinationibus maculandi, vel dilacerandi, aut detrahendi, non aliqua injuria, vel contumelia afficiendi, quin minus perſequendi, excæcandi, aut interficiendi* denuntiantur; Engilenheimenſi an. 948. Can. 5, quo Laicis moleſtiam Presbyteris inferre prohiberur. Cui junge Cleri Northumbrenſis leges capp. 1, 23, ſeq., quibus Sacerdotum indemnitati, dignitatique ſedulo conſultum legitur apud Harduinum Tom. 6 par. 1. p. 705, ſeqq. Pro eo, quo flagrabat, Eccleſiaſtici decoris ſtudio Herardus Turon., Capitul. Eccleſ. cap. 7, ſeq. atra innodavit cenſura tam Laicos, quam Clericos, qui contendentes inter ſe ſe apud laicum Judicem potius, quam proprium apud Epiſcopum judicio experiri mallent, Hincmarus quoque Remen. in Tract. adverſus homony-

mum Nepot. Laudun. Oper. To. 2 p. 320, seqq. Canonum Synodalium, Decretorum Pontificiorum, & Legum Imperialium copiosa ingesta congerie Clericos apud laicos Judices in caussa neque criminali, neque civili experiri judicio debere liquido demonstrat. Atqui digitum ad fontes ipsos, unde sua hausit Hincmarus, propius intendere præstat, ne ram illius, quam Synodorum longe potiori moveri nos auctoritate videamur. In Cojacensi igitur Concilio an. 1050. Can. 3. id caute decretum habetur, ut tam Ecclesiæ, quam Ecclesiastici unius sub Episcopi proprii jure degant, nec in eas, aut in eos potestatis quidpiam sibi arrogent Laici. A Nemausensi an. 1096. Can. 4. districtis in Laicos, manus in Clericos injicientes, censuris animadvertitur: quæ prohibitio ab Audomarensi an. 1099. Can. 3. in eos pariter extenditur, qui injuriam inferre Laicis iis auderent, qui Clericis, aut Monachis comites se dedissent. Clericos in flagranti delicto deprehensos capi quidem Judicibus laicis permissum est ab Ilerdensi an. 1129, ita tamen ut ii dijudicandi Ecclesiastico Judici subito dimittantur. Laicis iterum Ecclesiastica, quæ ad Ecclesiam dumtaxat attinent, negotia disponere, ac definire nefas esse decretum legitur a Remensi an. 1148. Can. 5, relato Cap. *Decernimus* de Judic., & a Turonensi an. 1163. Can. 1, ex iis, qui in Codice Ms. S. Michaelis in periculo Maris Can. 9. subjunguntur. Anno 1189. a Rotomagensi Can. 21. Clerici, alios Clericos in Ecclesiastica caussa sæculares ad Judices trahere non veriti, caussa prorsus delapsi, Sacrisque interdicti declarantur. In Concilio Dalmatiæ, præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis, an. 1199. Can. 5. districte vetatum est, ne Clericorum caussis se ingerere Judices audeant, multoque minus eos ad probationes per ignem, & aquam adigere. Universalis, ut audis, vigebat disciplina hæc, doctrinaque in Ecclesia, cujusce testis etiam idoneus accedit Ivo Carnot., qui epist. 162. ad Canonicos Bellovac. ea ipsos animi magnitudine præditos exoptabat, qua periculo omni contempto Sodalis cujuspiam ad laicum Tribunal rapti vindicarent injuriam. Qua profecto fortitudine indutus S. Thomas Cantuar. hisce per epistolam 64. lib. 1. affari Henricum Angliæ Regem haud extimebat: *Quia certum est Reges potestatem suam accipere ab Ecclesia, non ipsam ab illis,*

sed

ſed a Chriſto, non habetis Epiſcopis præcipere, trahere Clericos ad ſæcularia examina &c. Jure, optimeque itaque a Concilio incerti loci in Hiſpania an. 1215. cap. 11. apud Martenium Anecd. To. 4. p. 171, juxta pluries iteratas a Pontificibus, & a Synodis hac de re leges, Clerici in flagitio a ſæcularis fori adminiſtris deprehenſi Eccleſiaſtico Judici abſque mora tradi jubentur. Cauſſarum etiam circa mobilia, ratione juramenti, vel fidei, vel teſtamenti, vel Matrimonii, cognitionem Gallicanæ Eccleſiæ adſerere non dubitavit Melodunenſe an. 1225. Inter Statuta eodem anno in Concilio Scotico apud Wilkins Tom. 1. p. 607. illud num. 49. habetur, quo Eccleſiaſticæ liberrati vim inferentes diſtricto anathematis gladio feriuntur. Cauſſas civiles Eccleſiaſticorum coram Judice Eccleſiaſtico tractandas, a cauſſis etiam Criminalibus eorumdem laicos Judices removendos, excommunicationis adjuncta pœna, definitum eſt a Concilio apud Caſtrum Gunterii an. 1231. Can. 16, & 20, & a Rotomagenſi eodem anno Capp. 28, & 30. Sed & Eccleſiaſticam libertatem tam realem, quam perſonalem a Laicis appetitam acerrime vindicandam ſibi ſumpſit Remenſe an. 1235. Juriſdictionem Eccleſiaſticam impedientibus juſtus Religionis incuſſus eſt metus a Biterrenſi an. 1246. cap. 18. In Concilio apud Vallem Guidonis an. 1242. cap. 5, Milevitani II, ſeu verius Carthaginenſis an. 407, Can. 19, & Chalcedonenſis Can. 9. inſtauratis, Clerici a foro ſæculari in cauſſis tam Civilibus, quam Criminalibus, ſub Eccleſiaſticæ diſtrictione cenſuræ, procul arcentur. Ne juriſdictio Eccleſiaſtica, ſive latarum ab Eccleſia ſententiarum executio a laica poteſtate impediatur, neve perſonis Eccleſiaſticis vis, ac moleſtia inferatur ulla, earumque quævis ad forum ſæculare in cauſſa ſive Civili, ſive Criminali compellatur, diſtricte vetitum legimus a Salmurienſi an. 1253. cap. 25, ſeq., alteroque poſtea an. 1315. cap. 2, a Weſtmoneſtarienſi an. 1256. apud Raynaldum n. 26, a Weilacenſi eodem an. apud Ludevvig Reliquiarum Tom. 9. p. 79, & Raynaldum ad an. inſeq. n. 29., ſeq., a Roffiacenſi an. 1258. capp. 1, & 5, redintegratis deinde in Roffiacenſi altero an. 1327. capp. 1, & 2, a Lambethenſi an. 1261. apud Harduinum Tom. 7. p. 535, & 539, a Colonienſi an. 1266. Can. 1, 9, 10, 11, 15, 18. &c., a Tarraconenſi eodem anno apud Marte-

nium Vet. Monum. Tom. 7. p. 171. Can. 2, & 3, alteroque an. 1292. cap. 10. ibid. p. 289, a Claromontano an. 1268. par. 2. cap. 9, a Concilio apud Castrum Gunterii eod. an. cap. 2, a Senonensi an. 1269. cap. 5, quod est fragmentum Pontificiæ cujuspiam Decretalis, a Saltzburgensi an. 1274. cap. 22, alteroque an. 1281. cap. 13, a Bituricensi an. 1274. Can. 8, alteroque an. 1276. Can. 13, a Salmuriensi an. 1276. Can. 11, ab Audomarensi an. 1279. capp. 4, 6, seq., ab Avenionensi eod. anno cap. 4, alteroque an. 1282. cap 7, a Redigensi an. 1279. cap. 3, a Budensi eodem an. Constit. 24, 25, & 58, qua postrema insuper, ne appellationes ad Sedem Apostolicam impediantur, districte prohibetur, apud Raynaldum in Append. Tom. 3. edit. Lucen. 1748. p. 627, seqq., ab Andegavensi eod. an. cap. 1, a Turonensi an. 1282. cap. 7, a Bituricensi an. 1286. cap. 11, ab Excestrensi an. 1287. capp. 30, & 41, ab Herbipolensi eod. an. cap. 24, ab Insulano an. 1288. capp. 11, & 13, quibus Avenionensis 1279. cap. 2, & Bituricensis an. 1276. cap. 11. innovantur, a Nugaroliensi an. 1290. Can. 5, & 10, a quo Can. 6. Episcoporum insectatores, aut percussores anathemate feriuntur, uni reservata Pontifici M. absolutione, ab Ilerdensi an. 1293, ut habetur in Constitutionibus Provinciæ Tarraconensis, Decreto Concilii Tarraconensis an. 1555. compilatis, p. 36, seq., ubi causa cadere, & censuris irretiri Clerici, & Laici jubentur, qui disceptare in foro sæculari non vererentur, a Santonensi an. 1298. cap. 7, & a Rotomagensi an. 1299. capp. 3, 4, seq. Ex quibus viden, ut huic Ecclesiasticæ jurisdictionis parti in tuto ponendæ indefesso allaboraverint studio Ecclesiæ Italica, Africana, Gallicana, Anglica, Germanica, Hispanica, Danica, Hungarica, Polonica, Hibernica, Scotica &c.? Quo perinde a studio haud sibi abstinendum, sed Ecclesiasticam potestatem defendendam, personasque Ecclesiasticas a laico foro removendas pro virili parte sumpsere, quæ post hæc Concilia subsequuta quotquot sunt, Melodunense an. 1300. cap. 3, Bajocense eod. anno cap. 96, Compendiense an. 1301. cap. 1, seqq., Posonienſe an. 1309. cap. 1, seq., Colonienſe 1310. capp. 1, & 2, Ravennatense II. 1311. Rubr. 26, Salmurienſe 1315. cap. 2, Ravennatense IV. 1317. cap. 18, Senonense 1320. cap. 2, Londinense

1321.

1321. Can. 5, Valliſoletanum 1322. cap. 3, Pariſienſe 1323. cap. 2, Avenionenſe 1326. capp. 8, 9, 10, 14, 42, & 43, Marcianenſe eod. anno cap. 9, ſeq., Silvanectenſe eod. an. cap. 7, Complutenſe eod. an. apud Raynaldum n. 20. cap. 2, Compendienſe 1329. capp. 1, & 3, Salmanticenſe 1335. cap. 8, Bituricenſe 1336. capp. 7, 11, 12, & 13, apud Caſtrum Gunterii eod. an. cap. 1, ſeq., Avenionenſe 1337. capp. 10, 11, 12, 17, & 18, Londinenſe 1342. cap. 12, Noviomenſe 1344. cap. 1, 6, & 8, Pariſienſe 1346. cap. 1, Toletanum 1347. cap 2, Meldenſe 1365. cap. 8. apud Martenium Anecd. Tom. 4. p. 926, Andegavenſe eod. an. capp. 24, 26, ſeq, Vaurenſe 1368. capp. 29, 30, 36, 38, 40, 44, 45, 94, 102, 104, 108, & 122, Narbonenſe 1374. capp. 11, 12, & 21, Saltzburgenſe 1386. cap. 14, Conſtantienſe 1418. ſeſſ. 45. confirmans Friderici II, & Caroli IV. Conſtitutiones, Saltzburgenſe 1420. Can. 29, Friſingenſe 1440. cap. 3, Eboracenſe 1466. apud Harduinum Tom. 9. p. 1480, ſeq., & Tridentinum ſeſſ. 7. de Refor. cap. 14, & ſeſſ. 25. de Refor. cap. 20. Quam porro Tridentini Concilii ſapientiæ plenam ſanctionem a laicis Poteſtatibus illibatam obſervari quantis exambierint votis Synodi Moguntina an. 1559. Can. 76, Urbinatenſis an. 1569. de Immun. Eccleſ. cap. 3, & Florentina an. 1573. Rubr. 13. de Imm. Eccl. cap. 1, videre licet apud Manſium Suppl. To. 5. p. 893, & 928. Quod idem ſtudium hæſit ſimiliter Conſentinæ an. 1579. ſeſſ. 3. cap. de Immun. Eccleſ. ibid. p, 1127, Mediolanenſi V. eod. an. cap. 11, Melodunenſi eod. an., Rotomagenſi an. 1582. tit. de Juriſd. Eccl., Remenſi an. 1583, Bituricenſi an. 1584. tit. 25, cap. 10, Mexicanæ an. 1585. lib. 3. tit. 19. §. 5, Cameracenſi an. 1586. tit. 22. cap. 12, Toloſanæ an. 1590. cap. 4, Narbonenſi an. 1609. cap. 42, &c. Quibus jungenda repetita S. Congregationis Concilii Decreta apud Fagnanum in lib. 1. Decret. par. 2. p. 352, ſeqq. Mitto alias multas, vereor enim, ne jam Lectori vel liberali faſtidium ingeſſerim.

Fieri igitur nequivit, quominus Clericis a Laico Foro exemptionem, quam Jure plane cum Divino, tum Canonico adeo ſuffultam, jugique in Eccleſia doctrina, ac diſciplina corroboratam intueri nequibant, turbare, aut minuere voluerint laici Principes, ut integram potius manere ultro citroque, ac vice plus ſimplici

plici jusserint. Ita de Constantino M. auctor est Nicephorus lib. 7. hist. Eccl. cap. 46, cui etiam laudi vertitur Can. 15. *Futuram* 12. q. 1, quod Episcopos *ad Dei solius judicium reservari* adfirmarit. De Constantio dignoscere licet ex lib. 16. Cod. Theod. tit. 2. *De Episcopis, & Cleric.* L. 2. an. 355. lata, quæ inscribitur *De foro Eccles.*, *& exemptione Episcop.*, velut observat ipsemet Gothofredus. De Theodosio, & Arcadio fit evidens ex L. 3 Append. Cod. Theod. *De Episcop. Judicio*, qua sic habent: *Continua lege sancimus nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ne ad judicia extraordinariorum, sive ordinariorum Judicum pertrahantur: habent enim illi Judices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus.* Subdititiam porro legem hancce contendit, præ ingenio inficiandi quidquid ad Ecclesiæ conferat jura, Jacobus Gothofredus in Comment. ad eamdem Legem, ac post ipsum Petrus Jannonus lib. 2. cap. ult. §. 3, sub. jungens eam legem cum ab Anselmo lib. 3. cap. 109, tum a Gratiano Can. 5. *Continua* 11. q. 1. mutilatam fuisse, interpolatamque. Verum eam egregie vindicant Sirmondus, a quo lex illa cum aliis sub eodem titulo ad calcem Cod. Theod. evulgata est, ac Johannes le Gendre IC. Parisiensis serm., quem an. 1690. Clero Gallicano inscripsit, eo quammaxime ductus momento, quod titulus iste *De Episcopali judicio*, ejusdemque legum fragmenta leguntur in Breviario Cod. Theod. an. 506. jussu Gajoaris, qui Regis Alarici Quæstorem agebat, Aniani IC. opera compilato. Geminæ sunt Leges a Valentiniano sen. latæ, tum qua, S. Ambrosio teste in epist. 22. ad Valentin. Jun., sanxit: *In caussa fidei, vel Ecclesiastici alicujus Ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis, hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus*, tum qua, digno ideo eumdem elogio mactante ibidem S. Ambrosio, Episcoporum criminales signatim caussas *ad Episcopale judicium pertinere* integre voluit. Cujus etiam legis mentio fit a Concilio Romano an. 378. in Synodica ad Gratianum, & Valentinianum II. Quibus insuper Coislinus Codex a Sæculo IX. exaratus apud Coutantium in Not. ad hanc Synodicam p. 528. legem tribuit, qua Episcopum apud Judices publicos accusare districte prohibuere, ejus judicium apud Episcopos integrum stare jubentes.

tes. Faciunt & huc L. 9. *De Epiſcop. Jud.* lata ab Honorio, & Arcadio an. 408. Cod. Juſtin. lib. 1. tit. 7., L. 21. ab Honorio an. 412. promulgata Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. *De Epiſcopis, Eccleſ., & Cleric.*, L. 27. eiſdem Cod. Theod. lib., & tit. a Theodoſio II, & Valentiniano III. an. 425. edita, cujus præ aliis præclara ſunt iſta: *Fas non eſt, ut Divini muneris Miniſtri temporalium Poteſtatum ſubdantur arbitrio*. De Marciano conferendi Canones 2. *Nos ad fidem*, & 3. *Quædam* diſt. 96. a Gratiano deſcripti ex Concilio Chalcedonenſi Act. 6. Quò etiam pertinent Juſtiniani Novellæ 79, qua Monachus, aut Sanctimonialis apud Judicem laicum accuſari prohibentur, 77. cap. 298, 83, 86, juncta ibid. interpretatione Balſamonis in Collect. leg. Eccleſ. lib. 3. tit. 2. apud Juſtellum To. 2. Bibl. Jur. Canon. Vet., & Novell. 115, cap. 461, quibus generatim cauſſis Eccleſiaſticis ſe immiſcere laici Judices inhibentur: Leonis etiam Sapientis Conſtitutiones 2, 16, & 75, aliorumque Imperatorum, quorum plura dabunt Photius tit. 9. Nomoc., & Balſamon cap. 1, Authenticæ *Caſſa, & irrita, Hodie, & Clericus* Cod. Juſt. De Epiſcopis, & Cleric., quibus junge Alexium Patriarcham Conſtantinopolit. apud Leunclavium Jur. Orient. To. 1. p. 250, qui Edicto Baſilii, & Conſtantini Fratrum ſubnixus Conſtitutione edita Clericos a laico Tribunali abducere omnino ſtuduit; ac Friderici II. Auth. *Statuimus* eod. tit., de cujus inſuper, ac Caroli IV. legibus confer & Bonifacium IX. Conſt. 4. *Juſtis*, & Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 45, a queis illæ confirmatæ ſunt. Quo circa perperam ex legibus Principum, ac præſertim ex LL. 13, & 29. Cod. *De Epiſcop. audien.*, ac L. 51. Cod. *De Epiſcop., & Cleric.* ſolo Imperatorum privilegio, indultoque Clericos immunitatem a Foro laico adquiſiviſſe pugnat Bohemerus in Not. ad Fleurii Inſtit. Canon. par. 3. cap. 1. §. 4. Atque hæc quidem de Eccleſiaſtica immunitate perſuaſio non adeo Imperatorum propria æſtimanda eſt, quin aliorum quoque Principum animum intime pervaſerit. Et certe Theodoricus Rex, etſi Arianus, apud Caſſiodorum Var. lib. 1. epiſt. 9. ad Euſtorgium Mediolan. Clericos delatores, ac falſo quidem Auguſtani Epiſcopi, ad ipſum Euſtorgium caſtigandos remiſiſſe legitur: non ſecus ac S. Symmachi cauſſam Synodo integram per-

permiſſiſſe. Eadem Athalaricus religione, Caſſiodoro pariter referente lib. 3. ep. 24, Clericos Romanæ Eccleſiæ reos apud ſe poſtulatos ſuo Judici, Romano ideſt Pontifici, reddidit judicandos. In Anglia Edgarus Rex an. 967. Legum Eccleſ. cap. 7. inter Sacerdotes exortas lites ad arbitrium ſæculare definiendas deferri, pro ſuo erga Religionem obſequio, diſtricte prohibuiſſe legitur. A S. Canuto *Cunctas actiones Sacerdotali judicio deſtinatas a publico Foro fuiſſe ſecretas* refert quoque Saxo Grammaticus apud Baronium ad an. 1081. n. 37. Sed & Johannes Cantuar. Archiep. in epiſt. ad Eduardum Regem apud Harduinum To. 7. p. 875, ſeq. de violata paſſim Eccleſiaſtica libertate graves in querelas effuſus, poſtquam dixiſſet: *Vos etiam tenemini leges veſtras Canonibus ſubjicere, & contrarias abolere*, productis Conſtantini Imp., Angliæque Regum Wighredi, Canuti, S. Eduardi, Willelmi, aliorumque ad Henricum I. uſque legibus, pergit oſtendere *Specialiter perſonas Clericorum a ſolis Prælatis Eccleſiæ judicandas eſſe*. Stephanum Regem Clericos demum laico ſubjugare Foro molientem ab Epiſcopis prohibitum, eiſque humiliter paruiſſe refert Willelmus Malmesb. ad an. 1179. Ita etiam Epiſcopis haud invite ceſſiſſe tandem Henricum II, Stephani ſucceſſorem, integramque illis reliquiſſe in Clericos juriſdictionem teſtatur Johannes Sarisberienſis epiſt. 122. ad Rom. Pontif. Confer & Articulos a Prælatis Angliæ oblatos Eduardo II. apud Harduinum To. 7. p. 1399, ſeqq., ubi Artic. 4, 6, 8, 13, 15, & 16. Clericorum cauſſas ad unum Epiſcopi ſpectare Tribunal adfirmatur, ex veterique Regni conſuetudine receptiſſima confirmatur. Quam denique immunitatem Clero Regni ſui confirmare ſolemni Diplomate an. 1463. Eduardus IV. Religioni duxit. In Clerum etiam, & libertatem Eccleſiaſticam pio, integerrimoque affectum ſtudio, officioque Magnum Sveciæ Regem auctor eſt Magnus alter in hiſt. Gothor., & Suen. lib. 20. cap. 9. De hac porro arcte inſita veteribus Hiſpaniæ Regibus erga libertatem Eccleſiæ Religione non opus eſt multis diſſerere, ſed id unum indicabo ab Alphonſo Aragoniæ Rege Diploma impetraſſe Concilium Dertoſenſe an. 1429. pro Immunitate Eccleſiæ redintegranda adverſus Judices, Nobileſque Vicorum Dominos, a quibus labefactari in dies, lædique conſpiciebatur. In Hungaria

ria, quam religiosa erga Episcopos reverentia, & observantia S. Stephanus Rex esset affectus, & quam arcte eamdem S. Emerici Filii animo insculptam exoptarit, manifestum evadit ex ipsius Monitis a P. Carolo Peterfey Soc. J. To. 1. Concil. Hungar. collectis, ex eoque regestis a Mansio Suppl. To. 1. p. 1233, ubi cap. 3. de impendendo Præsulibus honore sic illum alloquitur: *Sine illis* (Episcopis) *non constituuntur Reges, neque Principatus... Ab hominibus interdixit* (Deus) *reprehendendos esse per David Deificum Regem*: Nolite tangere Christos meos Psal. 104. v. 15. *Ille autem tangit Christos Dei, qui contra Divinum, atque Canonicum institutum Sacri Ordinis viros falsis criminibus fœdat, atque in publicum* (Judicium) *protrahit: quod te omnino, fili mi, agere prohibeo* &c. Ad Gallias nunc properando, Clericorum a laico Foro integra libertas, & immunitas vindicata, optimoque stabilita loco passim legitur Capitul. lib. 5. cap. 137, lib. 6. cap. 154, & lib. 7. cap. 139, quod postremum etiam refertur in Collect. Canon. Isaaci Lingonensis tit. 11. cap. 21. hisce verbis: *Ut nullus Judex neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum, sine conscientia Episcopi sui, distringat*. Sed de Capitularibus Regum Francor. plura fuseque Cl. Thomassinus vet., & nov. Discipl. To. 2. par. 2. lib. 3. cap. 108, seq. A Philippo Augusto lata lege sancitum, ne Clericus ullus ad laicum traheretur Tribubunal, refert Rogerius ad an. 1100. In celeberrima de jurisdictione Ecclesiastica controversia ab Episcopis in Conventu Parisiensi an. 1329. apud Philippum Valesium expostulatum efflictim est, ut juxta Gallicana in Ecclesia inolitam disciplinam, integra Episcopi sineretur jurisdictio circa actiones Clericorum personales, reales, ac mixtas apud Harduinum To. 7. p. 1543, seqq. Quam perinde jurisdictionem, toto ubique in Regno in causis omnibus Spiritualibus, atque Spiritualibus adnexis, ab Episcopis indiscriminatim exerceri, impuneque, pro Religionis obsequio, permisere repetitis Sanctionibus Franciscus I, Henricus II, & Carolus IX, relatis in Codice Henricæo, & in Collatione Regiar. Constit., nec non Henricus IV. Edicto an. 1606. lato Art. 12. Decisum id etiam a Suprema Parisiensi Curia die 29 Decemb an. 1621; atque circa causas saltem fidei, matrimonii, & usurarum a Gal-

liarum Optimatibus id ante adprobatum, qui alioqui solemni edita Protestatione apud Matthæum Parisium ad an. 1247, & Raynaldum ad eumd. an. n. 46, seqq. jurisdictionem Ecclesiasticam certos intra, angustosque cancellos constringere tentarant. Videndus de his quoque Cabassutius Theor., & prax. Jur. Canon. lib. 1. cap. 9. n. 15, seq. Ad hæc demum ad punienda Clericorum flagitia Jure cum veteri, tum novo Episcopis facta ampla Brachium Sæculare invocandi facultas est. Nempe contra Clericos in Ecclesia turbas commoventes Canone 5. Antiocheno an. 341, ex quo excerptus est Canon 31. Apostol., quique relectus fuit in Chalcedonensi Act. 4. de Carosо, & Dorotheo, ubi dicitur Can. 84, ac refertur a Gratiano ex vers. Dionysii Can. 5. *Siquis Presbyter* 11. q. 3. Contra Episcopos ipsos alienæ Ecclesiæ invasores, neque commonitos eas deserere volentes Can. 38. Carthaginensis III. an. 397, Africani cap. 15, in Cod. Afric. Eccl. Can. 48, ubi videndus Balsamon in Can. 52, relato a Gratiano etiam Can. 19. *Petimus* 11. q. 1. Contra Hæreticos quammaxime Orat. 46. S. Gregorii Nazian. ad Nectarium Patriarch. Cp., & epist. 77. ad Olympium adversus Apollinaristas, epist. 15. S. Leonis M. edit. Baller. ad S. Turribium Asturic. adversus Priscillianistas cap. 1, ep. 148. ad Leonem August., & epist. 155. ad Anatolium cap. 2. adversus Eutychianos. Quò etiam faciunt Canon 3. *Unum* 23. q. 5. ex S. Augustino in epist. olim 127, nunc 100. ad Donatum Africæ Proconsulem adversus Donatistas, & Canon 20. *Principes* 23. q. 5. ex S. Isidoro Hisp. sentent., sive de summo Bono lib. 3. cap. 51. Quibus jungendum Cap. 8. *Sicut* lib. 5. Decret. tit. 7. *De Hæreticis*. Contra Schismaticos Pelagii I. epist. 2, 3, 4, & 5. ad Narsetem Patricium, e quibus descripti sunt Canon 4. *Nec licuit* dist. 17, Can. 20. *Istud est* 11. q. 1, qui duo falso S. Gregorio M. tribuuntur a Gratiano, Can. 42. *Non vos*, 43. *De Liguribus*, & 44. *Quali nos* 23. q. 5: quibus adjunge Cap. 20. *Cum non ab homine* Decret. lib. 2. tit. 1. *De Judiciis*. Contra inobedientes, ac legum Ecclesiasticarum infractores Can. 9. Concilii Vernensis an. 755, relato Capitul. lib. 5. cap. 42, ac lib. 5. Decretal. tit. 27. Cap. 2. *Regis judicio*, ac Can. 71. Concilii Meldensis an. 845. Contra Rebelles in S. Rom. Ecclesiam a Concilio Tricassino II. an. 878.

in

in allocut. Johannis VIII. ad Ludovicum II. Regem, Cap. 1. *Perniciosam* §. 2. lib. 1. Decret. tit. 31. *De Officio Jud. Ordin.* Contra Reipublicæ infestos a Conciliis Arelatensi sub Carolo M. cap. 13, Moguntino sub eodem cap. 8, & Capitul. lib. 1. cap. 114, lib. 2. cap. 10, Addit. lib. 3. cap. 65, ac lib. 7. cap. 310. Quibus junge Cap. 14. *Quoniam* cit. lib., & tit. *De Off. Jud. Ord.*, Cap. 3. *Quanto*, & Cap. 8. *Clerici* Decret. lib. 2. tit. 1. *De Judiciis*; Cap. 9. *Ad abolendam* §. *Præsenti* lib. 5. tit. 7. *De Hæreticis*; Cap. 21. *Postulasti* eod. lib. tit. 12. *De Homicidio*; Cap. 4. *In Archiepiscopatu* ibid. tit. 17. *De Raptoribus*, juncta Glossa §. *Commiserit*, Cap. 7. *Ad falsariorum* §. 1. eod. lib. tit. 20. *De Crimine falsi*; Cap. 2. *Per temporalem* §. 2. lib. 5. tit. 27. *De Maledicis*; Cap. 2. *Siquis Presbyter* ibid. *De Clerico excom.*; Cap. 18. *Quanta* in fine ibid. tit. 31. *De Excessibus Prælat.*; Cap. 27. *Novimus* tit. 40. *De Verbor. signif.*; Cap. 11. *Ut officium* §. *Denique* in 6. lib. 5. tit. 2. *De Hæreticis*; Cap. 6. *Dilecto* ibid. tit. 11. *De Sententia excom.*; & Tridentinum sess. 13. de Refor. cap. 4, & sess. 25. de Regular. cap. 5.

Nec obstant sane sive Novella Valentiniani III. tit. 12: *De Episcop. Judic.* Cod. Theod. an. 452. lata, qua Clericorum causas sive Civiles, sive Criminales laico Tribunali sisti jussit, ac Novella 123. Justiniani, qua Clericos in causis tam Civilibus, quam Criminalibus ab accusatoribus conveniri permisit vel apud Episcopum, vel apud Præsidem, sive exempla nonnulla, quæ ad suadendum Immunitatem a Foro laicali Principum dumtaxat legibus Ecclesiæ adquisitam, quæ antiquo alioqui jure Laicorum judiciis erat obnoxia, post Dupinium de antiq. Eccles. Discipl. dissert. 7. §. ult. absque delectu congessit Jannonus lib. 2. cap. ult. §. 3, nempe Constantini M., apud quem accusati leguntur Episcopi, & a quo latum de SS. Cæciliano, & Athanasio judicium constat. Constantii, quem cognovisse de Stephani Antiocheni causa testatur Theodoretus lib. 2. cap. 9. Valentiniani, a quo pecunia mulctatus Cronopius Episcopus, & in exsilium pulsus Ursicinus Presbyter est, ut habetur L. 2. Cod. Theod. *Quorum appell.* Gratiani, apud quem ab Episcopis Italiæ accusatus S. Damasus fuit. Maximi, a quo mortis sententiam Priscillianum, & Instantium subjisse tradit Sulpitius lib. 2. Principio enim adversus Jus Divinum

Principum neque leges, neque dicta, neque facta tenent. Jure Divino autem Clericorum a Foro laico immunitatem subniti demonstratum jam est, quam in rem adhuc conferre juvabit Glossam in Can. *Si Imperator* §. *Discuti*. Dist. *96*, & in Cap. *Quamquam* §. *Divino de Censib.* in *6*; Panormitanum Abb. in Cap. *Quod Clericis, de Foro compet.*, Borellum To. 1. sum. Decis. tit. 43. n. 57, 60, 138, 173; Navarrum in Cap. *Novit* n. *6*, & 30. *De judiciis*; Durandum ad Bullam Cœnæ D. lib. 2. cap. 15. q. 8. n. *6*; Bellet. um disquisit. Cleric. par. 1. de fav. Cler. perf. §. 1. n. 25, & de exempt. Cleric. a Statut. Sæcul. §. 1. n. *6*, seq.; Azorium Inst. moral. par. 1. lib. 5. cap. 12. §. 3, aliosque passim, quibus supersedeo, junctis Cap. 2. *De Constit.* in *6*, Cap. *Clerici de Judic.*, & Cap. *Si diligenti de Foro compet.* Ad hæc vero eam Valentiniani Novellam iniquam ostendit Baronius ad an. 452. n. 52, eaque propter a Majoriano ejusdem Successore abrogatam testatur Anianus ad hanc Novell. Sed & sibimet haud constitit Valentinianus, ut qui pridem, an. ideſt 425, Clericorum causſas e laico Tribunali procul exsulare voluerat, ea fretus ratione, quod nefas esset: *Ut Divini muneris Ministri Temporalium Potestatum subdantur arbitrio*. Sed mirari non subit, quod sibimet dispar opinionem prius animo imbutam imprudenter, perverseque mutarit, qui longe procul ab ea, quam recte pridem injerat, Christiana morum disciplina, turpiter sub id temporis desciviſſet. Quod ducumento, argumentoque item esse potest, cur ipsius Novella a recto, justoque tam enormiter aberrans nihil pensi fiat, nulloque habeatur in pretio. Justiniani perinde Novellam alteram, qua parte Ecclesiæ incommoda evadebat, ab Heraclio, & Constantino III, ac demum ab Alexio Comneno non tam reformatam, quam abolitam fuisse, præscriptum vero, ut Clericos, sicuti prius, nonnisi apud Ecclesiasticum Judicem convenire liceret, observat Balsamon in Schol. ad tit. *9*. cap. 1. Nomoc. Photii. Multo autem minus valent objecta in contrarium exempla, ac pessimi argumenti est genus jus ex factis exsculpere: quibus viciſſim Ecclesiæ ipsi agnatam opponimus praxim, juxta quam criminibus notatos Clericos, nonnisi Episcopali, aut Synodali judicio experiri consueviſſe certum est quammaxime, atque constat exemplis Privati, Feli-

Feliciſſimi, alteriuſque Diaconi apud S. Cyprianum epiſt. 55. edit. Pamel. ad S. Cornelium, & 62. ad Pomponium; Prætextati Rotomag., Salonii Ebred., & Sagittarii Vapinc. apud S. Gregorium Turon. hiſt. Franc. lib. 5 capp. 19, & 21, aliorumque plurium, quæ modo perſequi nec juvat, nec intereſt. Cæterum de eximia Conſtantini M. erga Epiſcopos, & Clericos religione ſatis, opinor, ſuperque diſputatum jam eſt Vind. To. 3. Par. 2. Art. 5. in Proleg. p. 328, ſeqq., ac §. 1. p. 381, ſeqq. Contra Stephanum porro, Ariana pece a capite ad talos perfuſum hominem, & Antiochenæ pervaſorem Eccleſiæ, ob ingentia flagitia, atque ob atroce quammaxime calumniam, quam in Legatos Synodi Sardicenſis ad Conſtantium Imp. ſtruxerat, ab ipſiſmet Legatis Imperatoris auxilium efflictim imploratum refert eo loci Theodoretus, ad illius nempe confringendam audaciam, qua in re quid abſurdi, quæſo, quidve non Eccleſiæ ſolemne? Quid autem, quod ab Imperatore intellecta Stephani improbitate, primum Epiſcopis, qui tunc aderant, demandatum, ut hominem Epiſcopatu abdicarent, deinde illum ab Eccleſia expulſum Theodoretus ibidem ſubjungit? Quod non eſt aliud, quam Imperatorem ſemet Epiſcopalis ſententiæ exequutorem præſtitiſſe, ſive pro officio Eccleſiæ brachium exporrexiſſe ſuum. Periiſſe igitur penitus Jannono frontem oportuit, qui jactare, exaggerareque iſta non erubuit. Tantum quoque abeſt, ut Valentinianus vel levem Eccleſiaſtici juris particulam arrogare ſibi voluerit, ut potius in violatæ a Cronopio Eccleſiaſticæ legis, qua laico a Tribunali procul arcebatur, vindictam, pecuniaria eum pœna mulctaverit, quod nempe Eccleſiaſtica damnatus ſententia laicum appellatione Tribunal pulſare non fuiſſet veritus. Quod non eſt in Epiſcopale judicium irrumpere, ſed inobedientes Epiſcoporum Judicio ſubjugare. Ingenti præterea ipſi laudi vertitur, quod rogante S. Damaſo, ac ſatentibus ipſiſmet Fauſtino, & Marcellino in præfat. libelli precum, Edicto lato an. 367. die 15. Novemb. Urſicinium, *Ut nulla ulterius Populos contentio nefanda collideret*, in Gallias exſulare coegerit. Quo erga Eccleſiam officio pie defungi, quis Eccleſiaſtici, amabo, juris uſurpationi deputet? Non moror autem Schiſmaticorum quorumdam audaciam, qua S. Damaſum, inaudito temeritatis exemplo, ad

Im,

Imperatoris Tribunal deferre non reformidarunt. Quis enim, rogo, æqui, juſtique æſtimator ex inique factis ejuſmodi jus ita faciendi rite quærat? Attendere ſane magis debuiſſet Jannonus tum ad Gratiani legem, qua, ne Sacerdotio ulla videretur inferri injuria, Sacerdotes profanis ſubjacere judiciis omnino prohibuit: quam ideo laudibus celebrat in Synodica ad eumdem Synodus Romana an. 378; tum ad Honorii Reſcriptum apud Sirmondum in Append. Cod. Theod. p. 6., quo Epiſcopis ſuggerentibus didiciſſe ſe ait, quoſdam Sacerdotes ab Epiſcopis damnatos Comitatum adhuc ſacrum petere, ut inde mendaciis furtiva extorqueant Reſcripta; quos ideo ſacra ſua adire Secreta, ſperareque Reſcripta interdicit, lib. 16. tit. 2. L. 35. Cod. Theod.; tum ad Concilii Aquilejenſis Synodicam an. 381. ad Gratianum, qua monitum volunt, ne ſibi Urſicinum temere obrepere, nec *aliena ab officio, & nomine Sacerdotis* interſtrepere ſineret. Quod autem Maximo Tyranno jubente Priſcillianus gladio obtruncatus fuerit, & Inſtantius in Sylvinam Inſulam, ultra Britanniam ſitam, exſilio depulſus, uti refert Sulpitius lib. 2, nihil exinde ſane detrimenti Eccleſiaſticæ accedit juriſdictioni, ſive quod in ejuſdem partes irrumpere nefarii aliquando præſumant homines, ſive quod nefarii demum homines Reipublicæ tam Civili, quam Chriſtianæ infeſti de medio auferantur. Quod autem Ithacio Suſſubenſi, ſeu verius Oſſonobenſi in Luſitania Epiſcopo apud Maximum inſtante, totum id peractum fuerit, a S. Martino Turonenſi ſane, Treveros iccirco profecto tam Ithacii objurgatam agendi rationem, qua ſanguinis exigere pœnam non deſiſtebat, quam Maximum ipſum precibus obſecratum infimis, ut ſanguine infelicium abſtinere vellet: *Satis, ſuperque ſufficere*, inquiente, *ut Epiſcopali ſententia hæretici judicati, Eccleſiis pellerentur. Novum eſſe, & inauditum nefas, ut cauſas Eccleſiæ Judex ſæculi judicaret*, velut habet eodem loci Sulpitius: etſi ad horam ceſſiſſe S. Antiſtes viſus ſit, ut a complurium cervicibus incumbentem gladium averteret; a Theognoſto incertæ Sedis Epiſcopo, eodem Sulpitio teſte Dialog. lib. 3; a S. Ambroſio, ipſomet adfirmante in epiſt. 27. ad Valentinianum de ſua legatione ad Maximum, & in epiſt. 78. ad Studium; a S. Siricio, ut habetur in Concilio Taurinenſi an. circiter 398. Can. 6,

quo

quo utriuſque, S. Ambroſii videlicet, & S. Siricii litteræ adverſus Epiſcopos Ithacianæ factionis memorantur, & ab eodem Concilio Taurinenſi præcit. Canone id perverſe factum Ithacii, qua profecto dignum erat, gravi reprehenſione exceptum fuit: a cujus idcirco Epiſcoporum factionis communione abſtinendum indixere, quod nempe ejuſdem ſuggeſtione Priſcilliani cædes patrata fuiſſet. Cujuſmodi plane agendi rationem, qua nempe Sanguinis cauſſis Sacerdotes implicare ſe non formidant, ab Evangelicæ legis manſuetudine prorſus abhorrere jam olim notarat S. Julius I, Euſebianiſque objecerat, ac grandi deputaverat crimini epiſt. 1. n. 22. edit. Coutantii. Quam etiam Clericos Eccleſia voluerit ſemper a fundendo ſanguine alienos, declaravit S. Innocentius I. epiſt. 4. cap. 2, & epiſt. 23. cap. 2. a ſacris Ordinibus eos abigens, qui cauſſis ſe criminalibus implicuiſſent, aut Militiæ dediſſent nomen. Quo perinde ex capite, quod nempe Judicis olim munere defungens, capitales protuliſſet ſententias, a S. Hilario Arelat. gradu detruſum Chelidonium auctor eſt S. Honoratus in ejus vita. Quibus finitima definivit Concilium Toletanum I. Can. 8, videlicet a ſacris Altaribus eum amovendo, qui ad fideles necandos chlamydem induiſſet, aut cingulum. Expreſſa hac de re etiam Emeritenſis Synodi eſt ſententia Can. 15, quo Epiſcopos a fundendo ſanguine omnino prohibet; quæ perinde Toletano XI. Can. 6. proptia etiam evaſit. Confer de his fuſius agentes Baronium ad an. 385. n. 22, ſeqq., 386. n. 25, ſeqq., & 387. n. 53, ante ipſum vero S. Thomam 1. 2. q. 96. art. 5, Bellarminum adv. Angl. errores lib. 8. cap. 16. n. 14, Martam de Juriſd. par. 4. cap. 1. n. 40, Gonzaleſium in lib. 1. Decret. tit. 31. cap. 1, & in Cap. *Clerici* n. 5. de Judic., Fagnanum in Cap. *Siquis* n. 15. de Foro comp., Roſtvvskium Adamum in Clypeo Cleri Poloni contra tela Fori ſæcul. Varſav. 1728, Blancum de Polit., & poteſt. Eccl. To. 4. lib. 2. cap. 4. §. 8, ex Gallis ipſis, qui Clericale forum Divino jure a laico Magiſtratu immune docent, Caſſanæum in Conſtit. Burgund., Rebuffum in Concord. Gallic. Rubr. de Protectione p. 772, ſeqq., Graſſalium in Regul. Franc. lib. 2. cap. 5. n. 17, Altaſerram in Vindic. &c., quibus jungendus Cl. Thomaſſinus diſſert. in Concil. Chalced., & Vet., ac nov. Diſcipl. par. 2. lib. 1. cap. 66. n. 18, ſeq.

Pau-

Paucis nunc satisfaciendum objectis a Ludov. Ant. Muratorio, ejusque Continuatore Joh. Francisco Soli ex Sorore Nepote de Antiq. Ital. differt. 70, & 74, qui congestis undique ex Chartis antiquis documentis, Clericorum causis qua Civilibus, qua Criminalibus Imperatores, Regesque se se immiscuisse contendunt. Ita nempe, inquiunt, Pipinus Apuli Presbyteri a Jacobo Lucensi Episcopo gradu ob flagitia dejecti causam ad incudem revocari jussit: non secus atque secundo a Bonifacio Comite Caroli M. Misso ejusdem causæ cognitio est instaurata. Carolus M. Anastasium Pontificis Legatum detinere nefas nec est arbitratus. Ludovici Pii jussu in exsilium pulsus legitur Ermoldus Nigellanus Abbas Rer. Ital. par. 2. To. 2, detrusi in Monasterium ad pœnitentiam agendam, ob conspirationis flagitium, Anselmus Mediolan., Wolfoldus Cremon., & Theodulphus Aurelian., atque causa inter Petrum Aretinum, & Vigilium Abbatem S. Anthymi decisa est. Carolus Crassus contendentibus invicem duobus Cœnobiis, Ambrosiano Mediolani, & Augiensi in Suevia, Missos Regios tanquam Judices dedit. A S. Henrico II. causæ inter Gotifredum Abb. Monasterii Ambrosiani, & Mediolanensem Archiepiscopum agitatæ cognitio Misso Imperiali delata est. Luitprandi jussu ab Ultiano Notario, a Valperto Lucensi Duce, & Alabi administratore controversia Talisperiani Lucensis cum Johanne Pistojensi Episcopo dirempta est, alteraque inter Adeodatum Senensem, & Lupertianum Aretinum incepta, Guntherami Missi sui opera finita est. Non secus Mathildis Comitissa, religione alioquin erga Ecclesias approbe comparata, Episcopi Mutinensis, & Abbatis Pomposæ jurgiis semet ingerere nefas non est arbitrata. Verumtamen præterquamquod facta hujusce genus pleraque cum temporum improbitati sunt attribuenda, per quæ Clericorum persæpe flagitia, quibus compescendis impares se Episcopi agnoscebant, Principum potentia fuerant cohibenda, quomodo non tam jure proprio, quam Ecclesiæ sibi commendato egisse Principes æstimandi sunt, tum Principum Sæcularium violentiæ deputanda sunt, qua in Ecclesiasticas irrumpere causas, & manus injicere in personas, emendicatis sæpe prærextibus, exambiebant: quomodo quod Hugonis, & Berengarii jussione carceri mancipatus fuerit Ratherius

rius Veronenſis, id illis profecto crimini vertere neque Muratorius ibidem dubitat, præter hæc, inquam, potius quam juvent, ipſorum opinionem producta facta convellunt. Enim vero Apuli Presbyteri cauſſam Epiſcopo proprio cum Pippinus, tum Carolus inſtaurandam remiſit: unius Defenſoris uterque partibus adſumptis, Judicis ſparta interea Epiſcopo, cujus profecto erat, integra dimiſſa. Apud Carolum M. epiſt. 50. Cod. Carolini, qui nuper ex Apographo Emin. Paſſionei opera Cl. Cenni lucem vidit, acerbe expoſtulaſſe legitur Hadrianus I. de Pontificio Legato injuſte detento: *Ab ipſis Mundi exordiis non eveniſſe*, adfirmans, *ut Miſſus B. Petri a quacumque gente detentus fuerit*. Quod igitur Imperator perperam, iniqueque attentaverat, a Pontifice M. jure, optimeque improbatum eſt. Quid vero, quod, ut habetur epiſt. 72. ejuſdem Codicis, Potonem Vulturni Abbatem, etſi perfidiæ valde ſuſpectum, ad eumdem Pontificem dimittere judicandum idem Carolus M. officio, religionique duxit? Animadverſione illud quoque dignum, quod proprio ab Epiſcopo damnationis non ante ſententiam accepit Apulus Presbyter, quàm fuiſſet interrogatus, an apud Sedem Apoſtolicam judicio jam fuiſſet expertus? Quo caſu nempe fas nemini fuiſſet ejus de cauſſa cognoſcere. Quod juſſu ſuo in exſilium fuerit ejectus Ermoldus Abbas, excuſari Ludovicus Pius a culpa uſurpati Eccleſiaſtici juris nequit utique: non ei tamen etiam deputanda in Anſelmum, Wolfoldum, & Theodulphum diſtricta animadverſio, ſi quidem decreta ea fuerit Synodi ſententia, teſte Annaliſta Bertiniano ad an. 818. Nec ejuſdem auctoritate ſane, ſed Agiprandi Florentini, Petri Volaterrani, & Anaſtaſii Senenſis Antiſtitum jurgio, litique Petrum Aretinum inter, & Vigilium Abbatem finis impoſitus fuit. Ita pariter Judices non laici, ſed Eccleſiaſtici, ſcilicet Epiſcopi, deſignati ſunt duobus illis Cœnobiis Ambroſiano, & Augienſi, nempe Johannes Papienſis, & Heribertus Comenſis a Carolo Craſſo. Ab Henrico Imp. Comenſis Epiſcopus, & Abbas S. Caloceri, pro finienda lite Gotifredi Abbatis cum Archiepiſcopo Mediolanenſi, adhibiti ſunt. In cauſſa Lucenſis, & Piſtojenſis Epiſcoporum Judex primarius a Luitprando delectus eſt Specioſus Florentinus Antiſtes, non ſecus atque in cauſſa Epiſcoporum Senenſis, & Aretini Judices ab eo

ſunt deſtinati Teudaldus Veſolanus, Maximus Piſanus, Specioſus Florentinus, & Taliſperianus Lucenſis. Quid autem quod contra Clericos apud Langobardorum Regem querentes Peredeus Lucenſis Epiſcopus fortiter, ut oportebat, Eccleſiæ diſciplinam defendiſſe, eidemque integrum a Rege illorum permiſsum judicium legitur apud eumdem Muratorium? Ita denique a Mathilde non alii, quam Eccleſiaſtici Judices, nempe Bernardus Parmenſis, & Petrus Piſtojenſis Epiſcopi in cauſſa Epiſcopi Mutinenſis, & Pompeſiani Abbatis deſtinati ſunt. Non erat ergo, cur Viri docti his in documentis vim facerent, quibus nulla prorſus ineſt. Fateor equidem neque Principalem apud poteſtatem ſtetiſſe ſive Epiſcopos in Eccleſiaſticis cauſſis deſignare Judices, ſive laicos Miſſos, qui Judiciis ejuſmodi intereſſent, e latere ſuo dirigere. Sed attendere oportet, aut de rebus perſæpius actum per Arbitros pacifice componendis, aut de reis conquerentibus injuriam ſe paſſos ſuos apud Judices, aut de refractariis, quos tam Religioni, quam Reipublicæ infeſtos a brachio Sæculari, impare Eccleſiaſtico, & impotente, quoquo comprimi modo oportebat. Manum a tabula non retraham, donec obiter admoneam falſum quoque propinari a Feureto de Abuſu lib. 8. cap. 1. n. 3, dum proprio de ingenio commentus eſt a Duce Bituricenſi Caroli V. Francor. Regis fratre Archiepiſcopum Bituricenſem compulſum fuiſſe, ut Decretum in Concilio Bituricenſi ſub Urbano V. de Clericorum a Foro laico immunitate editum revocaret, ac reſcinderet. Nullum enim ſub Urbano V. Bituricis Concilium habitum ſcite obſervat Doctiſs. Thomaſſinus par. 2. lib. 3. cap. 112. n. 11: quo uno a ſummo ad imum totum concidit inane Feureti commentum.

Jam vero ad tertium propoſitæ quæſtionis caput gradum reflectendo, ad hanc perſonarum Eccleſiaſticarum proxime conditionem accedit bonorum Eccleſiaſticorum a laicis oneribus immunitas, quam Divino pariter jure ſuffulciri, Canonicoque perinde ſuſtentari perquamvalide, documenta ſuadent haud levia. Atque principio quidem Ethnicis ipſis tanta erga Sacerdotes Religio inerat, ut Sacerdotibus Ægyptiis a Pharaone poſſeſſiones a tributo prorſus immunes traditæ fuerint, quin etiam ex publicis horreis cibaria ipſis ſtatuta, atque proinde Joſephus Patriarcha a ſingulis poſſeſ-

poſſeſſiones emens, Regique vectigales faciens, eas attamen, quæ ad Sacerdotes pertinebant, exceptas voluerit Geneſ. cap. 47. v. 22. Quod S. Ambroſii ſane obtutum non auſugit lib. 2. epiſt. 7. ad Simplicianum ſcribentis: *Joſeph tributum conſtituit, præter poſſeſſionem tamen Sacerdotalem, quam a tributis immunem reſervavit, ut apud Ægyptios quoque inviolabilis haberetur religio Sacerdotalis.* Confer & Cap. 4. *Nonminus* Decret. lib. 3. tit. 49. *De Immunit. Eccleſ.* Templorum prædiis, ac fundis, pro Miniſtrorum congrua ſuſtentatione, ceteriſque neceſsariis ſumptibus, immunitas a gravaminibus omnis alibi paſſim conceſsa legitur. Ut Templo Daphne Apollini, & Dianæ Sacro, Jovis Idæ, & Papho, apud Homerum Iliad. 8. v. 48, & Strabonem lib. 14. Ut Templo Apollinis Delphis, & Argis, & Herculis Elide, apud Diodorum lib. 16, Pauſaniam lib. 10. cap. 2, Livium lib. 32. cap. 40, & Juſtinum lib. 8. cap. 1. Ut Templo Scylletii Dianæ, & Lecythi Palladi dedicato, apud Thucididem lib. 4. §. 116. Quo jure prædia, Templis adſignata, potita adhuc poſt devictos prælio hoſtes, liquet, atque de Dianæ Tifatæ, & Epheſi fano, alteroque Mylaſsæ, ex Livio lib. 38. cap. 39, & Vellejo Paterculo lib. 2. cap. 25. De Urbe Zelia in Armenia ex Strabone lib. 2, de Hieroſolyma ab Alexandro M. immunitate donata ex Joſepho, de queis, aliiſque Octavianus de Guaſco diſsert. de Azyl. Ethnicorum quin etiam Delubris, ac Sacerdotibus publici deputati ſumptus leguntur, qui Tertulliano Apolog. cap. 42, & de Idololat. cap. 17. *Templorum vectigalia* dicti ſunt, Lege 20. vero *De Paganis, Sacrif., & Templ.* tit. 10. lib. 16. Cod. Theod. *Templorum annonæ*: quo nomine *Alimoniam anni* deſignatam obſervat Ecchardus ad Legem Salicam tit. 25. §. 1; quæ deinde annonæ Templis detractæ Militari ærario vindicatæ ab Honorio fuere an. 408. L. 19. ad Curtium Prætorio Præfectum: quæ lex denique, Africanis Epiſcopis, ac S. Auguſtino nominatim epiſt. 129. ad Olympium Magiſtrum Officior. rogantibus, L. 43. *De Hæreticis* hoc ipſo anno confirmata eſt, alteraque L. 20. *De Paganis* an. 415, in quas conferendus Jacobus Gothofredus in Not. Oper. Jurid. minor. p. 698, ſeq. Ex quibus potiori longe ratione Evangelicæ legis Miniſtros immunitatis beneficio non eſse fruſtrandos arguebat rite Synodus Aurelianenſis IV. Can. 15: *Quia*, inquiens, *quod*

quod lex Sæculi etiam Paganis Sacerdotibus, & Miniſtris ante præſtiterat, juſtum eſt, ut erga Chriſtianos ſpecialiter conſervetur. De Annonis viciſſim Chriſtianorum Templis, Romæ præſertim erectis, atque ab Italiæ Urbibus pendendis non modo, ſed ab Orientis Civitatibus etiam, Ciliciæ, Syriæ, Ægypti &c. a Conſtantino M. adſignatis, a Juliano ablatis, & a Joviniano reſtitutis adeundi Euſebius lib. 1. cap. 42, lib. 3. cap. 40, & lib. 4. capp. 28, ac 44, Sozomenus lib. 2. cap. 8, & lib. 5. cap. 5, Theodoretus lib. 1. capp. 11, & lib. 4. cap. 4, Iſchirion in epiſt. ad Leonem Imp. in Actis Concilii Calced., Cod. Theod. To. 6. p. 23, & Franc. Balduinus lib. 1. de Legib. Conſtantini p. 21, ſeq. De Fundis etiam ab Imperatoribus aliis, Regibus, ac Principibus Eccleſiis attributis videndi ex Nuperis Bellarminus lib. 3. de Clericis cap. 26, Card. Laurentius Cozza in Comment. hiſt. Dogm. ad lib. S. Auguſtini de Hæreſ. cap. 18, ſive 40. de Apoſtolicis, ac Thomaſſinus quammaxime par. 3. lib. 1. cap. 16, ſeqq. Paullo nunc retro flectendo veſtigia, in Lege veteri Hebræorum Sacerdotibus, Levitis, aliiſque Templi Miniſtris a vectigalium, tributorumque oneribus immunitas Edicto ab Artaxerſe aſſerta legitur Eſdræ lib. 1. cap. 7. v. 24, & lib. 3. cap. 8. v. 25, ſeq. Atque recte quidem eorum, qui Dei loco præerant, poſſeſſiones oneribus ſubjugari prohibuit, quibus imo lege Divina Geneſ. cap. 14. v. 20, cap. 28. v. 22, ac cap. 47. v. 22, & 26, Exodi cap. 22. v. 29, Levit. cap. 27. v. 30, ſeqq., cui deinde legi teſtimonium reddidit etiam S. Paulus ad Hebr. cap. 7. v. 2, Decimas a laicis deberi non ignorabat. Quas item Decimas Ethnicorum Sacerdotibus, jure plane Gentium, perſolvi conſueviſſe auctores ſunt liquidi Cenſorinus de die Natali cap. 1, Plutarchus Probl. 17, Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 12, & Plinius hiſt. nat. lib. 12. capp. 14, & 19. Ita obtenta belli Latini victoria a Poſthumio decimas Numinibus redditas tradit Dionyſius Halic. lib. 6. Decimas Herculi ſolutas teſtantur Plautus in Stichio, Cicero de Nat. Deor. lib. 3., & Plutarchus Probl. 99. Jovi quoque Herodotus in Clio, Apollini Delphio, ac Dianæ Epheſiæ Xenophon in Cyro lib. 5, de Ageſilai laudibus, & lib. 3. de rebus Græcor. geſtis. Romanos denique vina deguſtare, aut novas fruges ſolitos non fuiſſe, priuſquam Sacerdotes primitias libaſ-

libaſſent, auctor eſt Plinius lib. 18: quem ſane primitiarum offerendarum morem ab Hebræis acceptum non improbabiliter auguratur Duarenus de Sac. Eccl. Miniſt. lib. 7. cap. 2. Ita quoque a Julio Cæſare Sacerdotibus Lupercalibus pro Feſtis, ab Evandro ad honorem Paſtorum Dei Pananis inſtitutis, de publico redditus fuiſſe ſtatutos legitur in Epiſtola quadam a Marcello Nonnio relata. Quot Jovis præterea Capitolini Fanum opibus abundaret, documento eſt auri quantitas illi a Cæſare erepta, quæ tria millia pondo effeciſſe refert Svetonius cap. 54. Qui & in Auguſto cap. 30. liberali hujuſce munificentia detrimentum illud reparatum fuiſſe refert, collatis in cellam Jovis Capitolini, præter gemmas, & margaritas, auri pondo ſexdecim millibus; & cap. 31. Sacerdotum, præcipue Veſtalium, commoda ab eodem mire adaucta teſtatur. Junonis etiam Laciniæ Templum Crotonæ prædiis fuiſſe prædives tradit Livius lib. 24. cap. 3. Agrum ferme univerſum Surrentinum Templo Minervæ addictum ex Veteribus Scriptoribus confirmat Troylus hiſt. Neapol. To. 1. lib. 7. Locris in Proſerpinæ Fano tot, tantoſque conditos fuiſſe theſauros, ut ex iis plures onerare naves Pyrrho Epirotarum Regi licuerit, affirmat Livius lib. 29. cap. 8; a quo tamen, ſacrificiis expiatoribus accurate factis, repoſita deinde per ſacrilegium rapta ſpolia ſubjungit. Itaque hinc opportunitatem jure nactus S. Johannes Chryſoſtomus exprobrandi Chriſtifidelibus erga Eccleſias duritiem, Ethnicorum propoſito exemplo, queis tanta falſorum Deorum Templa ditandi religio hæſit, ſic loquitur homil. 65. in Gen. *Audiant, qui nunc vivunt, quantam olim Sacerdotum Idolorum curam habuerint, & diſcant, vel ſaltem parem habeant honorem, quibus omne Dei miniſterium creditum, & Sacerdotio inſigniti ſunt. Si enim errantes illi, & tantam Idolorum curam habentes, quia ex hoc putabant Idola magis coli, ſi tam eorum Miniſtros colerent: quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt, quod ad illorum ſpectat cultum.*

Sub Evangelio Sacerdotium potiori ratione a Poteſtatis ſæcularis jugo prorſus liberum, ſubductumque quoad perſonas, reſque proprias voluiſſe Chriſtum D. patet ex Matth. cap. 17. v. 25. ſeqq., ubi Petrum interrogans: *A quibus Reges accipiunt tributum, a filiis, an ab alienis?* Quum extemplo reſpondiſſet Petrus

Ab

Ab alienis, ſtatim ſubjunxit: *Ergo liberi ſunt Filii*. Quo plane nomine Apoſtolos, Diſcipulos, eorumque Succeſſores comprehendiſſe certum eſt, quibus proinde vectigalia imponi vetuit. Atque ita hunc plane locum explicitiſſime accepiſſe leguntur S. Hilarius ibid., perſuaſum habens a Chriſto D., & Petro tributum, non ex debito, ſed vitando offendiculo, fuiſſe ſolutum: *Scandalo præſtat, ut ſolvat, cæterum debito legis eſt liber*; S. Ambroſius lib. 1. epiſt. 1. ejuſdem, qua potiebatur Chriſtus D., immunitatis participem Eccleſiam faciens: *Non debebat Filius Dei, non debebat & Petrus*, tributum nempe ſolvere, *Sed ne ſcandalizentur* &c., S. Joh. Chryſoſtomus hom. 59. in Matth. 17, S. Hieronymus in hoc ipſum cap. *Ille pro nobis*, inquiens, *& Crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filii Regis a vectigalibus immunes ſumus*; S. Auguſtinus tract. 6. in Joh., de quæſt. Evang. lib. 1. cap. 23: *Quod dicit Chriſtus*, ajens, Ergo liberi ſunt filii, *in omni Regno intelligendum eſt liberos eſſe Regni filios, ideſt non eſſe vectigales. Multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet Regno terreno filii Regni illius, ſub quo ſunt omnia Regna terrarum*; Agobardus de Diſpenſat. Chriſti dicto, & facto ex ſacro penu Sacerdotibus alendis, ſuſtentandis pauperibus, feſtis celebrandis dicato in laicos uſus nihil extrahendum ex Doctorum Eccleſiæ ſententia adfirmans: *Reſponſum eſt a Doctoribus Eccleſiæ . . . noluiſſe Dominum rem pauperum* (de loculis loquitur) *in publicam exactionem mittere, ſed omnipotenti virtute, quod utique pauperum non erat, de mari tollere, & Fiſco reddere voluiſſe* &c., Petrus Bertrandus de orig., & uſu Juriſd. Eccleſ., S. Thomas in Gloſſa ad Matth. 17, Ægidius Charlerius in Orat. de punit. peccat. public. in Concilio Baſileenſi habita apud Harduinum To. 8. p. 1787, ſeq., Cajetanus in 2. 2. q. 104. art. 6. ad 1, Baronius ad an. 387. n. 11, ſeqq., aliique, quibus arcte perſuaſum a Chriſto D. tributi penſione, multoque magis ſui pretio ſanguinis Eccleſiæ libertatem fuiſſe adquiſitam. Qua profecto de libertate Chriſti D. paſſione Eccleſiæ adſerta, & parta inſigne nobis ſuppeditat teſtimonium epiſtola S. Simeonis Bar-Saboe Seleuciæ, & Cteſiphontis Epiſcopi, & Martyris an. Chriſti 340. ad Saporem II. Perſarum Regem apud Cl. Aſſemanum in Actis SS. Martyr. Orient.

Tom. 1. p. 17: *Chriſtus*, inquit ibid., *Eccleſiam ſuam ſua redemit morte, ſuoque ſanguine Populum ſuum in libertatem vindicavit, & depulſo a cervicibus noſtris ſervitutis jugo, nos graviſſimis adflictos oneribus recreavit*. Qua perinde ſententia propius in rem hanc uſos Paſchalem II, & Gofridum Vindocin. paullo infra patebit. Conſonant his vero Can. 2. *Bene quidem* diſt. *96*, Cap. 30. *Nimis* Decret. lib. 2. tit. 24. de Jurejur., & Cap. 4. *Quamquam* tit. 20. de Cenſib. in 6. Poſt hæc audiendus nobis Apoſtolus in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 9. v. 7, ſeqq., ubi ex triplici capite, ideſt ex lege Naturæ, ex lege Moſayca, ex lege Evangelica Altarium Miniſtris neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem deberi oſtendit. *Quis militat* &c. En naturæ vox! *An & lex* &c. En Moyſis ordinatio! *Ita & Dominus* &c. En Chriſti D. mandatum! Siquidem igitur Clericis ſuppetit jus exigendæ a Laicis ſuſtentationis ſuæ, ſequitur viciſſim, ut ex bonis ad vitæ ſuſtentationem neceſſariis a Clericis exigere Laicis haud liceat. Quocirca Eccleſiaſticam immunitatem Divino e jure deſcendere ſententia eſt rata, receptaque S. Symmacho in Synodo Romana cit. Can. *Bene quidem* Diſt. *96*, Synodo Moguntinæ an. 888. Can. *Si Imperator* ead. diſt., Bonifacio VIII. Cap. *Quamquam* de Cenſib., Leoni X. Conſt. *Supernæ* in Concilio Lateranenſi V. ſeſſ. *9*, Tridentino ſeſſ. 25. de Refor. cap. 20, Synodo apud Pennamfidelem an. 1302. Can. 13, Saltzburgenſi an. 1386. cap. 9, & Colonienſi an. 1536. par. 9. cap. 20. Quibus concordant Textus in Cap. 10. *Eccleſia S. Mariæ* Decret. lib. 1. tit. 2. de Conſtitut., Cap. 12. *Cum laicis* lib. 3. tit. 13. de reb. Eccl. non alien., & Cap. 4. *Non minus* eod. lib. tit. 49. de Immun. Eccleſ., Synodique plures aliæ, de quibus infra. Jungendi quoque Juriſperiti, Theologique paſſim, qui Eccleſiaſticam immunitatem aut Divini proculdubio juris eſſe perſuaſum habent, velut Ecchius in Enchirid. adv. Lutherum de Immun., Driedo de libert. Chriſt. lib. 1. cap. 9, Correa de Immun. par. 2. n. 40, Boſius de Jure Stat., Bellarminus in reſp. ad Theologum Venet. prop. 5, Gretzerus de immun., & libert. Eccl. part. 2. aſſert. 1, Fagnanus in Cap. *Eccleſia S. Mariæ* n. 15. de Conſtit., & in Cap. *Non minus* n. 4. de Immun. Eccleſ., Bonacina de Cenſuris in Bull. Cœnæ diſp. 1. q. 16. ſect. 2, & in præcept. 8. Decalog. diſp. 10. q. 2.

q. 2. p. 1, Thomas del Bene Tom. 1. de Immun. Eccleſ. par. 1. cap. 1. dub. 2, aliique plures apud ipſos: aut ſaltem a jure Divino originem trahere non dubitant, veluti Gonzales in cit. Cap. *Non minus* n. 8, Barboſa lib. 1. Jur. Eccleſ. cap. 39. §. 5, Covarruvias Variar. lib. 1. cap. 17, Guevara pro Pontif. aſsert. lib. 1. §. 7, Bobadilla Polit. lib. 2. cap. 28, Suarez adv. Regem Angl. de immun. lib. 4. cap. 8. n. 9, Petra ad Conſtit. 5. Urbani IV. Tom. 3. n. 7. pleraſque S. Rotæ deciſiones, Doctoreſque alios proferens. Altero ex capite Eccleſiarum bona in Divinum jus tranſ. migrare dicuntur, quatenus a Chriſtifidelibus Deo oblata, ſive Dei Miniſtrorum ſuſtentationi dicata, non tam Eccleſiæ, quam Dei eſse dicuntur, & æſtimantur. Hinc Benedictus III. in epiſt. ad Galliar. Epiſcopos juri Divino bona, quæ traduntur Eccleſiis inſcribenda docebat: *Quis ignorat illa, quæ collata ſunt Deo per Fidelium manus, Divinitati poſſidenda conſignari, & ab humano jure in jus Divinum concedi; nec etiam hominum dominationi poſſe tranſcribi, quod conſtat Divinitatis poſſeſſione ſemel fore contraditum?* Ita & Synodus Aquiſgranenſis an. 836. lib. 3. cap. 7. ex Chriſti D. cum Eccleſia deſponſatione ſubinfert ea, quæ Eccleſiæ, Chriſti D. pariter eſse: *Ideo quæ Eccleſiæ ſunt, Chriſti ſunt, & quæ Eccleſiæ offeruntur, Chriſto offeruntur, & quæ ab Eccleſia tolluntur, procul dubio Chriſto tolluntur.* Quorum ſimilia habentur apud Leontium in vita S. Johannis Eleemoſ., de quo infra, Capitul. lib. 6. cap. 305, & in Typico Irenes Auguſtæ cap. 7. apud Montfauconium Analect. Græcor. p. 163, ubi res Deo oblatæ a ſacris Virginibus conſecratæ vocantur. Synodus Aurelianenſis etiam Can. 7. relato a S. Anſelmo Lucenſi in Collect. apud Caniſium Antiq. lect. Tom. 6. p. 245: *Omnia*, inquit, *quæ Deo offeruntur, conſecrata habeantur in vineis, terris, ſilvis* &c., *ut quæ Eccleſiis, ſine dubio Chriſto, qui ſponſus earum eſt, offeruntur.* Hinc veteri receptiſſima formula, quæ Eccleſiæ, ſive Deo in Eccleſia offerebantur, *Dei dona* nuncupari conſueviſse, venerandæ antiquitatis congeſtis monumentis oſtendit Cl. Fontaninus in Comment. ad Diſcum argent. votiv. Veter. Chriſt. cap. 9, ſeqq., *Holocauſta* item, atque *Sacrificia* capp. 22, & 24.

Evangelicis, & Apoſtolicis ergo doctrinis imbuti SS. Eccleſiæ

ſiæ Patres Eccleſiaſticæ immunitatis exertos, ac diſertos ſe præſtare vindices haud dubitabant, nec ideo frontem laicis Poteſtatibus eam invadere molientibus objicere duriſſimam. Origenes in Comment. ad Rom. 13 vectigalia quidem ex agris, quos proprio jure quis poſſidet, Regibus pendenda non negat, ſed quæ Eccleſia poſſidet, ſoli Deo reddenda, ſibimet nempe ſubſidia parando, quodque ſuperſit, in pauperes erogando, docet: *Principibus tributa quædam pendimus, dum adhuc ſecundum carnem vivimus... Si vineam Domini colamus..de iſta vinea non Miniſtris ſæculi pendemus tributa* &c. Modeſtum Præfectum repetitis litteris 279, & 304. monitum voluit S. Baſilius Presbyteros, & Diaconos oneribus, ac tributis olim obnoxios haud fuiſſe, quem ideo rogat, ut illos a jugo recens impoſito eximeret: *Ut juxta antiquas leges, qui Deo in ſacris Miniſteriis inſerviunt, liberi relinquantur a ſolutionibus* &c. Viden, ut S. Doctoris teſtimonio Eccleſiæ coæva ſit, & agnata Eccleſiarum a tributis immunitas! Eodem ſpiritu inſtructus S. Gregorius Nazian. Orat. in Julianum Præf. eumdem a tributis exigendis a Clericis graviſſimis abſterrebat verbis, Tributis *in Divina condemnatione nihil gravius, & acerbius eſſe* adfirmans. De S. Johanne Eleemoſynario refert in ejus vita cap. 11. Leontius Neapolit. in Cypro Epiſcopus, Nicetæ Ægypti Præfecto roganti, ut opis aliquid ex bonis Eccleſiæ publicum in ærarium impertiret, eum intrepida reſpondiſſe mente: *Non juſtum eſt, quæ ſupercæleſti Regi oblata ſunt, terreſtri dare.* Quamobrem Clodovæo Franc. Regi ſacri Baptiſmatis unda perfuſo confeſtim auctorem ſe præſtitiſſe S. Remigius refertur a Flodoardo lib. 2, ut quem pietatis erga Deum affectum induerat, eodem Sacerdotes Dei cultui mancipatos a publicorum onerum jugo liberos prorſus abire permitteret. Contra vero Chilperico ingenti vertere crimini non dubitavit S. Gregorius Turon. lib. 5. cap. 27, ſeq., quod Clericos, & Monachos vectigalibus, & exactionibus vexare, exagitareque non abſtinuiſſet. SS. Ambroſii, & Gregorii M. auctoritate fretus Eccleſiam a cenſibus omnino immunem adfirmare Odo Cantuar. Archiep. ſuis in Conſtit. Eccleſ. cap. 1. non deſtitit. Nec altera vero, quam quæ ab ipſo Chriſto D. conſcripta in Cruce fuerat, immunitatis charta Eccleſiam a Laicorum exactionibus tuen-

dam ſuſcepere Petrus Bleſenſis epiſt. 124, & Gofridus Vindocin. Opuſc. 1. cap. 6: *Libertatis*, inquientes, *Chartam Chriſtus vindicavit in Cruce, & ſuæ Sponſæ Eccleſiæ perſemet ipſum dedit*. Quo pridem inſtrumento Paſchalem II. feliciter uſum paullo infra patefiet. Quantam animi fortitudinem Willelmo cognomento Rufo Angliæ Regi immoderatas ab Eccleſiis pecunias exigenti objecerit S. Anſelmus Cant., enarrat Eadmerus lib. 1, & 2. Quantam Henrico I. quoque, liquet ex lib. 3. epiſt. 109. Quanta perinde eidem Henrico Regi pecunias extorquenti conſtantia obſtiterit Radulphus Epiſcopus, teſtis eſt Willelmus Malmesb. de geſt. Reg. Angl. lib. 2. p. 257.

Tantum vero abeſt, ut Romani Pontifices iniquo, velut ipſis paſſim appingere Proteſtantes, ſolemne per mendacium, ac maledictum, ſolent, Eccleſiaſtici amplificandi juris animo, Eccleſiaſticæ immunitatis acerrimos ſe præſtiterint vindices, aſſertoreſque, ut potius ad id ex officio præſtandum a Deo ſe conſtitutos exiſtimarint, unoque ſe Religionis affectu contulerint. Enim vero quam abſolutum, ac liberum a rebus hiſce pereuntibus animum gereret S. Gregorius re, ac nomine Magnus, ignorabit nemo. Dolebat ei graviter nihilominus Eccleſias ad ſolvenda tributa cogi, quæ aut impedire, quoad poſſet, aut quominus graviora ſuperimponerentur, prohibere non deſiſtebat, uti fidem abunde faciunt lib. 7. epiſt. 105, & 115, ac lib. 9. epiſt. 1, quibus tam cum Epiſcopo Gallipolitano, & Præfecto Africæ, quam cum Theodorico, & Theoberto Franc. Regibus de Agris Eccleſiæ tributo gravatis expoſtulans: *Audivimus*, inter alia inquit, *quia Eccleſiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna ſuper hoc admiratione ſuſpendimur, ſi ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur*. Hoc ipſo indutus zelo Johannes VIII. in Synodo Ravennatenſi an. 877. Can. 4. ſub anathematis interminatione cenſus, aut dona ab Epiſcopis exigi interdixit. Confer & Canonem 1. in Tricaſſina II. an. ſeq. ſub eodem Pontifice conditum. Ejuſdem vero hortatu inoleſcentem in Italia abuſum, quo laici Optimates, ac Judices ab Eccleſiaſticis perſonis opera, tributa, donaria, cenſuſque repetere non timebant, Epiſcoporum, Impetiique Principum habito Conventu, abolendum religioni

duxit

duxit Carolus Craſſus Decreto edito anno 882, ut habetur apud Ughellum To. 5. p. 722, ſertque Indictio XV, non inſeq., uti legitur apud Muratorium Antiq. Ital. To. 1. p. 869, velut obſervat Manſius Soppl. To. 1. p. 1039, ſeq. A Clero Lucano nominatim, cenſum ullum, aut tributum exigi, aut ei moleſtiam ullam circa bona ſive mobilia, ſive immobilia creari, diſtricte vetuit Stephanus IX. Bulla edita an. 1058, quam e pluteis Archivi Lucani publici juris fecit Muratorius Antiq. Ital. To. 5. p. 974, & poſt ipſum Manſius Suppl. To. 1. p. 1316. Pro Eccleſiaſtica immunitate fortiter, egregieque depugnanti S. Anſelmo Cant. ſe haud imparem ſtudio Paſchalis II. adparere voluit. Itaque tam epiſt. 42. edit. Hard., quæ inter epiſtolas S. Anſelmi eſt 45. lib. 3, ad ejus interrogata reſpondens liberam Eccleſiam ex S. Pauli ſententia ad Galat. cap. 4. v. 26, & 31. pronuntiat, quam epiſt. 49, quæ inter epiſtolas S. Anſelmi a Picardo editas lib. 3. eſt 73, ad Rothardum Mogunt. Eccleſiam a Chriſto D. ſui pretio ſanguinis in libertatem aſſertam prædicat: *Nos Regibus, quæ ſui juris ſunt, integra ſervare optamus, nec in aliquo minuimus: dummodo ipſi ſponſæ ſui Domini libertatem integram patiantur, quam ſui meruit Sanguine Redemptoris.* In Concilio Lateranenſi gen. I. an. 1123. Can. 20. edit. Hard. Calliſtus II. Eccleſias cum bonis ſuis, tam perſonis, quam poſſeſſionibus, ſine moleſtia eſſe ſancivit. Refertur a Gratiano Can. 24. *Paternarum* 24. q. 3, eumque in quibuſdam Schedis a ſe viſis Urbano II. tribui teſtatur Anton. Auguſtinus de Emend. Grat. Dialogo 5. lib. 2, conditumque revera ab Urbano in Concilio Claromontano exiſtimavit Baluzius in Not. ad Gratianum. Ulmenſis Conventus an. 1152. abolito decreto, Eccleſiaſticis bonis apprime conſuluiſſe legitur Eugenius III. epiſt. ad Wibaldum Abbat. apud Martenium Vet. Monum. To. 2. p. 553. Alexander III. in Concilio Lateranenſi gener. III. an. 1179. Can. 7, 14, & 19, anathematis indicta pœna, Eccleſiis cenſus, exactiones, onera, decimas a laicis imponi diſtricte prohibuit. Quam immunitatem perinde Abbatiæ S. Genovefæ datis ad Ludovicum VII. Franc. Regem graviſſimis litteris ſtrenue vindicavit. Richardi Angl. Regis ſtatutum, quo Eccleſias ab oneribus liberas omnino juſſerat, dignum Innocentius III. exputavit, quod Apoſtoli-

ſtolicæ pondere auctoritatis corroboraretur epiſt. ad Humbertum Cantuar. a Baluzio vulgata lib. 1. p. 220, repetitaque a Manſio Suppl. To. 2. p. 779. Ad hæc in Concilio Lateranenſi gen. IV. an. 1215. Cap. 46, relato lib. 3. Decret. Gregorii IX. De Immunit. Eccleſ. cap. 7. *Adverſus Conſules*, Eccleſias, viroſque Eccleſiaſticos talliis, ſive collectis, ſive exactionibus aggravare, propoſita excommunicationis pœna, interdixit: Romani tamen Pontificis conſilio prius habito, Epiſcopis indulgens, ut ad relevandas utilitates, ſive neceſſitates communes, ubi laicorum non ſuppetant facultates, ſubſidia per Eccleſias, perſonaſque Eccleſiaſticas conferre poſſint. Studio haud abſimili ſe ſe ad Eccleſiaſticam immunitatem redintegrandam contuliſſe leguntur Honorius III. Conſtit. 1. *Has leges*, in quam adeundus Emin. Petra; Innocentius IV. epiſt 9. lib. 10. apud Raynaldum ad an. 1252. n. 1, qua Friderici II. Conſtitutiones Eccleſiaſticæ immunitati infeſtas infregit, utque, iis abrogatis, novas eidem accommodas immunitati ederet, auctorem ſe dedit; Alexander IV. Cap. 1. *Quia nonnulli* in 6. de Immun. Eccleſ., quo loci Urbium, Dominorumque in Gallia quorumdam confregit audaciam, qua Eccleſias pleraſque ad vectigalia ſolvenda compellere non expavebant; Clemens IV, qui litteris ad Galliæ, Aragoniæ, Daniæ, ac Luſitaniæ Reges inſcriptis, regeſtiſque a Raynaldo ad an. 1265. n 30, ſeqq., & ad an. 1268. n. 38, ſeq., Eccleſiaſticam tam libertatem, quam immunitatem a laicorum injuriis redimendam egregie ſuſcepit; B. Gregorius X. in litteris ad Alphonſum, ac Philippum Reges ibid. ad an. 1273. n. 25, ſeq., & ad an. 1275. n. 20, ſeqq., quibus in Luſitania, & Gallia in priſtinum decus Eccleſiaſticam immunitatem erigere, adſerereque conatus eſt; conferendus etiam Cap. 2. *Decet Domum Domini* in 6. De Immun. Eccleſ.; Johannes XXI, qui utrique Alphonſo Luſitaniæ, & Caſtellæ Regibus explicatiſſimis litteris a Raynaldo deſcriptis ad an. 1277. n. 12, & 1279. n. 24. ingentem Religionis erga Eccleſiaſticam immunitatem ingerere timorem ſtuduit; Honorius IV, a quo Friderici II. leges Eccleſiæ propitias fuiſſe confirmatas teſtis accedit locuples Calliſtus III, de quo paullo poſt; Nicolaus IV. lib. 1. epiſt. 51. ad Epiſcopos Luſitaniæ apud præcit. Annaliſtam ad an. 1289. n. 16, ſeqq., quos

Eccle-

Eccleſiaſtici juris ſtrenuos, nihilque ſegnes agere vindices jubet; Bonifacius VIII, a quo ſolemni Conſtitutione, relata Cap. 3. *Clericis* in 6. lib. 3. tit. 23. de Immun. Eccleſ. ab Angliæ, Galliæque Clericis, ac Religioſis vectigalia, ſive decimas exigere laici prohibiti ſevere ſunt, utque ſpeciatim ab iis exigendis Magiſtratus tam Maſſilienſem, quam Biterrenſem compeſcerent, tam Arelatenſi, & Maſſilienſi Antiſtitibus, quam fidei Quæſitoribus ſpartam iſtam impoſuit lib. 1. epiſt. 223, & lib. 3. epiſt 469. e Vatic. Codice erutis a Raynaldo ad an. 1295. n. 54, & 1297. n. 57; Johannes XXII, qui in ſententia die 22. Novemb. 1327. adverſus Marſilium Patavin., & Joh. Jandunum lata, legendaque apud eumdem Annaliſtam ad cit. an. n. 29, eos nefarie errorem ſuum de rebus omnibus temporalibus Imperio ſubjectis Evangelii loco Matth. cap. 17. v. 25, ſeqq., quo Chriſtus D. tributum Cæſari depen. diſſe legitur, ſuperſtruxiſſe arguit, quum exinde potius eumdem tributi ſolutione prorſus immunem liquido pateat. Ad laicorum in Clericos effrenem coercendam licentiam totis, quantiſque ſe pariter contulere viribus Benedictus XII. in Gallia epiſt. ad Aquenſem Epiſcopum, in Hungaria epiſt. ad Carolum Regem, in Hiſpania ad Regem Alphonſum ibid. an. 1337. n. 21, 1338. n. 24, & 1340. n. 43. In Hungaria iterum, ac in Polonia Clemens VI. exaratis ad Ludovicum, & Caſimirum Reges epiſtolis ibid. deſcriptis ad an. 1344. n. 66. Carolo IV. Imp. Conſtitutionis, qua Eccleſiaſtica demum immunitas, ac libertas a laicorum violentia tuto in loco poſita eſt, auctorem ſe præſtitit Innocentius VI, de quo adeundus præcit. Annaliſta ad an. 1359. n. 13. Præfatis vero tam Friderici II, quam Caroli IV. Conſtitutionibus Apoſtolicæ robur auctoritatis adjicientes Bonifacius IX. Conſt. 4. *Juſtis*, de qua Emin. Petra To. 4. Comment. p. 198. edit. Ven. 1741, & Calliſtus III. Conſt. *Cum ſicut*, de qua Raynaldus ad an. 1455. n. 37, Eccleſiaſticæ tam juriſdictioni, quam immunitati apprime proſpexere. A Leone X. Conſt. *Supernæ* in Concilio Lateranenſi V. ſeſſ. 9. an. 1514. evulgata, poſtquam fundamenti loco poſitum illud fuiſſet, quod *Jure tam Divino, quam humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit*, Can. 20, in Concilio Lateranenſi I. pridem a Calliſto II. ſancito, inſtaurato, collectas, aut decimas a Cle-

a Clericis exigi, absque Romani Pontificis expressa licentia, sub excommunicationis, ac depositionis respective interminatione, districte interdictum est. Quæ denique interdictio Romanis a Pontificibus innovari quotannis solet Bulla in Cœna D., de qua legenda Benedicti XIV. Constitutio 14. *Pastoralis* §. 18. 3. Kalend. April. 1741. promulgata.

Romanorum Pontificum presse inhærere vestigiis religioni proculdubio Conciliis jugiter cessit, queis ideo nihil antiquius potuit accidere, quam illorum exemplo ad Ecclesiasticam tutiori, quoad possent, in loco ponendam immunitatem, libertatemque magnanime se comparare. Ergo in Concilio Toletano III. an. 589. cap. 21., quod a Gratiano refertur Can. 69. *Ecclesiarum* 12. q. 2, Clericos, eorumque servos in publicis, aut privatis negotiis occupare, angariisque fatigare, & afficere sub excommunicationis interminatione laici Judices, & actores interdicuntur. In Toletano IV. vero an. 633. Can. 47, suffragium ferente Sisenando Rege, Clerici omnes pro Religionis officio ab omni publica indictione, atque labore immunes declarantur, ac liberi. Angliæ Rege Witheredo præsente, & adnuente, a Becanceldensi an. 694. Ecclesiis, ac Monasteriis immunitas, & exemptio ab omni tributo, & exactione vindicata, & adserta est apud Harduinum To. 3. p. 1805, seqq. Sub precario, & censu præstanda in subsidium Exercitus Ecclesiastica pecunia sancitur a Liptinensi an. 743. Can. 2. Ne ab Ecclesiis repeterentur exactiones, earum vero oppressores reprimerentur, infimis precibus a Carolo Calvo petitum est a Belvacensi an. 845. cap. 5, seq. Regia potestate, juxta copiam olim a Ludovico Pio factam, excommunicationis adjuncta pœna, eos comprimi, qui Presbyteros censum aliquem persolvere cogerent, a Meldensi eodem anno Can. 63. mandatum est. Juxta Principum indulgentiam, Fideliumque devotionem, integra perpetuo Ecclesias perfrui immunitate jussit Suessionense II. an. 853. Can. 8. Qui ita accipi debet, ut Principum ope, illibata maneat a laicorum violentia immunitas, non ut beneficio inducta æstimetur. Nullum laicis in Clericos jus inesse, nec eorum ex bonis censum ullum exquiri voluit Melphense an. 1089. Can. 11. In Turonensi an. 1163. Can. 3, & 10. Ecclesiasticæ immunitati ea ri-

te

te conſultum eſt ratione, ut ſub anathemate laicis interdictum ſit tam decimas, & oblationes ab Eccleſiis repetere, quam Eccleſiaſtica bona occupare, indeque prædam capere. Sub eadem anathematis diſtrictione, Eccleſiæ, perſonæque Eccleſiaſticæ a vectigalibus immunes ſini jubentur ab Avenionenſi an. 1209. Can. 7. Cui finitimus eſt Canon 12. Concilii Narbonenſis an. 1227, quo laici Conſules ab extorquendis a Clericis exactionibus cenſuris Eccleſiaſticis abſterrentur. Concordant Canones 20,& 21. Concilii Toloſani an. 1229, quibus Clericorum patrimonia oneribus publicis ſubeſſe prohibentur, dummodo nec mercaturæ dediti eſſent, nec matrimonio devincti. A Campiniacenſi an. 1238. Can. 3. excommunicatione plectuntur, qui Eccleſiis, aut Xenodochiis onera imponere præſumerent. In Perthano an. 1242. apud Wilkins To. 1. p. 684. Scotis Epiſcopis conquerentibus de Eccleſiaſtica paſſim immunitate temerata, præſens Rex juſſit, ne a quopiam Eccleſiis inferri gravamen, injuria, moleſtiaque tentaretur, gravibus in tranſgreſſores decretis pœnis. Execranda inter alia Friderico II. Imp. exprobata flagitia in Lugdunenſi gener. I. an. 1245. illud quoque fuit, quod Clericos, eorumque bona ſubſidiis, ac tributis onerare non parceret, velut habetur in ſententia contra ipſum ejaculata ab Innocentio IV. apud Harduinum To. 7. p. 384. Præcitato Narbonenſi Can. 12. inſtaurato, tributis publicis ſubjici Clericos, eorumque patrimonia a Biterrenſi an. 1246. Can. 28. prohibitum eſt. Juxta ſancita in Lateranenſi, Eccleſiis imponi penſiones inhibuit Salmurienſe an. 1253. cap. 13. Juſtus Religionis timor iis, qui ex bonis Eccleſiaſticis vectigalia exigere non vererentur, incuſſus legitur a Nannetenſi an. 1264. Can. 7, a Colonienſi an. 1266. Can. 8, a & Bituricenſi an. 1276. Can. 10, ab Avenionenſi an. 1279. cap. 1, a Budenſi eod. an. Can. 59. Ab Eccleſia pretii quidpiam loci Dominis conferri diſtricte prohibetur a Bajocenſi an. 1300. cap. 47. Concilio apud Pennamfidelem an. 1302. Can. 13. arcte perſuaſum erat Divini proculdubio juris Eccleſiæ immunitatem eſſe, quæ ideo gravaminibus violari diſerte prohibetur. Pœnis Canonicis ſubjiciuntur a Compendienſi an. 1304. cap. 2, a Colonienſi an. 1310. cap. 3, & a Nugarolienſi an. 1315. cap. 2, quotquot Clericos vectigalibus onerare auderent.

derent. In Anglia immunitate, ac libertate integre potitam Ecclesiam usque ad Willelmum Rufum, a quo usurpatam redimere, vindicareque frustra conata est, liquet ex Eccles. legibus S. Eduardi tit. 11, a quo demum est restituta. Inter Articulos etiam a Prælatis Angliæ Eduardo II. oblatos, is n 11. recensetur, quo contra perendinationes, ac pensiones Clericis, ac Religiosis imperatas, impositasque graviter expostulabant. In celebri quoque Collatione an. 1329. inter Præsules Galliæ, ac Magistratus Regios coram Philippo Valesio Rege Parisiis habita, primas utrinque partes agentibus Petro Bertrando, & Petro Cunerio, huic locum ex Matth. cap. 22. v. 21. potissimum objicienti *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari* &c., respondit ille a Christo D. vitandæ offensionis utique gratia tributum fuisse persolutum, non ante tamen, quam suam ipse, suorumque omnimodam immunitatem præfatus fuisset, testatusque, in Bibl. PP. Colon., & Lugd. Dicam verbo, Anglicanæ, Gallicanæque non minus, quam Italicæ, Germanicæ, Hispanicæ, Polonicæ, Hungaricæ &c. Ecclesiis nihil antiquius obvenisse unquam, quam sibi a Christo D. impartitam, Sanguinisque pretio adquisitam immunitatem sartam, tectamque modis servare omnibus, Religionisque ideo gravissimum incutere Laicis metum, qui genus cujuslibet gravamen indicere Clericis, ac Religiosis non reformidarent, veluti fit evidens ex Synodis Palentina an. 1322. cap. 17, Avenionensi 1326. cap. 32, seqq., Marcianensi eod anno cap. 53, Londinensi 1328, cap. 3, Compendiensi an. inseq. cap. 3, apud Castrum Gunterii 1336. cap. 3, Avenionensi rursus 1337. capp. 37, & 39, Trecorensi apud Martenium Anecd. To 4. p. 1106. cap. 60, Andegavensi 1365. cap. 24, seq., Vaurensi 1368. cap. 96, seqq., & Saltzburgensi 1386. capp. 9, & 11, quibus bona Ecclesiastica jure Civili, Canonico, ac Divino ab oneribus prorsus libera declarantur. Accedunt Concilia Constanticnse an. 1418 Sess 45, ubi Friderici II, & Caroli IV. leges Ecclesiasticæ immunitati suffragantes approbantur, & explicantur, citraque Pontificis consensum, neque Principibus quidquam oneris Clericis imponere fas esse constituitur; Bituricense 1415, quo congregatus Clerus Gallicanus vehementissimis litteris apud Carolum VI. Regem contra gra-

gravamina Eccleſiis impoſita expoſtulavit; Andegavenſe 1448. Can. 9, quo Cenſuræ a Concilio apud Caſtrum Gunterii an. 1268. in temeratores Eccleſiaſticæ immunitatis vibratæ inſtaurantur; Baſileenſe in Append. epiſt. ad Epiſcopum Adrienſem; Dublinenſe 1518. cap. 9; Tridentinum ſeſſ. 25. de Refor. cap. 20; Moguntinum 1549. cap. 76; Conſentinum 1579. cap. de Immun. Eccl. apud Manſium Suppl. To. 5. p. 1127, &c.

Nec prope hinc, neque procul abfuere Imperatores, ac Reges ipſi, qui proprium, quo primum Chriſto D. nomen dedere, eo ipſo confeſtim officio, religionique deputaverunt ab Eccleſiarum bonis caute non tam abſtinere ipſos, quam ne detrimenti quidpiam eis inferretur, diligenter præcavere. Exemplo præluxit omnibus ſuo Conſtantinus M., qui Edicto ad Anolinum Africæ Proconſulem apud Euſebium lib. 10. cap. 7, ac Nicephorum lib. 7. cap. 41. Clericos cum ad Curiam vocari vetuit, tum vectigalibus, & oneribus vexari, lib. 11. tit. 1. cap. 1, & lib. 16. tit. 2. cap. 1. Cod. Theod. Hanc Conſtantini M. Conſtitutionem annis triginta elapſis inſtauravit Conſtantius filius, lib. 16. tit. 2. LL. 8, 10, ſeq. Cod. Theod., & L. 2. *De Epiſcopis, & Cleric.* Cod. Juſtin.; & quamvis Clericos oneribus publicis ſubjacere aliquando voluiſſet, lib. 16. tit. 2. L. 15, hanc tamen paullo ante obitum legem abrogavit, ibid. L. 16. Eamdem ſuſtulit ſubinde Julianus Apoſtata, ad priorem, quo ſub Ethnico Imperio degerant, Clericis redire ſtatum juſſis, teſte Sozomeno lib. 5. cap. 5. Sed ei ſuccedens Jovinianus leges illas Clericos ab oneribus eximentes reſtituit, velut adnotare non deſtitit idem Scriptor lib. 6. cap. 3. Sed & haſce Conſtantii de Eccleſ. immunitate leges obligandi vi defraudari haud ſuſtinuere Valentinianus, & Valens Cod. De *Sacroſ. Eccleſ.* lib. 16. LL. 18, 19, ſeq.; ſuo eas quin etiam in robore manere voluere Gratianus, & Theodoſius ibid. LL. 24, & 26; novumque imo ſuis ab Imperialibus edictis accipere munimen juſsere Honorius, & Arcadius Cod. Theod. lib. 19. LL. 29, 30, 33, & 40. Videſis & Tillemontium To. 5. p. 611. Arcadii ſententia quidem, quæ perinde Valentiniano III. probata evaſit Novel. 21, ea immunitas ſpectabat extraordinaria ſolum onera, ordinariis cæteroquin exactionibus ſubeſſe Eccleſias volentis, a quibus exemptas Roma-

nam, Alexandrinam, Constantinopolitanum, ac Thessalonicensem dumtaxat jussit deinde Theodosius Junior. Non exinde tamen extundere licet, Imperatorum esse immunitatem Ecclesiæ largiri, vel auferre, vel ei placitos præfinire confines. Tolerabat enim hæc Ecclesia, tacebatque cujusdam œconomiæ specie, non alioqui nescia hanc sibi immunitatem Divino jure deberi, tum ut opibus suis Imperii necessitatibus, quibus proprias arcte conjunctas non videre nequibat, obsequeretur, ac deserviret, tum ut meliora expectaret tempora, quibus se in libertatem prorsus adserere liceret. Quam partim ex Theodosio ipso, & Valentiniano nacta est lib. 11. tit. 1. LL. 33, & 36. Cod. Theod., partim ex Valentiniano iterum, ac Marciano Cod. De *Sacros. Eccles.* lib. 1. L. 12, ampliorem vero accepit a Leone, & Anthemio L. *Omnes* Cod. De *Episcop.*, & *Cler.* Ecclesiasticam immunitatem ad Cœnobia, & Xenodochia extendisse deinde legitur Justinianus Novel. 43. cap. 1, & 131. cap. 5, ita tamen ut, sicuti Valentinianus III. L. *Neminem* Cod. de Sacros. Eccles., Ordinariis tributis subjacere voluerit, iis dumtaxat prædiis exceptis, quæ ipse designasset. Sed enim, quam sibi parum Justinianus cohæserit, quamque, plusquam sibi fas esset, potestatis Ecclesiasticæ partem, & quantam invaserit, paullo infra planum fiet; neque ex hujusce genus factis dimetiendum faciendi jus fore demonstrabitur. Præterquam quod immunitatis privilegio juste repugnare haud putandum est sane, si Ecclesia proprium in jus possessiones eisdem cum vinculis, queis antea obligatæ fuissent, ultro citroque transferat, ne videlicet exonerandis aliis alii gravius onerentur, ac ne veteribus extenuatis tributis, nova necesse sit invehi, veluti loquitur idem Imperator loco indicato. De Heraclio refert Suidas Lex. Tom. 2. edit. Cantabrig. 1705. p. 71. V. Ἡράκλειος, & apud Baronium ad an. 627. n. 27, ad impensas belli Persici, quod in perniciem Imperii non minus, quam Ecclesiæ impendebat, pecuniam quidem ingenti pondo ab Ecclesiis petitam ab eo, mutuam tamen, tantumque postea auri, argenti, gemmarumque Ecclesiæ refusum, constitutum interea, ut ipsis, ac Clero ex Imperatorio fisco annua pecunia penderetur. Ecclesiis, Cœnobiis, ac Xenodochiis immunitatibus olim adtributis lege edita derogasse Nicephorus Phocas deinde legitur. At

legem

legem hanc & poſtea ſuſtulit Baſilius Porphyrog. Neque minus incommodum ab Emanuele Comneno latum Edictum aboleviſſe deinde traditur Alexius Comnenus ejus filius, de queis adeundus Balſamon in Synodos Conſtantinopolitanam I, & II. Can. 1, & in Synodum VII. Can. 12. Jur. Orient. To. 1. p. 113, 150, ſeqq. Quam vero laude dignum ſe præſtitit Iſaacus Comnenus, Eccleſiam Conſtantinopolitanam in priſtinam vendicando libertatem, tam ſe vituperandum bonis omnibus objecit, Monaſteriorum poſſeſſiones Fiſco adjudicando: qua de lege Curopalates apud Baronium ad an. 1057. n. 38. Qui & ad an. 1081. n. 10. ex To. 3. Bibl. Sanc., & Jur. Orient. auream deſcripſit Bullam, qua Alexius Comnenus ornamenta ab Eccleſiis auferri diſtricte inhibuit. Nicephori Phocæ audaciæ inſiſtens Emanuel Comnenus a Monachis fundos vel poſſideri, vel comparari novos vetuerat, referente Niceta Choniate lib. 7: expertus autem adverſos Superos Bulla, quæ inde *Medicatrix* dicta eſt, edita, quæ refertur cum in Jure Orient., tum a Balſamone, atque ex utroque a Baronio ad an. 1148. n. 42, priſtina Monachis & jura, & prædia reſtituere religioni duxit. Quid ad hæc vero, quod Mahometes II. Turcarum Imperator, primus ille, qui Conſtantinopoli expugnata, everſoque Græcorum Imperio, dominationis Ottomanicæ Sedem ibi defixit, hanc Eccleſiarum immunitatem adeo perſpectam habuit, probatamque, ut referente Georgio Phranze lib. 9. cap. 19. ab Epiſcopis Græcis vectigalium, tributorumque nomine quidpiam exigi, quin & moleſtiam eis inferri prohibuerit? Nempe nulla tam efferata gens unquam extitit, cui natura ipſa non dictaret Sacerdotum res, ac perſonas ſummo Religionis proſequendas eſſe reſpectu. Ad Occidentis Imperatores modo reflectendo gradum, Othoni Imp. laudi vertit Luitprandus lib. 4. cap. 15, quod graviſſimo etſi in diſcrimine conſtitutus, ab Eccleſiaſticis tamen abſtinere bonis ſatius habuerit, verbis illis uſus: *Nolite Sanctum dare Canibus.* A Friderico II, & Carolo IV. legibus latis infamiæ notam infligtam iis fuiſſe jam innui, qui Eccleſiaſticis infeſti perſonis eſſent, eorumque impedire juriſdictionem, bonis damnum inferre, & gravamina imponere non expaverent. Vide Scortiam ad Conſtit. Apoſtol. epit. 29. Theor. 77, ſeq., ac Petram To. 4. ad Conſt.

3. Urbani VI, & Constit. 4. Bonifacii IX. Mitto vero alios plerosque, atque eorum oppido plurium exempla Principum, quibus ob inlatas Ecclesiæ injurias, violatamque immunitatem male res, pessimeque cessere, quorum multa persequitur Stephanus Valentinus de potest. coact. Pontif. cap. 11. p. 140, seqq., ac post Baronium, & Raynaldum confer etiam Muratorium de Antiq. Ital. dissert. 70, seqq., ubi de Immunitatibus passim concessis tam Ecclesiis, quam Monasteriis, a Widone, a Berengario I, a Conrado I, a Berengario II, ab Othone I, ab Henrico II, ab Henrico V, a Friderico II, ab Aistulpho, a Desiderio, ab Adalberto copiose agit. Quamquam is, unaque ipsius ex Sorore Nepos Joh. Franciscus Soli falsa in ea versati opinione sunt, ut putarent cit. dissert. 70. Principum quidem lege universali Ecclesiis, ac Monasteriis immunitatem fuisse adquisitam, ea conditione tamen adjecta, ut quemadmodum Feudatariis facere in more positum est, sic Episcopis, & Abbatibus pro immunitatis confirmatione novos apud Imperatores quoslibet, ac Reges accedere opus omnino fuerit. Quæso vero, unde id arguunt, vel augurantur? Inde plane, quod vicissim simplici Episcopis, & Abbatibus petentibus Immunitates istiusmodi concessisse videantur. Sed enim ita legibus dumtaxat Civilibus inductum supponit uterque immunitatem. Quo igitur loco Pontificum, Synodorum, ac Patrum tot, ac tam liquida per ipsos decreta stabunt? Satius eis fuisset itaque, uti pronius erat, verissimumque, putare, ab Episcopis ideo, & Abbatibus persæpe Laicos Principes aditos fuisse, ut quos Canonicæ ab immunitate violanda coercere leges nequibant, flagitiosos homines compescerent laicæ: quemadmodum Episcopi, & Abbates ipsi vicissim a Principibus cohibendi fuerunt ab Ecclesiasticis bonis in luxus dissipandis, & in Laicos distrahendis, qua de re fusius ipsemet Muratorius differt. 72.

Ut nunc vero de aliorum Regum erga Ecclesias liberalitate aliqua attingamus, quam pio ergo personas, ac res Ecclesiasticas animo effusus Clodovæus Francor. Rex fuerit, & quam amplissimas eis ab exactionibus impartitus exemptiones, testata res evadit ex Concilio Aurelianensi I. an. 511. Can. 5, quo digno is mactatur elogio cum ob agros, oblationesque Ecclesiis collatas, tum

ob

ob immunitates eiſdem conceſſas, ex Flodoardo lib. 2, nec non ex Marculfo de Formul. lib. 1. cap. 2, ſeqq., quibus eadem ſacra immunitas ſtabilitur. Clotarius, qui Regni ſub initium immunitates Clericis a Clodovæo tributas temere reſciderat, Injurioſo Turonenſi Epiſcopo inſtante, eaſdem reſtituere religioni duxit, teſte S. Gregorio Turon. lib. 3. cap 25, & lib. 4. cap. 2. Conferenda ejuſdem Conſtitutio a Sirmondo ex Codicibus MSS. Corbejenſi, & Tiliano edita, deſcriptaque ab Harduino To. 3. p. 343, nec non Epiſtola S. Radegundis ad Epiſcopos ex S. Gregorio Turon. lib. 9. cap. 42. recenſita ab eodem Collectore ibid. p. 370. Eodem iterum S. Gregorio lib. 10. cap. 7. teſte, conceſſis immunitatibus tuto frui Eccleſias voluere Childebertus, & Theodobertus, ad quem poſteriorem legenda quoque Epiſcoporum Synodi Arvernenſis an. 535. epiſtola, qua rogant, ne Clerici poſſeſſionibus fraudentur. Eccleſiæ S. Martini immunitatem detuliſſe, inſtante S. Eligio Noviom., Dagobertus refertur a S. Audoeno in vita S. Eligii lib. 1. cap 15. apud Ducheſnium Tom. 1. p. 930. Cui finitimum immunitatis privilegium a Dagoberto II, ad preces S. Rigoberti Remenſ., impertitum refert Flodoardus lib. 2. cap. 11. Animum ab immunitatibus abhorrentem geſſiſſe Chilpericum II, ſed ideo graviſſime a S. Gregorio Turon. lib. 5. cap. 27, ſeq. reprehenſum, jam ſuperius indicavi. Supervacaneum eſt autem ſingillatim de cumulatis in Eccleſias, ac perſonas Eccleſiaſticas hujuſce genus beneficiis a ſequioris Francor. Regibus ſtirpis, a Carolo M., Ludovico Pio, Carolo Calvo &c., quorum eximiam liberalitatem, ac pietatem abunde eloquuntur paſſim Capitularium libri, veluti lib. 1. capp. 91, 132, & 134, lib. 2. cap. 31, lib. 3. cap. 116, lib. 4. cap. 19, lib. 5. capp. 45, 148, & 187, lib. 6. capp. 106, & 109, ac lib. 7. capp. 131, 147, 212, ac 367, de quibus, & adeundi Bignonius in Not. ad Marculfum lib. 1. Form., ac Thomaſſinus vet., & nov. Diſcipl. par. 3. lib. 1. cap. 26. Digni præterea, qui recolantur, Muratorius uterque Ludovicus Antonius, ac Nepos Joh. Franciſcus Soli de Antiq. Ital. diſſert. 70, 71, & 72, ubi fuſe de immunitatibus a Regibus ſtirpis Merovingiæ Eccleſiis, Monaſteriiſque paſſim collatis, de quibus etiam copioſius Mabillonius, San-Marthani, & Cointius; Carolingiæ item, ut a Carolo M. con-

conceſſis Monaſteriis S. Bartholomæi Piſtojenſi, Novaleſæ in Pedemontio, & S. Geminiani Mutinenſi; a Ludovico Pio Cœnobiis S. Bavonis Gandavi, de quo etiam Aubertus Miræus in Cod. Donat., Eccleſiæ Viennenſi, de qua Baluzius quoque Tom. 2. Capitul. p. 1404, ac Monaſterio S. Sixti Placentiæ, de quo Campius uberius in hiſt. Eccleſ. Placent. Tom. 1. p. 458; a Ludovico II. in Conventu Ticinenſi an. 855. Eccleſiis Regni totius, de quibus idem Muratorius iterum in Append. ad leges Langobard. Rer. Ital. par. 2. Tom. 1; a Lothario an. 833. Maxentio Aquilejenſi, & an. 843. Petro Aretino; a Carolo Craſſo an. 878. Monaſterio Sangallenſi, & an. 879. Johanni Aretino Epiſcopo; a Carolomano an. 877. Monaſterio S. Theodotæ Papienſi &c. Confer & Concilia Meldenſe an. 845. Can. 63, ac Metenſe an. 888. Can. 4, quibus ejuſmodi collatæ Eccleſiis immunitates illæſæ jubentur. De ſingulari denique, quo Cluniaunſes Monachos proſequuti ſunt, beneficio Willelmus Aquitaniæ Dux, ac Ludovicus Caroli Simplicis filius, adeunda Cluniac. Bibliotheca p. 6, ac 265. Nonnulla nunc de Regum Hiſpaniæ liberalitate attingendo, quo Eccleſiaſticam immunitatem optimo plane conſtituere ſtuduerit loco Siſenandus lege edita, liquet ex Concilio Toletano IV. Can. 47. Eamdem arcte inhæſiſſe religionem Henrico Caſtellæ Regi, teſtatam rem facit Rodericus Toletanus lib. 9. cap. 1, Sancio Regi Aragoniæ ſubinde, fide affirmat ſua Mariana lib. 10. cap. 7. In Anglia Æthelbaldus Merciorum Rex Eccleſias, ac Monaſteria Regni ad unum omnia a vectigalibus, operibus, oneribuſque prorſus omnibus abſolvit, ita ut ne dona quidem Regi præſtari, niſi volontaria, permiſerit, veluti legitur in ejus Charta an. 749, quam ex Ingulfo, & Willelmo Malmesb. deſcripſit Ducangius Gloſs. *V. Donum*. Eccleſiaſticas inter leges Edgari Regis ea cap. 1. locum habet, qua integra Eccleſiis jura, immunitate ſque illæſæ manere jubentur. Cui perquamſimilis eſt lex pro Eccleſiis, & perſonis ab oneribus liberandis a S. Eduardo cap. 1. lata, ubi & cap. 11. Eccleſia in Anglicana illibata manſiſſe immunitas dicitur uſque ad Willelmum cognomento Rufum. Cui tamen eam infringere molienti ferreum objeciſſe pectus S. Anſelmus legitur apud Eadmerum lib. 1, & 2, non ſecus atque ſubinde Henrico Regi S. Radulphus apud Willelmum

mum Malmesb. lib. 2. Sub Regibus denique Britannis, Anglis, & Normannis Anglicanam Ecclesiam in libertatis, immunitatisque possessione integram mansisse, ac permansisse usque ad Henricum, cui tamen obfirmata S. Thomam obstitisse fronte compertum est, locuples accedit testis Johannes Cantuar. in epist. ad Eduardum, post Conquæstorem, primum apud Harduinum Tom. 7. p. 876, seq. De simili lege ab Eduardo II. lata videndus Polydorus Virgilius lib. 1., deque altera a Dongardo Scotiæ Rege Hector Boetius lib. 18. Lege lata ab Uladislao Poloniæ Rege bona Ecclesiastica, omni prorsus onere, labore, pensione, laicæque potestatis subjectione liberata perhibet Stephanus Damalevicinius de Archiep. Gnesn. apud Raynaldum ad an. 1387. n. 15. Præiverat ei tamen, longo temporis intervallo, pietate, exemploque Boleslaus Dux, a quo Cracovienſi pridem Ecclesiæ amplissima impertita immunitas refertur apud Raynaldum ad an. 1255. n. 56. Laude quoque valdequam dignum se præstitit Otho Palatinus Rheni Comes præclarum ob decretum, quo, pro Cleri immunitate servanda, eidem onera, census, tributa a Laicis imperari omnino prohibuit. Decreto subscripti complures utraque dignitate tam Ecclesiastica, quam Civili insignes leguntur, uti videre licet apud Mansium Suppl. Tom. 2. p. 1070, qui illud ex Meichelberkio hist. Frison. Tom. 2. par. 1. p. 27. exscripsit.

Quæ quum ita se habeant, mirari quammaxime subit, quanto in id, & quam pessimo ingenio Protestantes, aliique pseudo-Politici incubuerint, ut Ecclesiasticam tam libertatem, quam immunitatem impeterent. Quorum ego quidem satius habebo præcipua elidere momenta, quæ perquam diligenter, absque delectu tamen, & indigestim, ex omnibus decerpere, ut omnium veluti viribus hanc depugnasse causam viderentur, inque medium proferre cordi fuit utrique Coccejo, Henrico, & Samueli, Patri, & filio Disput. de fund. in Territ. jurisd. tit. 2, & in Addit. ad Grotii lib. 1. de Jure B., & P. cap. 3. §. 5, ac Jannono hist. Civil. Reg. Neapol. lib. 1. cap. ult. §. 6, lib. 2. cap. ult. §. 4, lib. 3. cap. ult. §. 6, lib. 4. cap. ult. §. 4. &c. Agendam itaque disputationem ingreditur Coccejus inprimis Jure Naturali, Divino, Gentium, Civili, & Canonico. Næ quanta facit uterque in intelligendo, confi-

conficiendoque, ut nihil demum intelligat, atque conficiat! Jure naturali itaque constare indubitate contendit summo sub Imperio Clericos contineri omnes omnino, (quo principii, fundamentique loco posito totam, immanemque perversæ opinionis suæ molem superstatuminare cogitat), ideo quod & generis humani membra sint æque, ac laici, & societatis Civilis pars, ideoque imperio pariter subjecti dato generi humano in singulos, inque socios, omnes a Societate Civili indiscriminatim exercendo. Divino jure deinde tam veteri, quam novo, sive Mosayco, & Evangelico potestati Civili obnoxios Clericos factos pugnat. Veteri quidem, quo tam Pontifices, quam Sacerdotes tam Moysis, & Judicum, quam Regum, & Ducum censuris, & animadversionibus subjacuisse inferre se putat ex Exodi cap. 32. v. 21, seq.; ex Levit. cap. 10. v. 6, 7, 16, seq.; ex Numer. cap. 12. v. 11; ex 1. Reg. cap. 22. v. 2; ex 2. Reg. cap. 15. v. 25; ex 1. Paralip. cap. 24 v. 3; ex 2. Paralip. cap. 11 v. 13; ex 2. Esdræ cap. 13. v. 4, 5, 28, seq. Quibus locis adjungendos non dubitat Josephum Antiq, lib. 15. capp. 3, & 12, ubi refert ab Herode summos etiam Pontifices creatos, ac pro libitu remotos, & Maimonidem, qui Præfecturam Sacrorum, potestatemque summam ad Reges pertinuisse diserte adfirmat apud Petrum Cunæum de Republ. Hebr. lib. 1. cap. 14, & Schikardum de jure Reg. Hebræor. cap. 1. theor. 2. Jure Divino quoque novo Clericos potestati Civili subesse contendit ex S. Paulo Rom. cap. 13. v. 1, seqq., 2. Corinth. cap. 1. v. 24, & ad Tit. cap 3. v. 1; nec non ex 1. S. Petri cap. 2. v. 13, seq., & cap. 5. v. 2, seq. Quæ is cohærere subjungit Canonem 27. *Si tributum*, & Can. 28. *Magnum* 11. Q. 1, ubi postquam assertum fuerat, magnum subjectionis documentum esse solutionem census, ex S. Ambrosio lib. 5. Orat. contra Auxent., & lib. 4. in Luc. cap. 5. subjungitur: *Si censum Dei filius solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum?* Jure Gentium perinde Cleticorum ἀναρχίαν prodigii instar inter gentes inauditi habendam decernit. Gentibus siquidem ubique persuasum fuisse præsidenrer adfirmat Sacerdotes sub potestate sæculari comprehendi. Ita Ægyptiis, a quibus Cives in Sacerdotes, Milites, & Operatios distinctos observat Bodinus de Repub. lib. 3. cap. 8. Ita Græcis, apud quos Sacra præscribi,

Sa-

Sacriſque præfici Sacerdotes a Magiſtratibus conſueviſſe vidit Jonſtonus de Feſtis Græcor. Ita Romanis, e quibus Pontificem M. a Numa primo delectum, Sacriſque admotum refert Livius lib. 1. cap. 20; litem quoque Pontificem M. inter, ac Flaminem Quirinalem de cauſsa Religionis exortam in Senatu coram Tiberio definitam teſtatur Tacitus Annal. lib. 3. Ita Germanis, apud quos Sacerdotio defungentes iidem inter Proceres habebantur, Senatuſque pars, atque Miniſtri ſilentii in Curiis injungendi cauſsa, teſte eodem Tacito de morib. German. cap. 2. Juri adhæc Civili adverſum clamat, ut, ſiquidem Sacerdotes, & Sacra pars ſint Juris publici, quod ad ſtatum Reipublicæ ſane pertinet, eodem immunes ſint, Inſt. *De Juſt. & Jure* §. ult., & L. 1. §. 2. ff. eod. Jungendas leges innumeras vult in prioribus 13. titulis lib. 1. Cod., & in Novellis quamplurimis legendas, quibus ab Imperatoribus ſæpe de Religione, de Eccleſiis, de Epiſcopis, de Clericis, de Hæreticis, de Bonis Eccleſ. &c. decretum eſt; inter quas conferendas præſertim jubet LL. 5, 7, 8, 11. Cod. *De Sacroſ. Eccleſ.*, LL. 2, 3, 6. Cod. *De Epiſcopis, & Cleric.*, L. 2. Cod. *De Præpoſ. Sac. Cubic.*, L. 3. Cod. *De Silent.*, Auth. *Item nulla* Cod *De Epiſcop., & Cler.* Adjungendas leges item imperat, queis Epiſcoporum, ac Clericorum forma præſcripta eſt Teſtamentis, Contractibus, Juribus, Officiis, adquiſitionibus, delictis, pœnis &c. LL. 13. 14, 15, ſeqq. Cod. *De Sacroſ. Eccleſiis*, LL. 7, 8, 9, ſeqq. Cod. *De Epiſcopis, & Cleric.*, & Auth. *Ibi ſubjectæ*. Accedere denique L. 33. §. 1. *De Epiſcop., & Cler.*, qua Epiſcopi, Clerici, & Monachi Urbis Regiæ Prætorio Præfecti judicio explicatiſſime ſubjugantur. Adſtipulari Caſſiodorum etiam autumat, a quo Variar. lib. 9. epiſt. 15, ſeq. Romani Pontificis a Gothis Regibus electio præſcripta refertur. Inſuper addenda jubet Regum Franc. Capitularia, quibus paſſim de Jure Eccleſiaſtico leges feruntur libris ſeptem a Leunclavio de Legib. Antiq. comprehenſæ. Jure Canonico denique nequidem a poteſtate ſæculari abſolutos Clericos audaciſſime pronuntiat, fretus Can. 3. *Valentinianus* diſt. 63, quem ex Theodoreto hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 6. decerptum adnotat, exindeque liquere ait Epiſcopi Mediolanenſis electioni ſe Imperatorem immiſcuiſſe; Can. 9. *Quia igitur*,

Can. 15. *Principali*, Can. 16. *Reatina Ecclesia*, Can. 17. *Nobis*, Can. 18. *Lectis*, Can. 21. *Agatho*, Can. 24. *Salonitanæ*, & Can. 25. *Cum longe* eadem dist. 63: quibus Episcoporum, & Clericorum Electiones, & Ordinationes, absque Principum nutu, fieri prohibentur Can. 41. *Sacerdotibus* 11. Q. 1, quo Imperatoris in Sacerdotes dominatio extenditur; Can. 45, *Si quis* ibid., quo Clerici proculdubio cum in Civilibus, tum in Criminalibus causis sæculari Judici subjiciuntur, Can. 27. *Si tributum*, & Can. 28. *Magnum* ibid., quibus tributum Regibus etiam a Clericis deberi dicitur. Jungit Concilii Turonensis sub Carolo M. an. 813. habiti decretum, quo Imperatori fides, & obedientia despondetur; Juramenti quin etiam formulam, juxta quam Regibus illud præstare Clericis etiam in more positum fuerat, quæque refertur a Lehmanno in Chron. Spirensi lib. 2. cap. 41, circa init., qui & ibid., ac lib. 3. cap. 24. plurimis absque delectu ex S. Gregorio Turon., Hincmaro, Baronio ipso, ac legibus Bavaricis, sub Imperatorum, ac Regum obsequio, & obedientia mansisse Clericos, ac permansisse diu ante, ac post Caroli M. ætatem suadere, & persuadere nititur. Ab Imperiali, Regiaque quoque potestate independentem Pontificiam ipsam qui adfirmarent, ditis fuisse devotos subjungit, in Imperio Germanico decreto solemni an. 1338, de quo idem Lehmannus in Chron. lib. 7 cap. 17; & Goldastus Tom. un. Imp. ad cit. an.; in Gallia a Philippo IV. Rege, de quo idem Lehmannus cap. 10; in Hispania a Carolo V, de quo Thuanus ad an. 1321; in Anglia demum ab Henrico VIII, de quo Jovius hist. lib. 35. Mitto cetera levioris, ac nullius momenti, quibus Coccejus uterque nititur, nec non Sciptorum quorumdam hac in parte auctoritatem parvi, floccique pendendam, veluti Petri de Ferrariis in pract. Pap. in forma libelli pro action. Confess. §. *Plenam*, quam oppugnatum videre licet a Rebuffo in Concord. Rubr. de *Protectione* p. 774, seqq., Nicolai Boerii Decis. 69. num. 2, seq., Abbatis Urspergensis in Chron. de gestis Philippi p. 235, Card. Mazarini apud Priolium de reb. Gallic. lib. 10. in fine, Matthæi Dresseri in Millen. 6. tit. de Martyr., & test. verit., aliorumque hujusce furfuris, subleſtissimæque fidei hominum, quorum nominibus paginam implere non opus est.

Ad

Ad hæc vero Cocceji adjuvanda mendacia, ac maledicta, præter Severinum de Monzambano, larvatum nempe Puffendorfium, lib. de ſtatu Imp. German. cap. 8, Pfaffium de Orig. jur. Eccleſ., Maſium in Intereſſe Principum Evangel., Thomaſium diſſert. de Juribus Princip. Evang., Henningium de ſum. Imperat. poteſt. circa Sacra, Bebelium diſſert. de beneficiis Magiſtratui polit. exhibitis, Rechenbergium diſputat. hiſt. polit., Fridericum Georgi in Gravaminibus contra Sedem Apoſtol., alioſque in id fruſtra incumbentes, ut bonis, eorumque juribus Eccleſiam exſpolient, ultrocitroque concurrere ex noſtris poſt Dupinium de Antiq. Eccl. Diſcip. diſſert. 7. §. ult., non erubuit Jannonus præſertim lib. 2. cap. ult. §. 4, & lib. 4. cap. ult. §. 4, quibus in locis, ut nihil interea de ejus retexam temeritate, qua lib. 1. cap. ult. §. 6, & lib. 4. cap. ult. §. 1. Forum Eccleſiæ abjudicat, qua lib. 2. cap. ult. §. 3, & lib. 3. cap. ult. §. 3, ſeqq., Eccleſiam laicali Foro ſubjugat, quave cum libris citat., tum lib. 5. cap. ult., & lib. 6. cap. ult. Eccleſiaſticas cauſſas fere omnes laicæ ſubjicit poteſtati, quæ intoleranda plane temeritas ſuo retundenda opportuno loco veniet, nonniſi Principum indulgentia bona temporalia adquirendi jure compotem Eccleſiam evaſiſſe contendit. Itaque hanc primum Eccleſiæ factam a Conſtantino M. facultatem an. 321. liquere dicit ex L. 4. Cod. Theod. *De Epiſcopis, & Cler.*, & L. 1. Cod. Juſtin. *De Sacroſ. Eccleſ.* Doceri idipſum ab Euſebio lib. 10. cap. 1, & de ejus vita lib. 2. cap. 20, a Socrate lib. 1, Sozomeno, Eutropio &c. Abuſibus, qui ex divitiis Clericorum exundare deinde undequaque cœperant, ut modum imponeret aliquem Valentinianus I, teſtamenta Viduarum, ac Virginum in favorem Eccleſiarum, ac Monaſteriorum facta irrita eum feciſſe LL. 20, & 21. Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. *De Epiſcop., & Cler*, quas deinde leges Theodoſius M. confirmare ſategerit L. 27. eod. Cod., & tit., & apud Sozomenum lib. 7. cap. 16. Quam tamen poſtea legem ab eodem Theodoſio L. 28. temperatam quoad immobilia, Eccleſiis, ac Monaſteriis res mobiles relinquendi poteſtatem faciente; abrogatam quin etiam demum penitus a Marciano, immobilia quoque relinqui permittente Novel. *De Teſtament.* Cl. ult. diſſiteri non audet. Ea vero de lege Valentiniani loqui ſubjungit

S. Ambroſium libello adverſ. relat. Symmachi, & S. Hieronymum epiſt. 2. ad Nepotianum, quin attamen uſurpati juris Imperatorem in culpam vocare in mentem eis venerit. Itaque hujuſmodi adquiſitionibus in dies augeſcentibus imponenda tandem fræna intellexiſſe ait Carolum M. apud Petrum Gregor. Tholoſanum de Republ. lib. 13. cap. 16, Eduardum I, & III, ac Henricum V. Angliæ Reges apud Polydorum Virgilium hiſt. Angl. lib. 13, S. Ludovicum Gall. Regem, de quo Joh. Faber ad L. *Quoties* Cod. *De Reivind.*, Philippum III, Philippum Pulcrum, Carolum V, Franciſcum I, Henricum II, Carolum IX, Henricum III, ac Senatum Pariſienſem apud Papponium lib. 1. Rapſod. Arr. 7. art. 5, Jacobum Regem Aragoniæ, de quo Petrus Beluga in ſpeculo Princip. rubr. 14, Regeſque Caſtiliæ, ac Portugalliæ apud Alphonſum Narbonam leg. 35. gl. 5, Molinæum de Contract. tit. 2. d. 140. lib. 2. tit. 8; ac in Regno Neapolitano Fridericum II. Conſt. *De rebus ſtabil. Eccleſ. non alien.* In Germania item, & Belgio apud Brantonem hiſt-Reform. lib. 1. cap. 1. p. 25, Antonium Matthæum Manud. ad Jus Canon. lib. 2. tit. 1, Bodinum de Republ. lib. 5. cap. 2, Venetiis etiam, ac Mediolani, qua de re Boſius de pœnis num. 43, Signorellus de homedeis conſ. 21, Statuta Mediol. tit. de pœnis. Ad hæc lib. 4. cap. ult. §. 4. poſtquam dixiſſet, Patrimoniorum, quæ in Romanæ Eccleſiæ jura tranſcripta fuerant, nomine Principatus non utique ipſos veniſſe ſupremo Principum dominio ſubjectos, ſubjungit Principibus ex prædiis illis tributa pendi conſueviſſe. Quod probare nititur Can. 27. *Si tributum* 11. q. 1, quem ex S. Ambroſio decerptum adnotatum jam ſuperius eſt. Exinde quoque, quod anno demum 681. a Conſtantino Pogonato exemptio primum indulta fuerit a tributis, quæ Romana Eccleſia ob Patrimonia Siciliæ, & Calabriæ pendere antea ſolebat, & a Juſtiniano Ritmeno an. 687. relaxata tributa fuerint, quæ ex Patrimoniis Aprutii, & Lucaniæ perſolvi ante debebant. Quæ Patrimonia demum Regio Fiſco a Leone Iſaurico an. 732. applicata ſunt, atque ærario publico auri talenta tria, & ſemis adferebant, Theophane teſte, qua etiam de re Petrus de Marca de Concord. lib. 3. cap. 11. num. 4, ex quo Jannonus profecit.

Verum enim vero quam elumbia, & labilia ſint iſta, quæ ſi-

ve a Coccejo, ſive a Jannono oggeruntur, atque magis ad fucum ignaris faciendum, quam veritatis aliqualem præferant ſpeciem, duo potiſſimum, quæ ſtatim fundamenti veluti loco ſtabilienda veniunt, ex quibus deinde cetera ſuapte fluant, evidenter oſtendunt. Principio igitur etſi jure Eccleſiaſtico dumtaxat Eccleſiaſticarum rerum immunitas daretur inducta, nec inde ſequeretur, ut eidem derogare laicæ Poteſtati fas eſſet. Eccleſia enim bonorum ſuorum ita dominam eſſe, ut de bonis eiſdem leges ſibi bene viſas libere ferre, a laicis vero in eorum damnum latas infringere queat, receptiſſimi nos docent Canones. Nempe Can. 1. *Lege* diſt. 10. ex S. Nicolai 1. epiſt. 32. ad Epiſcopos Synodi Silvanectenſis an. 863, qua Evangelicis, & Apoſtolicis nedum, ſed Canonicis etiam decretis Principum leges poſtponendas admonet. Can. 5. *Imperium*, juncto Can. 4. *Ubinam* eadem diſt. ex epiſtola 8. ejuſdem Pontificis ad Michaelem Imper., qua ipſum docet Imperium publicæ rei adminiſtratione contentum eſſe debere, non ad ea prorumpere, quæ Sacerdotum ſunt propria. Can. 1. *Bene quidem* diſt. 96. deſumpto ex Synodo Romana IV. ſub S. Symmacho, ubi Pontifex Baſilii Patricii, Odoacris Regis vices agentis, legem de Pontifice abſque Regis Italiæ ſuffragio haud eligendo, deque prædiis Eccleſiæ non alienandis, quam alioqui S. Simplicii monitu, & hortatu latam adfirmabat, omnino diſſolvit. Can. 11. *Si Imperator* ead. diſt., qui a Gratiano perperam Johanni VIII. adſcribitur, ſed potius ex Concilii Moguntini an. 888 Can. 2, & 3. conflatus videtur, ubi Imperatores, Regeſque de officio Eccleſiæ præſtando, deque obedientia ejus præceptis impendenda ſerio admonentur. Can. 98. *Imperatores* 11. q. 3. ex S. Auguſtino in epiſt. olim 105, nunc 166. deſcripto, ubi S. Doctor Principum leges contra Dei, & Eccleſiæ leges haud obligare demonſtrat. Cap. 7. *Quæ Eccleſiarum*, & Cap. 10. *Eccleſia S. Mariæ* Decret. lib. 1. tit. 2. de Conſtitut., quibus Innocentius III. laicarum Poteſtatum leges Eccleſiaſticæ immunitati, libertatique infeſtas infringendi facultatem Eccleſiæ adſtruit. Cap. 2. *Sicut in judiciis* Decret. lib. 5. tit. 33. de Privileg., quo Alexander III. laicorum Principum legibus, quæ in Eccleſiæ præjudicium vergerent, ſibi obſiſtendum, roburque adimendum omne proponis,

nit, junctis ibidem Gloſſis, & Interpretibus. Sed enim Divino ſiquidem jure Eccleſiaſtica immunitas, & libertas ſuffulta ſit, inde ſequitur ſane, ut vel Principum legibus eadem libertas, & immunitas inſtitutionem non utique, ſed uſum dumtaxat, & exercitium acceperit, velut indicat ipſemet Juſtinianus L. *Sancimus* 22. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Sicubi vero legibus imminui libertatem, immunitatemque contingeret, velut Auth. *Nullus* eod. Cod., & tit., eæ continuo irritæ, nulliuſque omnino roboris evadant; qua de re ſeq. Art. 5. Hinc inſtante S. Hilario Pictav. apud Baronium ad an. 355. num. 83. Conſtantius Imp. Edicto ad Severum dato L. 12. *de Epiſcopis, & Cler.* Cod. Theod. querelas adverſus Epiſcopos ad Laicos Judices deferri, prohibuit, Edictoque altero ad S. Felicem II. L. 14. eod. Cod., & tit. a Baronio recenſito ad an. 357. n. 68. Clericos exactionibus improbe fatigari interdixit. Vel ut latæ a Principibus leges illæ ita demum accipi debeant, ut non favendo imperio, ſed obſequio famulando Eccleſiæ præceptis conditæ fuerint, veluti dicitur Can. 7. *Si in adjutorium* diſt. 10. ex S. Auguſtino lib. 2. contra litter. Petiliani decerpto; Cap. 1. *Intelleximus* Decret. lib. 5. tit. 32. de Novi Oper. nunciat, & Cap. 28. *Super Specula* ibid. tit. 33. de Privileg., ac docent Honorius III. Conſt. 1. *Has leges* §. 1, & Bonifacius VIII. Cap. 18. *Ut inquiſitionis* in 6. lib. 5. tit. 2. de Hæret., obſervantque tria illa S. R. Eccleſiæ lumina Card. Baronius ad an. 528. num. 5, & 535. n. 34. de Juſtiniani legibus agens, Bellarminus de Pontif. poteſt. cap. 34, & Petra ad Honorii III. cit. Conſtit. I. n. 19. To. 2. Nam alioqui multa oppido in utroque Codice Theod., & Juſtin. tit. maxime de Sum. Trinit. Leges habentur fidei dogmata reſpicientes; ad quæ tamen ſtabilienda laicam extendi poteſtatem, niſi deſipiens, adfirmaverit nemo. Vel demum ut leges illæ conditæ intelligantur ad jus Divinum, & Canonicum de Eccleſiaſtica libertate, immunitateque ſartum, tectumque toto in Imperio ſervandum, velut obſervat Gloſſa in Can. 11. *Si Imperator* Diſt. 96, cui adſtipulantur Johannes de Turrecremata in Can. 2. *Sacroſancta* num. 8. diſt. 22, Maynardus de privileg. Eccl. lib. 1. art. 5, Belletus diſquiſ. Clerical. par. 1. de favor. Cler. §. 1. num. 25, aliique paullo ſupra laudati.

vii. Post hæc tandem omnia, neque præfracte Ecclesia impedimento fuit, quominus a Regibus jus retineretur tributa repetendi ab iis, qui prædiis donassent Ecclesias, quin etiam ab Ecclesiis, quæ eo sub vinculo prædia ejusmodi proprium in jus transcripsissent, quibus alioqui cogrua ad vitæ sustentationem non deessent: quo de jure late Thomassinus vet., & nov. Discipl. par. 3. lib. 1. capp. 33, 36, seq. Neque magis prohibuit, quo minus, suo ex consensu tamen, ac Pontificis quammaxime prævio, tributa quandoque, belli occasione, Ecclesiis quoque indicerentur, qua de re Thomassinus ibid. cap. 37. Quominus, ex tolerantia quadam, sive consensu, implicito saltem, suo, Ecclesiis, ac Monasteriis donaria quædam vel statis temporibus, vel annuatim Regibus publicas in necessitates impenderentur: quibus tamen ab oneribus Cœnobia pleraque libera erant; quæque in onera ferme transierant immunitates a Metatus, ac Militiæ legibus, de quibus plura Thomassinus capp 38, 39, 40, & 48, ac Muratorius Antiq. Ital. dissertat 70. Quominus denique ad expensas belli Sacri, aliarumque Ecclesiæ necessitatum, ex Episcoporum, ac Pontificum quammaxime consensu, Decimæ persæpe Ecclesiis, ac Monasteriis indicerentur, qua de re fuse idem Cl. Thomassinus capp. 41, 43, seq. Quibus loco positis, jam prona, facilisque ad Cocceii, & Jannoni objecta fluit responsio.

Itaque falsum imprimis Coccejus adsumit contendendo Jure Naturali Clericos summo Imperio subjacere. De Jure naturali sane loquebatur Christus D. Matth 17. 25, seq. Petrum interrogans: *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, a Filiis, an ab alienis?* &c.; deque naturali Jure diserens intelligi, capique S. Paulus cupiebat 1. Corinthios 9. 7, seq. alloquens: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Scilicet & ad Jus naturæ spectat, ut nobilior Reipublicæ pars, Divinis nempe deputata ministeriis, inferioris gradus sociorum non utique arbitrio subjugetur, sed eis potius imperio superstet, non leges ab eis accipiat, sed magis indicat, non eis tributa persolvat, sed imo repetat. Quam vero inconsiderate, contraque semet facit Coccejus ad Divinum jus provocando, quo plane sibi jugu-

jugulum petere non intelligit? Divino siquidem utroque jure, tam veteri, quam novo Sacerdotales sive personas, sive possessiones laica potestate liberas prorsus, inque tuto positas abunde, opinor, demonstratum jam est, quin ulterius demonstrare sit opus. Enim vero in Lege veteri supra Judæorum vulgus elevatis Sacerdotibus, ac Levitis nihil amplius in eos juris Regibus reliqui a Deo factum liquidissima Scripturæ loca testantur. Quare sicubi quædam circa Sacerdotes, eorumque Sacra a Ducibus, aut a Regibus commissa narrentur, eadem gesta utique intelligenda esse dicebamus, aut potestate extraordinaria, speciatim a Deo demandata, ideoque potiusquam ab ipsis Ducibus, ac Regibus profecta intelligi debere ab iis, tamquam a Prophetis: quæ locum passim habent in Moyse, Josve, Samuele, Davide, Salomone, de quo Theodoretus in 3. Reg. q. 9, in Josaphato, Nehemia, Esdra &c., velut appositè observat Zanolinus de Festis, & Sectis Judæor. disput. 1. cap. 7. Quædam vero gesta ordinaria potestate, tanquam vere a Principibus, sub uno tamen Religionis defendendæ, custodiendæque Legis respectu: quo Regiam principaliter inductam potestatem ignorat nemo, qui in lectione SS. Scripturarum, & SS. Patrum hospes omnino non sit. Quædam denique præter jus, fasque perperam gesta, quemadmodum a Saule, ab Ozia, de quibus S. Ignatius in epist. ad Magnes. cap. 3. ex interpol., & Auctor Const. Apostol. lib. 6. cap. 1, & ab Herode, cui plane Sacerdotio Pontificem M. abigere non licuisse cit. loco diserte Josephus affirmat, qui nempe Sacris negotiis se præter quam liceret, & plusquam liceret, implicare non abstinuerunt. Sed de his fusius, non secus atque de Rabbinorum traditionibus Art. 1. Confer interea Exodi cap. 22. v. 28, seq., ubi Sacerdotes & Deos, & Populi Principes appellari, eisdemque & reverentiam, & sustentationem deberi dubitare non sinunt, qui locum ita sunt interpretati S. Paulus Actor. cap. 23. v. 5, S. Cyprianus lib. 4 epist. 9. edit. Erasmi, ad Pupianum, edit. Pamel. 69, Felli 66, S. Joh. Chrysostomus in Psal. 137, Theodoretus in Daniel. cap. 2, & in Psal. 135, Hesychius in Levit. lib. 1. cap. 4, Antiochus Monach. hom. 124, quæ est de venerat. Sacerdot., S. Gregorius M. lib. 4. epist. 31. ad Mauritium, S. Nicolaus I. epist. 8. ad Michaelem Imper. &c. Confer

&

& Numer. cap. 27. v. 18, ſeqq., ubi Dei juſsu Dux Populi conſtitutus Joſve coram Eleazaro Pontifice, huic obaudire, agendaque ad hujus imperium exigere jubetur: atque viden, ut locum in rem profecto noſtram interpretentur S. Hieronymus, Theodoretus quæſt. in Joſve, Procopius, Rabanus, Oleaſter &c. Item Deuter. cap. 17. v. 8, ſeqq., & cap. 21. v. 5, ſeq., ubi in difficilibus, & ambiguis Sacerdotum judicio ſtandum omnino, negotiumque omne eorumdem definiendum ſententia decernitur: qua profecto ratione locum accipiendum docent Septuaginta, Chaldæuſque Interpretes, Pagninus, Oleaſter, Vatablus &c., reque ipſa accepere Joſephus Antiq. lib. 4. cap. 8, S. Cyprianus lib. 3. epiſt. 9. edit. Eraſmi ad Rogatianum, Pamel. 65, Felli 3, epiſt. 11. lib. 1. Eraſ. ad Pomponium, Pamel. 62, Fell. 4, epiſt. 8. lib. 1. Eraſ. ad Plebem, Pamel. 40, Fell. 43, epiſt. 3. lib. 1. Eraſ. ad S. Cornelium, Pamel. 55, Fell. 59, ac epiſt. 9. lib. 4. edit. Eraſm. ad Pupianum, edit. Pamel. 69, Felli 66, S. Baſilius in procem. lib. de morib., S. Hieronymus in Aggæi cap. 2, S. Cyrillus Alex. lib. 13. de adorat. in ſpir., & verit., Procopius, Rabanus &c. in eumd. locum, Synodi Pariſienſis ſub Ludovico & Lothario in præfat., Aquiſ. granenſis ſub Ludovico Pio Can. 97, Germanica ſub Conrado Honorii III. Legato cap. 6, Lateranenſis ſub Leone X. ſeſſ. 11, Senonenſis Decret. 3, & 6, Innocentius III. Cap. *Solitæ* de Major., & Obed., Hadrianus VI. in Conſtit. adv. Lutherum, Petrus Bertrandus de Orig., & uſu poteſt. Eccleſ., aliique. Junge Malach. cap. 2. v. 6, ſeq., ubi Sacerdotum præſcripto agenda omnia vel a Principibus fore mandantur, atque Patres ita locum appoſite de poteſtate Sacerdotum ſumma interpretantes, Auctorem Hierar. Eccleſ. ſub nomine S. Dionyſii Areop cap. 12, S. Hieronymum in Ezech. cap. 44, S. Cyrillum Alex. lib. 13. de adorat., Theodoretum in hunc loc, Heſychium lib. 1. in Levit. cap. 4, Procopium in Gen. cap. 49, Rabanum in Deuter. cap. 17, S. Bernardum de præcept., & diſpen., Epiſcopos Synodi Pariſienſis ſub Ludovico in præfat., & Meldenſis ſub Carolo Jun. in præfat., S. Gregorium M. in præcit. epiſt. ad Mauritium, & S. Nicolaum I. in prælaud. epiſt. ad Michaelem Imp., &c. Tam vero ad faſtigium longe ſuperius a Chriſto D. elevatum Sacerdotium Chriſtianum eſt, quam præ Ju-

daica longe propius ad Divinam Sacerdotalis Christiana dignitas adcessit: ut propterea in veteri Lege Imperio etsi Sacerdotium aut fuisset conjunctum, aut fuisset inferius, sub Evangelio tamen quin utraque dignitas gradibus, & officiis fuerit discreta, ac super Imperialem Sacerdotalis advecta, liquida novi Testamenti loca dubitare non sinunt a nobis laudata. Siniſtrum ergo in sensum eadem inique a Calvino intorquere Coccejus didicit, cui mirum, ut in hac parte manus ultrocitroque dederint Richerius, Duarenus &c. Locus S.Pauli ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, contrarium imo probat, nempe Spirituali potestati, quæ plane Civili longe superior est, omnem prorsus Animam subjectam esse, ideoque Principes ipsos, oportere, velut observant Primasius, Sedulius, S.Bernardus &c. Cui plane consentaneus est locus alter Hebr. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris &c.*; cum quo proinde ne pugnet locus S.Petri epist. 1. cap 2. v. 13. *Subjecti estote omni humanæ Creaturæ &c.*, ipsiusque S. Pauli locus alter epist. ad Tit. cap. 3. v. 1. *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse &c.*, de Laicis accipi debet Principum legibus obligatis, non etiam de Clericis Ordinis Sacramento supra Laicos cujuslibet gradus dignitate sublimatis, veluti cum S. Thoma docent Theologi lib. 4. Sent. disput. 24. q. 1. art. 2. Eòdem vero conspirat textus S. Pauli 2. ad Corinth. cap. 1. v. 24. *Non quia dominamur &c.*, quò spectat & textus S.Petri 1. cap. 5. v. 3. *Neque ut dominantes in Cleris &c.* Nempe μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες, *Supradominantes* ne sint Episcopi, sive propria immodice potestate utantur, sive abutantur, ut moris Regum est, Christo D. dicente: *Reges gentium dominantur eorum &c.*, qui scilicet dominationi superbiam, fastum, severitatem adjungere solent, ut adverterunt Origenes tract. 31. in Matth., S. Gregorius Nazian. Orat. 2, Procopius, Œcumenius in hunc loc., & Grotius ibid. *Sed forma facti gregis &c.*, idest ut Titum admonebat S. Paulus cap. 2. v. 7. *In omnibus te ipsum præbe exemplum &c.*, Timotheum etiam 1. cap. 4. v. 12. *Exemplum esto fidelium &c.*, seque ipsum proponebat exemplum Thessalonicensibus 1. cap. 1. v. 6, ac 2. cap. 3. v. 7, & Philippens. cap. 4. v. 9. Cæterum antecedentibus verbis illis: *Pascite, qui in vobis est, gregem &c.*

tan-

tantum abeſt, ut poteſtas juriſdictionis, qua pollet Eccleſia, infringatur, ut potius confirmetur magis, uti ſeq. Art. in apertum fiet. Viden interea, ut argumentum iſtud egregie adverſus Calvinum jamdudum abſolverit, Patrumque teſtimoniis præclare exornaverit Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 9. Mihi heic ſane videor par Apoſtolorum Principum verbis illis pulcherrimam regiminis Chriſti D. imaginem exprimere voluiſſe, imitandamque Epiſcopis proponere. Nempe Chriſtus D. Regnum quidem ſuum de hoc Mundo non eſſe dixit Johan. 18 v. 36, qui tamen ſe Regem utique non negavit; Pilato quippe interroganti: *Rex es Tu?* incunctanter reſpondit: *Tu dicis*, velut adnotarunt Tertullianus adv. Marc. lib. 4, cap. 41, & S. Hilarius in Pſal. 2. n. 24, ſeqq. Quid igitur ſibi voluit Regem ſe proferendo, Regnum vero a ſe projiciendo? Mundi nomine heic venire malos, qui Mundo inhærent, Regni vero de Mundo regiminis formam deſignari tumoris, faſtuſque plenam intelligere oportet; cujuſmodi ſuam ideo non eſſe regendi rationem, nec ſuum inter hos eſſe Regnum Chriſtus D. ait, velut explicant S. Joh. Chryſoſtomus, & S. Auguſtinus in Johan., S. Cyrillus lib. 12. in Joh. cap. 10, ſeq., Theophylactus, Euthymius, & V. Beda in hunc loc., Arnoldus Carnot. Abb. Bonævallis de Jejun., & tent. Chriſti inter Opera S. Cypriani edit. Felli p. 72, Alexander Alenſis part. 2. q. 1. memb. 2. art. 2, S. Thomas in hunc loc., S. Bonaventura lib. 2. diſt. 1. par. 1. art. 2, queis adſtipulari Grotius non ambigit in Joh. 18. v. 36. Fruſtra vero patrocinium errori ſuo quærit Coccejus ex S. Ambroſio ſerm. contra Auxent., ex quo decerptus eſt Canon 27. *Si tributum*, & lib. 4. in cap. 5. Lucæ v. 3, ſeq., ex quo deſcriptus eſt Canon. 28. *Magnum quidem* 11. Q. 1. Priori enim loco loquitur S. Doctor de Evangelica moderatione, qua Eccleſia Imperatori tributa repetenti, non quidem donando obſequitur, ſed non obſiſtendo non negat. Secundo vero loco recte ex Chriſti D. cenſum ſolventis exemplo argumentum cum obſequii Principibus dependendi, tum tributi perſolvendi S. Doctor trahit. Quin tamen eodem ex Chriſti D. facto ſequatur debitum ita faciendi: quippe offenſionis dumtaxat vitandæ gratia, non obligationis cujuſpiam ſpecie aliqua, qua teneretur, ita feciſſe Chriſtum D., ab eoque Cæſari vectigal

redditum fuisse SS. Patrum concordi sententia paullo superius est demonstratum.

Juri gentium vero, quod tertio urget loco Coccejus, obstat potius, atque repugnat Sæculari potestati Sacerdotum subjectio. Ethnicis enim vero arcte insinuatum, sublimiori veluti fastigio positos suspiciendos fore Sacerdotes, cum pleraque a nobis producta documenta, tum ea ipsa, quæ a Coccejo ipso prolata sunt, abunde planum faciunt. Quamquam fateor, apud Ethnicos qui Reipublicæ summam administrarent, eisdem usu plerumque venisse, ut Sacris Religionis se passim immiscerent, Sacerdotes designando, Officia impartiendo, Festa ordinando, Sacrificia præscribendo &c. At præterquamquod facta hujusmodi ex falso Sacerdotio, ex hominum instituto, ac superstitione derivato, deducta Christiano Sacerdotio, Divina procul dubio institutione subnixo, officere nequeunt, cunctis est scitum apud Ethnicos passim eosdem Pontifices agere consuevisse, qui Principes, tamque rei Sacræ apud ipsos summam, quam rei Civilis stetisse. Quo vero pacto accipi probe de rebus Ecclesiasticis latæ quandoque a Principibus leges tam possint, quam debeant, plus vice simplici, abundeque explicatum est. Siqua vero adversa cum Ecclesiasticis fronte pugnarint, eisdem a potestate Ecclesiastica vim prorsus omnem confestim ademptam seq. Artic. 5. fiet evidens. Ex quo patet inutili desudasse opera Vandalæum, dum differt. 2. de Pontif. M. cap. 1, seq. ex legibus circa Sacra hinc illinc ab Imperatoribus qua Ethnicis, qua Christianis editis pari utrosque Pontificatus M. jure, quod errore pejori cum Imperatorio conjunctum putat, ad Gratianum usque potitos arguere instituit. Periisse deinde Coccejo frontem oportet, ut quem Jus Canonicum nobis objicere non depuduit, in quo sane nihil Ecclesiastica libertate, immunitateque usitatius, exploratius, ac tritius. Paucis interea, siqua objectis Canonibus difficultatis inesse videatur species, expedienda est, ne illam declinasse, aut majorem cubare, quam sit revera, quis cogitare possit. Porro in Can. 3. *Valentinianus* nihil vel leve latet, quo non sibi potius, qui in illo fidit, recta jugulum petat. Ex Cassiodoro hist. tripar. lib. 7. cap. 8, ex quo fuit depromptus, & ex Nicephoro hist. Eccl. lib. 11. cap. 32, a quo eadem ferme describuntur, illustran-

ſtrandus eſt Canon. Narrant igitur de Valentiniano Imp., quod Auxentio Mediol. Pſeudo-Epiſcopo defuncto, evocatis ille Epiſcopis, deque qualitate eligendi Metropolitæ admonitis, ſic eoſdem affatus eſt: *Talem itaque in Pontificali conſtituite Sede, cui & Nos, qui gubernamus Imperium, ſincere noſtra capita ſubmittamus, & ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, neceſſario veluti curantis medicamenta ſuſcipiamus.* Quid vero, rogo, in his non religioſiſſimi Principis rectiſſime ad obediendum Epiſcopo comparati, & ab Epiſcopalibus invadendis electionibus remotiſſimi? A Synodo quidem rogatus legitur, ut electum ipſe deſignaret, non utique ex poteſtate, ſed ſingulari ex ſapientia, & pietate: *Sapiens, & pius exiſtens.* Quid tamen? *Supra nos eſt*, reſpondit, talis electio. Tantum igitur abeſt, ut electioni ſe implicare voluerit, ut eam potius ſuæ poteſtatis extra limites poſitam faſſus religioſe, ac profeſſus fuerit. Probatiſſimi denique Principis digna ea vox, qua S. Ambroſium electum affatus: *Feſtina*, inquit, *ſanare, ſicut Divina lege præcipitur, animarum noſtrarum delicta.* Perditiſſimæ itaque cauſſæ, profligatæque certum indicium eſt, iſtiuſmodi documenta in adverſum inflectere ſenſum. Brevior ero in ceteris objectis explicandis Canonibus. Canonis 9. *Quia igitur* ex S. Gregorio M. lib. 4 epiſt. 8. olim, nunc lib. 2. epiſt. 23. ad Johannem primæ Juſtinianæ Præſulem deſumpti ea vis eſt, ut eo magis ipſius electio ab Epiſcopis Provinciæ peracta Pontifici evaſerit probata, quod eidem Imperatoris etiam vota ſuffragata ſint. Quibus ſane facere ſatis non eſt Sacerdotium Imperio ſubjugari, ſed Imperium cum Sacerdotio pro Religionis, ac Reipublicæ pace, bonoque recte componere. Canone 15. *Principali*, decerpto ex Pelagii I. epiſtola ad Laurentium Epiſcop. Centumcellenſem, Milites quidam ordinari permittuntur, qui Principis ſui Sacra exhibita, ſe Militia prorſus ſolutos probabant. Ita ſiquidem tum ferebat Eccleſiaſticæ Diſciplinæ lex, ne Militiæ adſtricti ad Eccleſiaſticos gradus admoverentur, niſi prius illa ſoluti legitime fuiſſent. Non eò ſpectabat igitur laica poteſtas; ut Militum ordinationi ſemet implicaret, ſed ut a Militia illos abſolveret. Canones 16. *Reatinæ*, ac 17. *Nobis*, inter ſe plane jungendi, in quibus etiam vim quammaximam facit D. Vertot in diſſert.

Gal-

Gallice adornata de Nominatione ad Episcopatus, aliasque Dignitates Eccles. in Gallia, exinde Franc. Regum jus nominandi ad Episcopatus in Regno vacantes indubium evadere contendens, Doctiss. Berardi dubiæ admodum fidei visi sunt, tum qua Gratiani testimonium neque satis firmum haberi possit, tum qua sibi invicem probe cohærere nequeant. Canon 16. enim vero a Gratiano tribuitur S. Leoni IV. in epist. ad Lotharium, & Ludovicum Augustos, quam etiam Ughellus exhibet Tom. 1. p. 108, Canon 17. vero eidem Pontifici adscribitur in epist. ad Ritam Comitissam, seu Ittam, veluti legendam Canonis inscriptionem mavult Pithœus in adnot. ad Gratian. Utroque vero Canone eadem de re sermo instituitur, nempe de Coloni, sive Colonis, ut magis legendum suadet ejus subscriptio in Synodis Romanis sub S. Leone IV. an. 853, & sub S. Nicolao I. an. 861, in Reatinum Episcopum electione. Can. 16. iterum S. Leo petens ab Augustis inducitur, ut Colo Reatinæ Ecclesiæ admoveatur. Contra in Can. 17. ad preces Imperatoris, & Imperatricis a Pontifice Reatinus ordinatus Episcopus Colo refertur. Præterea in Can. 16. Colonis in Episcopum designatio ab Augustis expectata dignoscitur. At in Can. 17. non a Ludovico, & Lothario, sed ab Imperatore, & Imperatrice Colonis ordinatio proposita, & sollicitata dicitur. Ut sit tamen de utriusque Canonis veritate, id unum inde eruitur, & evincitur Principes quidem, Romanis Pontificibus aut indulgentibus, uti sequiori demum ætate factum scimus, aut pro temporum iniquitate, tristitiaque tolerantibus, Episcopos designandi, seu eorumdem electioni adnuendi partem, sive facultatem sibi fecisse, quomodo factum legitur a Carolo Crasso in præcepto, quod pro Ecclesia Cabilonensi edidit, inque lucem prodidit Sirmondus, ad an. 885, ac post ipsum Harduinus Tom. 6. par. 1. p. 375, seq., non eligendi tamen, quod Ecclesiastici juris fuisse semper, atque ita quidem, ut ad Episcopi electionem tria ista concurrerent, Episcoporum auctoritas, Cleri vota, Populique testimonia, atque postrema hæc quidem usque ad Sæculum VI. indubium evadit ex SS. Patrum sententia, Conciliorum decretis, ac Pontificum sanctionibus, de quibus fuse præ aliis Thomassinus vet., & nov. Discipl. par. 2. lib. 2. cap. 19, seqq. Qua perinde ratione facile datur

tur aſsequi ſenſus Can. 18. *Lectis* ead. diſt. 63. ex epiſtola Stephani V. ad Guidonem Comitem deſumpti, cujuſque fragmentum nobis ſervavit Gratianus, quo electi Reatini Epiſcopi ordinationem prudens differt Pontifex, donec de Imperatoris conſenſu ſibi conſtaret. Canone 21. *Agatho* ex libro Pontif. a Gratiano deſcrito, quo S. Agatho fertur a Conſtantino Pogonato impetraſſe, ut nullum impoſterum a Pontifice electo tributum, quod antea Gothis Regibus impendere cogebantur, Græcis Imperatoribus perſolveretur, ita tamen, ut Pontificis electio Imperatoris ſuffragio confirmaretur, Eccleſiaſtico juri nihil derogatum eſt, Imperatoribus ſiquidem hæc juris particula acceſſerit ex Pontificum indulgentia, ſapientique providentia ad evertenda ſchiſmata, quæ cieri paſſim ſolebant, veluti Carolo M. a Leone III, teſte Alcuino piſt. 84. apud Ducheſnium hiſt. Franc. Script. Tom. 2. p. 686, Lothario a Paſchali I, Suppl. hiſt. Pauli Diac. ad an. 823. apud Ducheſnium Tom. 2. cit., ab Eugenio II, de quo Pagius Jun., a Johanne IX. in Synodo Romana an. 897, juxta Pagium, Can. 10, a Johanne XII, & a Benedicto VIII, de quibus Garampius de Num. Arg. Benedicti III. cap. 4. p. 96, ſeqq., uſque ad S. Gregorium VII. morem hunc perduraſse ſentiens, ut Pontificis nempe electioni Imperatoris Miſſi intereſsent; non ita tamen, quin paſſim interrumperetur: quo diſcrimine poſtea ſubmoto, Pontificis electio ad priſtinum jus rediit, a Pontificibus redintegratum, Imperatoribus quoque eodem ſe jure abdicantibus, veluti de Conſtantino Pogonato auctor eſt Anaſtaſius in vita Benedicti II, de Ludovico Pio liquet ex Can. 30. *Ego Ludovicus*, ex hujus Diplomate excerpto, (quod plane Diploma a conatibus Blanci, Pagii, Baretti in Chorographia Script. rer. Ital. Tom. 10. p. 36, Muratorii, expoſit. plen. p. 82, ſeqq., & in Annal. an. 962, 1014, 1023, &c., Caroli Molinæi item, Goldaſti, Mornæi, Wolphii, Barbeyracii, Walchii, Pfeffingeri ad Vitriar. Tom. 1. p. 54, ſeq., Heumanni de Re Diplom. Tom. 1. p. 260, ſeq., quibus in errore præiverant Flaccus Illyricus, Joh. Schilterus, Hermannus Conrigius, Struvius &c., qui ſpuriis illud adcenſendum contendunt, egregie vindicant, ac legitimum habuere Hottomannus quæſt. illuſt. Tom. 1. 2. p. 846, & Grotius de Jure B., & P. lib. 1. cap. 3. §. 13, oſten-

oſtendunt vero Remundus Rufus lib. in Molinæum prō Pontifice M. &c., Carolus Cointius Annal. Tom. 7. ad an. 817. §. 6, Gretzerus in Apologia Baronii p. 340, & in defenſ. adv. Goldaſtum p. 203, Fontaninus de Dominio Sedis Apoſtol. in Comaclum p. 142, ſeqq., & in defenſ. 2. ejuſdem Dominii p. 83, ſeqq., Pichler hiſt. Imperat. tract. 2. par. 1. cap. 5. §. 50, ſeqq., Sandinus diſſert., ac Cennius in Examine hujuſce Diplomatis ad calcem diſſert. Emin. Orſii de Orig. Domin., & ſuprematiæ Rom. Pontif.); de Carolo Calvo refert Auctor Append. Eutropianæ, Apoſtolicæ Sedi alioquin infenſus, de quo Gretzerus in Myſſa Salmur. cap. 35. p. 274, & Fontaninus diſſert. hiſt. §. 121. p. 53, & in defenſ. 2. §. 18. p. 70, apud Goldaſtum Monar. Tom. 1. p. 8, cui Auctori fidem haud adhibendam fruſtra ideo cenſet Hennannus Tom. 1. cap. 6. §. 138. n. 1. p. 368, nec inficias ivit Petrus de Marca de Conc. lib. 3. cap. 11; de Othone I. fit manifeſtum ex Can. 32. *Conſtitutio*, & Can. 33. *Tibi Domino* ead. Diſt. 63. ex Diplomate hujus Imperatoris decerptis; de S. Henrico I. adparet ex ejus ſimili Diplomate, de quo, non ſecus ac de Othoniano conſulendi præf. Fontaninus de Domin. p 269, ſeq., & in Defenſ. 2. p. 100, ſeqq., Cennius de Diplom. Ludovici Pii par. 3, ac Berardi in Grat. emend. Tom. 3. par. 2. cap. 71, nobiſque proprio redibit loco ſermo. Canone 24. *Salonitanæ*, Mauritii Imper. gratia, cujus juſſu Maximus ei præfectus Eccleſiæ fuerat, ejuſdem Maximi ordinationem tolerandam duxit quidem S. Gregorius M. lib. 4. epiſt. 34, apud Maurinos lib. 5. epiſt. 21. ad Conſtantinam Auguſtam, ita tamen, ut diſtrictionem in eumdem exercere non abſtinuerit, dolereque quammaxime, quod apud Sæculares Judices refugium ille quæſiviſſet. Quò ſpectat etiam Canon 6. *Si Epiſcoporum* 21. Q. 5. ex eadem decerptus epiſtola. Canone 25. *Cum longe* ead. Diſt. 63, qui eſt Canon 6. Concilii Toletani XII. an. 681, in Epiſcoporum electione Regis quidem deſideratur adſenſus, Epiſcopos attamen eligendi in Provincia qualibet poteſtas Toletano Præſuli ampla tribuitur. Canone 41. *Sacerdotibus* 11. Q. 1. manifeſte Coccejus in ſui ipſius perniciem abutitur: eo quippe loci, qui ex lib. 4. epiſt. 31, edit. Maurin. lib. 5. epiſt. 40. ad Mauritium Imp. exſcriptus eſt, S. Gregorius M., graviſſimis cum ex Divinis eloquiis, tum

tum ex Gentilium exemplis propoſitis verbis, Imperatorem admonet de Sacerdotibus impendenda reverentia, non contumelia afficiendis. Canonem 45. *Si quis* ex Novella 77. Juſtin., ſive Novel. 83. depromptum parum admodum moror, jure ſiquidem Eccleſiaſtico reformatum eum oſtendi, qua de re fuſius infra. Quæ denique Canoni 27. *Si tributum*, & Can. 28. *Magnum* vera inſit ſententia, jam pacate, matureque ſuperius expenſum eſt. Ad additum ex Concilio Turonenſi III. ſub Carolo M. Can. 1. reſpondeo, nihil eo magis Evangelicæ legi, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ convenientius, & aptius, quam Epiſcopos de procul eliminandis in Principes conjurationibus, de obſervantia, fideque ipſis conſervanda, atque de obligatione erga ipſos, ob feuda, fundoſque Eccleſiæ collatos, retinenda eſſe ſollicitos. Ita nempe, ut jam ſuperius innui, mutuis ſe ſe fovere auxiliis, munireque Sacerdotium, & Imperium debent, adeo ut Canonibus illæſam Principum dignitatem jubeat Eccleſia, viciſſimque legibus ſuam Eccleſiæ Majeſtatem Principes integram ſervent. Omnem poſtremo exuiſſe pudorem oportet, Schiſmaticorum in medium proferendo decreta, quibus Pontificia impie abdicata poteſtas eſt, cujuſmodi eſt illud, quo Ludovicus Bavarus in Conventu Francofordienſi Imperatorem electum Apoſtolicæ Sedis adprobatione pro Imperio adminiſtrando non indigere nefarie declaravit: quod ſane decretum acriter exagitavit Auguſtinus Triumphus q. 39. art. 1, abrogavit vero Benedictus XII. apud Raynaldum ad an. 1338. n. 13. Philippo IV. Gall. Regi graviſſimæ quidem cum Bonifacio VIII. contentiones, ſimultateſque fuere, adeo ut nec ei quidquam in temporalia juris in Gallia reliquum eſſe juſſerit, ejuſdem imo a ſententia ad Concilium provocatio fuerit interjecta, eique crimen quin etiam hæreſis objectum, queis de rebus adeundus Raynaldus ad an. præſertim 1302. n. 11, ſeqq., ac 1303. n. 35, ſeqq.; tam falſo tamen, quam inique Pontificiam in Gallia poteſtatem ejuratam, diriſque fuiſſe devotam Coccejus comminiſcitur. Commenta ſimiliter, & calumnias puras, putaſque, quibus Caroli V. religionem aſpergere nefarie non temperat, patienti, æquaque quis ferat aure? Ingenti ei quidem flagitio jure vertitur, quod Clementem VII. indigne tractaverit, ac fœde calamitatibus afflixerit,

eò etiam progressus audaciæ, ut ad Concilium provocare non exhorruerit. Verum de rebus mere Civilibus ei cum Pontifice jurgia intercessisse, in rebus vero Christianis a religione profecto erga Pontificem ne latum unquam eum recessisse unguem, testes locupletes sunt repetitæ ad Clementem a Carolo litteræ, æque præsertim, quas eidem inscripsit an. 1526, ac seq., regestæ a Raynaldo n. 22, seqq., & an. 1527. n. 35, seqq. Longe quam procul denique ratio Coccejum fugit, quum palam efferre hominem, ac proferre illum non puduit, Henricum VIII. hoc est, ab Ecclesia schismate, ac hæresi abscisum, quem æqua proinde Catholici excipere nequeant aure, quin eumdem extemplo detestentur, & exhorreant. Eos quoque apage, quos proferre non veretur Auctores, qui nefariis ejusmodi adversus Ecclesiasticam potestatem scriptionibus nihil aliud præstant, quam proprii inopiam judicii, nullaque de caussa maledicendi pruritum, non sine scandalo, palam Orbi facere, nomini sibi magis infestos, quam nobis ostendunt, populisque se magis, quam Pontifices differendos objiciunt.

Ad Jannonum, Dupinio suo dimisso, nunc retorquendo sermonem, & is pariter tam abnormiter e rationis sulco procul excessisse, quum hasce nobis agit nugas, videtur, quam a veritate toto, quo patet, aberrasse dignoscitur ostio, quum sursum deorsum omnia volvit, ut præpostero inficiandi suo inique deserviret ingenio. Equis enim nesciat eam primam esse historiæ conscribendæ legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, nihilque subleste taceat, nequa nempe suspicio gratiæ sit in scribendo, neque simultatis, uti probe monebat rei hujusce peritissimus Cicero de Orat. lib. 2. cap. 15. Atqui contra Jannonus quantum in Civilem, præ favore, potestatem juris transcribere desudavit, tantumdem Ecclesiasticæ, gravi præ invidia, detrahere adnixus est. Age vero, quanti sint demum ea quanta, quibus Ecclesiæ bona invidet, libertatem imperit, immunitatem deprimit, æqua pensemus lance, pro utque opus sit, utraque proba versemus manu. Quam itaque hospitem, & ignarum historia in Ecclesiastica, quin etiam in legem Naturalem, Divinam, & Ecclesiasticam improbum se Jannonus ostendit, dum Ecclesiam Principum beneficio dumtaxat bona adquirendi jure compotem factam, factamque primum a

Con-

Conſtantino M. impudentiſſime jactat! In Lege veteri enim vero Levitis, & Sacerdotibus lege Divina poſſeſſiones fuiſſe proprias, 1. Jure inhabitationis, liquet ex Numer. cap. 35, & lib. 1. Paralip. cap. 6 ; 2. Jure oblationis ex Levit. cap. ult., & Joſve cap. 21 ; 3. Titulo emptionis ex Hierem. cap. 32 ; 4. Titulo hæreditatis ex 3. Reg. cap. 2, & Actor. cap. 4. Quibus cum locis probe cohærere, quæ habentur Num. cap. 16, Deuter. cap. 18, & Ezech. cap. 44, ubi Levitæ, & Sacerdotes habere poſſeſſiones, & hæreditates prohiberi videntur. Nempe haſce prohibentur habere non in Populo, ſed cum Populo, ideſt, veluti Thomas Valdenſis adverſus Wiclefum explicat Tom. 1. Doctrin. fidei lib. 4. art. 3, habebant in omni Tribu, quas habere, niſi in propria unaquæque Tribus nequibat, vel, ut interpretatur Emin. Laurentius Cozza in Comment. hiſt. dogm. ad S. Auguſtini lib. de Hæreſ. cap. 18, ſive 40, habere prohibebantur, quomodo reliquus habebat Populus, nempe tanquam proprias, ſiquidem Levitis traditæ poſſeſſiones in Templi potius jura tranſcripiæ æſtimandæ erant, earumque adminiſtri cenſendi dumtaxat Levitæ, velut etiam adnotat Julianus Pomerius, ſive Auctor ſub S. Proſperi nomine de vita Con. templ. lib. 2. cap. 16. Atque de Decimis quidem, denariiſque Judæorum Templo, atque Levitis dependi ſolitis agit pluribus Philo de Congreſ. quær. erudit. gratia, deque Sacerd honore, ubi Sacerdotibus perinde, ac Regibus, ex Legis præſcripto, tributa pendenda quum dixiſſet: *Ex his*, ſubinfert, *rebus liquet, juxta Legis judicium, Sacerdotes æquiparari honore, ac majeſtate Regibus*. De Decimis etiam ab Abrahamo Melchiſedecho ſolutis loquenies S. Paulus Hebr. 7, & S. Joh. Chryſoſtomus homil. 12. in hunc loc., & Orat. 4. adv. Jud. conſiderare hinc jubent, quanta ſupra Judaicum Chriſtiani Sacerdotii excellentia exſurgat S. Hieronymus quoque in Malach. cap. 3. tam ex primitiis, veteris Legis præcepto, Sacerdotibus ſolvendis, quam ex duplici honore, S. Pauli juſſione, Presbyteris impendendo, fraudem in Deum patrare arguit, qui Presbyteris Decimas, primitiaſque non deferat. Cujus ſimilia legas Capitul. lib. 5. cap. 154. Quare ingenti productis numero Doctorum teſtimoniis, Decimarum legem non mere Cæremonialem eſſe, ſed Moralem etiam, quæ ſub Lege non modo,

ſed & ſub Evangelio obligare non deſinat, atque ita veteribus Chriſtianis perſuaſum, Decimas jure Divino Sacerdotibus deberi, oſtendit vel Binghamus Orig. Eccleſ. lib. 5. cap. 5. de Decim. §. 1. Videndi, ſi libet, interea Rebuffus tract. de Decim. q. 1. n. 9, Covarruvias Var. reſol. lib. 1. cap. 16, Gonzales in Cap. 7. *Cum homines* de Decimis n. 3, Werndle tract. de Decim. cap. 4, Wex de Decim. q. 3, Grenech in Decret. lib. 3. tit. 30. *De Decimis* §§. 2, ſeq., Schmier Juriſp. Can. Civil. Tom. 2. lib. 3. tract. 1. par. 3. cap. 3. ſect. 1. §. 4, Ducangius Gloſſ. Tom. 2. V. *Decimæ*, quo loci Sarpium in tract. de Benefic. non multo ante Caroli M. tempora Decimarum invectum morem prave de ingenio ſuo effutientem manifeſtæ arguit falſitatis ex Conſtitutione generali Clotarii Reg. cap. 11, ex Synodis Turonenſi an 567. in Synodica ad Plebem, & Matiſconenſi II. an. 585. cap. 5, ac Theodori Pœnit. cap. 13, ac Baronius ad an. 57. n. 74, ſeqq. Sub Evangelio Chriſtum D. proprium aliquid habuiſſe adparet ex Joh. 12, in quem confer S. Auguſtinum tract. 62, & de Opere Monach. cap. 5., neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem ſibi adminiſtrari voluiſſe liquet ex Luc. 8. Voluiſſe perinde, ut Apoſtolis neceſſaria vitæ adminicula a fidelibus ſuppeditarentur, fit evidens ex Matth., & Luc. cap. 10. Subſidia quoque ad ſuſtentationem vitæ ſibi deberi Apoſtoli ipſimet docuere 1. Corinth. cap. 9. Eccleſiæ adhucdum enaſcenti a Chriſtifidelibus cum oblationes paſſim factas, tum bonorum propriorum in ejus jura factam tranſmigrationem diſcimus ex Act. Apoſtol. capp. 4, 6, & 11, ac 1. Corinth. cap. 16. Quæ nihil offeciſſe, quominus Evangelicam Diſcipulis ſuis paupertatem Chriſtus D. toties ſuaderet Matth. cap. 10, & Luc. cap. 14, poſt S. Hilarium in Pſal. 61. n. 8, & in Matth. cap. 19. n. 9, S. Epiphanium Hær. 61. de Apoſtolicis, S. Auguſtinum epiſt. 89. ad Hilarium, in Pſal. 51, & lib. 2. de Conſen. Evangel. cap. 30, ac V. Bedam in Luc. lib. 14. cap. 9. docent Theologi noſtrates, nempe ita a Chriſto D. perfectioris vitæ ſtatui conſuli, neque divitias, ſed avaritiam, ſed cupiditatem, ſed affectum in divitibus a Chriſto damnari. Confer doctiſs. Thomaſſinum vet., & nov. Diſcipl. par. 3. lib. 1. cap. 1, & Emin. Cozzam ad S. Auguſtini lib. de Hæreſ. cap. ſupracit. Atque egregie hanc in rem Concilii Aquiſgranenſis II. an. 836. Epiſcopi

ſcopi tam ex S. Auguſtini doctrina declarant lib. 3. cap. 7. de induſtria Chriſtum D. aliquid oblatæ pecuniæ a Diſcipulis ſuis in futurum ſervari voluiſſe, ut Eccleſiæ id eſſet exemplo, documentoque pecunias, divitiaſque ſervandi in futurum Religionis, Cleri,& Pauperum uſum, quam ex Apoſtolorum Actis, Patrumque ſcriptis evidens fieri docent lib. 1. cap. 12. jam ſuis ab incunabulis, ex ipſiſque Apoſtolicis inſtitutionibus, agris, prædiis, oblationibuſque locupletari Eccleſiam cœpiſſe: *Per Petrum*, inquientes, *Apoſtolorum Principem in Occidentis, per B. vero Johannem Apoſtol., & Evang. in Orientis, ideſt in Aſiæ partibus; per B. etiam Paulum in tota generaliter Mundi latitudine fundata, & ex Oblationibus Fidelium conſtat ditata, atque honorata Eccleſia*. Quam pariter in ſententiam Concilium Engelheimenſe an. 948. Can. 8. S. Pauli in medium prolata doctrina, a ſacris Oblationibus ad Altare delatis invadendis, velut a rebus Chriſto dicatis, Laicos deterrendos inſtituit: *Ut Oblationes*, inquiens, *Fidelium quatenus Altari deferantur, nihil omnino ad laicam pertineat Poteſtatem, dicente Scriptura: Qui Altario deſerviunt, de Altari participentur*. Lege ergo Naturali, & Evangelica bonis temporalibus compotem ab initio Eccleſiam evaſiſſe conſtat, confirmantque Patrum teſtimonia, S. Juſtini Apolog. 2, qua affirmat Fideles Dominico quolibet die ad Sacrum convenientes, pro ſuo quiſque modo ſubſtantiæ, partem aliquam in ærarium conferre conſueviſſe, unde quī Eccleſiæ præerat, in ægrotos, pauperes, orphanos, peregrinos, & Viduas erogare poſſet. S. Irenæi lib. 4 capp. 32, 34, ubi docet, quod ſicut ab Iſraelitis neceſſaria Templo, ſacriſque Miniſtris offerebantur, ita a Fidelibus effuſiori pietate Eccleſiis ſubſidia fore ſuppeditanda. Tertulliani Apolog. cap. 39, quo refert a Fidelibus quolibet ſaltem menſe pecuniæ aliquid in communes neceſſitates collatum. S. Cypriani de Oper., & Eleemoſ., ubi veterum ſub Apoſtolis Fidelium propoſito exemplo, ad Oblationes Eccleſiis faciendas omnes, quibus facultas non deeſſet, vehementer accendit. Quod ipſum exequuntur argumenti genus, exagitantque Origenes hom. 11. in Num., & lib. 8. contra Celſum p. 400, Auctor Conſt. Apoſtol. lib. 2. capp. 25, & 35, lib. 7. cap. 29, ac lib. 8. cap. 30, S. Gregorius Nazian. epiſt. 80. ad Aerium, & Aly-

Alypium, & Salvianus de Gubern. lib. 6. §. 208. Conferunt & huc Canones Apoſtolorum verſ Herveti 4, & 40, verſ. Dionyſii 5, & 41, Antiochenus Can. 25, Gangrenſis Synodus in præfat., & Can. 7, ſeq., in Cod. Eccl. Afric. Can. 40. edit. Bevereg., Græcor. Euchologium, & Gregorianum Sacrament. in form., & orat. pro fructuum oblatione, quibus locis de variis Oblationum generibus agitur, quæ vel Eccleſiis fiebant, vel Epiſcopis. Confer & S. Thomam 2. 2. q. 87. art. 1, ubi Eccleſiæ Miniſtris jure naturæ neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem deberi docet; Baronium ad an. 57. n. 75, ſeq., quo loci idipſum velut jure tam Naturali, quam Divino innixum teſtimoniis Evangelicis, & Apoſtolicis nedum, ſed Ethnicorum etiam Dionyſii Halic., Plauti, Ciceronis, Xenophontis &c. confirmat; Bellarminum de Cleric. lib. 1. cap. 25, ubi Conciliorum quoque decretis prolatis, jure præterea Eccleſiaſtico inductum oſtendit; Albaſpinæum Obſervat. Eccleſ. lib. 1. obſer. 5, ſeq., quo loci ex S. Cypriano de Opere, & Eleem., S. Auguſtino ſerm. 213. de temp., ex Synodis Eliberitana Can. 28, Ilerdenſi Can. 13, Arelatenſi II. Can. 12, Carthaginenſi IV. Can. 93, ſeq., Valentina Can. 1. &c. Oblationum ad Altare, pro Euchariſtia nedum, ſed pro Sacerdotum alimento, uſum Eccleſiæ agnatum obſervat; Beveregium in Cod. Canon. primit. Eccleſ. lib. 1. cap. 4. §. 6, & cap. 5. §. 1, ac lib. 2. cap 2. §. 5, ubi multis, validiſque Dallæum refellit, qui de Pſeudepigr. lib. 3. cap. 14. vetuſtiſſimum hunc in Eccleſia morem, præpoſtero ſuo præ ingenio, inficias ire non abſtinuit; Thomaſſinum par. 3. lib. 1. cap. 5, ſeqq., & Berlendium de Oblat par. 1. §. 6. p. 171, ſeqq.

Argumento ſunt etiam, documentoque cum effuſiſſimæ Roman. Pontificum largitiones, tum pia Imperatorum Edicta, quibus ſit evidens prima jam ſub Religionis ætate prædiis Eccleſias ubique fuiſſe potitas. Et certe Romanam Eccleſiam jam inde ab initio divitiis redundaſſe oportet, ut cui piiſſimo, vetuſtiſſimoque in more poſitum fuiſſe, quem ſuæ uſque ad ætatis perſecutionem obſervatum teſtatur Euſebius, ut ex facultatibus, quibus locupletata præ aliis fuerat, effuſiſſima liberalitate aut eò undique confluentes ſuſtentaret Fideles, aut ad longe poſitas egeſtate laborantes Eccleſias mitteret ſublevandas, auctores ſunt homonymi duo

duo Sanctiſs. Dionyſius Corinthius, & Dionyſius Alexandrinus, ille nempe in epiſt. ad S. Soterem apud Euſebium lib. 4. cap. 23, qua digno eum mactat elogio, quod Eccleſiarum ubique gentium neceſſitatibus proſpicere eidem ſummopere cordi fuiſſet; iſte vero apud eumdem Scriptorem lib. 7 cap. 3. in epiſt. ad S. Stephanum, qua Eccleſiæ Romanæ ampliſſimas largitiones in Syriam uſque, & Arabiam permanaſſe refert. Ante hac S. Pio I. Eccleſiam adminiſtrante prædiis Romanam jam fuiſſe ditatam augurari fas eſt ex ipſius Decreto, quod probabile facit Auctor libri Pontif., quove traditur vetuiſſe, ne prædia Divinis uſibus dicata humanis deinceps inſervirent. Ex quo patet falſo ſcripſiſſe Theodorum Lect. hiſt. Eccl. lib. 2. Romanæ Eccleſiæ Sæculi VI. adhuc initio recepto in more fuiſſe res immobiles non retinere, ſed ſiquæ obveniſſent, confeſtim vendere. Falſo perinde adfirmaſſe Martinum Polonum in Chron., Andream Dandulum Chron. lib. 4 cap. 4. Script. rer. Ital. Tom. 12, alioſque poſteriores a S Urbano I. dumtaxat primum in Eccleſiam immobilium poſſeſſionem inductam. Ingens præterea Romanæ Eccleſiæ Sæculo II. opulentia evinci poteſt ex epiſtola S. Cornelii ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib. 6. cap. 43, qua narratur, præter ea copioſa ſubſidia, quibus Eccleſiis Orientis frequens opem præſtabat, viduis, infirmis, egentibuſque pluſquam mille, quingentis, omnem præter Clerum, abundans quotidie vitæ ſubſidium Romæ ſuppeditatum. Sed & ex Actis SS. Sixti II, & Laurentii Martyris circa an. 261, de quibus S. Leo M. Serm. 83, liquet Eccleſiam theſauris jam tum abundaſſe, ſuum, & in Pauperum uſum a S. Levita erogandis. Adeundi Prudentius Hymn. 2. de S. Laurentio num. 29, S. Ambroſius lib. 2. Offic. cap. 28, S Auguſtinus ſerm. 303, S. Petrus Chryſologus ſerm. 135, & S. Maximus hom. 3. de S. Laurentio. E Carthaginenſis Eccleſiæ gazophylacio ſeſtertia centum mille eduxiſſe, eaque proliberandis Numidiæ Chriſtianis in captivitatem, non a Gothis, aut a Scythis, velut opinatus Pamelius eſt, ſed a Barbaris, quorum tum adhuc feraciſſimam Africam ex S. Auguſtino epiſt. 80, & 122, Am. Marcellino, & Herodiano lib. 7. de rebus Maximini oſtendit Pearſonius in Annal Cyprianicis ad an. 253. num. 2, abductis miſiſſe ſe S. Cyprianus ſcribit epiſt. 8. lib. 5. edit. Manut.,

60.

60. Pamel., 62. Felli ad Numidiæ Epiſcopos. Quæ ſane centum mille ſeſtertia nummum ingentem pecuniæ ſummam, ex qua permagna ejuſdem Eccleſiæ opulentia dignoſcebatur, conficiunt: ſiquidem juxta Budeum, Pamelium, & Rhenanum ducenta ſeſtertia quinque millia Coronatorum faciant. Rigaltius in Not. ſeſtertium illud centum millia nummum libras 25000. confeciſſe putet, quam tamen æſtimationem ad 7500. libras Gallicas reducit Lombertus, Capellus ad 9639. libras, 17. ſolidos, ac 10. denarios, Fellus ad Monetæ Anglicanæ libras ſterlingas 781, ac ſolidos 5. At Baronii ad an. 254. num. 110, & Panvinii de Rom. Imperio p. 872. veri ſit ſimilior opinio ſummam illam ſcuta Romanæ Monetæ aurea tria millia non exceſſiſſe. De bonis Eccleſiæ Hierapolitanæ collatis dicam mox. Heliopolitanæ in Cœleſyria ſub S. Theodoto Epiſcopo Sæculi II. ſub initium libras auri viginti mille, ac Monetas inſuper aureas ducentas, & quinquaginta mille, ingentem præter copiam gemmarum, ſupellectilium, argenteorumque vaſorum, ac prædiorum obtuliſſe S. Eudoxia legitur in ejus vita apud Henſchenium ad diem 1. Martii. Edeſſenæ Eccleſiæ opulentiam teſtatur Juliani Apoſtatæ epiſtola 43. ad Ecebolum, qua bona Eccleſiæ illius, ſub obtentu delicti, Militibus dedit dividenda. Et quam etiam dives eſſet Cæſareenſis, ejuſdem Juliani declarat epiſtola ad S. Baſilium, inter Baſilianas 207, quam auctiorem exhibet Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 14. p. 323, cui mille libras auri, pro belli Perſici expenſis, imperat, quæ octo efficiebant talenta. Fuiſſe quoque ex primitivis Fidelibus, qui divitiis redundarent, quarum & copiam Eccleſiis, ac Sacerdotibus facerent, teſtatiſſima res eſt, quam indubiam faciunt vetera quamplurima monumenta. Sub Domitiano certe diligenti facta de Chriſti D. propinquis inquiſitione, geminos fuiſſe repertos Judæ Nepotes, qui poſſeſſiones habebant valoris denariorum novem millium, auctor eſt Hegeſippus apud Euſebium lib. 3. cap 20. De M. Aurelii Antonini munificientia dignum illud memoriæ proditum legitur apud Metaphraſtem ad diem 22. Octob., & Baronium ad an. 163. num. 11, ſeqq., cujus fidei adſtipulari non dubitarunt Thomaſſinus par. 3. lib. 1. cap. 3. num. 11, & Card. Cozza præcit. cap. 18. num. 57, quod ob inſigne beneficium S. A.

ber-

bercii Hierapolitani in Phrygia Epiſcopi ope impetratum, a quo Lucilla Imperatoris filia a Dæmone fuerat liberata, annuis ter mille frumenti modiis Eccleſiam illam donaverit: neque donum illud, niſi a Juliano poſt Apoſtata, fuerit retractatum. Verum hanc erga Eccleſiam M. Aurelii liberalitatem nec ſatis lucide S. Abercii acta produnt, nec a Baronio ductæ ex Capitolino conjecturæ ſatis confirmant, quominus ei fidem detrahere auderent Caſaubonus in Not. ad Capitol. in Marco, Pagius ad cit. an. num. 11, & Baſnagius ad an. 161. num. 6. Tom. 2. p. 119. Ab Alexandro Severo Chriſtianis Romæ Eccleſiam trans Tyberim addictam ex Lampridio ſuperius relatum eſt. Exinde probabilis emergit conjectura, neque vetuiſſe illum, quin fundos etiam adquireret Eccleſia. Quæ ex eo quoque confirmatur, quod Valeriani decreto Eccleſias divitiis exſpoliatas fuiſſe diſcimus ex S. Cypriano epiſt. 97. lib. 5. edit. Manut., 82. Pamel., 80. Felli ad Succeſſum, & quod Aurelianus, referente Euſebio lib. 7. cap. 26., Eccleſiæ domum, qua excedere Paulus Samozatenus, etſi Concilii Antiocheni decreto juſſus, detrectabat, ei demum tradi præcepit, cui Romano a Pontifice, Italiæque Præſulibus fuiſſet adjudicata. In Conſtitutione etiam Maximini ab Euſebio lib. 9 cap. 9. relata, inter alia ſancitum habetur, ut domus, & alia Chriſtianorum loca, prædia, & bona, antehac ſub Diocletiano fiſco addicta, aut divendita, ſive ab aliis dono, aut vi occupata, in priſtinum Chriſtianorum jus revocarentur, Dominiſque propriis, abſque mora, univerſa reſtituerentur. Ex Edicto denique Conſtantini M. apud Euſebium lib. 2. ejus vitæ cap. 30, ſeqq., quo bona omnia, prædia, & loca, quibus olim Chriſtifideles, ob fidei confeſſionem, privati fuerant, reſtitui præcepit, manifeſtum fit Chriſtianos ſub prioribus Imperatoribus propria habuiſſe. Atque explicite quidem ablata Eccleſiis bona, ac fiſco addicta, ſive diſtracta reddi juſſit, quibus & Lege edita lib. 16. Cod. Theod. tit. 2. *De Epiſcopis*, & lib. 4. tit. 1. Cod. Juſtin. *De Sacroſ. Eccleſiis*, illud adjecit, ut liberrima teſtandi, legandique in favorem Eccleſiarum quiſque facultate potiretur.

Quæ quum ita ſe habeant, mirari ſatis Jannoni temeritatem non ſubit, qua Eccleſiæ prædia adquirendi poteſtatem a Conſtan-

tino M. primum factam jactare non dubitat. Sed enim in Lege 20. Valentiniani cum Gothofredo vim facit. Cur vero frustra, perperamque facere non abstinuit, ut qui viderat legem illum a Theodosio deinde temperatam, & a Marciano demum abrogatam? Verumtamen Ecclesiasticis dumtaxat personis, non item Ecclesiis hac lege interdictum fuisse, ne Viduarum legata caperent, ex SS. Ambrosio epist. 18. nov. edit., olim 50. ad Valentinianum, & Hieronymo epist. 2. ad Nepotianum videre poterat, uti viderunt Baronius, Thomassinus cap. 18, & Coutantius in Not. ad hanc legem p. 274. Ei ergo legi ideo non interceſſit Ecclesia, quod sibi conducibilis esset, & in compendium cederet, ut quæ inde Cleticis, & Monachis interceptas largitiones in se derivabat. Etsi vero is non sim ego, qui Baronio adsentiar conjicienti legem illam, S. Damaso agente, latam, non inficias eam tamen, quin eadem imo Pontifici evaserit probata, & Clericorum, Monachorumque cupiditati moderandæ opportuna, & perquam necessaria videri potuerit, quemadmodum plane SS. Ambrosio, & Hieronymo visa est. Quamvis interea querelarum nonnihil ab iis effusum in legem hanc fuerit, non quatenus Clericorum inexhaustæ cupiditati frænum injiceret, sed quia in eorumdem vergeret injuriam. Et sane quantum Ecclesia ab omni prorsus avaritiæ specie abhorruerit semper, quantumque personas Ecclesiasticas ab hisce lucris, ac desideriis abstractas voluerit, amaveritque, documento sunt SS. Ambrosii, & Hieronymi recitatæ modo litteræ, sed & S. Cypriani lib. 1. epist. 7. edit. Erasmi, 64. Pamel., 65. Felli ad Epictetum, qua in Episcopos quosdam acriter invehitur, quibus nihil cordi magis erat, quam Fidelium stipibus, oblationibus, & eleemosynis saginari, & diteſcere; sed Tertulliani lib. de Jejun., ac de Fuga in persecut., qui Episcopis plerisque ex eo convitium facit, quod immodicam a Christifidelibus exprimere pecuniarum copiam haud verererentur. Quamvis has in eos contumelias tum effundere cœperit, postquam ab eorum se Communione abscidisset. Sed Aurelii Carthagin., ac S. Augustini Hippon., sed S. Joh. Chrysostomi, S. Basilii, & S. Gregorii Nazian., sed SS. Paulini, & Fulgentii, sed Theodoreti, & Sulpitii lib. 1, sed Juliani Pomerii &c., de quibus Rigaltius in Not. ad cit. S. Cypriani epist., ac Thomassinus diffusius vet., & nov.

nov. Diſcipl. par. 3, lib. 1. capp. 17, & 22, ac lib. 3. cap 1, ſeqq. Cæterum ea Valentiniani lex, ut dixi, Eccleſias non afficiebat; legemque ſuam, qua Theodoſius Diaconiſſis, queis tamen domi proles non eſſet, interdixerat, ne vel Eccleſias hæredes dicerent, aliàs haud prohibens, quominus prædiorum fructus elargiri quirent, aut legarent, eodem ipſo, quo lata fuerat, anno, S. Ambroſio hortante, & admonente, ceu Baronio viſum eſt ad an. 390. num. 70, revocare religioni duxit, Viduis, ac Diaconiſſis fundos ipſos Eccleſiis relinquendi poteſtate facta. Utramque denique & Valentiniani illam, & hanc priorem Theodoſii legem, veluti Clericis injurioſam, Marcianus, ut innui, reſcindere, ſua pro religione erga Eccleſiam eximia, officio habuit, prout haud abſimilem Nicephori legem an. 964. ſuſtulit Baſilius Imp. an. 987, Theodoro Balſamone teſte, ita nempe impedimentum auferendo, quo prius Eccleſia detinebatur, ne libere Divino, naturalique bona adquirendi jure uteretur. Quam plane Marciani legem, inter Novellas tit. 5. poſt Cod. Theod. proſtantem, ſuo Codici tit. *De Sacroſ. Eccleſ.* LL. 1, & 13, non ſecus, atque Conſtantini M., inſertam voluit Juſtinianus, ſimiles ipſe alias adjiciens L. *Quoniam*, & L. *Illud* eod. Cod., & tit., quo tamen, velut Eccleſiæ incommodam, utramque & Valentiniani, & Theodoſii legem exulare perpetuo juſſit. Unde non erat ſane, cur exinde nobis ad faceſſendum negotium, occaſionem cum Gothofredo quæreret Jannonus, neque cur cum Petro de Marca de Concord. lib. 2 cap. 11. num. 3. dicere ſomniaret a Juſtiniano eas leges, non in conſequentiam Canonum, ſed jure ſuo fuiſſe latas, quod a Juſtiniani procul abhorrere mente adparet, ſic loquentis L. 23. *Sancimus, ſiquis aliquam reliquerit hæreditatem, vel legatum, vel fideicommiſſum, vel donationis titulo aliquid dederit, vel vendiderit, ſive Sacroſ. Eccleſiis, ſive Vener. Xenonibus, vel Ptochotrophiis, vel Monaſteriis Maſculorum, vel Virginum, vel Orphanotrophiis, vel Brephotrophiis, vel Xerontocomiis, necnon Juri Civitatum, vel donatorum, vel venditorum, vel relictorum eis ſit longæva exactio, nulla temporum ſolita præſcriptione coarctanda.* Moleſtiæ potius nonnihil inferre quidam videtur S. Auguſtini locus, qui Jannonum etſi fugerit, ingenue tamen agentibus nobis prætereundus haud eſt.

Igitur Tract. 6. in Johan. in eam inflecti S. Doctor videtur sententiam, ut non alio, quam Imperatorio, jure, ac Principum legibus bona sua possidere Ecclesiam putet. *Quo jure*, inquit enim, *defendis Villas? Divino, an humano? Divinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in legibus Regum. Unde quisque possidet, quod possidet? Nonne jure humano? Jure ergo humano, jure Imperatorum. Quia ipsa Jura humana per Imperatores, & Reges sæculi Deus distribuit generi humano.* Verum ut hæc non splendide magis, quam solide, veluti loquitur Cl. Thomassinus cap. 16. num. 2, dicta videantur, eo sensu capienda sunt utique, non quo Principum largitate, legibusque bona ab Ecclesia obtineantur, sed quo de bonis incidentes lites Principum legibus finiendæ sint, sicut idemmet S. Doctor indicat verbis illis, quibus incipit: *Quo jure defendis Villas?* Quæ plane lites respiciunt. Eodem deinde loci loquitur S. Doctor non de Clericis dumtaxat, sed de Laicis indiscriminatim, quorum bona Principum obnoxia legibus inficiatur nemo. Neque demum aliter S. Doctorem accipi debere, exinde liquet, quod neque suis Clericos fundis spoliare Principibus liceat, sicuti neque laicos, neque prohibere, quin fas sit in Ecclesiasticis personis Deo sua, ab eo utique accepta, dare, aut potius reddere. Unde Benedicti III, Caroli M., Irenis Augustæ, ac Synodorum Aquisgranensis II, Parisiensis VI. Can. 18, & Aurelianensis sententia, Deo oblatæ res non tam Ecclesiæ, quem Dei esse sunt æstimandæ. Quæ vero ita sunt Ecclesiæ, ac Dei, SS. Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini &c. sententia omni prorsus ab onere pendendi tributa sunt libera: ideoque sinistram, iniquamque loci S. Matthæi cap. 17. v. 25. Marsilii, & Janduni interpretationem damnavit Johannes XXII, non secus, atque haud absimilem Wicleffi, & Hussi Martinus V. post quos Dupinum sequutum abire Jannonum pudere quammaxime oportuisset.

Pro exequendo potius igitur hujusmodi tam Naturali, quam Divino jure latæ a Principibus, quibus Ecclesiis bona aut restitui præcipiuntur, aut permittuntur relinqui, ita demum accipi debent, ut eo ipso Naturali, Divinoque jure sint irritæ, si quæ in Ecclesiarum incommodum cedant. Nec vero ejusmodi juri, nec Ecclesiasticæ immunitati officit, siquando, Reipublicæ, aut Re-

Religionis exigentibus neceſſitatibus, ex bonis Eccleſiaſticis, Epiſcoporum accedente licentia, ac Romani quammaxime Pontificis auctoritate, laicis Principibus decimæ, tributa, dona publicos in ſumptus expendenda, conceſſa leguntur: atque de donis quidem Regibus præſtari ſolitis etiam ab Eccleſiis, ac Monaſteriis agit Synodus Vernenſis an. 755, videndique Hincmarus Opuſc. 14. Spicileg. Dacher. Tom. 2. pag. 581, Ducangius diſſert. 14. ad Joinvillam, & in Gloſſario V. *Donum*, ac Muratorius de Antiq. Ital. diſſert. 70; de Decimis quoque infeudatis adeundus, qui de his egregie diſſerit, Thomaſſinus par. 3. lib. 1. cap. 11. Sequitur hinc, ut ſiquidem Eccleſiaſtica immunitas Divino jure, naturalique innitatur, ſiquæ ejuſmodi immunitati adverſæ latæ fuiſſent a Regibus leges, eæ irritæ, & inanes habendæ eſſent, veluti latæ a non habentibus legitimam auctoritatem. Sed enim veritate minime conſtant, quæ de Immunitate Eccleſiaſtica juſtos intra fines a ſæculi Principibus coarctata Jannonus comminiſcitur. Atque imprimis prætenſam Caroli M. pro Saxonia legem nuſpiam adparere obſervat Antonius Bovius reſp. ad conſid. Sarpii par. 3. ad argum 10. p. 41, ſeqq. Quæ ſi revera edita fuit, id utique non abſque Epiſcoporum conſenſu factum pro certo habendum, quum leges ipſas mere Civiles, nonniſi eorumdem interveniente conſenſu, edere religioni eidem eſſet, velut ex præfatione Capitularium liquido patet: quæ ideo Capitularia Eccleſiæ probata ſunt, ſi fides adhibenda Hincmaro in Formul. promot. Epiſcop. tit. 18. cap. 6, ac *Sacrorum Canonum pediſſequa* dicta ſunt Synodo Troslejenſi, teſte Baluzio. Vide & Holſtenium Collect. Rom. Tom. 2. pag. 187, ubi Capitulare Saxonicum ex cap. XI. recenſet. Cæterum a Carolo M. ampla Clericis immunitas confirmata nedum eſt, ſed Epiſcopis inſuper conlata Regalia teſtatur Cranzius Saxoniæ lib. 2. cap. 24. Roberto item S. Germani Abbati an. 779, de quo Baronius num. 2. Atque ita Regalia nominatim tributa Epiſcopis pleriſque in Saxonia, Monaſterienſi, Paderbonenſi, Oſnabrugenſi, Cœnobio item Werthinenſi &c. oſtendit Turckius Soc. l. in Faſtis Carolinis, ac poſt ipſum Pichler hiſt. Imper. tractat. 1. cap 5. num. 77. p. 178, ſeq., ubi obſervat jam ante Caroli M. ætatem Epiſcopos Regalia poſſe-

diſſe,

disse, veluti Colonienſem, Leodienſem, Moguntinum, Trevirenſem &c. teſtibus Johanne Roberti in paralipom. ad vitam Caroli Martelli p. 164, Serario, Brovero &c. Qua perinde religione Eccleſiaſticam erga libertatem, & immunitatem affectus probe fuerit Ludovicus Pius teſtes accedunt Auctor ipſius vitæ p. 407, & 413, Theganus §§. 10, 22 &., Annales Franc. ad an. 824, confirmantque Capitularia Aquigranenſe an. 816. capp. 2, & 10. an. 824. cap. 1, Wormatienſe an. 829. cap. 4. &c. Eò itaque ſpectant tot, quæ memorat Heumannus de Re Diplomat. Imperat. Tom. 1, & 2, pro Eccleſiarum, ac Monaſteriorum immunitate Diplomata Caroli M., Ludovi Pii, Pippini, Lotharii, Ludovici II, Caroli Calvi, Ludovici Germanici, Carolomanni, Ludovici Junioris, &c., non quò ipſe cuperet utique, nempe ut ſuadeat, nonniſi Imperatorum beneficio Eccleſiis, ac Monaſteriis immunitatem adcreviſſe, ſed ut indicio ſint liquido Immunitatis privilegia aut non primo fuiſſe conceſſa, ſed in antiqua, qua fuerant, poſſeſſione confirmata, veluti fidem indubiam faciunt Caroli M. Diplomata apud Marculfum Formul. lib. 1. cap. 4, & Baluzium Capitular. Tom. 2. p. 377, pro Monaſterio Sandionyſiano apud Mabillonium de Re Diplom. lib. 6. num. 53, Ludovici Pii pro Eccleſia Wirceburgenſi apud Eccardum Tom. 2. Comment. Rer. Franc. Orient. p. 881, Lotharii pro Eccleſia Tullenſi apud Mabillonium num. 92; Ludovici II. pro Eccleſia Novarienſi apud Muratorium Antiq. Ital. Tom. 1. p. 925, pro Monaſterio Argentoratenſi apud Shilterum Obſervat. ad Koenigſhov. Chron. Argent. p. 480, Carolomanni pro Eccleſia Cremonenſi apud Muratorium Tom. 6. p. 363, &c.; aut non proprio utique conceſſas jure ab Imperatoribus fuiſſe, ſed pro jure dumtaxat Eccleſiaſtico in tuto ponendo, & a Laicorum uſurpationibus vindicando corroboratas, ut legenti adparebit Diplomata Caroli M. pro Monaſterio Campidonenſi, de quo Heumannus Tom. 1. p. 439, Ludovici Pii pro Eccleſiis Slavorum, de quibus Carpentier in Alphabeto Tyroniano p. 17, pro Cœnobio Nonantulano, de quo Muratorius Antiq. Ital. Tom. 6. p. 315, Ludovici Germanici pro Monaſterio Althaenſi, de quo Hundius Metrop. Salisburg. par. 2. pag. 9, pro Fuldenſi, de quo Schannat Cod. hiſt. Fuld. pag.

114, Lotharii pro Eccleſia Auguſtodunenſi, de quo Dacherius Spicileg. Tom. 3. p. 340, Ludovici II. pro Eccleſia Regienſi, de quo Muratorius Tom. 5. p. 191, pro Cœnobio Gandersheimenſi, de quo Harenbergerus hiſt. Gandersh. p. 583, Caroli Calvi pro Monaſteriis S. Florentii, de quo Lobineau hiſt. de Bretagne p. 51, & S. Saturnini Toloſæ, de quo Cantellus hiſt. Comit. Toloſ. p. 167, &c.; aut proprio quidem jure fuiſſe collatas, ſed quatenus ipſis Eccleſiis fundos largiti Imperatores, aut largitiones adprobantes, ab omni prorſus onere immunes juſſerunt, uti manifeſtum fit ex Diplomatibus Caroli M. pro Eccleſia Atinenſi apud Ughellum Ital. Sac. Tom. 10. p. 42, pro Cœnobiis Caſſinenſi apud Gattulam hiſt. Caſſin. par. 1. p. 13, ſeq., Prumienſi apud Knauff defenſ. Prum. p. 52, Fontanellenſi apud Dacherium Spicileg. Tom. 2. p. 277, Sangermanenſi apud Bovillart hiſt. ejuſdem Monaſt. p. 12, ſeq., S. Arnulphi Metenſi apud Calmetium hiſt. Lotharig. Tom. 1. p. 292, Berthæ Caroli M. filiæ pro Monaſterio S. Medardi apud Mabillonium de Re Diplom. lib. 6. n. 67, Ludovici Pii pro Eccleſiis Lauſanenſi, & Curienſi apud Scheuchzer, & Lochmannum Alph. tab. 18, pro Cœnobio Lindavienſi apud Tenzelium in Vindiciis hiſtor. p. 27, Pippini Regis Aquit. pro Monaſterio Malaſtenſi apud Mabillonium cit. lib. 6. n. 78, Gislæ pro Monaſterio Ciſonienſi apud Dacherium Spicileg. Tom. 2. p. 878, Lotharii pro Hoſpitali Montiſciniſii, & Monaſterio Novalicienſi apud Muratorium Antiq. Ital. Tom. 3. p. 577, pro Cœnobio Grandiſvallis apud Hergoot. hiſt. genealog. Habſpurg. vol. 2 p. 28, Corbejenſi apud Schatenium Annal Paderbon. par. 1. p. 128, Caroli Calvi pro Monaſterio Elnonenſi apud Martenium vet. Monum. Tom. 1. p. 195, Nivellenſi apud Miræum Tom. 1. p. 502, Ludovici Balbi pro Cœnobio S. Flaciani apud Mabillonium de Re Diplom. lib. 6. n. 108, Richildis Reginæ pro Abbatia Gorzienſi apud Calmet hiſt. Lothar. Tom. 1. p. 333, aliorumque, quorum implere paginas, ut pronum eſſet, jam piget.

Ad aliorum, quæ nobis objicit Jannonus, Regum geſta retorquendo ſermonem, de legibus Eduardi III, & Henrici V. nihil profecto habet Polydorus Virgilius, deque lege dumtaxat Eduardi I. loquitur lib. 17, quam pro quibuſdam ſolummodo Cœnobiis

nobiis latam, non ad omnes Angliæ Ecclesias extensam observat. Quin etiam, Nicolao IV, Legati sui Bartholomæi Grossetani opera, intercedente, eamdem rescindere legem fuisse compulsum refert Bzovius ad an. 1291. Quamve si rescindere detrectasset, gravem ex subditis Regi rebellionem impendisse subjungit Ferdinandus de Bastidia in Antidoto ad consid. Pauli Sarpii resp. ad argum. 47. p. 125. Pessime vero de S. Ludovico Gall. Rege meretur Jannonus, dum ei invidiæ plenam appingit legem. Nam Joh. Faber ad L. *Quoties* Cod. *De Revind.* de alienatione dumtaxat Feudorum verba facit, quæ in Gallia plane Regni legibus in manus mortuas transferri vetantur: alioqui vero, ob libertatem Ecclesiasticam optimo positam loco, S. Regi gratulatus eximiis eumdem tractasse laudibus Alexander IV. legitur apud Raynaldum ad an. 1258. n. 16. De simili S. Ludovici lege a Philippo III, Philippo IV, Carolo Pulcro, Carolo V, Francisco I, Henrico II, Carolo IX, & Henrico III. nihil litteris est demandatum, nullumque proferre documentum Jannono licuit, quo fidem obligaret nostram. Contra vero auctores sunt Ludovicus d' Hercourt in Tract. de legib. Eccles. Gall. par. 3. cap. 3. n. 8. p. 210, ac Fleurius Instit. Canon. par. 1. cap. 29. § 7, & par. 2. cap. 12. §. 5. hodiedum in Gallia prætensum jus omne restringi ad jus amortisationis, ut vocant, quo nempe censum solvere tenentur manus mortuæ, quæ novos fundos adquirendi jus impetrent ad alias non amplius transmigraturos manus. Ut ut autem sit de Placito, vulgo *Arresto*, Papponii, ejusque auctoritate, Carthusianos, ac Cælestinos, jam divitiis affatim locupletatos, afficiebat: ut proinde Alexander III. in epist. ad Cistercienses apud Van-Espenium par. 1. tit. 29. cap. 3. n. 14, & Innocentius III. lib. 16. epist. 83. apud Gonzalesium in Decret. lib. 2. tit. 30. cap. 34. in Not. recipi deinceps prohibuerint bona, possessionesque, nisi pro novis fundandis Monasteriis: quod ipsum a generali eorum Capitulo sancitum fuit. Præterea ex Romani Pontificis indulto, ac privilegio legem de bonis stabilibus in Ecclesias non transferendis in Gallia obtinere dixit Renatus Choppinus de Domin. Franc. tit. 13. n. 5: quod tamen refellit Petrus Jacobus Aurelian. in pract. tit. de Acquisit. ab Eccles. vers. *Quidam vero* q. 10; & Willelmus de Benedictis in Cap.

in Cap. *Raynutius* de Teſtam. n. 4. etiam in Gallia ſervari legem 1. Cod. *De Sacroſ. Eccleſ.*, ut libere nempe ſtabilia ab Eccleſiis adquiri poſſint, appoſite obſervat. Denique Alexandri IV. explicitiſſima deciſio eſt in Cap. 1. *Quia nonnulli* in fine 6. Decret. lib. 3. tit. 22. *De Immunit. Eccleſ.*, ubi amortiſationis legem in quibuſdam Galliæ partibus inductam, qua Eccleſiæ, ſive manus mortuæ bona a Laicis obtenta in manus transferre laicas tenebantur, eaque retinere, abſque Principis licentia, prohibebantur, velut Eccleſiaſticæ libertati infeſtam infregit hiſce verbis: *Nec etiam liceat Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas addiſtrahendum, vel alienandum, vel extra manum ſuam ponendum acquiſita jam, vel quæ deinceps acquirerent, aliquatenus coarctare.* Cui textui adſtipulatur etiam alter Bonifacii VIII. in Cap. 5. *Eos, qui* eodem lib. 6, & tit. Jacobo Aragoniæ Regi legem, qua bona jure belli, & gentium adquiſita perpetuo Canone, quem *Realengum* vocat, adfecta juſſerit, ita ut ad quemcumque bona illa migrarent, etiam ad Clericos, idem ſubire onus deberent, neque illa, ſine Regis licentia, in manum unquam mortuam tranſire quirent, acceptam quidem refert Petrus Belluga, quod ipſum confirmant Marteù de Regim. Regni Valent. cap. 2. §. 5. n. 44, Solorzanus de Jure Indiar. lib. 3. cap. 20. n. 45, Pereira de man. Reg. cap. 37. n. 1, quo loci Luſitaniæ legibus Eccleſiarum jus adquirendi bona coarctatum quidem fuiſſe adfirmat, ſed legibus illis demum Apoſtolicæ Sedis auctoritatem adceſſiſſe. Ab Alphonſo Hiſpan. Rege bona immobilia in Eccleſiarum, aut Monaſteriorum jura tranſcribi vetitum utique ſcribit Alphonſus Narbona in nova Recompilat. Leg. Hiſpan. par. 3. lib. 1. tit. 3. L. 35. Gloſs. 2. n. 30, ſeqq. Sed id factum maximopere improbat, neque per Canones id fieri licuiſſe, ideoque flocci, naucique faciendam Signorelli ſententiam contrarium ſcribentis adſerit. Conferre cæterum juvat Cap. 7. *Quæ in Eccleſiarum* Decret. lib. 1. tit. 2. *De Conſtit.*, Cap. 26. *Quanto* lib. 5. tit. 33. *De Privileg.*, & Cap. 5. *Eos, qui* in 6. lib. 3. tit. 23. *De Immun. Eccleſ.*, ubi a Gregorio IX, & Bonifacio VIII. Laicorum ſtatuta Eccleſiarum juri bona adquirendi adverſa, veluti ejuſdem infeſta libertati, infringuntur. Quam perinde libertatem contra Ferdinandum Caſtellæ Regem Gregorius IX. apud

Raynaldum ad an. 1231. n.49, contra Johannem Luſitaniæ Regem Martinus V. apud eumdem Annaliſtam ad an. 1427. n. 19, contra Venetos Paulus V. &c. fortiſſime defendendam adſumpere. Videſis, & Fagnanum in Cap. *Quæ in Eccleſiarum*, & Paſſerinum in Cap. *Eos, qui*. In Germania ſiquæ aliquando Eccleſiaſticæ libertati, & immunitati ſubinfeſtæ latæ ſunt leges apud Gaillard lib. 2. Obſerv. 32, eas revocarunt ſubinde Fridericus II, & Carolus IV, de quibus Anton. Boviqs loc. cit., & Card. Petra ad Innocentii III. Conſt. 10. *Ad noſtram*, qua Pontifex Henrici Græcorum Imperat. legem, qua vetabatur, ne cui liceret de bonis ſuis immobilibus ſive in vita, ſive teſtamento aliquid Eccleſiis elargiri, robore omnino vacuam decrevit, ad Honorii III. Conſt. 1. *His leges*, & ad Bonifacii IX. Conſt. 4. *Juſtis*. Quæ vero a Juſto Henningio Boehmero in Not. ad Fleurii Inſt. Canon. par. 2. cap. 12. de bonor. Eccleſ. alien., & acquiſ. §. 5. memoratur Leopoldi Imp. Pragmatica Sanctio in Comitatu Tyrolenſi an. 1670. lata, & a Carolo VI. deinde confirmata, ad jus dumtaxat amortiſationis ſuæ Auſtriacæ Domui reſervatum reſtringitur. In Belgio editam a Comitibus Sanctionem, ne bona in Eccleſiam transferrentur, ab Urbano V. reſciſſam, nec inde vim deinceps obtinuiſſe ullam fatetur ipſemet Bodinus, auctor a Clemente VIII. juſte damnatus, Reipubl. lib. 5. cap. 5. De Caroli V. Edicto an. 1520. die 19. Octob. pro Belgio lato loquens Petrus Criſtinæus Tom. 1. Deciſ. 201, a Supremis Curiis jure dubitatum ſemper ait: *An hujuſmodi Conſtitutiones rerum immobilium acquiſitiones evertentes valeant, defendique poſſint!* velut Eccleſiaſticæ libertati adverſæ, laudans doctiſs. Pacquet in tract. de Amortiſ., neque conſtanter Edictum ſervatum adfirmans. Edictum illud Caroli V. profert equidem, defenditque Van-Eſpenius. At blateronis hujus Apoſtolicæ Sedis jura laceſſendi audacia eò proceſſerat, ut ipſius opus quoddam hujuſmodi felle plenum publica infamiæ nota Caroli VI. juſſu meruerit infligi. In Hollandia a Willelmo III. Comite Edicto an. 1328. propoſito Eccleſiæ bona adquirendi facultas adempta fuerat. Sed auctor eſt Aubertus Miræus in Chron. ad an. 1300. Comitatu illo Willelmum haud potitum ante an. 1341, poſt quem annum mente impos factus, cuſtodiæque mancipatus vivendi finem an. 1358.

1358. miſere fecit. Igitur Edictum illud aut nunquam fuiſſe promulgatum, aut nullo in pretio habitum, vel a Principe profectum cum ex impotentia, tum ex impietate. Veneti Senatus Decreto, quo alioquin interdictæ haud ſunt adquiſitiones pro ſuſtentatione, & conſervatione Eccleſiarum, & Monaſteriorum, cujuſque auctorem ultro ſe dederat Paulus Sarpius, an. 1606. die 17. Auguſti, interceſſiſſe Paulum V., refragatoſque fuiſſe Doctiſs. Theologos Collegii Bonon. in reſp. pro libert. Eccleſ., Theologos Relig. Servor. in defenſ. Cenſ. Pauli V. cap. 7. n. 27, Theologos alios, Canoniſtaſque, Cardinales Albitium in reſp. ad hiſt. de Orig. Inquiſit. Pauli Sarpii, Baronium in paræneſi ad Remp. Venet., Aſcanium Columnam in Sent. adv. Ven. Reip. Epiſcopos, & Bellarminum in reſp. ad Sarpium, & ad ſeptem Theologos Venet., Gregorium Servantium in defenſ. poteſt., & immun. Eccleſ., Lelium Baleonium in Apolog. contra Conſid. Pauli Sarpii, Joh. Franc. Fagnanum de Juſtitia, & valid. Cenſur. Pauli V, Bernardum Juſti in defenſ. libert. Eccleſ. p. 19, Joh. Anton. Bovium in reſp. ad Paulum Sarpium par. 3. fol. 33, Ugolinum in reſp. ad Juriſc. Gymnaſ. Patav. cap. 6. §. 1, ſeq., Regentem a Ponte in reſp. pro Cenſ. p. 83, ſeqq., Maynardum de Privileg. Eccleſ. par. 2. art. 22. n. 67, Comitolum in tract. Apolog. cap. 1. n. 18, Valenzuolam cont. Venet. par. 3, alioſque plures ignorat nemo. Statutum Mediolanenſe relatum a Signorello Conſ. 21. res immobiles alienari in non ſubditos, niſi certo ſoluto onere, ac Magiſtratus interveniente adſenſu, vetat utique, nihil habet tamen de Eccleſiaſticis. Quinimo neque illud obſervatum unquam fuiſſe teſtantur Menochius lib. 9. Conſ. 878. n. 10, & Maynardus de Privileg. Eccl. par. 2. art. 12. n. 67, ſeq. Contra illud quoque vide, quæ ſcripſit Albericus de Roſatis par. 2. q. 2. in fine apud Marcum Ant. Peregrinum in reſp. Conſer & Thomam del Bene de Immun, & juriſd. Eccleſ. cap. 8. dub. 11. ſect. 1. n. 16, & Dianam Coord. Tom. 9. tract. 3. reſol. 14, ubi diffuſe hoc de argumento. Edicto *De Oneribus* an. 1550. lato, Carolus V. indixit quidem, ut in Ducatu Mediolanenſi qui bona deinceps immobilia adquiſituri eſſent, ad onera, quibus bona illa fuiſſent adfecta, perſolvenda tenerentur. Sed hac lege nec obligatas Eccleſias, nec devincta Mo-

nasteria declaratum est sæpius a Senatu Mediolanensi apud Carpanum in Comment. nov. Constit. §. *Collegiis*, De Pœnis §. *Huic Domino* n. 151, Plotum Addit. ad Cons. 63, Martinum Laudensem, Alexandrum Moneti, Ansossum, alioque, de quibus Gatticus Tom. 2. p. 589, & 610. In utriusque Siciliæ Regno Willelmi I. Regis legem 15. tit. *De Clericis conveniendis pro possessionibus* &c., a Friderico II. una cum aliis ejusdem Regis, ac Rogerii Avi sui Codici suarum Constitutionum insertam, qua jubebat Clericos de rebus temporalibus, quas ab Ecclesia non obtinuissent, coram laico Judice conveniri, nullius roboris habitam ab Andrea de Isernia, velut Ecclesiasticæ libertati infestam, refert ipsemet Jannonus lib. 12. cap. ult. Ita etiam idem Fridericus II. Templariorum, & Hospitalariorum, qui Pontificis Romani partes contra ipsum adjuverant, possessiones occupari an. 1231. imperaverat, teste Riccardo a S. Germano in Chron. ad cit. an.; quin etiam lege vulgata lib. 3. tit. *De Rebus Eccles. non alien.* Clericis, & Laicis ex bonis a Regio censu liberis quidpiam adquirere prohibuerat. Verum, præterquamquod ad duos illos dumraxat Ordines, qui apud ipsum gravem subjerant invidiam, Friderici jussio respexit, eam legem haud observatam, velut Ecclesiasticæ libertati adversam, robore que ideo vacuam, observat Matthæus de Afflicto in Comment. Const. Regni Neapol. lib. 3. Constit. 26. n. 12, cui plane inter Jurisconsultos sui temporis palmam facile tribuit ipsemet Jannonus Tom. 3. lib. 28. cap. ult., eidem legi fortiter intercessit Gregorius IX. apud Raynaldum ad an. 1231. n. 2, & 9; eamdem impugnavit Andreas de Isernia, teste Jannono ipso Tom. 2. lib. 16. cap. ult. §. 1, qui Tom. 3. lib. 22. cap. 7. Andream hunc ob insignem Jurisprudentiam eximiis efferre laudibus non dubitat. Legem illam denique Carolus I. Andegavensis, una cum aliis universim Constitutionibus a Suevis Regibus editis, Ecclesiasticæ libertati, & immunitati adversis, revocasse legitur in suis Capitulis Regni cap. 18. *De Restitut. Eccles. libert.*; nec non Carolus II. in Capitul. suo jubens, ut Ecclesia plena deinceps libertate bona adquirendi frueretur. Quod Capitulare deinde confirmavit Honorius IV. Const. 2. *Justitia* die 17. Septemb. 1285. Bullar. Rom. edit. 1741. Tom. 3. par. 2. p. 40, & apud Raynaldum

dum ad cit. an. n. 29, quæ inſerta ſubinde eſt a Ferdinando I. Aragonio Pragm. 2. *De Cleric., ſeu Diacon. Sylvaticis* Tom. 1. Pragmat. Ita nempe leges ab Auſtriacis Regibus latæ dictæ *Pragmaticæ* ſunt, quemadmodum ab Andegavenſibus *Capitularia*, a Normannis vero, & Suevis *Conſtitutiones*. Ad hæc Clemens IV. in Inveſtitura Carolo I. Andegavenſi conceſſa id expreſſe cap. 19. cautum voluit, ut omni prorſus robore deſtitutæ manerent Conſtitutiones omnes ſuis a Deceſſoribus Normannis, & Suevis latæ adverſus Eccleſiaſticam libertatem, & immunitatem, ut non videre nequivit Jannonus ipſe Tom. 2. lib. 19. cap. ult. §. 1; Cauſſas etiam Clericorum omnes ſive Civiles, ſive Criminales coram Judice Eccleſiaſtico definiri cap. 20. juſſit. Bonifacii VIII. quin etiam Conſtitutionem de Clericorum etiam conjugatorum immunitate ultrocitroque receptam a Roberto Rege an. 1322, a Regina Johanna I. an. 1347, & a Ferdinando I. Aragonio obſervare, non deſtitit Jannonus lib. 19. cap. ult. §. 3. Quorſum ergo Principum jus in hac parte ab Eccleſia poteſtatem auferendi, quominus adquirere bona poſſit, vindicandum, defendendumque ſibi temere ſumpſit? Confer denique, qui Poteſtati laicæ iſtiuſmodi prorſus jus plurimis, validiſque abjudicant, Doctores numero, dignitate, auctoritateque præſtantes, Innocentium III. in Cap. 49. *Noverit De Sent. Excom.* Decret. lib. 5. tit. 32. n. 2, S. Antoninum par. 3. tit. 24. cap. 18, Baronium ad an. 370. n. 117. ſeqq., Petrum Greg. Tholoſanum Syntag. Jur. lib. 2. cap. 28, Joh. Andream in Cap. *Noverit* cit. n. 1., Panormitanum in Cap. 10. *Eccleſia S. Mariæ* Decret. lib. 1. tit. 2. *De Conſtit.* n. 23, Felinum ibid. n. 69, Hoſtienſem in Cap. 12. *Cum laicis* Decret. lib. 3. tit. 13. *De Rebus Eccleſ. non alien.*, Silveſtrum V. *Excommunicatio* §. 9. n. 3, Suarezium adv. Regem Angl. lib. 4. cap. 16, Reginaldum in praxi Tom. 1. lib. 9. cap. 23. n. 359, Boſium in praxi Crim. tit. *De Principe* n. 539, & tit. *De Pœnis* n. 43, Joh. Kockerum in vindic. libert. Eccleſ. par. 1. cap. 11, Petrum Peckium in tract. de Amortiſ. cap. 6. n. 1, alioſque plures apud Dianam Tom. 10. tract. 2. reſol. 103, & Petram Tom. 2. ad Conſt. 10. *Ad noſtram* Innocentii III, Joh. Ant. Blancum, & Joh. Andream Triam Archiep. Tyrenſem in Obſervat. Crit. adverſ. hiſt. Jannoni lib. 2. cap. 5. §. 4. n. 12, ſeqq., & §. 5 n. 2, ſeqq. Ne-

Neque vero solidiora sunt, verique ad speciem accedunt magis, quæ ad Ecclesiam Romanam sua a longæva immunitate dejiciendam congerere Jannonus non destitit. Atque falsum imprimis adsumit Patrimoniorum nomine, quæ jure proprio Romana Ecclesia prisca ab ætate possidebat cum in Oriente, ubi septem in Provinciis eadem consita docent Nicolaus Alemannius de Later. pariet. cap. 15, & Blanchinius in Not. histor. ad Anastasium in vita S. Silvestri Tom. 2. Sect. 34, tum in Occidente, ubi Patrimonia tria super viginti describit Johannes Diaconus in vita S. Gregorii M. lib. 2. cap. 55, quot parirer, & qualia ex S. Gregorii M. epistolis recensere licuit Doctiss. Cennio in Exam. Diplomat. Ottonis I, & S. Henrici Imp. ad calcem differt. Em. Orsii de Orig. Domin. Rom. Eccles. edit. Rom. 1754, Patrimoniorum, inquam, nomine fundos dumtaxat, ac prædia veniſſe, quod sibi falso quoque persuaserat Muratorius De Antiq. Ital. differt. 69, & in plena Expos. cap. 4. Nam sub Patrimoniis illis Regiones integras fuisse comprehensas, quin tamen ante S. Gregorii II. ætatem supremo in eas potiretur Romana Ecclesia dominio, facile discimus ex Johanne Diac. loco præcit., & S. Gregorio M. lib. 7. epist. 39. indict. 11, ad septem Patrimoniorum Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ Curatores exarata. Johannes Diac. etenim de Patrimoniis 23. Siciliæ, Panormi, Syracusarum, Calabriæ, Apuliæ, Samnii, Neapolis, Campaniæ, Tusciæ, Sabinæ, Nursiæ, Carseolis, Appiæ, Ravennæ, Istriæ, Dalmatiæ, Illyrici, Sardiniæ, Corsicæ, Liguriæ, Alpium Cottiarum, Germanicianæ, & Galliæ, nec non de Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, Notariis, ac Defensoribus eisdem regendis a S. Gregorio admotis verba faciens: *Per diversas*, inquit, *Provincias, pro custodia Sacræ Religionis, rebusque Pauperum strenue gubernandis, Ecclesiæ suæ Viros industrios Rectores Patrimoniorum adscivit*. Audis insignioribus Viris iisdemmet, queis Patrimoniorum curandorum provincia fuerat delata, Religionis quammaxime custodiendæ spartam fuisse demandatam! Aliud igitur ab infimo, vulgarique Villicorum officio, & genere illorum fuisse munus, conditionemque oportet; aliudque perinde a fundis, & prædiis longe diversum Patrimonia illa. S. Gregorius vero Patrimoniorum Rectoribus scribens cum Episcopa-

copales Cathedras intra illorum confines incluſas memorat, tum in Epiſcopos Sacrorum Canonum tranſgreſſores diſtringendi jus illis tribuit: *Et ſi quì Epiſcoporum*, inquiens, *quos commiſſi tibi Patrimonii finis includit, cum Mulieribus degunt, hoc omnino compeſcas, & de cætero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis, quos Sacrorum Canonum cenſura permittit*. Putandum ne igitur, tam exiguas poſſeſſiones fuiſſe Patrimonia, intra quæ Cathedrales concluſæ Eccleſiæ erant, proletariique generis fuiſſe homines, quibus in Epiſcopos diſtrictio erat demandata? Patrimonia porro a Conſtantino M. Romanæ Eccleſiæ collata in ſeptem Orientis Provinciis, erant in Græcia, Ægypto, & Africa, ſive Lybia, ac velut habet Luitprandus in ſua Legat. ad Nicephorum Imper., in Judæa, Perſide, Meſopotamia, & Babylonia; uti ſcribit vero Anaſtaſius in vita S. Silveſtri Tom. 2. ſect. 37, ſeqq., erant in Provinciis Euphratenſi, Antiochena, Tyrienſi, & Alexandrina, præter ea, quæ in Africa, & Græcia fuiſſe refert, quibuſque Patrimonia alia in Creta, in Cilicia &c. adjungit. Ex his ergo, præter annuas ſpecies balſami, olei, aromatum, papyri, lini &c. eiſdem Provinciis imperatas, detractaque quin etiam parte decima pro Miniſtris alendis, annuatim Romanæ præſtabantur Eccleſiæ auri talenta tria, & ſemis, teſtibus Nicephoro, & Theophane, Chronog. p. 273. edit. Reg., ſive aurei Solidi 35. mille, qui eum ætatis noſtræ Monetis a Cl. Blanchinio ſect. 34. comparati ſummam conficiunt duplarum Hiſpaniæ 17. mille: ſiquidem in libris 350, in quibus ſummam talentorum auri trium cum ſemiſſe contineri Theophanes adfirmat, auri unciæ 4200. numerantur, dupla vero Hiſpanica unciæ quadrantem pendat. Eòdem recidit ſupputatio ex pondere, & valore ſolidi deducta. Siquidem enim ex æneo pondere Conſtantinianæ ætatis, juris Blanchinii, conſtet duodecim ſolidos auri contineri uncia una, & dodrante, in uncia autem una auri contineantur aurei nummi, ſive duplæ Hiſpanicæ quatuor, proinde in ſolidis duodecim erunt Scuta aurea Romana 14, ſive duplæ Hiſpanicæ 7. Itaque ſolidi 35. mille conficient Nummos 40. circiter mille, ſive duplas Hiſpanicas 20417: e quibus deciſa parte decima pro Miniſtrorum expenſis, reliquæ erunt auri unciæ 4250, ſive duplæ Hiſpanicæ 17. mille. Jam vero parva ne adeo Patrimonia

monia hujusmodi, e quibus tam ingens præstabatur summa pecuniæ, ut eis nonnisi fundorum, ac prædiorum nomen congrueret? Parva ne rursus fundorum portio tria illa quoque Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ Patrimonia, quorum mentio plerisque in S. Gregorii M. Epistolis diligenter a Cennio in cit. Append. p. 218, ac 309. indicatis, ac in epistola S. Nicolai I. ad Michaelem Imper., de quibus etiam præclare Cl. Fontaninus in Defens. 1. Domin. Apost. Sed. cap. 7, seq.? Nempe facilioris præstationis caussa, postquam Theodosio M. defuncto, Orientis Provinciæ infestari a Barbaris occepere, difficiliſque ideo Patrimoniorum Orientis procuratio evasit, Syriæ, Ægypti, Africæ, Ciliciæ, Cretæ &c. Patrimoniis substituta tria ista Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ sunt, ut annua ex postremis hisce præstatio responderet pristinæ illi, quæ ex Patrimoniis Orientis olim proveniebat, nempe auri 350. librarum, sive talentorum auri trium cum semisse. Quam annuam præstationem a Leone Isaurico, postea in transversum acto, interceptam, Fiscoque suo adjudicatam, post quatuor ferme Sæcula demum Romanis a Pontificibus imperatam Normannis Principibus, Sicilia, Calabria, & Apulia potitis, quas imo Provincias fiduciario jure, subque annuo censu Romanæ Ecclesiæ referre acceptas compulsi sunt, ex Baronio ad an. 1059. n. 69, seqq., ac Pagio ibidem discimus. Nam ex imperato a Nicolao II. an. 1059. Roberto Viscardo denariorum Papiensium 12. censu in singula terræ jugera parem quam proxime summam Aureorum 35. millium, juxta mensuram a Vaubano excogitatam, colligit cit. loco Blanchinius. Postremo, ut de Patrimoniis aliis sileam, modica ne adeo portio Alpes Cottiæ, a Rege Cottio, qui eas perdomuit, sic dictæ, quæ primum Johanni VII. ab Ariperto an. 704, ut indicat Anastasius in Johanne VII, seu verius an. 707, ut habet Hermannus Contractus in Chron. ad hunc an. edit. Canisii, ac subinde S. Gregorio II. a Luitprando collatæ, Dertonam, Aquas Statellas, Savonam, & Januam, Alpesque inde omnes usque ad Galliarum fines, a quibus nempe incipiebant, a Segusio videlicet, unde earum initium sumit Ammianus Marcellinus lib. 15. cap. 10, seu verius ab Ebruduno, veluti notatur in Itinerario Burdigalensi, comprehendebant, velut habent Paulus Diaconus lib. 2. cap. 16, & lib.

& lib. 6. capp. 28, & 43, ac Oldradus Mediolanenſis Antiſtes in epiſt. ad Carolum M. apud Baronium ad an. 712. n. 9, videndus etiam ad an. 715. n. 6, obſervantque Balduinus in Not. ad vitam Johannis VII. Anaſt. Tom. 4. ſect. 178. p. 147, Thomaſſinus vet., & nov. Diſcipl. par. 3. lib. 1. cap. 27. n. 17, Auctor Obſerv. Crit. adv. Carli lib. 2. p. 59, ſeqq., Acami de Monet. Orig. §. 1. p. 12. ſeqq., ac Cennius in cit. Append., & in Not. ad cit. diſſert. 69. Muratorii.

Falſum id perinde quammagis Patrimonia illa Principum juriſdictioni fuiſſe obnoxia, dependique ex iiſdem tributa debuiſſe. Neque id probat ſane factum S. Gregorii, a quo ideo Patrimoniorum Rectores aſperrime objurgatos jactat Jannonus, quin tamen locum indicet, e quo id deſumpſit, quod eadem Patrimonia a publica Magiſtratuum juriſdictione ſubducere tentaſſent. Nam is lib. 4. ind. 13. Epiſt. 44, ſive in Synodo Romana an. 598, ceu notat etiam Gloſſa in Can. 1. *Conſuetudo* 16. q. 6, id unum in Rectoribus illis gravi reprehenſione, pœnaque dignum reperit, & deprehendit, quod prædiis, quæ Eccleſiaſtici juris eſſe vix, ac ne vix quidem ſuſpicarentur, fiſcali confeſtim more, titulos imponerent, neque judicio eadem, ſed violentia defendenda ſuſciperent. Nempe mos apud Veteres obtinuerat in bonis ad Fiſcum devolutis titulos Imperatoris imprimendi, unde fieret, ut qui titulum legeret, potentia nominis exterritus ab invaſione abſtineret: cujuſmodi moris mentio apud Caſſiodorum lib. 4. Variar. epiſt. 14, lib. 5. epiſt. 6, & lib. 9. epiſt. 18. occurrit, nec non LL. 11, & 20. Cod. Theod. *De Bonor. proſcript.*, ac L. 3. Cod. *De Bonis Vacant.*, de quibus etiam loquuntur titulis Novel. Juſtin. 17. cap. 15, Nov. 28. cap. 5, Nov. 29, cap. 4, Nov. 30. cap. 8, & LL. 1, ſeq. Cod. *Ut nemo privatus titulos prædiis* &c., ubi adeundus Rævardus in Rubr., Edictum Theodorici Regis cap. 45, ſeq., L. 5. Cod. *De Delator.* tit., Cod. *de his, qui potent. nom. tit. præd. adſig.*, quos etiam ad titulos reſpexit S. Auguſtinus in Pſal. 55, & Tract. 7. in epiſt. S. Johan. Qua de veteri conſuetudine conſulendi Duarenus lib. 2. diſput. anniverſ. cap. 40, Pithœus Gloſs. V. *Titulos imponere*, & Lindenbrogius in Gloſſario Vet. Leg. Alaman. p. 1488. Fiebat inde quoque, ut ſi quis prædia titulis his inſignita invadere non fuiſſet veritus, confeſtim

ullo abſque judiciario ordine graviſſimis ſubjiceretur pœnis. Juxta hunc igitur morem, Eccleſiis adfigi tituli antiqua ab ætate cœperant, quibus eadem quaſi Divino juri mancipata indicarentur; qua de re Baronius ad an. 112. n. 4, ſeqq. E Templis ad prædia ſub S. Gregorii ævum transferri cœperant tituli, quibus eadem Divini velut eſſe juris, ideoque omnibus veneranda, ſignificarentur, atque ita quidem, ut iis etiam prædiis imponerentur, quæ alioqui certo nedum conſtabat, an revera juris Eccleſiæ eſſent; ita nempe facto, non jure Eccleſiis bona vindicando. Id igitur recte S. Gregorio diſplicuit, prædiis deinceps imprimi titulos ante prohibens, quam de cauſsa probe cognitum fuiſset, eademque pertinere ad Eccleſiam indubie conſtitiſset. Cæterum ex mandatis, quæ multis oppido in epiſtolis, de quibus dictum, ad Patrimoniorum adminiſtratores S. Pontifex ſcripſit, liquido adparet plena illorum juriſdictione Romanam potitam Eccleſiam. Legere pleraſque inter alias placeat Epiſtolam 39. lib. 7. indict. 11, cujus exemplar ad ſeptem Patrimoniorum Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ adminiſtros directum fuerat, in qua ne vola quidem de tributo ſolvendo; cujuſce nec leve γρῦ, veſtigium extat tot in Diplomatibus relatis in libro Diurno ab Holſtenio, & Garnerio vulgato, in quibus alioqui Patrimoniorum mentio paſſim occurrit, velut in Diplomatibus Ludovici Pii, Othonis I, S. Henrici, Roberti, Rodulphi &c. Neque Jannoni opinioni favet tam longe petitum, ex S. Ambroſio videlicet relato Can. 27. *Si tributum* 11. q. 1, argumentum, cujuſce legitimus jam paullo ſuperius explanatus eſt ſenſus. Nempe S. Ambroſio eam inſediſſe mentem oſtendimus, ut Eccleſia quidem ad ſolvenda tributa cogi nequeat, ſi cogatur tamen, Chriſti D. exemplo, offenſionis vitandæ gratia, ſolvere non detrectet. *Si tributum*, inquit, *petit* (Imperator), *non negamus*. Quin etiam de Agris Eccleſiæ loquens: *Imperatori*, ſubjungit, *non dono, ſed non nego*. Siqui igitur Imperatores, veluti Conſtantinus Pogonatus, & Juſtinianus Ritmenus Eccleſiæ Romanæ immunitatem a tributis relaxaſſe, adſeruiſſeque ferantur, ea non tam conceſſio, quam reſtitutio immunitatis, ab Imperatoribus qua Apoſtatis, ut Juliano, quam Arianis, ut Valente &c. vindicatæ, reputanda eſt, veluti recte advertit

tit Baronius ad an. 387. n. 13. Atque Jannono quidem jam ſatis factum, ſuperque.

Quia vero non nemini viſum eſt inſuper ex Regaliæ jure in Reges deſcendere jus repetendi ex bonis Eccleſiaſticis vectigalia, tributa &c., & huicce difficultati præſtabit obviam ire, eaque pro enucleanda, diſſolvendaque obſervare primum obiter non pœnitebit, Regalium nomine venire dumtaxat 1. Bona Feudalia a Regibus Eccleſiis collata, quorum fructus, vacantibus Eccleſiis, fiunt Regis. 2. Beneficia Juris Patronatus Regii, ideſt a Regibus ipſis fundata, quibus vacantibus præſentare idoneam perſonam Regii juris eſt. Non etiam venire bona mere Eccleſiaſtica, vel a privatis, vel etiam ab ipſis Principibus Eccleſiis donata, non tamen in Feudum, quorum ideo fructus, vacantibus Eccleſiis in Regis uſum cedant: neque beneficia Eccleſiaſtica cujuslibet genus, quorum præſentatio ad Regem pertineat, multoque minus venire jus præterea eligendi, atque inveſtiendi, veluti non nemo dicere ſomniavit, velut oſtendit Emin. Noriſius hiſt. Inveſtit. cap. 16. p. 547, ſeqq. In illis, non in iſtis, uti contendit Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. ad Sæculum XIV. diſſert. 8, integrum ſiſtit Regaliæ jus, ſive jus Cuſtodiæ, de quo egregie Blancus de poteſt. & polit. Eccleſ. Tom. 2. lib. 6. §. 6, ubi luculenter Natalem refellit, idque argumenti docte perſequitur. Nec in illis imo primi generis bonis jus Regibus adquiritur, niſi ex Apoſtolicæ Sedis indulto, quod frequenter collatum ſcimus. Quamquam decurſu temporis, ideſt poſt Sæculum XII, cuſtodiæ Regiæ jus ad beneficia quælibet vacantia extenſum fuerit: ita tamen, ut auctoritate Regia quidem illorum fructibus recipiendis præficerentur Œconomi, iidem vero fructus cum in Eccleſiarum utilitatem impenderentur, tum Succeſſoribus ſervarentur. Vide-ſis de hiſce plura diſſerentem Thomaſſinum vet., & nov. Diſcipl. par. 3. lib. 2. cap. 54. Quam Eccleſiæ diſciplinam, ut nempe de vacantis Eccleſiæ redditibus nihil percipere, inque proprios tranferre uſus Principibus fas ſit, in Eccleſia Gallicana receptiſſimam, adprobatam, ratamque in Conciliis Regienſi an. 439. Can. 5, Francofordienſi an. 794. Can. 41, Pontigonenſi an. 876. Can. 14, & Troslejano an. 909. Can. 14. fateri non dubitat Petrus de Marca de Con-

cord. lib. 8. cap. 18. n. 11. Atque de his quidem, ut attingamus pauca, dimissisque iis, quæ in partem utramque de Regaliis a Catholicis disceptari solent, paucis, quoad ejus fieri poterit, occurrendum Protestantibus, quibus id perverse studii incubuit, ut ex Regalium jure potestatem Ecclesiasticam quoad temporalium bonorum jus, & administrationem everterent, & evellerent. Itaque nullo jure, nisi ex Ecclesiæ indulgentia adquisito, Sæculares Potestates Ecclesiarum vacantium aut fruendi redditibus, aut easdem vacantes Ecclesias conferendi potiri, certa, & constans est Catholicorum sententia contra Puffendorfium, sub larva Severini de Mozanbano latentem, lib. de statu Imp. German. cap. 8, Henricum Coccejum in Jurispub. prudentia cap. 23, seqq., Pfaffium de Orig. Juris Eccles. cap. 4, seqq., Masium Hasnien. sem in Interesse Princip. circa Relig. Evangel., Thomasium in dissert. de Juribus Princip. Evangelicor., Hennigesium de sum. Imperat. potest. circa Sacra, Bebelium in dissert. de Beneficiis Magistratui Politico exhibitis, Rechenbergium in disput. historico-Politic. par. 1. disp. 16, & par. 2. disp. 24, Fridericum Georgi in gravaminibus contra Sed. Apostol. lib. 1. cap. 1, præsertim vero Vitriarium Instit. Juris publ. lib. 3. tit. 12, Pfeffingerum in Adnotat. ad Vitriarium p. 82, seqq., Ochellum de Palatio Regio, Schilterum de libertat. German. lib. 5. cap. 6, Meimbomium in dissert. de Jure antiq. Imper. Germ. Tom. 3. Rer. German. p. 185, seqq. Quibus adstipulati sunt Molinæus in Regulas Cancell. de Infirm. resign. n. 417, D. Lovet Curiæ Paris. Consiliarius in Observat. ad Regul. de publicandis resignat. n. 280, & ad Regul. de Infirmis resignan. n. 416, Anonymus Regalista Auctor libri Gallice inscripti *Traitè des Droits du Roy sur les Benefices* &c. Catholicorum porro concors sententia, in qua fuere profecto Gallicani Episcopi Parisiis congregati an. 1682. in litteris 3. Non. Febr. datis ad V. Innocentium XI, Monum. Cleri Gallic. Tom. 11. p. 199. edit. 1717. ex Ecclesiæ concessione, ac consensione Regaliæ jus a Regibus adquisitum apertissime adfirmantes, Natalis Alexander cit. dissert. 8. art. 8, &c., fundatur in iis ipsis Patrum, Conciliorum, ac Pontificum repetitis decretis de Ecclesiasticorum bonorum immunitate, laicosque quoslibet a vacantium

tium Eccleſiarum bonis occupandis procul arcentibus. Quibus argumentis nunc prætermiſſis, atque imprimis in ſolis principiis Juris Naturalis, & Gentium ſiſtendo, ſic arguere fas eſt. Bona Eccleſiaſtica qua a privatis, qua a Principibus abſolute Eccleſiis. Piiſque locis donata fuere: de privatis fidem abunde faciunt Euſebius de vita Conſtantini lib. 2. cap. 39, S. Gregorius Nazian. epiſt. 80, & in Teſtam., S. Joh. Chryſoſtomus hom. 37. in Matth., & 21 in epiſt. ad Corinth., S. Auguſtinus ſerm. 355, alias 49. de Diverſ., Paulinus in ejus vita, Salvianus lib. 2. ad Eccleſ., S. Nicolaus I. epiſt. 59. ad Adonem Vien., & in Append. epiſt. 15. ad Nobiles Aquitaniæ, Concilia Carthaginenſe IV. Can. 95, Vaſenſe Can. 4, &c., ac legendi Morinus, Thomaſſinus, Muratorius Antiq. Ital. diſſert. 67, 68, 71, &c., de Principibus vero liquet ex innumeris ipſorum Diplomatibus apud Ughellum, Mabillonium, Dacherium, Pezium, Ecchartum, Thomaſſinum, Baluzium, Muratorium, Heumannum &c., quorum pleraque ſupra tetigimus, ex Synodo Aurelianenſi I. Can. 5. de Chodoveo, ex S. Avito Vien. epiſt. 30. de Gundobado Burgundiæ Rege &c. Jam vero bona ſic abſolute donata in dominium, ac poteſtatem abſolutam Eccleſiarum, Piorumque locorum tranſcripta ſunt. Quemadmodum igitur temporalia bona a Sæcularibus emptione, vel donatione adquiſita jure naturali, ac gentium illorum ita proprii juris fiunt, ut abſque injuria, crimineque injuſtitiæ a Principibus in jus ſuum transferri nequeant: unde Covarruvias Variar. reſolut. lib. 3. cap. 6, poſtquam num. 7. oſtendiſſet jure gentium, & naturali teſtandi libertatem hominibus competere L. *Nec enim* §. *Deportati* ff. De Milit. teſtam., L. *Milites* Cod. eod. tit., §. *Singulorum* Inſt. De Rer. diviſ., §. *Quod vero* Inſtit. De Jure nat., gent., & Civil., junctis ibidem Juriſconſultis, concludit a Principe hanc teſtandi libertatem jure naturali, & gentium innixam tolli nequire, & n. 8. contra Paulum de Caſtro neque ex poteſtate abſoluta, (de ordinaria namque ille conveniebat,) Principem teſtamentis derogare poſſe inde probat, quod quæ jure naturali, & gentium inſtituta ſunt, poteſtate nec ordinaria, nec abſoluta tolli a Principe queant: ita neque Eccleſiaſtica bona in proprium jus transferre Principi fas erit. Atque hoc quidem argumenti genere,

nere, quod ex S. Ambrosio, & Concilio Agathensi Can. 4, confirmat, adversus Publicistas usus est Alexander III. in epist. 19. Append. 1. edit. Harduini ad Upsalensem Archiep., ejusque Suffraganeos in Svetia, & Gothia, & ante ipsum Benedictus III. in epist. ad Galliar. Episcopos apud Dacherium Spicileg. Tom. 4. p. 403. Eadem ratione bona Ecclesiastica in tuto collocanda suscepere S. Nicolaus I. epist. 3. ad Adonem Vien. edit. Sirmondi, sive 59. edit. Hard., Hincmarus epist. 9. ad Episcopos, & Proceres suæ Provinciæ, epist. 12. ad Ludovicum III. Franc. Reg., epist. 45. contra Actardum Nannet., &c., Atto Vercellensis lib. de pressuris Eccles., Agobardus Lugdun. lib. de dispensat. rer. Eccles., Arnulphus Lexov. serm. habito in Synodo Turonensi, &c.; Synodi Antiochena an. 341. Can. 24, relato a Gratiano Can. 5. *Quæcumque* 10. Q. 1; cuique conformis est Canon Apostol. 39. in vers. Gentiani Herveti, sive 41. in vers. Dionysii Exigui, quove defuncti Episcopi res successori reservandæ indicuntur; Ephesina Act. 1. in Epistola Synodica ad Clericos, & Œconomos Ecclesiæ Constantinopolit., quibus, Nestorio deposito, Ecclesiæ vacantis redituum cura, & custodia demandatur; Regiensis an. 439. Can. 6, quo viduatæ Ecclesiæ rerum curam gerere vicinior jubetur Episcopus; Chalcedonensis Can. 25, quo reditus Ecclesiasticos, defuncto Episcopo, apud Oeconomum integros servari statuitur; Aurelianensis II. an. 533. Can. 6, quo vicino mandatur Episcopo, ut Episcopi defuncti res accurate descriptæ, Sacris personis diligenter custodiendæ tradantur, Parisiensis V. an. 614, vel seq. Can. 7, Clotario II. Regi probato, quo viduatæ Ecclesiæ reditus, ac res Archidiaconi, vel Cleri custodiæ concreduntur; Parisiensis VI. an. 829. lib. 1. capp. 15, 16, 17, & 18, quibus Canonibus 41. Apostolorum, 25. Antiocheno, decretisque SS. Gelasii, & Symmachi inhærendo, Ecclesiarum bona jure proprietario ad Ecclesiam pertinere declarantur. Quod inficias neque ausi pro religione sunt ire Carolus M., & Ludovicus P. Capitular. lib. 1. cap. 83, lib. 5. cap. 233, lib. 6. capp. 134, 296, 302, 305, & 321, ac lib. 7. capp. 261, & 265; Ticinensis in Pontigonensi an. 876. confirmata, probataque Carolo Calvo capp. 10, & 14, quibus Ecclesiarum res sive mo-

mobiles, ſive immobiles auferri, ac in laicorum uſum transferri prohibentur, ſed Epiſcopis defunctis Oeconomo cuſtodiendæ, ac Succeſſori reſervandæ præcipiuntur; Troslejana an. 909. Can. 14, quo Valentino in Hiſpania Can. 2. inſtaurato, viciniori Epiſcopo viduatæ Eccleſiæ res, ac reditus commendantur. Quæ ipſa Synodorum decreta religioſe, ut par erat, obſervanda per ſemet curaſſe leguntur Otto IV. Imp. Diplom. ad Adolphum Colon. an. 1198. apud Lunigium Spicileg. Tom. 1. cap. 2. p. 340, atque altero an. 1209. ad Albertum Magdeburg. apud Meibomium rer. German. Tom. 3. p. 127, Fridericus II. Conſtit. an. 1213. edita apud Goldaſtum Conſtit. Imper. p. 289, aliique viri Principes apud Catellum hiſt. Comit. Toloſan. p. 195, Baluzium in Not. ad Concord. Petri de Marca lib. 8. cap. 18, &c.

Quæ monumenta ſane fruſtra Regaliſtæ, Publiciſtæque ſollicitant, vexantque, reponentes Regalium juribus neque ex Eccleſiæ decretis, neque ex Principum ceſſione, & conceſſione quidquam deperire: quippe tam ex Principum, quam ex Eccleſiarum teſtimonio liquido conſtet, nec Eccleſiaſtica bona, nec bonorum eorumdem fructus ad Regalia, ſive jus Regum pertinere, ſed jure proprietario ab Eccleſia poſſideri. Quorum rationes paullo poſt rite expendentur. Ut illis vero levia hæc videantur, adeo gravia tamen ſemper habita ſunt, ut ad hanc uſque poſtremam ætatem de vi ſua apud æqui, juſtique æſtimatores nihil prorſus amiſerint. Vim enim nedum ex Jure naturali, & gentium, ſed ex Divino præterea jure accipere Eccleſiæ ſoli reſervatam poteſtatem conferendi beneficia Eccleſiaſtica, vacantiumque percipiendi fructus non dubium eſt: quo gemino frui jure laica Poteſtas, abſque Eccleſiæ conceſſione, aut conſenſu nequeat. Enim vero dum Beneficium confertur, duplex collatum intelligitur jus, nempe percipiendi temporalia, & miniſtrandi ſpiritualia, quorum primum *Præbenda*, poſterius *Officium* adpellatur Cap. 15. *Quia* de Reſcriptis in 6, ſive ut loquitur Gofridus Vindocin. in Opuſc. ad Calliſtum II. de Inveſt., unum, quod *Epiſcopum perficit*, ideſt ſpirituale, alterum, quod *Epiſcopum paſcit*, ideſt temporale. Officium rurſus vel conjunctum eſt cum Juriſdictione ſpirituali, vel adjunctam dumtaxat habet obligationem aut rebus Divinis

in-

inserviendi, aut res administrandi Ecclesiasticas. Quum igitur fingitur laica Potestas jure proprio conferre Præbendam; cui Officium cum Jurisdictione spirituali conjunctum est, si & hoc Officium conferre intendat, palam fit jus Divinum ab ea usurpari, Jurisdictionem nempe Divino jure manantem. Quod ideo vetitum a Pontificibus, Synodisque quotquot scimus, quibus Investituræ res admodum invisa accidit. Si vero Præbendam dumtaxat conferre præsumat, Officii collatione Ecclesiæ reservata, jam sequitur, quod Ecclesia vel cogatur eidem Officium conferre, cui collata fuit Præbenda, quod est contra Justitiam, ac Religionem; vel cogatur Officium conferre alteri, cui Præbenda collata non fuit, quod est pariter contra Religionem, ac Justitiam; primum, quia non amplius de Altari vivet, qui Altari deservit; secundum, quia contra Benefactorum volontatem a piis usibus separantur bona, quæ in usus pios a Fidelibus Ecclesiis donata fuerant. Atque hoc argumento Ecclesiasticorum bonorum collationem, usumque uni Ecclesiæ vindicasse leguntur Hincmarus præcit. epist. 9, & 12, Ratherius Veron. lib. de discordia inter ipsum, & Clericos, ac lib. de contemptu Canon., Carolus M. ipse in Capitul. Aquisgranensi an. 803. cap. 1, Hugo Lincolnienſis Episcopus in resp. ad Angliæ Regem apud Baronium ad an. 1186. n. 18. Quò etiam spectabant Synodi Aquisgranensis I. an. 816. lib. 1. cap. 35, Aquisgranensis II. an. 836. cap. 2. Can. 7, quibus res ideo Ecclesiæ fidelium vota, pretia peccatorum, pauperum patrimonia vocantur, Valentina ex tribus Provinciis Lugd., Vien., & Arelat. an. 855. Can. 21, quo Ecclesiæ bona usibus dumtaxat Ecclesiasticis mancipata, Deoque oblata dicuntur, Tullensis II. an. 860. Can. 1, quo Ecclesiæ res juris Ecclesiastici dumtaxat esse affirmantur, cujus etiam digna lectu epistola Synodica contra rerum Ecclesiasticarum pervasores, Duziacensis I. an. 871. par. 3. cap. 5, quo juxta Canones Apostol. 39, & Antiochenum 24, seq. Hincmarus Laudunensis Episcopus ob Ecclesiasticas res Normanno traditas damnatus legitur; aliæque plures, de quibus mox. Si vero dicatur laica Potestas conferre Præbendam, cui adnexum est Officium non mere spirituale, puta Ministerii dumtaxat externi, vel administrationis rei temporalis ad Ecclesiam atti-

attinentis, uti ſunt Capellaniæ, Precariæ laicæ, Præſtariæ &c., quamvis id poteſtatis laicæ limites non excedat, ſequitur inde tamen, quod Eccleſia tum grave patiatur incommodum, ac præjudicium in ſpirituali adminiſtratione, ſiquidem mediis privatur aptis ad dignos remunerandos Clericos, eoſque ad digne obeunda munia excitandos. Atque ita ferme arguebant Paſchalis I. apud Gratianum Can. 7. *Siquis* 1. Q. 3. ex epiſtola ad Archiep. Mediolan., de qua Antonius Auguſtinus lib. 1. Dialog. 4. de emend. Gratiani, & Manſius Supplem. Tom. 1. p. 803, quam etiam integram referunt Jvo par. 2. cap. 84, & Gerhous Reichersbergenſis Præpoſitus Comment. in Pſalm. 25. apud Pezium; Urbanus II. in epiſt. ad Lucium Præpoſit. S. Juventii hunc Paſchalis I. locum proferens; Paſchalis II. etiam in Statuto apud Jacobum Petitum Tom. 2. Pœnitent. Theodori Cantuar. p. 420, & in epiſt. ad S. Anſelmum; S. Petrus Damiani lib. 1. epiſt. 12. ad Alexandrum II; Petrus Diaconus cap. 42; S. Anſelmus Lucen. lib. 1. Apolog., ac videndi Lupus Tom. 3. p. 91, ſeq., ac Noriſius hiſt. Inveſtit. cap. 3. Denique ut S. Thomas 22. q. 100. art. 4, & S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanenſi I. an. 1565. Conſtit. par. 2. cap. 62. docent in Beneficiis temporali ita ſpirituale adnexum conſiderari, ut propter officium ideo conferatur beneficium, quod ideo nec ſeparari, nec diſtrahi, nec vendi queat; ubi quoque bona primum Eccleſia poſſidere cœpit, eadem bona eam tum naturam, & conditionem induiſſe, ut in alium, quam ſacrum, & pium converti uſum nefas ſit. Qua ratione Synodus Arvernenſis I. an. 535. Can. 5. res Eccleſiæ a Regibus obtinere deſiderantes anathemate ferit; cujus etiam legendus Canon 14, conferendique Canones 25, & 35. Aurelianenſis IV. an. 541, Aurelianenſis V. an. 549. Can. 8, & 16, approbati deinde in Arvernenſi II. an. 549, aliique hujuſce genus paſſim; Nicæna II. an. 787. Can. 12. a Principibus quidpiam de Eccleſiarum bonis percipi omnino prohibet; Francofordienſis an. 794. Can. 41. Eccleſiæ viduatæ res Eccleſiaſtici juris eſſe decernit; Synodus apud Theodonis Villam an. 844. cap. 4. Principes admonet, ut a rebus Eccleſiaſticis religioſe ſibi abſtinendum ſciant; Vernenſis II. eodem anno Can. 12. Eccleſiarum bona Regibus tam reverenda, qua-

ablata reſtituenda indicit: quæ plane admonitio Carolo Calvo Regi a Belvacenſi an. 845. Can. 3, & a Meldenſi eodem anno Can. 11, & 17. inſtaurata eſt; Moguntina I. an. 847. cap. 6. Eccleſiæ res defendi, & cuſtodiri a Regibus debere, non ad ſe rapi, ac diripi docet; Ticinenſis an. 855. in exhortatione ad Ludovicum Imper. ejuſdem religioni Eccleſiaſtica bona Eccleſiis integra cuſtodienda, ſervandaque commendat. Cui jungenda Iſaaci Lingon. Capitula Eccleſ. tit. 6. *De Rapacibus* cap. 6, ſeqq., ac tit. 7. *De Sacrilegis* cap. 1, ſeqq., & Herardi Turon. Capitula item Eccleſ. capp. 65, 81, &c.; Cariſiacenſis an. 858. in Synodica ad Ludovicum Germ. Regem cap. 7, ſeq. res ab Eccleſiis, ac Monaſteriis auferri vetat, ablataſque a Carolo fratre reſtitui monet. Conferenda etiam Piſtenſis an. 863. capp. 1, & 4; Synodus apud S. Macram an. 881. cap. 5, ſeq. rerum Eccleſiaſticarum deprædatores homicidas, & Sacrilegos dicit, eos cum Anania, & Saphira, ac Juda comparans, atque Regem ſerio admonet de obligatione rapta bona reſtituendi. Quibus conformes ſunt Triburienſis an. 895. Can. 7, Legionenſis an. 1012. Can. 4, Toloſanæ an. 1056. Can. 8, aliique plures, quos modo percenſere non vacat. Videndi Apamienſis Epiſcopus in Tract. de Regalia lib. 1. cap. 11, & lib. 2. capp. 1, 3, 6, ſeq., ac Roncalia in Animad. ad Natalis Alex. diſſert. 8. Sæculi XIII, & XIV. art. 8. §. 1, ſeqq.

Tria ſunt porro, in quibus vim potiſſimam Regaliſtæ, ac Publiciſtæ faciunt, Regibuſque jus adſerendi Regalia argumentum petunt: 1. Reges Eccleſiarum Protectores, ac defenſores eſſe. 2. Eccleſiarum Fundatores, ac fundorum largitores. 3. Dominos Feudorum, quibus Eccleſiæ potiuntur: ideoque triplici ex hoc capite Regii juris eſſe Regalia, iſtoque nomine venire cum Beneficia vacantia conferendi facultatem, tum Beneficiorum vacantium fructus percipiendi. Ita præter ſupracit. Proteſtantes, ex Gallis Juriſperitis apud Natalem Alex. cit. diſſert. 8. art. 1. Arnulphus Ruzæus de Jure Regal. in præfat. 1, & 2. par., Philippus Probus de Jure Regal. q. 1, Ægidius Magiſter de Regaliis cap. 1, Petrus de Marca Concord. lib. 8. cap. 19, Renatus Choppinus de Sacr. Politia in præf. num. 11, & lib. 1. tit. 7, Sixtinus Rei-

Reinerus de Regal., Gaſpar Audoul de Orig. Regal. a Clemente XI. damnatus, ipſeque Natalis ibid. Art. 2, ſeqq. Quod utrumque juris caput ita ferme probandum adſumunt, atque Beneficia conferendi jus quidem antiquo, frequentique uſu, quo conſtare ajunt Regum juſſu Eccleſiis præfectos Epiſcopos, veluti S. Medardum an. 520. Veromandenſi, teſte Fortunato Pictav. in ejus vita, Trevirenſi an. 526. S. Nicetium, teſte S. Gregorio Turon. vitæ PP. cap. 7, Nicetium alterum Lugdunenſi an. 550. apud eumdem S. Gregorium ibid. cap. 8, Turonenſi Euphronium juſſu Clotarii I, de quo idem Scriptor hiſt. lib. 4. cap. 15, Sulpitium Bituricenſi Guntramni juſſu, Santonenſi Emerium juſſu ejuſdem Clotarii apud cit. S. Gregorium Turon. lib. 4. cap. 26, S. Romanum a Clodoveo II. an. 623. circiter Rotomagenſi, de quo ejus vitæ Scriptor, Arvernenſi Quintianum a Theodorico, teſte S. Gregorio Turon. lib. 3. cap. 2, ac ſubinde Cautinum a Theobaldo, & Catonem Turonenſi apud eumdem S. Gregorium lib. 4. capp. 7, & 15, Cœnomanenſi S. Domnulum, de quo idem Scriptor lib. 6. cap. 9, Felicem Nannetenſi, ibid. cap. 15, Ruthenenſi Innocentium ibid. cap. 38, Paſcentium, Chariberti juſſu, Pariſienſi apud eumdem S. Gregorium Turon. lib. 8. cap. 39, Caroli Regis conſenſu Senonenſi Anſegiſum, de quo Sirmondus Concil. Gall. Tom. 2. form. 9. p. 649, & Remenſi Hincmarum apud Flodoardum lib. 3. cap. 5; a Dagoberto, a Sigeberto, a Theodeberto, a Chilperico &c. SS. Amandum, Ommatium, Eligium, Lambertum &c., Arvernenſi Projectum an. 670. decreto Clodoveii. Regis, teſte vitæ Scriptore, S. Ansbertum cum Regis licentia Rotomagenſi an. 676, &c. Ita Maimburgus, Talonius, Natalis, Vertot &c., iſtiuſmodi antiquiſſimi moris, juriſque retinentiſſimos extitiſſe Reges ſecundæ, ac tertiæ Dynaſtiæ ſubjungentes. Conſtare præterea iſtiuſmodi Beneficia conferendi jus Regium deprædicant ex Synodo Aurelianenſi V. an. 549. Can. 10, quo *Cum voluntate Regia, juxta electionem Cleri, & Plebis* Epiſcopus inaugurari jubetur, ex Clotarii II. Edicto an. 614, in Remenſi deinde Synodo an. 625. Can. 3. probato, quo *Per ordinationem Principis* eligendus Epiſcopus indicitur; ex Marculfi Formulis lib. 1. form. 5, ſeq. tit. *Præceptum de Epiſcopatu*, ubi

cum Episcopis tractatu præhabito, a Rege viduatæ Præsul Ecclesiæ designatur; ex Synodis Germanica an. 742. Can. 1, quo *Per consilium Sacerdotum, & optimatum* Episcopos per Civitates, & super eos Archiepiscopum S. Bonifacium Moguntinum ordinasse Carolomannus legitur, & Suessionensi an. 744. Can. 3, quo a Pippino Episcopos per Urbes, & Archiepiscopos Abelem, & Ardobertum, de Episcoporum, & Optimatum consilio, constitutos constat. Ad hæc Johanni X. P. M. Regaliæ jus istud probatum inde suadent, quod epist. 1. ad Herimannum Colon. apud Sirmondum Concil. Gall. Tom. 3. p. 575. eumdem acerbe reprehendit, quod Carolo Simplice Rege inscio, prout consuetudo ferebat contraria, Hilduinum Tungrensi præfeciset Ecclesiæ. A Gallicana vero, in qua potissimum Regaliæ jus viguisse pugnant, ad alias ubique gentium Ecclesias excurrendo, idem obtinuisse jus ostendere conantur. Ita Græcos Imperatores istiusmodi retinentissimos juris adparere ex Pauli ad Episcopatum Antiochenum provectione, cui suffragatum Justinum liquet ex Dioscori Apocrisarii relatione ad S. Hormisdam apud Baronium ad an. 519. num. 79. *Imperatoris nutu* ordinandus Nestorii successor indicitur a Synodo Ephesina Act. 1. Ex Justiniani consensu Johannem primæ Justinianæ præfectum adprobat S. Gregorius M. lib. 4. epist. 78. In Anglia cum Regis assensu eligi Episcopos a Legato suo voluit Innocentius III. lib. 4. epist. 138. A Synodo Barcinonensi an. 599. cap. 3. Regum Hispaniæ jus in Episcoporum electionibus non reprobatur: quin imo Præsules deligendi facultas Ervigio Regi facta legitur a Toletana XII. cap. 6. Cujus etiam Regis edicto præfici Episcopi *Ex conniventia Principum* jubentur apud Thomassinum vet., & nov. Discipl. par. 2. lib. 2. cap. 15. num. 5. In Scotia nonnisi ex Regis concessione Episcopos fieri licuisse refert Eadmerus hist. Novor. lib. 5. de Alexandro Rege loquens. Quod ipsum de Henrico II. prohibente, ne Anglicanis Ecclesiis præficerentur Antistites, Regio absque placito, tradit Robertus de Monte ad an. 1175. In Germania electos ex consensu Othonis II. S. Wolfangum Ratispon. liquet ex ipsius vita apud Surium ad diem 1. Octob. cap. 1, Othonis III. S. Herbertum Colon. testatur ipsius vitæ scriptor apud eumdem Surium Tom. 2.

ad

ad 19. Mart., Henrici I. S. Meinvercum Paderbon. conſtat ex eodem Scriptore Tom. 3. ad 5. Jun., quod ipſum de Tagmone Magdeburg. memorat Thomaſſinus cap. 38. num. 1, ac generatim de Epiſcopis Germaniæ Eccleſiis admovendis ex Imperatorum conſenſu teſtatur Æneas Silvius epiſt. 356. Quod vero ad Regaliæ jus alterum pertinet, vacantium Eccleſiarum reditus aut proprios in uſus, aut in Laicorum, quos mallent, favorem vice plus ſimplici fuiſſe transfuſos a Carolo Martello, a Chilpherico, a Carolomanno, a Pippino, a Carolo M., a Ludovico Pio, a Lothario, a Ludovico II, a Carolo Calvo &c. innumeris oſtendere fatigantur exemplis, quæ ſingillatim recenſere non juvat.

Quibus principio hoc apto reſponſum, atque porro, quod Regum cuſtodiæ, tuitionique commendatæ Eccleſiæ ſint, quod Regum ſane tam officio, quam honori vertendum alibi demonſtratum eſt, non inde ſequitur, quod cuſtodiæ, ac tuitionis jure in bona Eccleſiaſtica invadere Regibus fas ſit, quomodo ſæpius inique factum dolet acerbe Muratorius Antiq. Ital. diſſert. 72, ſeq., doluitque valdequam ante Hincmarus epiſt. 9, & 45; quodque ideo viduatarum Eccleſiarum fructus quoque ſaltem omnes facere ſuos Regibus fas ſit: quæ enim, quæſo tuitio, & cuſtodia hæc eſſet ejus, qui bona cuſtodienda, tuendaque ſibi tradita proprios in uſus, aut in eorum, qui placerent, direptionem transferret? Quoad 2. vero, plures utique Eccleſias Regum munificientia fundatas adfirmo, non tamen omnes; nec omnes, quas ipſi fundarunt, bonis Regiis inſtructæ fuerunt, ſed privatorum devotione, ut paullo ſuperius dicebam, ac liberalitate ditatæ ſunt. Qua de re Muratorius diſſert. 67, 68, & 71. Neque demum omnes, quæ a Regibus fundatæ Eccleſiæ fuere, Feuda ſunt, ſive non omnia bona Eccleſiis collata in Feudum commendata fuerunt, ideſt bona pleraque Eccleſiis in fundum, atque proprietatem oblata, etiam a Regibus fuere, pleraque vero in Feudum utique conceſſa, reſervato proprietatis jure. In hæc poſteriora igitur, quæ Feuda ſunt, in quibus *Relevii* jus viget, Regibus, fateor, dominium, atque proprietas manet, non in priora, quæ mera largitate donata ſunt, proprietatis jure translato. Atque quidem non ante ſæculum XI. Feudorum uſum fuiſſe invectum, quin etiam poſt-

poſtquam is invectus fuit uſus Feudorum, bona plurima, quin Oppida, & Caſtra integra, nec in Feudum Eccleſiis tradita fuiſſe, ſed in jus proprium, oſtendit Cl. Muratorius diſſert. 11, & 67: ubi Diplomata ab Ughello prolata, in quibus Feudorum mentio ſub Lothario, & Carolo Craſſo occurrit, pſeudonyma declarat; Molinæum in Chartis Childeberti I, & Clodovæi I. Feuda nominata ſe legiſſe adfirmantem falſi redarguit; ſiquidem in eiſdem nihil tale legatur; Bignonium vero Beneficii nomen in Marculfo lib. 1. Formul. 18, & in Capitularibus paſſim occurrens ad Feuda ſignificanda transferentem refellit, ea fundos in uſum fructum ad obitum uſque conceſſos fuiſſe oſtendens. Parum a Muratorio abfuit Auctor *de l' Eſprit de Loix* Tom. 3. lib. 31. cap. 31, ſeq., ubi Feuda proprie dicta, ideſt perpetua, antiquiora ſæculo X. non agnoſcit, quo defecit ſecunda Regem Franc. Dynaſtia. Quamvis etiam Bruſſelius de uſu Feudor. Tom. 1. lib. 1. cap. 1, ſeqq. Beneficia a Feudis haud diverſa, hæc vero Hugonem Capetum antevertere contendat, & Franzius ad calcem Struvii Syntagm. Jur. Feud. a Carolo M. Feudorum inſtitutionem repetendam exiſtimet, contra tamen Cantarellus in tract. de Feud. lib. 1. cap. 3, & lib. 2. capp. 1, & 5, ac Spener in diſquiſit. de origin. Juris Feudal. Feudorum inſtitutionem non ante Hugonis Capeti ætatem cœpiſſe, Vaſſoſque non tam poſſeſſores fundorum fuiſſe feudalium, quam ob officia Ducibus, Comitibuſque præſtita ſic denominatos. Ideo Heumannus de Re Diplomat. Tom. 1. cap 2. §. 57. num. 7. de Charta quadam Caroli M. apud Mabillonium Vet. Analect. p. 354, ubi Feudorum fit mentio, valdequam dubitat; an proba ſit, aut potius apocrypha. Quare & Natalis Alexander cit. diſſert. 8. art. 8. perperam ab ipſo Clodovæo Feudorum Epiſcopalium initium repetit; neque perinde ſæculi XII. ætatem antecedit inſcriptio Eccleſiæ S. Benedicti Caſtrenſis præfixa de Carolo Martello, qui Sacra in Feuda irrepſiſſe refertur. Nam non quo refertur, ſed a quo profertur inſcriptio æſtimanda eſt, ab Auctore nempe, qui ad Sæculum XII. pertingit, velut ex ipſa patet. Ad hæc demum ante Sæculum VIII. Romanam Eccleſiam habuiſſe Regalia majora, Provincias ideſt, ac Ducatus, neque donationis puro quidem titulo, ſed Gentium jure, ſive Populorum con-

conſenſu, adverſus Muratorium valide oſtendunt Emin. Orſius in diſſert. de Domin. Eccl. Roman., & Cennius in Not. ad ejuſdem Muratorii diſſert. 69, ſeq. Ante id temporis autem Regalibus Epiſcopos nondum potitos, ideoque Feudis caruiſſe idem Muratorius oſtendit diſſert. 71. Ante Sæculum X. nihilominus Civitatibus, & Caſtris poteſtate Civili Eccleſias pleraſque dominatas fuiſſe cum Thomaſſinus vet., & nov. Diſcipl. par. 3. lib. 1. cap. 26, ſeqq., tum cit. loco Muratorius demonſtrant, quæ ideo bona jure proprietario, non vero Feudali, poſſeſſa fuiſſe manifeſtum inde fit. Ex his iterum bonis poſt Sæculum XI. plurima in beneficium, qua Clericis, qua etiam laicis ab Eccleſia fuiſſe conceſſa probat Thomaſſinus cit. par. 3. lib. 2. cap. 19, ſeqq. Atqui nedum in Feudum, ſed neque in Beneficium a Laicis bona Eccleſiis ante id temporis fuiſſe collata compertum habemus: privatis etſi perſonis, Aulicis præſertim, ac Militibus, beneficia concedi a Regibus conſueviſſe ex Marculfo lib. 1. Form., ex Carolo M. Capitul. lib. 3. cap. 19, ex Jona Aurelian. de Inſtit. Laical. lib. 2. conſtet, qua de re Altaſerra de Orig. Feudor. cap. 2, M. Antonius Dominicy lib. de Prærogat. Allodior. cap. 11, aliique. Indicium certum eſt itaque bona Eccleſiis conceſſa fuiſſe proprietatis titulo, non Feudi, neque Beneficii.

Age nunc autem ex his generatim animadverſis gradum ad particularia referendo, facile reperiemus cum facta pleraque veritate nequaquam ſubſiſtere, tum ex peſſime factis, ac perperam ita faciendi jus, ac facultatem exſculpere, peſſimi genus eſſe argumenti, ſiquidem iis longe firmiora derogare comperiantur documenta. Itaque a prætenſo jure Regali conferendi beneficia dicendi ordinem auſpicando, temporiſque, prout fieri poterit, habendo rationem, falſum imprimis ab Adverſariis adſumptum de Epiſcoporum a Regibus peracta electione. Emerium ſane ita electum ideo loco detrudere Leontius Burdigalenſis Metropolita, Synodo habita, non dubitavit; in quos, eſto, Regis efferbuerit ira, eis tamen laudi ceſſit, quod eximios ſe Canonum exhibuerint vindices. S. Martinum Turonenſi, S. Eucherium Lugdunenſi, alioſque aliis in Galliis, alibi vero omnibus ubique omnes Eccleſiis admotos Epiſcopos ex Cleri, Populique ſuffragiis, nullo

lo Principum adsensu præhabito fide adfirmat sua Florus Magister in Opusc. post Opera Agobardi. Et certe S. Medardus, Rege adclamante, sed Episcopis eligentibus, inauguratus legitur apud Surium ad diem 8. Junii. Regis dumtaxat accedente consensu, a Clero, & Populo in Episcopum Rotomagensem electus S. Audoenus fertur in ipsius vita cap. 11. apud Surium Tom. 4. ad diem 24. Augusti, eidemque pariter Ecclesiæ præfectum S. Ansbertum, Theodorici quidem nutu, sed unanimi Cleri, Populique voto liquet ex Ducheſnio Tom. 1. p. 682. A Clero item electi, cum Regis interventu, leguntur S. Amandus in vita die 6. Febr. cap. 11, S. Lambertus in vita die 17. Septemb., & S. Eligius in vita lib. 2. cap. 2. die 1. Decemb. Ex quibus habes, quale de aliis ferre judicium liceat. Atque serio quidem Ecclesiæ Gallicanæ documenta examinanti adparebit nihil ei antiquius fuisse, quam jura sua in beneficiorum collationibus integra custodire, & quum opus foret, pro viribus vindicare. Itaque in Synodis Arvernensi an. 535. Can. 2. electiones, quæ Principum, & Optimatum favore, ac potentia fierent, damnatæ sunt; a Parisiensi III. an. 557. Can. 8, relato a Gratiano Can. 5. *Si per ordinationem* dist. 63, itritæ pariter declaratæ sunt electiones Principum auctoritate factæ. Veterem juxta morem a Clero, & Populo electiones peragi voluere Parisiensis V. an. circ. 615. cap. 1, & Cabilonensis an. 650. circiter Can. 10. In Parisiensi VI. lib. 3. cap. 22, & Aquisgranensi II. cap. 3. Can. 9. congregati Episcopi auctores se præbuere Ludovico Pio, & in Synodo apud Theodonis villam an. 844. cap. 2. Lothario I, Ludovico Germanico, & Carolo Calvo, ut juxta Canones eligi Episcopos per ipsos etiam liceret. A Vernensi II. Can. 9, & 10, Meldensi an. 845. Can. 8, & a Valentina an. 855. Can. 7. electiones liberæ, ac juxta Canones factæ legitimæ decernuntur. A Ludovico II. Bajocensi Ecclesiæ admotus Tortoldus a Synodo Tullensi an. 859. cap. 4. dejectus, est, itemque districtum judicium cap. 5. in Ascarium Lingonensem, & cap. 7. in Attonem Virdunensem. A Clero, Populoque Cameracensi electi Johannis in Episcopum ordinatio in Synodo Belvacensi celebrata est, ac probata Duziacensi I. par. 2. cap. 3. In Cabilonensi an. 1073, & Augustodunensi an. 1077. solo Cleri con-

conſenſu Lugdunenſes Epiſcopi leguntur electi Hugo, & Gebuinus. In Beneficiorum collatione denique Laicos cujuslibet dignitatis removendos indictum habetur a Synodis Claromontana an. 1095. Can. 15, & Nemauſenſi anno inſeq. Can. 8. S. Gofridus Ambianenſis Epiſcopus in Synodo Trecenſi an. 1104. *Rege quoque aſſentiente* electus dicitur, ſed Cleri, Populique maxime vim obtinentibus votis. A Bituricenſi tandem an. 1438. cap. 4. apud Bail Tom. 2. p. 638. de Eccleſia Paſtore deſtituta, novique electione ſic decernitur: *Principibus fas non eſto pro quopiam commendando moleſtis precibus, aut violenta comminatione premere, aut cogere Electores*. Videndus Card. Sfondratus Gall. vind. diſſert. 1. §. 5 num. 3. Gallicana in Eccleſia Sacræ huicce diſciplinæ in tuto ponendæ officio, poteſtateque incumbere ſua Pontifices Maximi nunquam prætermiſere. Itaque Carolo M. auctores ſe ſe dedere Hadrianus I, & S. Leo III, ut Capitulari Aquiſgranenſi I. an. 803. cap. 2, Capitul. lib. 1. cap. 84. Clero, & Populo, Sacros juxta Canones, liberæ Epiſcoporum electiones relinquerentur, apud Sirmondum Tom. 2. p. 93, Baluzium Tom. 1. p. 379, Harduinum Tom. 4. p. 1214, & ante ipſos apud Hincmarum Tom. 2. Oper. p. 765, qui & epiſt. 8. ad Ludovicum Germaniæ Regem cap. 7. ab eodem Carolo ſimile aliud Capitulum editum an. 816, vel 822, apud Baluzium Tom. 2. p. 564, Capitul. lib. 1. cap. 78. p. 718, apud Sirmondum p. 694, teſtis accedit, ex quo patet non fuiſſe utique, cur a Sirmondo in præfat. ad Formul. Concil. Gall. lib. 2. p. 634, ſeq., & a Petro de Marca de Concor. lib. 8. cap. 13. Capitulum iſtud acceptum Ludovico Pio referretur. Ab eodem Carolo M. rogatus idem Pontifex epiſt. 11, ut Fortunatum Grado pulſum Eccleſiæ Polenſi in Iſtria præficere dignaretur, indulſit id quidem, ea tamen adjecta lege, ut ſi Fortunato ad Gradenſem regredi Eccleſiam contingeret, integros Polenſis Eccleſiæ reditus Succeſſori reſervandos dimitteret. Quod documento haud levi eſſe rite obſervat Noriſius Inveſtit. hiſt. cap. 16. p. 556, tum nec dum Regalia obtinuiſſe. Carolo Calvo petente facultatem præficiendi Eccleſiæ Bituricenſi Vulfadum negavit S. Nicolaus I. epiſt. 3. Apud Gratianum Can. 4. *Porro ſcias* diſt. 63. aſperrime cum Lothario Rege legitur idem

Pontifex expoſtulaſſe de placito Regio prævie ad Epiſcoporum electiones requiſito, jubens Trevirenſis electionem ſuſpendi, donec ab Apoſtolica reſcriptum fuiſſet Sede. Decretali huic perquamſimiles habentur ejuſdem Pontificis epiſtola 55. ad Ludovicum Germaniæ Regem, qua de præfato Lothario acerbe conqueritur, quod Eccleſiis præfici eos curaret, qui Vvaldradæ favore adeſſent ſuo, eique præcepiſſe refert, ne Trevirenſi, & Colonienſi eos admoveri Præſules impedirer, *Qui Canonice a filiis, & de filiis nominatarum Eccleſiarum electi* eſſent; Epiſtolæ 63. ad Epiſcopos Regni Lotharii, 64. ad Lotharium ipſum, & 65. ad Hilduinum, quibus Hilduini hujus in Cameracenſem Epiſcopum a Lothario peractam electionem infringit, eoque ſubmoto, Epiſcopum proprium eligendi Clero, Populoque integram relinqui facultatem imperat, ablatoſque quin inſuper Eccleſiæ integros reſtitui reditus. Quod indicium eſt liquidum Regaliæ jure Lothario fas nondum fuiſſe aut Eccleſias conferre, aut de vacantium Eccleſiarum fructibus diſponere. Etſi vero a Johanne VIII. epiſt. 70. reprehenſus fuerit Ebredunenſis Archiep., ideo quod Vencienſi Eccleſiæ non eum præfeciſſet, qui a Populo, & Clero electus, Carolo quoque Regi probatus fuerat, inde liquet tamen non tanti habitum prætenſum Jus Regium, nec paris factum cum Populi, Clerique ſuffragio. A Clero, Populoque electus Lauſanenſis Epiſcopus Hieronymus locum adire impeditus a Carolo Craſſo fuerat: verum eodem Johanne VIII. epiſt. 243. jubente, amotum impedimentum eſt. A Gregorio V. in Synodo Romana an. 998. Can. 5, 7, 8. Stephano Aniçienſi, ſiue Cleri, Populique voluntate Eccleſiæ præfecto, gradu detruſo, Clerus, Populuſque liberis votis alterum eligere juſſus eſt, & Robertus Rex prohibitus obicem ponere. S. Leo IX. in Remenſi an. 1049. Can. 1. integram Clero, Populoque deligendi ſibi Paſtoris facultatem voluit. Ut erat vero ejuſmodi retinentiſſimus diſciplinæ S. Gregorius VII, lib. 4. epiſt. 14, ſeq. Roberto Carnotenſi amoto, alium a Clero, & Populo eligi præcepit. Ita de Aurelianenſi lib. 5. epiſt. 9, & 14 decrevit; de Arelatenſi lib. 6. epiſt. 21; de Remenſi lib. 8. epiſt. 17, 18. 19, & 20, qua poſtrema Philippum Regem admonet, ne electioni a Clero, Populoque facienda impedi-

pedimentum apponat; de Lugdunenſi lib. 9. epiſt. 18. &c. Urbanus II. epiſt. 8. Ivonis electionem in locum Gaufredi dejecti a Clero, & Populo Carnotenſi factam ſuo comprobat calculo. Sequioris etiam ætatis Pontificibus idem in Eccleſia Gallicana laicos Principes a beneficiorum collatione abſterrendi ſtudium inſedisſe, abunde liquet ex Bonifacii VIII. epiſtola ad Philippum Pulcrum, & Benedicti XII. epiſt. ad Philippum Valeſium apud Raynaldum ad an. 1311. num. 34, & 1337. num. 17. Memoria dignum eſt illud, quod de Eduardo III. Angl. Rege refert Valſingamus ad an. 1343, nempe Regi de Pontifice conquerenti, quod Regi Gall. Eccleſiarum inſtitutio conceſſa fuiſſet, ubi Angliæ Reges eam Capitulis liberam reliquiſſent, reſpondiſſe Pontificem id Gallis haud fuiſſe conceſſum. Receptiſſimæ hujuſce diſciplinæ teſtis accedit locuples Sidonius Apollinaris, qui lib. 4. epiſt. 25, & lib. 7. epiſt. 5, 8, & 9. ab Epiſcopis Provinciæ Eccleſiis Cabilonenſi Johannem, & Bituricenſi Simplicium fuiſſe præfectos refert. Atqui præ aliis ad hanc Eccleſiæ Gallicanæ circa electiones libertatem tuendam ſtudio, ac fortitudine haud impari ſe contulit Hincmarus Remenſis, & ipſe electione Canonica huic admotus Eccleſiæ, ut eſt apud Flodoardum lib. 3. cap. 25, cujuſce non unum, nec exiguum ſpecimen exhibuit. Ludovico Germaniæ Regi ſcribens epiſt. 4. cap. 8. ei laudi vertit, quod ab electionibus, & a vacantium Eccleſiarum reditibus abſtineret ipſe nedum, ſed ut ſibi abſtinendum etiam ſcirent, Lothario, & Carolo Calvo auctor eſſet: cui imo exemplo præiviſſe memorat epiſt. 8. cap. 7. Carolum M., a quo Capitulari edito ſacrarum Electionum libertati conſultum adfirmat. Videndus etiam Monachus S. Galli in vita Caroli M. lib. 2. cap. 15. apud Ducheſnium Tom. 2. pag. 128. A Lothario Cameracenſi admotum Eccleſiæ Hilduinum inaugurare, velut intruſum, renuit idem Hincmarus Scheda eidem Lothario oblata; qui perinde in epiſt. ad Ludovicum II. apud Flodoardum lib. 3. cap. 20. ob ejus reverentiam abſtinuiſſe ſe ſcripſit ab excommunicando Valtone, quem ipſe Ludovicus Eccleſiæ Trevirenſi præpoſuerat, ejuſdemque bonis Eccleſiæ inveſtiverat. Qua pariter libertate, animique fortitudine Ludovico III, a quo Belvacenſi Eccleſiæ præfectus Odoacer fuerat, vacantiſque fructus perceperat,

se se oppoſuit epiſt. 12. cap. 4, & epiſt. 13. cap. 8. id eſſe *Contra Regulas Eccleſiaſticas, & contra Chriſtianorum leges* adfirmans, atque Odoacrem officio ſuſpendens Opuſc. Tom. 2. p. 812, ſeq., ubi Synodi Chalcedonenſis profert Can. 25, perque nefas facta vocat exempla Milonis, & Fulconis, qui a Carolo Martello, & a Ludovico Pio Eccleſiis ferebantur admoti. Pari fortitudine indutus S. Fulbertus Carnot. epiſt. 131, ſeq. Archiepiſcopos Turonenſem, & Senon., ac Epiſcopos Belvacen., & Aurelian. adhortatur, ut demiſſe quidem, ac modeſte, libere tamen, ac magnanime Regi obſiſterent, ſicubi Eccleſiaſticam labefactare libertatem tentaret. De Remenſis vero electione loquens epiſt. 38. Clero, & Populo eam dumtaxat acceptam refert, loquenſque viciſſim de electione, cui Principis ſe interponat auctoritas, eamdem epiſt. 62. irritam dicere non dubitat. Inerat eadem pro electionum libertate ſollicitudo cum Hildeberto Turonenſi, qui in epiſt. 67. ad Honorium II. impedimento ſe fuiſſe refert, atque gloriatur, quominus Regi de Beneficiis diſponendi facultas ineſſet; tum Ivoni Carnotenſi, qui epiſt. 47. Canonis 22. Conſtantinopolitani IV. vi Regibus Epiſcoporum electionibus ſe immiſcere fas eſſe negat, epiſt. 49. eodem Canone Galonis in Epiſcopum Belvacenſem electionem, inſcio Rege, peractam tuitus eſt, ac epiſt. 67, ſeq., & 126. jus nondum iſtud Regibus vere, legitimeque adquiſitum oſtendit. Epiſtolis 43, & 54. ad Urbanum II. a Clero Pariſienſi electum Willelmum Montfortium, ullo abſque Regis interventu, refert. Johannis viciſſim electionem in Aurelianenſem Epiſcopum Regis placito factam oppugnare non dubitavit epiſt. 66. ad Hugonem Lugd. Pari ratione Stephani Garlandii in Belvacenſem electionem, Philippi Regis voluntate peractam, improbare non deſtitit epiſt. 87. ad Legatos, & 89. ad Paſchalem II, quo ideo jubente Galonium electum teſtatur epiſt. 104. Quod ipſum denique patet ex Capituli Carnotenſis epiſtola ad Sugerium Abbat. inter Sugerianas 19, quem monent de Gosleni electione, cui Regalia ideo conferri petunt; ex Capituli Auguſtodunenſis ad eumdem Sugerium epiſt. 63, qua ſignificant ab ſe electum Archidiaconum; ex V. Petro Clun., qui de Electionibus in Gallia paſſim liberrimis Cleri, Populique ſuffragiis peract.s loqui-

quitur ſæpius, veluti de Belvacenſi lib. 3. epiſt. 89, de Lexovienſi lib. 4. epiſt 3, de Inculiſmenſi epiſt. 7, &c.; ex S. Bernardo epiſt. 13. ad Honorium II, qua Pontificem deprecatur pro confirmatione Epiſcopi Catalaunenſis a Clero, Populoque facta, epiſt. 22. ad Ludovicum VII, 122. ad Joſtenum Sveſſion., & 224. ad Stephanum Præneſtinum, quibus acerbe de vi Eccleſiaſticæ libertati circa electiones inlata dolet, eaſque ad propria tum adhuc pertinuiſſe Capitula liquet. Junge, quod in Synodo Montilienſi an. 1209, ut oſtendit Coſſartius in Not., non an. ſuperiori, ut Spondano, & Raynaldo viſum eſt, prætenſo Regaliæ juri renuntiate Raymundus Toloſanus Comes coactus eſt apud Catellum hiſt. Comit. Toloſan. lib. 11, & Harduinum Tom. 6. par. 2. p. 1984, & quod Arnulphus Lexovienſis ſine aſſenſu Comitis Andegavenſis electus legitur apud Dacherium Spicileg. Tom. 2. p. 484, & 508.

Inauditum, & inviſum non tam Gallicanæ, quam ceteris ubique contigit Eccleſiis iſtiuſmodi Regaliæ jus, velut illud, quo Eccleſiaſtica ſacrarum electionum libertas infringi, labefactarique videbatur. Primus, qui Græcam in Eccleſiam peſtiferum inferre morem iſtum præſumpſit Conſtantius Arianus Imperator, Gregorium Cappadocem Alexandrinæ præficere Eccleſiæ propria auctoritate auſus legitur. Quod ideo factum graviter inſectatus eſt S. Athanaſius in epiſt. ad Solit., veluti Eccleſiaſtico adverſum jnri, ac Eccleſiæ maxime Alexandrinæ, cui admoveri ex Clero, & a Clero ejuſdem conſueviſſe Epiſcopum teſtes accedunt SS. Epiphanius hær. 69. n. 11, & S. Hieronymus, deque ſeipſo idem S. Athanaſius Apolog. 2. Et certe unius Cleri votis, & Epiſcoporum conſenſu Eccleſiæ Antiochenæ Flavianum, & Conſtantinopolitanæ Nectarium admotos ſcripſit Conſtantinopolitana I. Synodus in epiſt. Synodica ad S. Damaſum. Videſis Thomaſſinum vet., & nov. Diſpl. p. 2. lib. 2. cap. 6. S. Johannis Chryſoſtomi electioni adſtipulatum quidem Arcadium refert Sozomenus lib. 8. cap. 2, ſed poſtquam a Clero, Populoque commune latum fuiſſet ſuffragium, velut etiam ſcribunt Socrates lib. 5. cap. 2. & Theodoretus lib. 5. cap. 2. Cujus ex defectu ſuffragii Lucii electionem caſſam, & irritam dicere non dubitavit Theodoretus lib. 4. cap. 20; cujuſque e contra vi, ullo altero abſque adminiculo, Eccleſiæ Cæſareenſi

præ-

præfectos Eusebium, & S. Basilium adfirmat S. Gregorius Nazian. Orat. 19. Sed enim explicitissimi sunt Canones Synodi Antiochenæ 16. Can. 8. *Si quis Episcopus* dist. 92, Laodicænæ 12. Can. 6. *Episcopum* dist. 61, quibus Synodo Episcoporum electio demandatur. Ephesina in Nestorii depositi locum alterum sufficiendi sibi jus tribuit Act. 3. in Synodica ad Theodosium, alteraque ad Clerum, & Populum Constantinopolit., atque in Synodo electum Maximianum testes accedunt S. Cyrillus Alex. epist. ad Synodi legatos, & S. Cælestinus P. M. epist. ad eamdem Synodum par. 4. cap. 9, seq. Justini Imper. accedente consensu Ecclesiis Antiochenæ Paulus, & Constantinopolitanæ Epiphanius præfecti quidem leguntur in relatione Dioscori, ac Synodi Constantinopolit. ad S. Hormisdam, at id totum potissima ex Synodi electione profectum ibidem liquet. Suffragatus etiam Mennæ electioni Justinianus Imperator legitur in libello suppl. Monachorum Act. 1, unanimi tamen Cleri, Populique consensu eumdem electum tradit S. Agapetus in epist. ad Petrum eidem Act. 1. inserta. Atque ita electiones a Clero, & Populo fieri tam pie permisit, quam probe præcepit Justinianus Novel. 123. cap. 1, Novel. 137. cap. 2, ac LL. 9, & 41. Codic. *de Episcopis, & Cleric.*, juxta quam legem, juxtaque libertatem Ecclesiasticam se in Hierosolymitanum Antistitem a Clericis, a Monachis, & a Civibus electum non tam scribit, quam dolet S. Sophronius in epist. ad Sergium Constantinopolit. in Synodo VI. Act. 11. lecta. Actione 12. Macario detruso, ut alterum subrogari Antiochenæ Ecclesiæ liceret Antistitem, Constantino Imp. supplicatum legitur utique, sed Act. 13. suis a Suffraganeis electum Theophanem augurari fas est. Insulæ Cypri Metropolita, nulla Imperialis adsensus mentione facta, suis ab Episcopis eligi *Ex antiqua consuetudine* a Trullana Can. 39. jubetur. Quo de jure Synodis reservato agit Johannes Antioch. in Nomocan. tit. 7. Bibl. Jur. Canon. p. 610. A Justino II, ab Heraclio, a Justiniano II, a Philippico &c. cum sacri Ecclesiæ Canones, tum Justiniani justæ leges de sacris electionibus a Clero, Populoque peragendis violatæ passim, restitutæ sunt denuo a Synodo VII. Can. 3, quo electio omnis a Principibus facta, juxta Canonem Apostol. 30, irrita declaratur. Jure proinde, optimeque a Scripto-

ptore vitæ S. Stephani Jun. nefanda, inauditaque dicta eſt Conſtantini Copronymi audacia, qua Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ hominem ſibi nomine, ac moribus ſimilem admovere proprio arbitratu præſumpſerat. Cujuſmodi perinde audaciæ cohibendæ Synodus VIII. Can. 12, & 22. Epiſcopos Principum ſuffragio, ac potentia electos gradu depoſuit, Principes vero eligentes ab Eccleſia projecit. Hinc Photii electionem a Michaele Imp. promotam improbat, & exagitat S. Nicolaus I. epiſt. 9. ad ipſum, & 10. ad Clerum, & Popul. Photii vero Epiſcopis SS. Ambroſii, Nectarii, Tarafii, ac Nicephori, quos Principali auctoritate Epiſcopos conſtitutos contendebant, exempla objicientibus, reſpondit Metrophanes Smyrnenſis in Synodo VIII. Act. 6. ad illorum quidem electionem Imperatoris concurriſſe voluntatem, ita tamen, ut Epiſcopis liberrima manſerit eligendi facultas. Hinc a Nicephoro Phoca impiam editam legem, ut nullus ad Epiſcopale faſtigium, abſque Imperatoris aſſenſu, promoveri quiret, non ante Imperatoriis decoratum inſignibus fuiſſe Johannem Zemiſcem a Polieucto Patriarcha, quam diſcerpſiſſet, ac ſolemniter abrogaſſet, teſtis eſt Cedrenus hiſt. p. 658, ſeqq. Alexium Patriarcham ideo depoſitum a Synodo, quod ſolo Baſilii Imper. juſſu fuiſſet promotus, & Michaele Cerulario defuncto, unius Cleri votis electum Conſtantinum refert quoque Curopolates ad annos 1036. p. 740, & 1059 p. 809. S. Leo IX. viciſſim epiſt. 5. ad Petrum Antiochenum de ipſius electione Cleri, & Populi votis facta gratulatus legitur; & Paſchalis II. epiſt. 15. ad Gibelinum Arelat. eum in Patriarcham Hieroſolymitanum a Clero, & Populo electum ſignificat. Atque ita profecto eligi Cleri, Populique ſuffragiis, qui Patriarchæ nomine illi præfuturi eſſent Eccleſiæ, conſueviſſe liquet ex epiſtola Daimberti ad Boamundum Princip. apud Baronium ad an. 1100. n. 31. Depulſis Oriente Latinis, a Græcis electiones in Synodis fieri deinceps, ſicut prius, conſueviſſe liquet ex Pachymere lib. 3. cap. 12. Epiſcopis liberam electiones faciendi a Michaele Palæologo facultatem relictam referente, atque ita in Synodo electum Philotheum lib. 4. cap. 37, & Veccum lib. 5. cap. 24, nec non ex Gregora a Synodis electos etiam teſtante Arſenium lib. 3. cap. 26, Joſephum dein, ac Johannem

lib.

lib. 6. capp. 77, & 88. Quamvis Imperatores passim electionibus Patriarcharum implicasse sese negari nequeat, idque constet ex Cinnamo lib. 4. p. 10, 107, seqq., lib. 5. p. 136, & Alexiados lib. 13. Qua de re Thomassinus vet., & nov. Discipl. p. 2. lib. 2. cap. 41. n. 7, seq. Qui vero Romanæ in Ecclesiæ communione mansere integri, apud eos integer pariter ut maneret electionum priscus hic mos, pro virili curarunt Rom. Pontifices, ut apud Cyprios Alexander IV. Constit. Cypria relata ab Harduino To. 7. p. 447, & apud Maronitas Leo X. in relat. Patriarchæ regesta a Raynaldo ad an. 1514. num. 92, seqq., quos etiam num in eodem persistere more testis est locuples Benedictus XIV. Const. 77. *Quod non humana* 1743. die 13. Mart., non secus atque Græco-Melchitas Constitut. 92. *Dum nobiscum* an. 1744. die 29. Febr. A Græcis quin etiam sub Turcis in Synodis Episcoporum electiones adhuc fieri liquet ex Crusii Turco-Græcia pag. 108, 120, seqq., 131, seqq.

In Africa prima ab ætate Religionis, Episcopos Cleri voto, Populi suffragio, & Coepiscoporum consensu eligi consuevisse testatur S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. edit. Erasmi, 55. Pamelii, 69. Felli ad S. Cornelium, & epist. 4. edit. Eras., 67. Fel., 68. Pam. ad Hispaniar. Episcopos. Unius Cleri, Populique concordibus votis electum S. Cæcilianum tradit S. Optatus lib. 1. adv. Parmen. p. 41. edit. Albaspin. Laico quolibet excluso, Populi, Cleri, Episcoporumque suffragiis electiones celebrari jubentur a Conciliis Carthaginensi II. sub Genetlio an. 390. Can. 12, Carthaginensi III. sub Aurelio an. 397. Can. 40, & Carthaginensi IV. an. inseq. Can. 1. Contra Hunerici edictum denique communi Episcoporum consilio ubique celebratas electiones refert Ferrandus Diacon. in vita S. Fulgentii cap. 16, seq. Atque ita quoque in finitimis Hispaniarum Ecclesiis ex Cleri, Populi, & Episcoporum suffragiis, Laica nulla interveniente Potestate, electiones procedere consuevisse documento primum est præfata Epistola 4. S. Cypriani, quæ est Synodica Ecclesiæ Africanæ ad Hispaniarum Episcopos, qua docemur non aliam heic, quam illic electionis formam observari consuevisse: quod ipsum testatur antiquior Ecclesiæ Hispanæ Canonum Collector Martinus Bracarensis Can. 1, 2, & 3.

& 3. Accedunt illuſtriora ex ipſis Hiſpaniæ Conciliis monumenta: ex Barcinonenſi an. 599. ſub Reccaredo Can. 3., quo Clero, Populoque integra ſervatur Præſules ſibi deligendi poteſtas; ex Toletano IV. anno 633. cap. 19, quo Cleri, Populique ſuffragio, Provinciæ Epiſcoporum accedente conſenſu, proprius eligendus indicitur Antiſtes. A Toletano X. an. 656. Potamio gradu dejecto, Fructuoſus Bracarenſis inauguratus Epiſcopus legitur in Decreto apud Harduinum Tom. 3. par. 984, & a Toletano XVI. an. 693. cap. 12. Sisberto loco detruſo ſuffectus ex Cleri, & Populi conſenſu, Eccleſiæ Toletanæ legitur Felix, Hiſpalenſi Fauſtinus, & Bracarenſi Felix alter Portucalenſis. Proniores erga Reges Hiſpaniæ tum Eccleſiarum reſtaurationi haud ſegniter incumbentes Alexander II, & S. Gregogius VII. in Append. epiſt. 4. Sancio, ejuſque Succeſſoribus Aragoniæ Regibus liberam Eccleſiarum, quas de Saracenorum manibus eripere contigiſſet, vel quas ipſi ſuo in Regno ædificarent, diſpoſitionem indulſere, Cathedris dumtaxat Epiſcopalibus exceptis. A Monachis, alio quocumque ſecluſo, Epiſcopos eligi Pampilonenſem Johannes XIX. apud Marianam lib. 8. cap. 24, & Jaccenſem Synodus an. 1060. permiſere. Paſchalis II. epiſt. 63. ad Bernardum Toletanum in Synodo an. 1085, Alphonſo Rege adnuente, inauguratum, Roderico teſte lib. 6. cap. 24, jubet Synodo indicta litem dirimere inter duos electos Burgenſi Eccleſiæ, unum ab ipſo Toletano Præſule dumtaxat, alterum a Clero, Populo, ac Rege. Peſſimam, quæ deinde irrepſerat, Poteſtatem laicam Epiſcoporum ſe immiſcendi electionibus, dicere conſuetudinem non dubitavit Petrus Aragonius in Programate, quo Eccleſiis integram electionum libertatem reſtituit, confirmatoque ab Innocentio III. lib. 10. epiſt. 144. Uſurpatum perinde jus a Petro Crudeli Caſtellæ Rege pro bono pacis aliquando toleraſſe Pontifices refert Mariana lib. 17. cap. 11. Alphonſo quoque Luſitaniæ Regi in electiones jus ſibi arroganti reſpondit intrepide Eugenius IV. apud Raynaldum ad an. 1460. n. 3. a Regibus Angliæ, Galliæ, & Hiſpaniæ Epiſcopales vacantes Eccleſias a ſe flagitari, ſi quibus eas conferri percuperent, neque ſibi conferendi jus quidpiam adtribui. Neque magis id juris deinde in Luſitania obtinuiſſe di-

gnoscitur ex libello supplici a Ramos exhibito Alexandro VII. prop. 2. p. 13. Si qua vero disciplinæ istiusmodi Regio fuit retinentissima, Italia quammaxime haberi debet, ubi vetustissimo in more receptum, ut ex Cleri, Populique votis Ecclesiis præficerentur Episcopi, innumera nos monumenta docent. Ecclesiæ Mediolanensi liberam Episcopis, & Clericis electionem relictam a Valentiniano I. constat ex Cassiodoro hist. tripart. lib. 7. cap. 8, ac Theodoreto lib. 5. cap. 6. Contra usurpatam aliquando electionem Aquilejensis, & Mediolanensis insurrexit Pelagius I. epist. 1, & 2. Collect. Holsten. p. 227, & 231. ad Valerianum, & Narsetem viros Patricios. Ejusdem libertatis Ecclesiasticæ vindicem, egregiumque adsertorem se præstitit S. Gregorius M., qui etsi vice plus simplici, pro suæ plenitudine auctoritatis, non secus atque qui eum tum præcesserant, tum post excepere, Præsulum electiones persemet expleverit, integrum tamen, quoad fieri potuit, jus electionum penes Clerum, Populumque manere voluit: cujus rei fidem apertissimam faciunt lib. 1. epistolæ 56, & 58, lib. 2. epist. 3, 8, 29, 30, & 35, lib. 4. epist. 47, &c., qui lib. 8. epist. 65. a Clero, Populoque Mediolanensi Deus dedit electum præfecit Ecclesiæ, a beneficio illo repulso Clerico, qui ab Agilulpho Rege promotus fuerat. A Clero, & Populo Ravennatem Episcopum eligi consuevisse scripsit Hadrianus I. in epist. ad Carolum M. Episcoporum Æmiliæ electionem a Clero, Populo, & Duce factam a Pontifice M. probari debuisse, quin etiam a Pontifice inaugurandos prius Cleri, Populique decreto eligi Præsules oportuisse liquet ex Actis Synodi Romanæ sub Stephano IV, & S. Nicolao I, de quibus Anastasius Bibliot. in utriusque vita. Caroli Calvi exhortatu, Cleri vero, Populique electione Josephum Astensi præfici Ecclesiæ permisit Johannes VIII. epist. 112. ad Anspertum Mediol. edit. Hard.; cujus etiam in locum Eccleclesiæ Mediolanensi unanimi Cleri, Populique voluntate alterum præponi jussit epist. 111. Ab Hugone Italiæ Rege Veronensem, Tridentinam, & Mantuanam Ecclesias Manassi Remensi Archiep. traditas *contra jus*, *fasque*, tum quod neque Principi laico liceret, neque Præsuli una simul plures retinere Ecclesias, refert Luitprandus lib. 4. cap. 3. Præter fas iterum, atque jus a Berengario

rioII. traditas Eccleſias, Valperto expulſo, Mediolanenſem Manaſſi, expulſo Joſepho, Brixienſem Antonio, Comenſem Valdoni, & Regienſem Adelardo dolet idem Luitprandus, ſicuti de aliis violentiis erga Epiſcopos paſſim exercitis quæritur Atto Vercell. epiſt. 11. ad Epiſcopos Lombard. Atqui Cleris, ac Populis electionum facultatem reſtituendam ſibi acriter ſumpſit acerrimus ille libertatis Eccleſiaſticæ reſtitutor, & vindex S. Gregorius VII, ita Firmano lib. 2. ep. 38, Feretrano, & Eugubino epiſt. 41, Volaterrano lib. 5. epiſt. 3, Aquilejenſi epiſt. 5, ſeq., Ravennati lib. 8. epiſt. 12, duabuſque ſeqq. Itaque Fridericus I. Raveunæ conſidens vacanti Eccleſiæ Præſulem ab Hadriano IV. poſtulandum intellexit, qua de re perlegenda ipſius epiſtola regeſta a Baronio ad an. 1159. n. 2. Hugonem Placentinum Epiſcopum a Clero, Populoque eligi permiſit, electumque confirmavit idem Hadrianus IV. epiſt. 34, ſeq. Alexandrinæ Eccleſiæ in Cathedralem erectæ primum quidem ipſe deſignavit Epiſcopum, ſed poſthac Clero, Populoque eligendum permiſit Alexander III. apud Baronium ad an. 1180. n. 3, & poſt ipſum Innocentius III. apud Raynaldum ad an. 1206. n. 140. Quo poſteriori a Pontifice tam Melfenſis, quam Mediolanenſis electio proprio Capitulo integra permiſſa eſt lib. 15. epiſt. 233. Plurium ſubinde Cathedralium in Italia paſſim collationes ſibi reſervandas duxere Johannes XXII; Sardiniæ, & Corſicæ, Regio excluſo conſenſu, Bonifacius VIII. apud Raynaldum ad an. 1297. n. 2; in Sicilia omnes Honorius IV. apud eumdem Annaliſtam 1285. n. 62, in utroque Regno Neapolitano, & Siculo Clemens VI, & Innocentius VIII. Qui Venetis Eccleſiæ Patavinæ collationem a Pontifice factam ægre ferentibus reſpondit apud Raynaldum ad an 1486. n. 19, ſeq. de Eccleſiis diſponere non ad Sæculi Poteſtates, ſed ad Sacerdotes pertinere Deum voluiſſe. Julio II. perinde Sacerdotia conferenti negotium faceſſere Venetos fuiſſe, veritos refert Panvinius in ipſius vita. Contra voluntatem denique Ducum Mediolanenſis, & Mutinenſis a Pio II. Eccleſiis Papienſi, & Mutinenſi, Patavinæ item, Feltrenſi, Venetæ &c. præfectos ſibi bene viſos Præſules tradit Gobelinus in Comment. Videndus etiam Thomaſſinus cap. 36. num. 9.

In Eccleſiis ubique Occidentis viguit diſciplina hæc ipſa,

quam invadere Poteſtatibus laicis paſſim tentantibus obviam ire earumdem Præſules Eccleſiatum nullo non tempore deſtitere. In Anglia, Egfrido Rege præſente quidem, non eligente, Lindiſfarnenſi præfectus Eccleſiæ S. Cudbertus legitur apud V. Bedam lib. 3. capp. 22, & 28. Edgari Regis precibus utique, ſed Epiſcoporum ſuffragiis S. Dunſtanus Cantuarienſem aſcendit demum Cathedram Willelmo Malmesb. teſte de geſtis Pontif. Angl. lib. 1. p. 200, qui ſimilia tradit de S. Odone item Cantuat. Primus, qui Regni nuper conquiſiti firmandi gratia, Regaliæ jus in Angliam inducere geſtiverit, Willelmus I. Nothus indicatur in Synodis Wintonienſi, & Windleſhovienſi an. 1070, de quibus Rogerius in Annal. ad cit. an., Ordericus Vitalis hiſt. Eccl. lib. 4, Scriptorque vitæ S. Lantfranci cap. 6. Ea tum iniquitas temporis non patiebatur, ut Regi talia molienti palam, fortiterque obſiſteretur, eo quin etiam, quod deſignatos a ſe Præſules eligi potius a Synodis, confirmarique ipſe velle videretur. Non obſuit id tamen, quo minus S. Gregorius VII. lib. 5. epiſt. 19. Rotomagenſis Antiſtitis, de cujus electione ſcribendi ei copia fuerat, electionem *Univerſorum conſenſu Canonice* fieri præciperet. Siquidem vero e Gallia tum primum in Angliam jus Regaliæ inlatum fuerit, indicio haud obſcuro id eſt, ne in Gallia quidem ante an. 1066. idem jus obtinuiſſe. Mutato poſtea conſilio, liberas electiones, qualis S. Lantfranci fuerit, a Willelmo fuiſſe relictas tradit Ordericus Vitalis ad an. 1067. p. 507, 516, ſeqq. Willelmo II. cognomento Ruffo ſacrum Regaliæ jus invadenti, ac magis amplificate in dies audenti, qui Rex ideo Eccleſiarum oppreſſor vocari meruit a Sugerio in vita Caroli Craſſi, pro virili obſtitiſſe Præſules, S. Anſelmum præſertim adfirmant Eadmerus hiſt. Novor. lib. 1, & Edinerus in ipſius vita lib. 2. Qui perinde Henrico I. ſacris ſemet immiſcere electionibus non exhorrenti cum Synodi Lateranenſis decretum, quo Reges ab electionibus procul arcentur, tum Sacerdotale objecit pectus lib. 3. epiſt. 44, 74, 88, 126, & lib. 4. epiſt. 21. ſeq., quo Eccleſiæ libertatem ſibi defendendam adſumpſit. Sed & Paſchalis II. tum in epiſt. 3, & 41. ad S. Anſelmum, quam in epiſt. 93, ſeq. ad Henricum Reg. ſacris Canonibus adverſum ſcribit, quod Reges Eccleſias conferre audeant: qua poſteriori epiſt. 94.

94. Regi gratulatur denique, quod Eccleſias libertati reſtituiſſet, earumque ab uſurpandis juribus ſibi temperandum didiciſſet. Confer & Capituli Cantuar. epiſtolam ad ipſum poſt 100. edit. Hard. Eccleſiaſtica perinde beneficia de Laici manibus ſuſcipere gravibus interdictum ſub pœnis habetur in Synodis Londinenſibus an. 1125. Can. 4, & 1138. Can. 5. Inter Articulos ſexdecim Eccleſiaſticæ immunitati repugnantes Henrici II. juſſu Clarendunæ ſancitos an. 1164. Articulus 12, quo dicebatur vacantes Eccleſias in Regis manu eſſe, redituſque percipiendi eidem poteſtatem ineſſe, diris cunctis devotus legitur tam a S. Thoma Cant. epiſt. ad Angliæ Epiſcopos, quam ab Alexandro III. epiſt. 7, 12, ſeq. ad eumdem Archiep., epiſt. 17, & 28. ad Epiſcopos Angliæ, & epiſt. 10, & 27. ad Henricum Regem. Equidem ex veteri Collectione prima Decretalium ab Antonio Auguſtino edita lib. 3. Cap. *Ex diligenti* Extra de Jure patronatus refertur Alexandri III. reſcriptum ad Capitulum Vellenſe in Anglia, quo ab Henrico Rege collatio Præbendæ Thomæ Clerico facta non reprehenditur, ſed collatio dumtaxat duplicis Præbendæ. At collatio illa ad Regem utique pertinebat, non Regaliæ quidem jure, ſed jure Patronatus. Itaque ſub tribus hiſce Regibus Cantuarienſis Antiſtitis electionem Capitulo liberam conſtitiſſe, atque ita liberis electos votis Radulphum, Theobaldum, S. Thomam, & Ricardum tradit Matthæus Pariſius ad an. 1138, 1162, & 1173. In Johannem deinde Angliæ Regem Stephani Cantuarienſis electioni repugnantem excommunicationis ſententiam ab Innocentio III. ejaculatam refert Raynaldus ad an. 1213. n. 73. Qui Rex proprio, ac Patris exemplo doctus, Diplomate tandem dato an. 1215. Epiſcoporum, & Abbatum in toto, quo late patet, Angliæ Regno electiones liberas in perpetuum declaravit apud Matthæum Pariſium ad cit. an. p. 182: apud quem etiam ad an. 1226. Capitulum Dunelmenſe pro electione facta confirmanda, contra Henrici III. vim Pontificis M. auctoritatem imploraſſe legitur. A Concilio Lambethenſi an. 1261. ſub Bonifacio Cantuar. tit. *De Intruſis* a laica, Regia etiam, poteſtate recipi beneficia Eccleſiaſtica, vel Præbendæ diſtricte prohibentur apud Harduinum To. 7. p. 537, ſeq. Sub Eduardo III. denique decreto pro libertate Eccleſiarum ſubſcripſiſſe Angliæ Parlamen-

lamentum liquet ex Matthæo Pariſio ad an. 1226, de quo Thomaſſinus par. 2. lib. 2. cap. 43. n. 11. In Scotia etſi a Willelmo Rege Santandreenſis Antiſtes nominatus fuiſset Hugo, contra tamen a Capitulo electus Johannes eſt, cujus electioni obſiſtens Rex in ſe ideo Apoſtolicæ Sedis iras, telaque concitaſse legitur apud Robertum de Monte ad an. 1175. Veterem in Hibernia obtinuiſſe morem, ut Archiepiſcopi a Suffraganeis, Epiſcopi a Capitulis eligerentur, docet ex Innocentio III. lib. 13. epiſt. 48. Thomaſſinus cap. 34. n. 10. Germanicæ Eccleſiæ ſuam per Imperatores pleniſſimam conſtitiſſe libertatem documento primum eſt Colonienſis Synodus an. 887, in qua cap. 1. a Clero Mimidonenſi electus Drogo ad Epiſcopale promotus officium legitur, & cap 4. Laici a Baſilicis conferendis procul arcentur; cui poſteriori congruit Canon 5. Moguntinæ an. inſeq. A Rodulpho Rege Clero, Populoque Remenſi liberam eligendi Paſtoris indultam poteſtatem ex Actis Synodi Engilenheimenſis an. 948. a Flodoardo lib. 4. hiſt. Remen. cap. 41. deſcriptis adparet, cui Synodo complures ex Germania Præſules interfuiſſe liquet, quibus proinde eamdem electionis formam probatam fuiſse augurari proculdubio fas eſt. In Miſnenſis, Nauburgenſis, & Merſeburgenſis, quos ipſe fundaverat, Epiſcopatus Regaliæ jus retinuiſse quidem Otho I. fertur apud Ditmarum in Chron. lib. 2, non etiam ad alios extendiſſe, qui jure Patronatus ad ſe non pertinerent. Itaque ab Othone II. Capitulo Magdeburgenſi integrum Archiepiſcopum eligendi relictum jus refert ibidem Ditmarus lib. 3; eodemque petente S. Wolfangus Ratiſponenſis a Clero electus traditur in vita cap. 11. apud Surium ad diem 31. Octob., non ſecus atque Cleri votis Colonienſi præfectus S. Herebertus legitur apud ipſum cap. 5. ad diem 19. Mart. Ex Imperatorum aſſenſu igitur celebratas in Germania libere tamen a Capitulis electiones uſque ad Henricum IV. ex Ditmaro, Helmoldo, & Arnoldo obſervat Thomaſſinus par. 2. lib. 2. cap. 38, donec invaſam ab Henrico Eccleſiaſticam libertatem reſtituit S. Gregorius VII, Synodi VII, & VIII. Canonibus 3, 12, ac 22, inſtauratis in Synodo Romana VII. an. 1080. Can. 1, 2, & 6, quos innovavit deinde Urbanus II. in Synodo Claromontana an. 1095. Can. 15, & 16, Ab Henrico V. Inveſtituras perinde, quibus furore veluti quodam,

dam, Patris exemplo, inhiabat, dimitti, liberaſque relinqui electiones cum Paſchalis II. epiſt. 22. ad ipſum, iteratis quoque decretis in Synodis Lateranenſis II. an. 1111, & Lateranenſis III. an. 1116, opeque Legatorum Guidonis Vien., & Cononis Præneſtini intentatis cenſuris in Synodis Viennenſi an. 1112, Belvacenſi an. 1114, Remenſi an. 1115, Colonienſi, Catalaunenſi eodem anno, & Colonienſi altera an. 1116. procuravit, ac deinde Gelaſius II. Eccleſiaſticis in eumdem inſtauratis pœnis in Conciliis Capuano, Colonienſi, & Frideslarienſi an. 1118, compulit denique Calliſtus II. vibrata denuo in Henricum excommunicationis ſententia in Concilio Remenſi an. 1119. In Synodis utique Wormatienſi an. 1122, ac Lateranenſi generali I. an. inſeq. præſente Imperatore in Germania electiones fieri, electoque Regalia conferri ab Imperatore per Sceptrum indulſit Pontifex, citra vim tamen, ac ſimoniam, ut electiones liberæ eſſent: quo ille privilegio cumulatus Inveſtituris abdicare ſe coactus eſt. Inveſtituras repetere ab Innocentio II. in Leodienſi Conventu Lothario haud verito infracta animi fortitudine obſtitiſſe S. Bernardum, eumque a propoſito deterruiſſe refert Bernardus Bonævallis Abbas in ejus vita lib. 2. cap. 1, ex quo putidi redarguit mendacii Petrum Diacon., Petri Leonis Schiſmati addictum ſcriptorem, Baronius ad an. 1131. num. 8, dum in Chron. Caſſin. lib. 4. cap. 99. ab Innocentio revera Inveſtituras extorſiſſe Lotharium adfirmare non erubuit. Friderico I. conatu haud abſimili electiones ad re rapere geſtienti Epiſcopali dignam magnanimitate frontem objeciſſe Germaniæ Præſules ab Eugenio III. excitati leguntur apud Baronium ad an. 1152. num. 8, ſeq., indeflexoque obſtitiſſe animo Urbanum III. tradit Arnoldus Lubecenſis in Chron. Slavor. lib. 3. cap. 16, ſeqq. relatus a Baronio ad an. 1186. num. 3, ſeqq. Ab Othone IV. iſtiuſmodi prætenſi juris ceſſionem una cum fidei ſacramento expreſſiſſe legitur Innocentius III. lib. 13. epiſt. 190. regeſta a Raynaldo ad an. 1209. num. 10; cui Pontifici ſimili deinde ſponſione ſe obſtringere Fridericus II. officio duxit apud eumdem Annaliſtam ad an 1213. num. 23, ſeqq. Qua perinde ſub ſponſione B. Gregorio X. ſe devinciens Rodulphus Habſpurgenſis Regaliæ juri penitus renuntiavit apud Raynaldum ad an. 1275. num. 38, ſeq., donec edi-

editis tandem Concordatis Germanicis an. 1448. inter Nicolaum V, & Fridericum III. electionum integritati provisum est, de quibus Thomassinus par. 2. lib. 2. cap. 37. num. 11. A duabus Synodis denique Salisburgensibus an. 1274. Cap. 23, & 1281. Cap. 18. Ecclesiastica beneficia, & Ecclesiæ de manu Laicorum susci pi. stricte prohibita sunt. De promovendo ad Episcopatum Pragensem viro quodam pio, doctoque consulendum quidem Bohemiæ Regem duxit Æneas Silvius epist. 259. ad Nicolaum Liscum, id tamen haud necessarium indicans, sed integrum penes Capitulum eligendi, quem mallet, Episcopum stetisse. Ladislao Poloniæ Regi conquerenti, quod suo absque adsensu, Regni Ecclesias Pontifex conferret, impedientique, ne electi Ecclesias obtinerent, respondit Martinus V. id legitime ab se fieri etiam in Anglia, Gallia, & Hispania, ratione habita utilitatis Ecclesiarum potius, quam Regii placiti, cui ideo ob oppositum impedimentum aspere succensset apad Raynaldum ad an. 1429. num. 14. Atque ita plane, etsi Rege contradicente, ac pro Lucio stante, se legitime a Capitulo Warmiensi electum scripsit Æneas Silvius epist. 124. ad Procopium. Qui Pontifex factus sub Pii II. nomine, Capitulo etsi, & Casimiro Rege repugnantibus, Cracoviensem Ecclesiam contulit apud cit. Raynaldum ad an. 1460. num. 45. Improbam in Svecia consuetudinem, ut Episcopi juxta Procerum, Regisque placitum eligerentur, datis ad Upsalensem, ejusque Suffraganeos an. 1250. litteris a Raynaldo descriptis num. 40. eradicandam adorsus Innocentius IV, electiones deinceps a Capitulis fieri, nulla Regis interveniente parte, rationeque Procerum habita, jussit. Ira quoque Norvegiæ Regibus in electionibus jus nullum fuisse ex pactis cum Johanne Nidrosiensi Primate conventis a Magno Rege patet apud Raynaldum ad an. 1273. num. 19, seq. Universa denique pro Ecclesia Occidentali explicitissimi sunt Textus Juris Canonici, quibus tam Institutiones a Laicis fieri prohibentur, & factæ damnantur, quam ampla instituendi facultas Capitulis facta conspicitur, ita ex Alexandro II. in Synodo Romana an. 1063. cap. 6. apud Gratianum Can. 20. *Per Laicos* 16. q. 7, ex S. Gregorio VII. in Synodo Romana VII. an. 1080. Can. 1, seq. apud Gratianum Can. 12. *Siquis deinceps* ibidem, ex Urbano II.

no II. in Synodo Claromontana an 1095. Can. 15, duoque ſeqq., ex Paſchali II. in Synodo Trecenſi an. 1107, & in epiſt. ad Rothardum Mogunt. apud Martene Vet. Monum. Tom. 1. p. 616, a Gratiano regeſtus Can. 16. *Siquis Clericus* ibid, ex Calliſto II. in Synodo Lateranenſi I. Can. 4, ex Innocentio II. in Synodo Lateranenſi II. Can. 25, ex Alexandro III. in Synodo Lateranenſi III. Cap. 14., ex Cæleſtino III. cap. 14. *Cum terra* Decret. lib. 1. tit. 6. de Elect., ex Innocentio III. in Synodo Lateranenſi IV. cap. 25. de Elect. Cap. 43. *Quiſquis electioni*, ex Gregorio IX. Cap. 51. *Sacroſancta*, & Cap. 56. *Meſſana* ibid.

Remanet igitur, ut Regaliæ jus, ſive Regius adſenſus in collatione Beneficiorum vel ex Regum præpotentia, vel ex tolerantia Præſulum, vel ex Pontificum indulgentia profluxerit. Atque ut de primo nihil retexam capite, Eccleſiæ ſane, ut Laica ſe paſſim electionibus poteſtas ingereret, non una tolerandi cauſſa fuit. Fuit enim primum ob *Villas Eccleſiaſticas*, *& alia bona*, quæ a Regibus tribui frequenter Epiſcopis ſolebant, uti ſcribit Ivo Carnot. in epiſt. 65; fuit perquam ſæpe ob pacis amorem, mutuamque Sacerdotii, & Imperii concordiam, ut ex Floro Magiſtro obſervat Johannes Fileſacus de Sacr. Epiſcop. Auctorit. cap. 7. §. 7; fuit quammaxime ob ipſius Eccleſiæ bonum, ad lites vitandas, ad ſedanda jurgia, ad turbas compeſcendas: quomodo ad Plebis vitanda diſſidia *cum Majorum Palatii aſſenſu* electiones fieri voluit Concilium Toletanum VIII. an. 653. cap. 10. Hoc etiam modo Pontificis aliquando electioni, ad impedienda nempe Schiſmata, Imperatoris Miſſos intereſſe voluit Stephanus Papa apud Gratianum Can. 28. *Quia ſancta* diſt. 63, cui poſtea juri Pontificis interveniendi electioni ceſſere Ludovicus Pius Can. 30. *Ego Ludovicus*, S. Henricus II, & Otho M. Can. 32. *Conſtitutio* eadem diſtinct. Atque iſto perinde modo, ad factiones nempe prævertendas, Epiſcopi Laudunenſis electioni Caroli Calvi Miſſos intereſſe juſſit Johannes VIII. in epiſt. ad Hincmarum, de qua Col. venerius in Schol. ad Flodoardum lib. 3. cap. 22; utque ob diſſidia Diacono ab ſe miſſo Vercellenſis conferretur Epiſcopatus, rogandus Carolomannus eidem Pontifici epiſt 171. fuit; Othonis II. Miſſi S. Volfangi Ratiſpon. electioni adfuiſſe leguntur apud Surium

rium Tom. 5. ad diem 31. Octob. cap. 11; Alexandro II. collau. dante, & adprobante Philippi Regis opera Episcopus Carnotensis electus intelligitur ex epist. 23. ad Gervasium Remens. edit. Hard.; Parisiensis Antistitis electioni, ob exorta dissidia, Regis interventum desideravit, incitavitque Ivo Carnot. epist. 158; electioctioni Guidonis Ravennatis Friderici I. Missos interveniisse liquet ex ipsius epistola ad Hadrianum IV. apud Baronium ad an. 1159. num. 2, & Rubeum hist. ad an. 1158; quo demum modo Faventino Clero, & Populo ob factiones expectandum pro Antistitis electione Regis adventum suasisse legitur S. Petrus Damiani lib. 5. epist. 10. Neque defuit tamen Ecclesiæ indulgentia, qua deinde Regibus vel electionibus Episcoporum, & Abbatum præstandi assensum, post electionem, eamque liberam ab iis factam, quorum interesset, vel ad Episcopatus, & Abbatias nominandi ante electionem jus adcreverit. Et sane Cælestini III. expressus est Textus in Cap. 14. *Cum terra* Decret. lib. 1. tit. 6. *De electione*, ubi Regius quidem assensus, sicubi more sit inductus, ad electionem requiri non prohibetur, quin tamen electio impediatur: *Non prohibemus, quin Regis requiratur assensus, sed propter hoc ipsam electionem nolumus impediri*. Igitur assensus hic nec infert jus eligendi, neque jus tribuit electiones irritandi, atque electos ab apprehendenda possessione impediendi, multoque minus Bullas frustraudi Apostolicas, quibus electiones confirmantur. Quin etiam tum ante electionem legitime Regium interponi adsensum, modo electio ipsa non impediatur, ubi ab Apostolica Sede facultas impetrata fuerit, inde fit evidens. Atque ita privilegium istud a Pontificibus factum Sabaudiæ Ducibus, ut ad Cathedrales, & Abbatiales Ecclesias nemo eligeretur, nisi de eorum consensu adfirmat Germonius de Sacr. Immun. lib. 3. cap. 11. n. 24. Sed verius Sabaudiæ Ducibus ad Episcopales Cathedras, & Abbatias nominandi privilegium fuisse concessum a Nicolao V. primum, confirmatumque perinde a Sixto IV, ab Innocentio VIII, a Julio II, a Leone X, a Clemente VII, a Julio III, a Gregorio XIII, a Clemente VIII, ac demum a Benedicto XIII, & a Benedicto XIV, ex ipsorum Diplomatibus autographis a Cardinali d'Ossat epist. 301. ad Villaregium edit. Rotomag. an. 1643. p. 765. laudatis, atque

atque ex Concordatis a duobus præfatis poſtre mis Pontificibus cum Sardiniæ Rege Carolo Emanuele initis adparet. Illud etiam indultum, per vim etſi, metumque ab Hadriano IV. impetraſſe Willelmum Normannum cognomento Malum Siciliæ Regem cujus temeritatem Epiſcoporum impediendi electiones carpſit alioqui Petrus Bleſenſis epiſt. 10. ad ipſius Capellanum, impetraſſe perinde ab Innocentio III. Fridericum II. Suevum, ut nempe ad electiones Regius adſenſus requireretur, ita tamen ut electiones liberę fierent, & ante fierent, quam Regius expeteretur adſenſus, factæ publicari non differrentur, & Regius factis pręberi confeſtim adſenſus deberet, ex utriuſque Pontificis Diplomatibus refert Baronius ad an. 1097. num. 64, ſeqq., & 1156. num. 4, ſeqq., quibus jungendæ Innocentii III. lib. 2. epiſtolæ ad Epiſcopos Siciliæ, ad Capitulum Capuanum, ad Clerum Rhegienſem, & ad Capitulum Pennenſe. Quem Regium aſſenſum non jure Patronatus, aut Feudi, aut legitimæ conſuetudinis, ſed ex mero privilegio Innocentii III. peti a Capitulis conſueviſſe adnotat Ughellus Ital. Sac. Tom. 6. de Archiep. Capuan. num. 20. Atqui Fridericum poſtea Regii aſſenſus beneficio abutentem compeſcendum, atque priſtinam in libertatem electiones reſtituendas duxere idem Innocentius III. epiſt. ad Epiſcopum Caputaquenſem apud Ughellum Tom. 7. de Epiſcop. Policaſtr. num. 3, ſeq., Honorius III. lib. 7. epiſt. 194. ad ipſum Fridericum apud Raynaldum ad an. 1223. num. 15, ſeqq., Gregorius IX. lib. 1. epiſt. 165, & lib. 2. epiſt. 10. ad eumdem Imperat. apud Baronium ad an. 1097. num. 80, & Raynaldum ad an. 1227. num. 44, & 1228. num. 8. Ne deinceps vero Indulto abuti contingeret, illud abrogarunt Innocentius IV. in Inveſtitura oblata Carolo I. Andegavenſi, de qua Raynaldus ad an. 2253. num. 3, Alexander IV. in Inveſtitura oblata Edmundo Anglo, de qua Baronius ad an. 1097. num. 91, & Raynaldus ad an. 1255. num. 8, ſeq., Clemens IV. in Inveſtitura collata præl. Carolo Andegav. apud Baronium num. 92, ſeq., & Raynaldum ad an. 1265. num. 14, ſeqq. Cui Clementinæ conformes deinde fuere Inveſtituræ collatæ Carolo II. a Nicolao IV, Johannæ I. Reginæ a Clemente VI, Friderico Juniori a Gregorio XI, & Bonifacio IX, Carolo III. Dyrrachino ab Urbano VI, Alphonſo I. Aragonio, a

Johanna II. adoptato, ab Eugenio IV, Ferdinando I. a Pio II, a Sixto IV, & ab Innocentio VIII, Alphonso II. ab Alexandro VI, Carolo V. a Leone X, Philippo II. a Julio III, Philippo III. a Clemente VIII, Philippo IV. a Gregorio XV, Carolo II. ab Alexandro VII. apud Baronium ad an. 1097. num. 86, seqq., Thomassinum vet., & nov. Discipl. par. 2. lib. 2. cap. 27. num. 2, Braschium de Libert. Eccles. Tom. 2. cap. 38, seq., & Raynaldum ad annos 1289. num. 1, seqq., 1344. num. 18, seqq., 11372. num. 7, seq., 1391. num. 2, seqq., 1381. num. 2, seqq., 1443. num. 1, seqq., 1445. numer. 11, seqq., 1458. num. 20, seqq., 1486. num. 14, seq., 1492. num. 11, seqq., 1494. num. 3, seqq., 1521. num. 81, seqq., & 1554. num. 10, seqq. Quamvis autem in Concordatis a Clemente VII. initis cum Carolo V. Regibus Neapolis Juspatronatus in 24. Ecclesias Cathedrales, & 8. Metropolitanas indultus fuerit, de quibus Johannes de Ponte Dec. 12. num. 14, & Braschius cap. 39. num. 21, seqq., Regius tamen assensus circa alias excluſus est. Qua de re consulendæ Clementis VII. Const. 29, similem Leonis X. Const. 20. confirmans, ac Bulla Cœnæ cap. 13. Videndi quoque Bensolius cap. 39. num. 11, seq., Bonacina Tom. 3. disp. 1. q. 15. pun. 1, seq, Cardin. Albitius de Inconst. in fide cap. 30. n. 403, seqq, & Braschius loco cit. Fatendum ad hæc sæpius etiam datos a Regibus Ecclesiis Episcopos fuisse, non utique jure proprio, aut Patronatus, sed ex mero Apostolicæ Sedis indulto: quo sane potiri Francorum Reges probat Lupus Ferrar. epist. 81. ad Amulum Lugd. Caroli Calvi Regis jussu conscripta, ex indulto primum a S. Zacharia P. M. facto Pippino Regi id repetens: etsi minus recte, ni ego fallor, illud ad sequioris ætatis Reges extendere videatur, siquidem illud personale fuerit. Ab Alexandro III. simile privilegium oblatum Ludovico VII, qui eo tamen uti noluerit, auctor est Walsinghamus in Hypodig. Neustriæ an. 1148. Philippo Pulcro collatum est deinde a Bonifacio VIII, ac Francisco I. demum a Leone X. Unde Ruzæus de Jure Regal. in præf. par. 5. num. 4, & Rebuffus ad Concordata tit. de Regia ad Prælat. nominat. §. 1. p. 109. Regaliæ jus ad Beneficia nominandi ex Pontificio indulto pendere docent. Atque ita in Hispania siquod viguit jus nominandi ad vacantes Ecclesias, ac vacantium reditus reti-

retinendi, Apoſtolicæ Sedis beneficio acceptum referre neque dubitant Cevallos Quæſt. Commun. Tom. 4. q. 379, ſeq., & Salgadus de Retent. Bullar. par. 1. cap. 1. num. 116, ſeq., plures alios pro eadem allegantes ſententia, veluti Gregorium in L. 18. tit. 5. par. 1. gloſ. 2, Didacum Perezium Gloſ. 1, Anaſtaſium Germonium de Sacr. Immun. lib. 3. cap. 11, Quintadvenam in Eccleſiaſtico lib. 1. cap. 5, &c., pro qua facere quammaxime Textum expreſſum de Jure Regio Hiſp. in L. 1. tit. 6. lib. 1. Recopilat. Pontificiis denique indultis Regalia, jure nominandi videlicet ad vacantes Eccleſias, indubie potiti ſunt, Hadriani VI, Clementis VII, Sixti V. &c. beneficio Hiſpaniarum Reges, Leonis X. Conſt. 20. Reges Galliar., Nicolai V. Conſt. 1. Germaniæ Reges, ejuſdem Pontificis, aliorumque, de quibus ſupra, Diplomatibus Reges Sardiniæ, ac Sabaudiæ Duces, aliorumque Pontificum Indultis Reges Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Luſitaniæ &c.

Quod ad 2. Regaliæ juris caput pertinet, vacantium nempe Eccleſiarum fructus percipiendi, faciendique proprios, Pontificio ſecluſo pariter indulto, illud Regibus jure neque protectionis, & defenſionis, neque donationis, ac fundationis competere, in ſolis principiis Juris Naturalis, Gentium, & Divini ſiſtendo, abunde, opinor, ſuperius eſt demonſtratum. Accedunt explicitiſſimi Conciliorum Canones, Pontificum leges, Epiſcoporum Statuta, Principum Diplomata, quibus Laici cujuslibet dignitatis a vacantium Eccleſiarum reditibus percipiendis abſterrentur. Qua in re non una quidem ubique, ſemperque viguit diſciplina, ſed diverſa pro Eccleſiarum, temporumque diverſitate, ac viciſſitudine, eò tamen conſpiravit jugiter, ut Eccleſiaſticorum proventuum adminiſtrationi ſe laicæ Poteſtates non implicarent. In Africa itaque viduatæ Eccleſiæ cura, redituumque cuſtodia futuro Epiſcopo ſervandorum uni Provinciæ Epiſcopo demandari ſolebat, qui ideo *Interceſſor*, & *Interventor* denominabatur, veluti fidem indubiam faciunt Concilia Carthaginenſe V. ſub Aurelio an. 401, cap. 8. alterum ſub Bonifacio an. 525. in Cod. Africanæ Eccleſiæ Can. 74, & Macrianenſe in Collect. Ferrandi cap. 23: quo etiam de nomine S. Auguſtinus epiſt. 163, de unico Baptiſmo cap. 16, de Paſtor., ſive in Ezech. cap. 34, cap. 15, Creſconius in Collect. cap. 267, & Ca-

& Carolus M. Capitul. lib. 7. cap. 89. Ab Ephesino viciſſim in Synodica ad Clerum Conſtantinopolit., Neſtorio exauctorato, Preſbyteri, Oeconomi, & Clerici Eccleſiæ rerum tuitioni, quarum Succeſſori rationem ſcirent reddendam, diligenter excubare mandati leguntur. Quod ipſum, Dioſcoro exturbato, Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyteris, Oeconomis, & Clericis a Chalcedonenſi Act. 3. in Synodica ad Clerum Alex. commendatum eſt, Canone 25. vero viduatæ Eccleſiæ reditus unum penes Oeconomum integri Succeſſori reſervari jubentur. Sub totius etiam Cleri cuſtodia defuncti Epiſcopi res, Eccleſiæque vacantis reditus manere integros juſſit Trullanum Can. 35: quam Græcæ Eccleſiæ diſciplinam tantum abeſt, ut infringere auſi ſint Imperatores, ut potius Præſidibus, ac Fiſci Procuratoribus vacantes reditus uſurpare diſtricte lege lata vetitum fuerit a Johanne Comneno, ab ejuſdem fratre Manuele, & Johanne Duca Batatze Jur. Orient. To. 1. pag. 147, 154, 176, 177, 282 &c. Veterem hanc fuiſſe erga viduatæ Eccleſiæ res Imperatorum Religionem argumento eſt, documentoque, quod de Vandalorum Rege denarrat Victor Vitenſis de perſecut. Vandal. lib. 2. Nempe nefarium ab eo excogitatum decretum de rebus defunctorum Antiſtitum per Africam Fiſco adjudicandis, Miniſtrorum conſilio fuiſſe ſuppreſsum, quod facile perviderent futurum, ut Arianorum Epiſcoporum res pari a Catholicis Imperatoribus diſcrimini ubique paterent. Veterem hanc ipſam viguiſſe in Hiſpania diſciplinam, ut defunctorum Epiſcoporum res, ac reditus unius Cleri tuitioni, & cuſtodiæ traderentur, Succeſſori ſervandi, deque prætenſo iſtiuſmodi Regaliæ jure longa per temporum intervalla nobili hac in Eccleſia nihil auditum, a Regibuſque nihil arrogatum, documento, argumentoque ſunt liquido Synodi Tarraconenſis an. 516. cap. 12, & Ilerdenſis an. 524 Can. 16, a Gratiano regeſtis Can. 6. *Sicubi defunctus* 12. q. 5, & Can. 38. *Hæc hujus* ibid. q. 2, quibus poſt Epiſcopi obitum Eccleſiæ res a Clericis deſcribi, integre ad Succeſſorem trajiciendæ, jubentur. Cenſum deinde hunc, quam a Clero, tutius a viciniori Epiſcopo, cujus ratio Mettopolitano reddi debeat, juxta Synodi Regienſis Canonem 6, judicavit Valentina eodem anno 524, juſſitque cap. 2, confirmato deinde a Toletana IX. an. 655. cap. 9. Oeconomo.

conomos etiam ex-Clericis, qui Epiſcopi vice res Eccleſiaſticas curarent, Eccleſias Hiſpanas habuiſse liquet ex Hiſpalenſi II. an. 619. Can. 9, & Toletana IV. an. 633. cap. 48, quibus inſtauratus legitur Chalcedonenſis Can. 26, quorumque prior refertur a Gratiano 22. *In nona* 16. q. 7; unde facile intelligi datur Epiſcopi quoque defuncti res, ac reditus ſub Oeconomi cura manſiſſe, atque cuſtodia. In Italiam nunc revocando gradum, heic ſane vacantium Eccleſiarum reditibus adminiſtrandis e vicinia advocatos Epiſcopos adſtitiſſe diſcimus ex S. Ambroſio lib. 7. epiſt. 44. adConſtantium Epiſc.,cui vacantem Fori Cornelii Eccleſiam commendat. Atqui S. Gregorius M. non una, eademque viduatarum Eccleſiarum cuſtodiendis, defendendiſque rebus, ac reditibus incubuit ratione, ſed diverſa pro diverſitate temporum, locorumque. Nam aliquando eorum penes Oeconomos curam, & adminiſtrationem manere voluit, quibus aliquando Notarios etiam adjunxit lib. 2. epiſt. 15, & 22, aliquando penes Eccleſiæ Clericos lib. 3. epiſt. 11, & lib. 4. epiſt. 42. De bonis Eccleſiæ nihil ab ullo diripi paſſus, ideo frequentius illorum cuſtodiam Epiſcopo viſitatori demandans integra Succeſſori reſervari diſtricte juſſit lib. 1. epiſt. 7, 19, 38, lib. 2. epiſt. 29, lib. 3. epiſt. 39, lib. 4. epiſt. 14, & lib. 5. epiſt. 2. Sed & non ſemel Vicedominorum opera vacantium Eccleſiarum reditus adminiſtrari voluit lib. 1. epiſt. 11, 15, 55, 76, & 78. Perquamſimili porro munere defungebantur Vicedomini, qui communi hoc donabantur nomine tam Laici, quam Clerici: ſicut enim illi Principis domui præfecti totius domeſticæ rei curam gerebant, unde dicti etiam Majores domus, de quibus Ulpianus I. L. 157. ff. de Regul. Jur., Acta S. Eutychetis ad diem 15 April., Scriptor hiſt. Trevir. apud Dacherium Spicileg. To. 12. p. 242, S. Gregorius M. lib. 9. epiſt. 37, multiſque agit Ducangius To. 6. p. 1500, ſeqq. edit. Ven. 1740, ſic iſti aut vicem Epiſcopi, aut Epiſcopii curam adminiſtrabant; quales in Eccleſia Romana memorati ab Anaſtaſio in Vigilio, in Conſtantino, in S. Zacharia, in Stephano IV, atque officio haud Oeconomis diſpares erant, de quibus Paulus Diacon. hiſt. Miſcellæ lib. 23, ſeq., Honorius Auguſtod. lib. 1. cap. 182, Hincmarus Opuſc. 27, Flodoardus lib. 2. cap. 13, Carolus M. in Capitul. an. 802. cap. 13, & Ca-

& Capitul. lib. 5. cap. 120, Leges Langobard. lib. 2. tit. 47. §. 7, Concilia Remense an. 813. cap. 24, & Moguntinum cap. 50, Innocentius III. lib. 2. epist. 448, & Cap. 38. *Consulere* Decret. lib. 5. tit. 3. *De Simonia*, ac videndi Ducangius loc. cit., & Thomassinus par. 2. lib. 2. cap. 55. In duabus Ticini habitis an. 850, & 855. Synodis Capp. 16, & 5. Laicæ potestates Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque piorum res, ac reditus propugnare, & defendere exorantur, impugnare, & diripere prohibentur, aut aliis diripiendos, impugnandosque dimittere. Censuris cohiberi quoscumque res Ecclesiis datas, quasi *a Principibus sibi indultas*, invadere, diripete, vastare, retinere audentes districte jussit S. Nicolaus I. epist. 59. ad Adonem Vien. cap. 3. apud Gratianum Can. 22. *De rebus* 12. q. 2. Romano Faventino, & Romano Ravennate vita functis, viduatæ Ecclesiæ utriusque reditus Visitatoris curæ commendatos voluit Johannes VIII. epist. 304, & 308. In eos perinde, qui post Episcopi obitum Episcopalem domum expilare non exhorrescerent, cum justas supremi Numinis iras, tum Apostolicæ Sedis jacula minari, & intentare non est moratus S. Leo IX. epist. 9. ad Auximanos. In duabus Romanis Synodis a Gregorio V. an. 996. in epist. ad Hilduinum Camerac., ex Baldrico Noviom. in Chron. lib. 1. cap 111. ab Harduino recensita, To. 6. p. 743, districto anathematis gladio feriuntur laicæ quæcumque personæ, quas prava res Ecclesiæ surripiendi cupido incesseret, & a Nicolao II. an. 1059. Can. 2. defuncti Præsulis nequis facultates invadere præsumat, districte inhibetur, quæ futuro reservari integre Successori jubentur. Ut erant etiam disciplinæ hujusce retinentissimi, studioque Ecclesiasticæ immunitatis vindicandæ flagrantissimi Ratherius Veron., & Atto Vercell., ideo Berengario Italiæ Regi ingenti ille crimini vertit, quod vacantis Ecclesiæ suæ reditus sibi retinere non extimuisset apud Dacherium Spicileg. To. 11. p. 247, iste Principes acri persequutus est stilo, quod viduatarum Ecclesiarum reditus proprios transfundere in usus non vererentur, eos penes Oeconomos, sacros juxta Canones, religiose Successoribus reservandos admonens de Pressur. Eccles. Par. 3. apud Dacherium Spicileg. To. 8. p. 90. Receptæ Italica in Ecclesia disciplinæ se attemperans S. Gregorius VII. Firmanæ Eccle-

siæ

siæ res, ac reditus Archidiaconi curæ, qui Oeconomi vicem gereret, concredidisse legitur lib. 2. epist. 38. ad Ubertum Comitem, & Clerum Ecclesiæ. Ne vero sub advocatiæ obtentu de vacantium Ecclesiarum rebus quidpiam deperiret, Episcopi defuncti res a quopiam contingi defendit Paschalis II. decreto relecto in Concilio Pictavienſi an. 1100. Can. 15. Pro officii quoque parte bonorum Ecclesiasticorum perinde incolumitati prospicientes, meliorique, qua fieri posset ratione consulentes Pontificum triga, Innocentius II. in Concilio Lateranensi II. an. 1139. Can. 5, instaurato Chalcedonensi 22, Alexander III. Cap. 4. *Cum vos* de Officio Judic. Ord., & Bonifacius VIII. Cap. 40. *Quia sæpe* in 6. de Electione viduatæ Ecclesiæ res, ac reditus sub Oeconomi, & Cleri tuitione, & custodia, Successori consignandos, manere decreverunt. Parimodo Ecclesiæ vacanti extemplo Oeconomum deputandum, qui proventus diligenter colligat, & Successori conservet, a Raynaldo Archiep. in Ravennate Synodo IV. an. 1317. Rubr. 1. decretum legitur. Decreto simili vacantium Beneficiorum fructibus Successores fraudari prohibuit S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi I. Const. par. 2. cap. 62, repetito in Mediolanensi II. tit. 3. Decr. 15, in Mediolanensi III. cap. 16, &c., juxta nempe Concilii Tridentini decretum sess. 24. de Reform. cap. 18, ubi Parochiæ vacanti præfici Vicarius ab Episcopo jubetur, a quo sess. 25. præterea de Reform. cap. 20. Principum sæcularium defensioni bona Ecclesiastica commendantur.

Tam antiquam quoque Gallicana in Ecclesia, Germanica, & Anglicana, quam acceptissimam fuisse religiosam hanc vacantium Ecclesiarum res, ac reditus curandi, & administrandi disciplinam, eique a Potestatis laicæ violentiis in tuto ponendæ Ecclesiarum Præsules jugiter pro viribus incubuisse discimus ex Conciliis Regiensi an. 439. Can. 6, & Aurelianensi II. an. 533. Can. 6, quibus ad viduatam Ecclesiam vicinior adcurrere Episcopus, Visitatoris munus obire, resque defuncti recensitas, descriptasque in tuitionem, ac defensionem adsumere, ac per semet, aut per idoneas personas domum Ecclesiæ descriptam administrare, custodireque jubetur. Ab Epaonensi an. 517. Can. 18. permissum est quidem Clericis prædia quædam Ecclesiæ Principis auctoritate obtinere, non

jure tamen proprietario id intelligendum est, sed jure precario, quin id impetratum a Regibus jure Patronatus exinde licet arguere, quod in Burgundia indicta a Sigismundo Rege Synodus fuerit, a quo Ecclesiæ fundos donatos refert Avitus Vien. epist. 30. Nam alioqui sub Potentum nomine, aut patrocinio res ad Ecclesiam pertinentes a quopiam peti, aut possideri districte prohibuit Aurelianense IV. an. 541. Can. 21. Ægidio Remensi gradu dejecto, ea quæ ab ipso per fas, & nefas adcumulata fuerant, in Regium fiscum transfusa quidem fuisse, quæ vero Ecclesiæ fuerant propria, intacta permansisse tradit S. Gregorius Turon. hist. lib. 10. cap. 19. Clotario ex Ecclesiæ reditibus ideo exigenti resistere non extimuit Injuriosus Turonensis, & Sigeberto Ecclesiæ bona quædam usurpanti haud impari sese objicere magnanimitate S. Germanus Paris. officio duxit. Contumelioſi Regiensis ab officio suspensi vice S. Cæsarius Arelatensis Visitatorem dare, & Archidiacono Ecclesiæ bona commendare jussus est a Johanne II. epist. 4, & a S. Agapeto epist 2. edit. Hard. Archidiacono viciſſim, & Clero vacantium redituum curam arcte inhærere voluit Concilium Parisiense VI. anno 615. Can. 6, & Remense an. 630. Can. 3, neque ulli Principum rescriptis, vel Judicum, & Optimatum potentia munito, armatoque contingendos, multoque minus diripiendos per eumdem Clerum, & Archidiaconum patere sustinuit. Junge Canones, quibus Clerici, & Laici indiscriminatim a spoliis Ecclesiarum vacantium cohibentur, Aurelianensis V. an. 549. Can. 8, & Cabilonensis an. 650. circiter Can. 7, alioſque sequioris ætatis, unde necessitas incubuit demum constituendi Advocatos, Defensores, ac Vicedominos, de quibus Ducangius, ac Thomassinus par. 2. lib. 2. cap. 55. Ecclesiæ Remensis vacantis fructus, quos aliquando perceperat Carolus M., atque retinuerat, compensasse abunde Ludovicum Pium auctor est Flodoardus lib. 2. cap. 19, ab ipso quin imo Carolo fuisse compensatos testatur Hincmarus in epist. ad Carolum Calvum, qui etiam Leone III. suadente decrevisse legitur Capitul. lib. 1. cap. 83, ne quisquam Successorum Ecclesiarum reditus suos facere auderet. Sub eodem Carolo M. Episcopos recens electos Ecclesiæ ante vacantis reditus obtinuisse constat, veluti de Tilpino ex Flodoardo, sub Ludovico Pio de Fulcone

cone ex Carolo Calvo in epiſt. ad S. Nicolaum I, & de Hincmaro ex Flodoardo lib. 3. cap. 4. A Ludovico Pio iterum rum ſiquos incaute Eccleſiarum fructus ſuos feciſſet; reſtitutos fuiſſe, tum ut abunde reſtituendos curarent, in mandatis dediſſe Lothario, & Pippino Filiis legitur apud Ducheſnium To. 2. p. 312, ſeqq. Qua de re cum ipſe Synodo Aquiſgranenſi an. 816. lib. 1. Can. 88. auctor fuit, ut antiquos juxta Canones, poſt obitum Epiſcopi Clerici ab ejus rebus diripiendis cohiberentur, apud Gratianum Can. 43. *Non licere* 12. q. 2, tum ipſi, ac Pippino filio viciſſim opportuno adfuit conſilio Aquiſgranenſis II. an. 836. lib. 3. cap. 27 ut ab Eccleſiaſticis bonis uſurpandis religioſe tam abſtinerent ipſi, quam abſtinere laicos Optimates adigerent. A Carolo Calvo Regaliæ abuſum primo cœpiſſe arguit Emin. Noriſius de Inveſtit. cap. 16. p. 564, ex quo nempe Fulco Remenſi præfectus eſt Eccleſiæ, & fructuum portio ab ipſo occupata. Quod factum improbavit tamen Lotharius in epiſt. ad Leonem IV, flagitiaque huic ſimilia alia exſecratus pariter eſt Hincmarus in epiſt. ad eumdem Pontificem apud Flodoardum lib. 3. cap. 10. Lotharium perinde, ac Ludovicum II. perverſa cupido hæc pervaſit: quos tamen Eccleſiarum vacantium reditus cum ut diſtractos reſtitui diligenter curarent, tum ne deinceps ab ullo diſtrahi permitterent, graviſſimis admonitos verbis, adhortatosque legas a Synodis apud Theodonis Villam an. 844. cap. 2, ſeqq., a Vernenſi II. eodem an. Can. 12, a Belvacenſi an. 845. cap. 3, ſeqq., a Meldenſi eodem an. Can. 8, 11, 17, 21, ſeqq., 42, 47, 61, &c. Atque a Carolo Calvo ablatas Eccleſiis res reſtitutas, indictamque ſibi legem de abſtinendo deinceps a vacantium reditibus auferendis docent ejus Capitulare in Villa Sparnaco an. 847. editum, quo præfati Canones, Meldenſis præſertim Concilii, probati fuere, receptique, Capitulare Sueſſionenſe an. 853, Synodo ſuggerente editum, cap. 1, ſeqq., Capitulare Cariſiacenſe cap. 20, quod eſt Synodica epiſtola ad Gall. Epiſcopos, & Comites an. 857. ejus juſſu exarata, Capitulare Ticinenſe an. 876. ex Synodi ſuggeſtione editum, atque in Pontigonenſi confirmatum cap. 10, quo res Eccleſiarum diſtrahi vetantur, diſtractæ repeti jubentur, & cap. 14, quo vacantium reddituum cuſtodia Oeconomo, Clericis adjunctis aliis, demanda-

tur, Successori reservandorum, Carisiacense an. inseq. cap. 8, seq., quo vacantis Ecclesiæ reditus Archiepiscopi custodiæ commendantur, sparta quoque Comiti imposita, vi etiam ab invasoribus eos defendendi apud Baluzium To. 2. p. 270, & Duchesnium To. 2. p. 463. Lothario item, & Ludovico II, ut Ecclesiis ablata restitui studerent, potestate ita efficerent sua, ut inde deinceps auferre fas nemini foret, adjecti fuere stimuli a Synodis Papiensi an. 850. cap. 16, a Valentina III. an. 855. Can. 8, & 21, a Papiensi II. an. 853. cap. 6, seqq., a Carisiaca an. 858. cap. 7, seqq., a Metensi an. inseq. cap. 9, a Tusiacensi an. 860. Can. 1, & in Synodica, a Pistensi an. 862. cap. 4, &c. Qui vero deterrimo abusui vacantes diripiendi reditus eradicando totis incubuere viribus Romani Pontifices, Ordinis Corbejensis res, ac reditus nec auferrent ipsi, nec ab aliis auferri permitterent, Lotharium, Ludovicum, & Carolum admonitos voluit Benedictus III. epist. 3. ad Gall. Episcopos. Ut Ecclesiæ Suessionensi res ablatas restitui curarer, auctorem Carolo Calvo se præstitit S. Nicolaus I. epist. 40. ad ipsum, cui epist. 16. in Append. I. stimulos adjicit, ut curet pariter a Lothario restitui, quæ ab Ecclesiis ablata fuerant. Epistola 59. ad Adonem Vien., & in Append. I. epist. 15. ad Nobiles Aquitaniæ asperrime invectus contra usurpantes beneficia, eorumque fructus, eis graves intentat minas. Episcoporum absentia, vel diutina ægritudine, vel demum obitu Metropolitas, cum Regis ope, vacantium redituum custodes esse voluit epist. 19. Append. I. ad Rodulphum Bituricensem apud Gratianum Can. 8. *Conquestus* 9 q. 3, non secus atque Hadrianus II. epist. 12. ad Hincmarum, ac 13. ad Carolum Calvum edit. Hard. Laudunensi Ecclesiæ res, dum abesset Hincmarus Nepos, custodiendas ipsi concredidit: quod etiam testatur ipse Hincmarus in epist. ad Rachildem Reginam apud Flodoardum lib. 3. cap. 17. Ad Fulconis preces Formosus P. M. anno 892. apud Flodoardum lib. 4. cap. 2. præcepisse legitur, ne ulli a Rege vacantis Remensis Ecclesiæ reditus suis applicari compendiis possent, sed futuro eligendo juxta Canonicas regulas reservarentur. Non moror heic autem Petri de Marca de Concord. lib. 8, cap. 22. n. 4. sinistram interpretationem inde Regaliæ jus haud excludi censentis: siquidem istud ad hanc usque epocham haud obtinuisse

nuiſſe dicta hactenus evidenter demonſtrent . Etſi vero Carolo III. Regi indulgere , ut ipſius abſque conſenſu nullus in Regno conſecraretur Epiſcopus , viſus ſit Johannes X. epiſt. ad Herimannum Colon. , vacantis tamen Epiſcopatus reditus , ac res Metropolitani cuſtodiæ demandatas voluit . Teſtis nunc adhibendus mihi , in quo nulla , hac in re quidem , ſuſpicio , aut partium ſtudium ſubſit, Hincmarus Remenſis nempe, quem veterem Eccleſiæ Gallicanæ diſciplinam minus calluiſſe , minuſque habuiſſe perſpectam nemo ſuſpicabitur . Is igitur in epiſt. ad Clerum Camerac. apud Baldricum in Chron. cap. 48 , ſeq. vacantis Eccleſiæ fructus Guntero , a Lothario eidem Eccleſiæ intruſo , dumtaxat concedi ſcripſit ; ſed inde non erat certe , cur Baluzius , aliique fruſtra Regaliæ uſum probare inſtituerent , quum potius e contra Regaliæ jus non obtinuiſſe inde conſtet, velut obſervat Noriſius de Inveſt. cap. 16. p. 609 , ſiquidem ii fructus non perciperentur a Lothario , ſed in cuſtodia eſſent Cleri Eccleſiæ. Sed enim quis Hincmaro Regaliæ juris acrior inſectator , & Chalcedonenſis Canonis 25. aſſertor , vindexque ſtrenuior? In Quaternionibus ad Carolum Calvum pro Eccleſiaſtica libertate tuenda in cauſſa Laudunenſis Epiſcopi Oper. Tom. 2. p. 316. hujus auctoritate Canonis Eccleſiæ viduatæ reditus futuro Epiſcopo penes Oeconomum integros conſervari debere adfirmat . Quod adſertum fuſe perſequutus epiſt. 9. ad Epiſcopos , & Optimates Provinciæ ſuæ cap. 41. *Facultates* , inquit , *Eccleſiæ viduatæ poſt mortem Epiſcopi penes Oeconomum integræ conſervari jubentur futuro Succeſſori : quoniam res , & facultates Eccleſiaſticæ non in Imperatorum , & Regum poteſtate ſunt ad diſpenſandum, vel invadendum, vel diripiendum, ſed ad defendendum , atque tuendum* . Qua perinde in tuenda diſciplina totus incumbit epiſt. ad Leonem IV. apud Flodoardum lib. 3. capp. 10 , & 26 , ab Oeconomis vacantes fructus Epiſcopo futuro ſervandos inculcans, Regum ideo potentia opus fuiſſe ad impediendas direptiones ſubjungens , atque Reges proinde reprehendens, quod eoſdem fructus proprios facere cepiſſent Oper. To. 2 p. 178 . 280 , 758 , & 833. Ob Chalcedonenſis Canonis 25. tranſgreſſionem iterum Odoacrum , quod a Lothario intruſus Belvacenſis Eccleſiæ reditus ſibi vindicaſſet , anathemate plectere non abſtinuit ; Rothadum, quod Eccle-

Ecclesiæ Suessionensis fructus proprios facere veritus non fuisset, haud parvam in culpam vocavit in epist. 17. ad S. Nicolaum I, & Vulfado pariter, quod vacantis Lingonensis reditus sibi usurpasset ingenti flagitio vertit in epist. 2. ad Episcopos Synodi Suessionensis II, utrinsque Ecclesiæ reditus penes Oeconomos fuisse servandos futuro Successori repetens. Atque ita quidem, Carolo Crasso mandante, Tornacensis Ecclesiæ Pastore viduatæ fructuum curam habuisse ipsum Hincmarum refert Flodoardus lib. 3. cap. 25. Quod vero Hugoni juniori Lotharii filio vacantis Ecclesiæ Metensis reditus elargitus Carolomannus fuisset, ingenti ideo illi vitio vertit Annalista Bertinianus ad an. 882. Hincmaro defuncto, a Capitulo ad electionem postulatus est præsens a Rege Visitator tantum epist. ad Carolomannum, cui subscripsisse legitur Framericus Presbyter, & Vicedominus, cujus nempe officium erat vacantis Ecclesiæ reditus, resque custodire. Ita quoque Cadurcensis Ecclesiæ viduatæ res custodiendæ Oeconomo traditæ leguntur in Decreto electionis Gausberti apud Dacherium Spicileg. Tom. 8. p. 154. Chalcedonensis iterum Concilii instauratis Canonibus 22, & 25. a Wormatiensi an. 888. Can 75, & 76. Clericis districte inhibitum est defuncti Episcopi res diripere, viduatæque reditus Ecclesiæ penes Oeconomum integros futuros reservari Successori jussum. A Troslejano quoque an. 909. cap. 14, innovatis Canone 2. Valentino, & Canone 5. Regiensi, viciniori Episcopo viduatæ Ecclesiæ res commendatæ sunt, eorumque descriptione Metropolitæ exhibita, ab ipso deputari Oeconomus jubetur. Quo perinde ex Capite desumptum est Capitul. lib. 6. Cap. 321, edit. Baluzii cap. 427, quo Principibus etiam prohibetur Ecclesiarum bona, sive reditus percipere, cap. 392. ex iisdem bonis auferri, vel transferri vetatur, & cap. 393. de eisdem disponendi Laicis omnibus facultas adimitur. Accedunt pactum Ludovicum Balbum inter, & Ludovicum Germaniæ Regem conventum an. 878. apud Ducheſnium Tom. 2. p. 480. *Ut res Ecclesiarum . . . Rectores ipsarum possideant*; atque Willelmi Aquitaniæ Ducis Charta donationis Abbatiæ Cluniacensi an. 910. Bibliot. p. 566, qua ejus de bonis disponendi omne Principibus jus denegatur. At Regaliæ juri Ecclesiasticum jus nedum objicere, sed etiam Divinum non dubitavit Gerbertus Re-

men-

menſis in epiſt. 118. ad Clerum, & Populum, *ſecundum Divinas*, inquiens, *& humanas leges vacantis Eccleſiæ res mobiles, & immobiles futuro Epiſcopo reſervandas eſſe*. Qui Pontifex factus ſub Silveſtri II. nomine Diplomate apud Dacherium Spicileg. To. 3. edito Poteſtati Laicæ cuicumque de rebus Vizeliacenſis Abbatiæ quidpiam auferre, ſuiſque adplicare uſibus diſtricte prohibuit. Defuncti Epiſcopi res ab Archipresbytero, vel Archidiacono vel in eleemoſynas Pauperibus erogari, vel futuro reſervari Præſuli, in eos qui res illas diripere, vel in proprios conferre uſus non fuiſſent veriti, vibrata excommunicationis ſententia, vetuit Urbanus II. in Synodis Claromontana an. 1095. Can. 31, & in Nemauſenſi an. inſeq. Can. 5; qui præterea in epiſt. ad Hugonem Gratianop. apud Baluzium Miſcell. To. 2. p. 177. viduatæ Eccleſiæ res Capituli cuſtodiæ, Succeſſori conſervandas, commendatas voluit. Adhæſit hæc ipſa Hadriano IV. ſollicitudo, ne de bonis Epiſcopalibus aliquid deperiret, a quibus ideo, ſub indignationis Divinæ interminatione, Principes etiam abſtinere, integraque futuro reſervari Præſuli juſſit epiſt. 41. ad Berengarium Narbon. Hiſce confirmandis decretis robur adjicientes ſuum Synodi Toloſana an. 1119. Can. 4, & Remenſis an. 1131. Can. 3, inſtaurato Chalcedonenſi Can. 25, Epiſcopi defuncti reditus a Principibus detineri, aut diripi prohibuere, ſed eos ſub Oeconomi, & Cleri cuſtodia integros futuro reſervari, Succeſſori voluere. Atque ad hanc uſque epocham hæc ipſa viguit in Anglia religionis erga vacantium Eccleſiarum res, ac reditus obſervantia: ubi antequam a Willelmo II. viduatarum Eccleſiarum reditus uſurpari cœpiſſent, eos integros cuſtodiri, Succeſſori reſignandos, conſueviſſe tradit Willelmus Malmesb. lib. 4. Sed & eumdem ſane Willelmum Regem in Angliam Regaliæ abuſum inducere conantem, Jarentone Abbate Divionenſi Legato miſſo, abſterrere Urbanus II. non diſtulit. Henricum perinde Regem a vacantium Eccleſiarum reditibus ſibi arrogandis deterrere pro viribus non deſtitit S. Anſelmus, teſte Eadmero lib. 4. hiſt. Novor. Qua de iniqua ab Henrico uſurpatione facta dolere acerbe viſus eſt pariter Ivo Carnot. epiſt. 252. ad Paſchalem II: quod indicium eſt haud obſcurum, nec in Gallia ſub Carolo Craſſo Regaliæ jus tum obtinuiſſe,

nuisse, nam alioqui nec Ivo tacuisset. Irrepenti abusui igitur ut modus injiceretur, a Concilio Lambethensi an. 1261. tit. *De Custodia Cathedralium* &c. Ecclesiarum vacantium custodia a Rege susci pi quidem, exercerique permissa est, & exoptata, reditus tamen, ac res occupari, inque proprios transferri usus districte vetitum. A Londinensi an. 1268, cap. 16. quin etiam sedulo prospectum est, ut Ecclesiarum viduatarum proventus sub custodia Prælatorum, futuro Successori reservandi, integri permanerent, neque proprios ii facere præsumerent. Abusui quoque, quem hac sub ætate in Germaniam induxerat, vacantium Episcopatuum reditus occupandi, renuntiare demum Fridericus II. compulsus est Constitutione data ad Honorium III, quam subinde Bulla Aurea confirmavit an. 1219. Cui perinde abusui, ne irreperet deinceps, ut occurrerent Germaniæ Præsules, Laicos cujuslibet dignitatis, & conditionis, in functorum sive Episcoporum, sive Clericorum bona se ingerere districte prohibuere in Synodis Colonienſi an 1266. cap. 7, Viennensi an. insequ. cap. 10, Budensi an. 1279. cap. 49, & Colonienſi altera eodem anno cap. 12. In Concilio denique Lugdunensi II. an. 1274. Cap. 12. *Generali Constitutione* a B. Gregorio X. sub anathematis vinculo decretum est, ne Regaliæ, defensionis, & advocationis titulo, vacantium Ecclesiarum, aut Monasteriorum bona quispiam dignitate quantacumque præfulgens occupare præsumeret. Quam utique Constitutionem ad instantiam Episcoporum Galliæ, & Angliæ conditam adfirmat Guillelmus Durandus in Speculo Juris V *Regalia*, eaque Constitutione Reges etiam obligari ibidem observat, ac in Comment. ad hoc Concilium cap. 12, nec non Glossa ibid. Cap. 13. *Generali* in 6. *De Electione*. Excipit tamen Canon hic Lugdunensis 12, sive Gregoriana hæc Constitutio titulum fundationis, ac legitimæ consuetudinis. Quo titulo deficiente, Regaliæ jus hancce tum ante, tum post epocham extendi Reges ipsi Francorum noluere, Ludovicus VI. Crassus in Charta pro Ecclesia Parisiensi memorata ab Innocentio III. in Bulla an. 1199., Ludovicus VII. Constit. circa Episcopatus Aquitaniæ To. 1. Galliæ Christ. in Archiep. Burdegal. p. 211, in Charta pro Ecclesia Parisiensi, Chartul. ejusdem fol. 20, pro Catalaunensi apud Ducangium To. 6. p. 1507, Baluzium

Iuzium Miſcell. To. 2. p. 225, Dacherium Spicileg. To 3. p. 296, ſeq., 451, Philippus Auguſtus, qui Regaliæ jus remiſiſſe legitur Eccleſiis Pariſienſi in Chartul. ejuſdem Eccleſiæ fol. 45, Æduenſi To. 2. Gall. Chriſt. p. 47, Antiſidiorenſi To. 1. Bibl. nov. Mſs. Labbei p. 483, Matiſconenſi To. 3. Gall. Chriſt. p. 683, S. Ludovicus IX. Conſt. circa Eccleſiam Anicienſem, Philippus III. circa Eccleſ. Albienſem, Philippus IV. Pulcher, qui in Edicto anno 1302. Regaliæ jus non in omnes Regni Eccleſias ſibi competere agnovit, & in Edicto anni ſeq. circa Provinciam Narbonenſem &c. To. 2. Actor. Cleri Gallic. par. 2. tit. 6. n. 4, Philippus Valeſius in Conſt. an. 1334, Carolus VI. in Conſt. an. 1408, Carolus VII. in Edicto an. 1451, Ludovicus XII. in Conſtit. an. 1499, Henricus M. in Edicto an. 1606. confirmato a Ludovico XIII. an. 1639. Art. 6: unde apud Ruzæum, Paſquierium &c. Regeſtum extat, ubi recenſentur Eccleſiæ, tum quæ Regaliæ juri ſubſunt, tum quæ liberæ ſunt. Juxta prælaudatum itaque Lugdunenſem Canonem, legitimæ conſuetudinis, aut privilegii deficiente titulo, Eccleſiarum Cathedralium, Regularium, & Collegiatarum vacantium res, aut reditus a quopiam, dignitatis cujuſcumque fuerit, occupari, aut in proprios transfundi uſus, gravibus ſub pœnis interdictum, ſed eos penes Oeconomos fide dignos cuſtoditi, futuro Succeſſori reſignandos, juſſum legitur a Synodis Auſcitana an. 1300. cap. 2, ſeq., Avenionenſi an. 1326. cap. 24, Avenionenſi altera an. 1337. cap. 29, Vaurenſi an. 1368. capp. 13, 53, & ſeq. Alterum perinde juxta Lugdunenſem Canonem 22. *Hoc conſultiſſimo*, ſub prætextu advocatiæ, aut protectionis in Germania Laicæ perſonæ a jure quocumque in Eccleſiarum bona prætendendo eliminatæ, proculque ſubmotæ ſunt a Conciliis Saliſburgenſi an. 1281. cap. 12, Herbipolenſi an. 1287. cap. 22, & Colonienſi an. 1310. cap. 33 atque de Regaliæ jure ſatis jam, ac ſuper.

Sequitur hinc, ut nonniſi ex Eccleſiæ pariter conceſſione, indulto Pontificum ideſt, vim obtineat primarum, ut vocant, Precum, quarum pleraſque deprecatorio reapſe modo conceptas formulas Rodulphi I, quæ primæ reperiuntur, legere eſt apud Nauclerum in in Chronog. ad an. 1273, & apud Van-Eſpenium Jur. Eccl. par. 2.

tit. 25. cap. 9. n. 19, qui eas refert ex Continuatore Abb. Urſpergenſis, Joſephi I. ad an. 1705. apud Bohemerum Juris Eccl. Proteſtant. lib. 3. tit. 5. p. 353, aliorumque in Append. ad Gervaſium Tilbarienſem de Imperio Roman. p. 113, & Leibnitium in Cod. Diplomat. Jur. Gent. par. 1. §. 98. p. 222, primarum, inquam, Precum jus, quo cum Germaniæ, tum Galliarum Reges fruuntur idoneam præſentandi, ſive nominandi perſonam ad vacantes, aut primo vacaturas Eccleſias: falli vero ſplendide, & fallere Proteſtantes id juris ex iiſdemmet plane capitibus repetentes, unde profluere jus Regaliæ falſo imaginantur, veluti Cortrejus in Repræſentatione Jur. primar. Precum Imper. Germ., Vitriarius Inſtit. Jur. publ. lib. 3. tit. 2. n. 9, Pfeffingerus ibid. in Not. Tom. 3. p. 90, ſeqq., Bohemerus Jur. Eccleſ. Proteſt. lib. 3. tit. 5. §. 110, Conringius in Animad. ad Bullam Innocentii X, Grubnerus in diſſert. de prim. Precibus adverſus Fontaninum, Schuvederus Introd. in Jus Pub. Imp. ſect. 1. cap. 5. n. 15, aliique, ad quos acceſſit Regaliſta Gallus Anonymus in *Traitè ſur les Benefices* To. 2. lib. 4. cap. 5. Atque de Jure prius loquendo, de facto loquuturi poſtea, præter ea, quibus abunde, opinor, paullo ſuperius oſtendimus ad unius poteſtatem Eccleſiæ pertinere Beneficiorum collationes, ejuſque abſque facultate Regibus in eas irrumpere vegrande nefas eſſe, Expectativas, ſive Mandata de providendo vacatura, tanquam irregulares, & ſacris adverſas Canonibus ſibi dumtaxat reſervarunt Alexander III. in Concilio Lateranenſi III. Cap. 8, quod refertur Cap. 2. *Nulla Eccleſiaſtica* Decret. lib. 3. tit. 8. *De Conceſſ. Præbend.*, Innocentius III. in litter. ad Præpoſitum, & Capitulum Cameracenſe, quas legere fas eſt Cap. 4. *Propoſuit* cod. lib., & tit., Martinus V. in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 43. Decret. 2. apud Harduinum To. 8. p. 877, Innocentius X. denique in Bulla, qua an. 1651. Pacis articulos Proteſtantes inter, & Ferdinandum III. initæ abrogavit, primarum quoque Precum jus Pontificio ab indulto dependere palam inde fecit. Haſce porro contra Expectativas, ob ingentes, qui exinde ſuboriri in dies videbantur, abuſus, in Concilio Conſtantienſi a Germanis præſertim graviſſime obmurmuratum eſt, veluti videre eſt, ſi licet, apud Goldaſtum Conſt. Imper. To. 1. capp. 3, & 6, in Comitiis iterum

Mogun-

Moguntinis; de quibus ibidem capp. 4, 11, 12, & 34. p. 392, ſeqq., adeoque ut, tota ſollicitante Germanica Natione, in Concilio Baſileenſi demum Expectativæ diro exceptæ Decreto fuerint, proculque ab Eccleſia exterminatæ, apud Goldaſtum To. 2. p. 124, ſeq.; atque Germanis adſtipulatis Gallis, unaque omnibus voce conclamantibus, qua de re Goldaſtus To. 3. p. 570, ſeq., effectum eſt tandem, ut hoc ſemet jure Pontifice abdicante, a Concilio Tridentino ſeſſ. 24. de Refor. cap. 19. Expectativæ, & Mandata de providendo, ſive Gratiæ ad vacatura delerentur. Quod non tam perinde confirmare Decretum, quam executioni demandare cordi quam maxime fuit Colonienſi an. 1536. par. 1. cap. 5, quo Expectativæ abolentur. Confer interea Fagnanum in Cap. *Nulla* n. 9, ſeq. *De Conceſſ. Præben.*, ubi eo Tridentino decreto ex S. Congregationis, quin etiam ex Gregorii XIII. ſententia, quod & per ſe liquido patet, Indulta Pontificia haud comprehendi docet. Quæ probe qui tenet, inde aperte intelligit tam neque Germaniæ Imperatoribus, quam neque Galliarum Regibus primarum Precum jus ullum, independenter a Pontificio indulto, competere. Atque a jure modo ad factum progrediendo, & ab ipſis Germaniæ Imperatoribus exordium capiendo, illud fundamenti ponendum loco, quod ab Inveſtituris Eccleſiaſticis demum, velut a juris Eccleſiaſtici uſurpatione, deſiſtendum agnovere Hermannus Roman. Rex, Henricus V, & Fridericus II. apud Goldaſtum ipſum To. 1. p. 242, 258, 289, ſeq., Raynaldum ad an. 1213. n. 24, & Noriſium de Inveſt. cap. 15, ſeq. Primarum itaque Precum jus perinde non niſi ex Pontificio indulto, ac perſonali quidem, non perpetuo, ſed a ſingulis Imperatoribus repetendo, impetrandoque, deſcendere ultro citroque faſſi, ac profeſſi a Sæculo XII. (quo demum Beneficia proprie dicta cœperunt, ideſt Præbendæ in diſtinctos Titulos ac perpetuos a reliqua prædiorum, ac fundorum Eccleſiaſticorum Maſſa perpetuo ſeparatæ, vacationiſque capaces: nam ad ſæculum V. uſque Clericis diſtributiones dumtaxat ab Epiſcopo dari ſolebant, dictæ etiam *Menſurnæ* a S. Cypriano epiſt. 28, & 34. edit. Pamel., ſive 34, & 39. edit. Felli, a quo Rigaltii cenſura in Pamelium redarguitur, oſtendente non fuiſſe, cur loco *Menſurnæ* legendum *Menſurantium* contenderet, ſiquidem cum Bodlejanus

Codex in epist. 28, tum epist. 34. explicitissime habeat *Mensurnæ*, quod nempe singulis dividi Mensibus consuescerent: ab hinc usque ad sæculum VIII. ex certa bonorum massa Clericis in commune attributa iidem ali solebant, ac deinde usque ad sæculum XI. Clericis alimenta præstari cœptum est ex certis fundis, sive prædiis, quæ iis concedebantut, ita tamen, ut post eorum obitum in communem referrentur denuo massam, qua de re fuse Cl. Thomassinus vet., & nov. Discipl. par. 3. lib. 2. capp. 23, & 28.), a sæculo XII, inquam, ac deinceps, idest tam ante, quam post Concordata Germanica Nicolaum V. inter, & Fridericum III. an. 1448. Nationis Germanicæ nomine inita, leguntur Imperatores ipsi. Itaque a Rodulpho Habspurgico, a quo primum jus, usumque primarum Precum occepisse ex ipsius litteris refert Nauclerus in Chron. ad an. 1273. To. 2. gener. 43. sub finem, & Goldastus To. 3. p. 406, a Pontifice, B. Gregorio X. nempe indultum primarum Precum fuisse impetratum, quod personale certe fuit, testatur Guillelmus Durandus Scriptor coævus, Clementis IV. Capellanus, & S. Palatii Apostolici Auditor, a se visum illud, (proprio tamen Imperatoris nomine haud expresso) adfirmans in Speculo Iuris par. 4. tit. de Præbend. §. *Item nota*; post quem id ipsum de privilegio primarum Precum Imperatori a Pontifice facto testes accedunt Joh. Andreas in 6. Decret. lib. 3. tit. 4. *De Præbendis* Cap. 19. *Is cui* n. 1, & in Notis ad Durandi Speculum lib. 1. particula 1. *De Legato* ad §. *Nunc tractemus* versic. *Contulit*, & ad lib. 4. partic. 3. *De Præben.* §. *Restat*, Baldus in Notis pariter ad cit. Durandi librum 4. Rubr. *De Præbendis*, Nauclerus loco supracit. testimonium referens Durandi ex tit. *De Legato*, ac Doctorum in lib. 6. *De Præben.* Cap. 19. *Is cui*, ac pluribus relatis Hermantius Hermes in fasciculo Juris publ. cap. 11. de Regal. Imper. n. 8, Arnulphus Ruzæus de Jure Regal. privileg. 47. n. 2. Thomam Feltrensem pro eadem persuasione laudans, Chockier de Indul. prim. Prec. in procem. &c. Ex privilegio simili perinde jus descendisse primarum Precum, quibus deinde usos Carolum IV. in Decreto an. 1353, ac Wenceslaum in Decreto altero an. 1376. apud Goldastum Const. Imp. To. 1. p. 345, & 375. constat, existimare pronum est. Nam hoc de Jure Imperatoribus ex Privilegio

gio ante, & poſt Concordata adquiſito, ideoque perſonali loquitur loco cit. Nauclerus. Junge quod Caroli IV. Preces ad Monaſteria dumtaxat directæ eo loci leguntur: quò fit, ut Precum ad Beneficia patiter vacantia, aut primum vacatura dirigendarum jus exinde nequeat extundi. Wenceslaus quoque ibidem primarum Precum jus Ruperto Comiti Palatino Rheni, ac Bavariæ Duci ceſſiſſe legitur. Quibus neque hunc uſum, neque utenti morem Epiſcopos geſſiſſe conſtat. Ab Eugenio IV. deinde indultum nominandi ad centum Beneficia ſupplex petiit, & impetravit Fridericus III. Quo plane ſe non indigere intellexiſſet, ſi perſpectum ei fuiſſet Precum vigore ad longe plura Beneficia nominandi ſibi jus incumbere. Concordatis ſubinde Germanicis, quibus Beneficiorum collationes ex æquo Pontificem inter, & Clerum Germanicum diviſæ ſunt, ſex Menſibus eidem Clero tributis, totidemque Pontifici reſervatis, una cum Jure præſervato ad quædam Beneficia jam antea per Extravag. *Ad regimen* quæſito, tantum abeſt, ut Fridericus III. intercederet, cauſſatus Imperatorio prætenſo juri primarum Precum injuriam fieri, cum quo plane jure adverſa pugnare Concordata fronte nemo non perſpicit, ut potius, ulla abſque præſervatione, Concordatis illis ſuo, Nationiſque nomine conſenſum adhibere ultrocitroque non dubitaverit. Quod indicium eſt liquidum, nullum Imperatoribus ad primarias Preces legitimum jus, aut privilegium perpetuum adquiſitum ante fuiſſe, ipſomet Friderico Imp. probante, & agnoſcente. Concordatis vix initis, a Nicolao V. primarum Precum indultum idem Fridericus obtinuit. Cui tamen obtemperare plurimi detrectarunt Epiſcopi, ideo quod Concordatis illud eſſet adverſum. Tertio proinde anno poſt Concordata, primarum Precum indultum alterum, cum expreſſa Concordatis derogatione, ab eodem Pontifice an. 1454. 10. Kal. Octob, alterumque deinde a Calliſto III. anno inſeq Kal. Octob. Fridericus impetrandum curavit. Quod rurſus indicium eſt certum perſonale fuiſſe privilegium; atque peſſimæ cauſſæ patrocinium fruſtra, perperamque quæſitum a Proteſtantibus Lehmanno de pac. Relig. lib. 2. cap. 70, Fritſchio de prim. Precib. cap. 2. §. 43, Vitriario Inſtit. Jur. publ. lib. 3. tit. 2. n. 9, Mayero de Jure prim. Prec. n. 43, ſeq., ex Noſtris quoque a Piringhio To. 3. tit. 5.

tit. 5. Decret. n. 376, & Engelio eod. tit. n. 71, præfracte contendentibus primarum Precum juri nullum Concordatis irrogatum præjudicium fuisse. Post hæc igitur simili privilegio, aut etiam paullo ampliori cohonestari se curarunt ab Innocentio VIII. anno 1492. Maximilianus I, a Leone X, & a Clemente VII. an. 1530, ac 1532. Carolus V, & Ferdinandus I, a Pio IV. an. 1564. Maximilianus II, a Gregorio XIII. an. 1577. Rodulphus II, a Paulo V. an. 1612, & 1620. Matthias, & Ferdinandus II, & ab Urbano VIII. an. 1638. Ferdinandus III. Primarias itaque Preces Imperatoribus ex Pontificis indulgentia competere fateri non detrectarunt Imperatores ipsi Rodulphus II, & Ferdinandus II. in Precum formulis apud Paurmeisterum de Jurisd. lib. 1. cap. 11. n. 48, & post Durandum, aliosque supra laudatos Jurisconsultissimos, Boerius Decit. 32. n. 8, Restaurus Castaldus de Imperat. q. 100. n. 14, seqq., Hermes fascic. Jur. publ. cap. 11, & de Regal. Imp. cap. 4, Uranius Consil. To. 2. Cons. 21. §. 10, Petrus Gregorius Tolos. Syntag. Jur. lib. 17. cap. 7. §. 21, Choppinus de Sac. Polit. lib. 1. tit. 10. n. 13, Azorius Instit. mor. lib. 10. cap. 7, Cockier de prim. Prec. in procem., Gailius lib. 2. Observat. 155. in fin., Beckers Synop. Jur. publ. cap. 5. §. 5, Stephanus de Jurisd. lib. 2. par. 1. cap. 1. memb. 1. n. 116, Rumelinus ad Auream Bullam par. 1. dissert. 4. Thesau. 16, Syringius de pace Relig. Concl. 31. litt. B., Lampadius de Republ. Rom. Ger. par. 3. cap. 11. §. 46, seq., aliique.

Factum tamen id totum, ut primarum nempe Precum jus sibi confirmari singuli curarent Imperatores, ex liberali civilitate quadam magis, abundantioriſque cautelæ gratia, quam ullo necessitatis intuitu, officiique debitione, reponunt ex Protestantibus alii, veluti Klochius Cons. 4. n. 23, Stamlerus de Reservat. Imperat. §. 51. n. 3, Fritschius de Jure prim. Prec. cap. 2. n. 36, seqq., Schuederus Introd. in Jus publ. Imp. Rom. Germ. par. speciali sect. 1. cap. 5. n. 15, Vitriarius lib. 3. tit. 2. n. 8, seq., Mayerus de Jure prim. Prec. §. *Licet* seqq. p. 65, Besoldus vir primum Lutheranus, postea Catholicus Thesau. pract. p. 2. V. *Primariæ Preces* in fin. Nempe ita miseri, quod fieri absque Juris Naturalis, Gentium, ac Divini violatione nequire videre detrectant, factum ex civilitate, & cautela dicere malunt: quod ita faciendi jus in vete-

veteri consuetudine fundatum contendere pergunt. At falso quidem, ac perperam: siquidem neque vetus prætensa consuetudo legitimo documento ullo probari queat, atque si viguisset unquam, tam licite, quam legitime derogatum ei fuisset a Pontificibus, Conciliis, & Concordatis, eidem quin etiam prorsus contrariam obtinuisse probaverimus annorum 365. circiter consuetudinem, quot nempe a Rodulpho I. ad Ferdinandum III. præterfluxere. Junge, quæ copiose, egregieque disputat Illust. Fontaninus disert. de prim. Precibus capp. 58, & 69. p. 82, 102, seqq., illudque præsertim, quod Pontificia indulta a Nicolao V, ac deinceps concessa pleraque involvebant conditiones, ac limitationes: quas profecto haud acceptassent Imperatores, si de altero sibi juste quæsito juris titulo certi sibi, conscii que fuissent. Atque hæc iterum contraria plane consuetudo magis adhuc, magisque sequentium Imperatorum comprobatur factis. Itaque Leopoldo I. indultum hujusmodi, ante solemnem obedientiæ præstationem, ab Alexandro VII. absolute denegatum certis documentis adfirmant Justus Fontaninus cit. disert. cap. 71, & Schvvartz Colleg. hist. p. 8. q. 6 §. 12, rem tamen postea amice compositam adjungentes. Quum vero Leopoldus indulto minime impetrato, quod impetrare denuo non opus fore putabat, doctrina fultus haud paucorum oppido, atque Catholicorum utique falso existimantium indulto perpetuo sive explicito, sive implicito in Consuetudine antiqua, Pontificum Rom. consensu tacito saltem, quin imo toties repetito firmata, Preces attamen, etsi parcissime, dirigere non abstinuisset, jure optimeque proinde iisdem intercessisse plerosque Germaniæ Præsules, & Capitula non pauca adfirmavit Clemens XI. in litteris ad Capitulum Hildesheimense an. 1706. Quumque Josephus I. ab an. 1705, nulla ante petita, obtentaque suæ electionis confirmatione, nulloque primarum ideo Precum indulto prius impetrato, eas nihilominus dirigere pariter neque sibi temperasset, eas propterea nullas, irritasque præfatis in litteris idem Pontifex decrevit, admonens, ne Preces illæ ullatenus admitterentur, tamquam quæ ullum obtinere robur nequirent, nisi Apostolico essent indulto suffultæ, subjungens easdem Concordatis adversari Nicolaum V. inter, & Nationem Germanicam initis; ideoque a Frideri-

derico III., ceteriſque deinceps Imperatoribus non ante Preces ejuſmodi dirigi conſueviſſe, quam a Pontifice M. cum electionis confirmatione eaſdem dirigendi Preces indultum impetraſſent. Cæterum idem Clemens XI. in aliis cum ad Capitula Eccleſiarum die 3. Martii, tum ad Carolum VI. Imper. die 10. an. 1714. litteris teſtis accedit locuples Joſephum I. prudens iniviſſe demum conſilium de electionis ſuæ confirmatione a Pontifice M. petenda, una cum conſequenti primarum Precum indulti petitione, idque documentis fide dignis ſibi liquido conſtitiſſe, quod tamen adimplere illum obitu immaturo præpeditum fuiſſe. Quo etiam loci a Carolo VI. tam electionis ſuæ confirmationem, quam primarum Precum indultum fuiſſe petitum adfirmat, atque impartitur. Idem perinde indultum a Benedicto XIV. P. M. petiiſſe, impetraſſeque Carolum VII. Bavarum, & Franciſcum I. Lotharingum certum fit ex Pontificis ejuſdem litteris Apoſtolicis. Quibus de indultis adeundi, ſi placet, qui ea diligenter collegere Illuſt. Fontaninus in diſſert. de prim. Precibus, ex Proteſtantibus vero Lunig Spicileg. Eccleſ. To. 1. a cap. 1. §. 170. p. 377, ſeqq. Ex quibus liquido patet ſubſiſtere amplius nequire eorum opinionem, veluti Wagnerechii in Comment. exegetico Sacr. Can. To. 1. lib. 3. tit. 5. de Præb., Piringhii eodem lib. 3. tit. 5. de Præben. n. 371, & Engelii lib. 3. tit. 5. eodem §. 6. exiſtimantium primatum quidem Precum jus a Pontificio indulto pendere, ſiquidem tamen a quadrigentis annis, poſt etiam Concordata indultum illud concedi conſueverit, poſſe licite Imperatores ex præſumpta indulgentia Pontificum, antequam indulto reapſe donati ſint, Preces dirigere. Præterquam enim ex nuda præſumptione jus iſtud, quod in laico Principe aliàs pugnat aperte cum Jure ſacro poſitivo, conſtantique, adſtrui profecto nequit, neque præterea ex conſuetudine, ſiquæ obtinuiſſe daretur etſi, aut præſcriptione etiam immemoriali jus iſtud adquiri legitime poteſt, ob incapacitatem poſſeſſionis, ſine qua nulla cutrit præſcriptio, qua de re videndi Schamlzgrueber ad lib. 3. Decret. cit. tit. 5. de Præb. n. 56, Pichler ibid. n. 48, Greneck Exam. Jur. Can. eodem lib., & tit. n. 95. p. 541., &c. palam factum eſt nempe ita ſingulis Imperatoribus opus fuiſſe, neceſſeque fore indultum petere, ut illo non impetrato nullæ prorſus

ſus habitæ ſint, habendæque Preces, harumque ideo jus nullam fuiſſe legitima firmatum conſuetudine, firmarique potuiſſe. Confer cit. Schmalzgrueber cit. lib., & tit. Decret. §. 8, Reiffenſtuel ibid §. 20, Hermetem faſc. Jur. publ. cap. 11, ac Biner Appar. Erud. ad Juriſp. p. 6. Append. diſſert. de Jure primar. Precum Art. 2. Neque ſane Proteſtantes juvat, quod a Concilio Baſileenſi an. 1437. decreto in favorem Sigiſmundi Imper. edito, quod refert Lunig Spicileg. par. 1. §. 134. p. 277, cum ipſi, tum ſingulis Romanorum Regibus, & Imperatoribus primarum Precum, ſive Nominationum indultum perpetuum fuerit collatum. Nam præterquam id evidenter probat nullum ante id temporis Imperatoribus primarum ejuſmodi Precum jus vel ex privilegio, vel ex conſuetudine, vel quopiam alio titulo fuiſſe adquiſitum, nullo in pretio indultum illud profecto habitum fuiſſe patet cum ex Decretis aliis pro nihilo factis, tanquam a Pſeudoſynodo poteſtatis expertе profectis, tum ex praxi continua, qua a Pontificibus indultum hujuſmodi petere Imperatores religioni duxiſſe oſtendimus: quod indicium eſt evidens Decretum illud nec a Pontificibus firmatum, nec Imperatoribus ipſis ſatis firmum viſum fuiſſe.

Ad Galliarum Reges nunc diſcurrendo, nihil tam frequens, & ad faſtidium uſque repetitum a Proteſtantibus, a Regaliſtis, a Publiciſtis auditur, quam a Chriſtianiſſimis Regibus idem primarum Precum jus, quod aliter jus vocant *Adventus ad Coronam*, Pontificio indulto nullo petito, ſibi adſtrui ex eiſdem capitibus, quibus jus Regaliæ adquiſitum putatur. Sed enim, ſicut in Regaliæ jure ſtruendo, ſic in hoc primarum Precum jure ſuperſtruendo immaniter eos hallucinari facile oſtendere eſt. Atque quidem ab eopſe, quo cepiſſe Beneficia, Sæculo XII. nempe, ſuperius dictum eſt, exordium capiendo, equidem ab Innocentio IV. pleraque in Gallia Proceribus Beneficia, cum facultate alia plura obtinendi, fuiſſe collata refert Matthæus Pariſius ad an. 1247. Philippo item Pulcro indultum nominandi qualibet in Eccleſia Cathedrali, & Collegiata perſonam idoneam unam conceſſiſſe Bonifacius VIII. legitur in epiſt. Cardinalium ad Galliar. Proceres inter Probationes libert. Eccleſ. Galic. cap. 7. Cui perſimile privilegium eidem Regi Philippo a Clemente V. confirmatum refert D. Tillet

par.1. p.452, quaſdam ad Beneficia fere non omnia Regni nominationes conceſſas memorans. De plurimis etiam aliis Beneficiis in Gallia tam Univerſitatibus quam ſupremis Curiis, Sæculo XIV. decurrente, ab Apoſtolica Sede indultis adeundus, qui fuſe de ipſis agit, D. Cochet de Sanvallier *Traitè de l'Indult* To.1. p. 10. n. 8. Johanni II. rurſus Franc. Regi indultum ad Beneficia vacatura in triginta Regni Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis ab Innocentio VI. conceſſum memoratur a Gloſſographo Pragm. Sanct. Sub magni Schiſmatis tempus a Clemente VII. Expectativas duarum Præbendarum in ſingulis Cathedralibus, & Collegiatis impartitas Carolo VI. Regi fuiſſe auctor eſt Froiſſardus Hiſt. To.4. cap. 4. ad an. 1389. Ad quingenta Beneficia nominandi jus eidem Carolo tributum a Johaane XXIII. teſtis accedit D. Tillet par.1. p.454. Poſthæc frequentiſſime perſemet Rom. a Pontificibus Expectativas in Gallia tam privato ſuo pro arbitrio, quam ad Procerum, Regumque preces fuiſſe collatas fidem indubiam faciunt tum paſſim Stephani Tornacenſis epiſtolæ 22, & 67. ad Alexandrum III, ac epiſt. 109, 111, & 131. ad Lucium III, quibus ſe Clericis ab Apoſtolica Sede deſignatis deſignata Beneficia vacatura collaturum ſe, ut Pontificia ferebant mandata, pollicetur, tum præſertim Paſchalis II. apud Stephanum Tornac. epiſt. 238, Hadriani IV. epiſt. 24. ad Capitulum Pariſ., & epiſt. 13. ad Pariſ. Epiſcopum, Alexandri III. epiſt. 7. in Append. I. ad Petrum Abbatem S. Remigii epiſt. 96. in Append. 2. ad Ludovicum VII. Reg., & epiſt. 108. ad Capitulum Pariſienſe, qua ſe precibus Francorum Regis, Reginæ, Procerumque inflexum refert, ut Præbendam Philippo Meldenſis Epiſcopi Nepoti conferendam curaret, Lucii III. apud Stephanum Tornac. cit. epiſt. 109, 111, & 131. Quid imo, quod in Concilio Conſtantienſi a Martino V. tam Expectativæ quamplures Gall. Regi, ac Sabaudiæ, Burgundiæ, Aureliæ, Britanniæ, Borbonii, Brabantiæ &c. Ducibus, Univerſitatibus inſuper, Supremiſque Curiis conceſſæ, quam Concordata cum Galliarum Epiſcopis ad quinquennium inita apud Lenfantium hiſt. Concil. Conſtant. To. 2. edit. 1714. leguntur? Sed & in Regulis Cancellariæ ab eodem Pontifice ſancitis plures habentur Regulæ pro Expectativis concedendis in Diœceſibus Galliarum Pariſienſi,

ſi, Rothomagenſi, Tornacenſi, Cameracenſi &c. Inſuper ex Caroli VII. Sanctione Pragmatica tit. *De Collationibus* §. *Fruſtra*, & §. 9. *Quod ſiquis*, nec non ex Gloſsographo ibidem patet, quod intra annorum 13. intervallum, quot a Conſtantienſi ad Baſileenſe Concilium effluxere, per octo anni menſes Expectativas concedere Pontifici M. in more poſitum erat. Decretum a Baſileenſi deinde ſeſs. 31. Jan. 1438, quo Expectativæ revocatæ quidem ſunt, integra tamen Pontifici facultate relicta quaſdam conferendi, Carolo VII, & Bituricenſi Conventui eodem anno habito ſummopere arriſit, ideoque Pragmaticæ inſertum eſt; juxtaque hanc Juris formam in Gallia res proceſſit, quoaduſque a Leone X. cum Franciſco I. celeberrima ſancita Concordata ſunt, quibus potius confirmatum Pontificis jus conferendi Expectativas nemo non videt, ac videndus Rebuffus in Tract. Nominat. q. 2. n. 1, ſeq., & q. 4. n. 7: donec plurimis cauſſis ob Eccleſiæ bonum illa ſe Pontificibus abdicantibus poteſtate, a Tridentino Concilio Seſs. 24. de Reform. Cap. 19. Expectativæ ſublatæ ſunt.

Quam veritate iſta undequaque conſtant, tam viceverſa fide laborant peſſima, quæ a Regaliſta Gallo To. 2. p. 74, ſeqq. indigeſte conglomerantur documenta ex Francorum Regum litteris Philippi Audacis an. 1274, Philippi Longi an. 1317, & Caroli Pulcri an. 1323, quibus contendit Jus nominandi ad Beneficia Galliar. Regibus jamdiu competiiſſe. Nam iis litteris jus dumtaxat conſtituendi ſingulis in Monaſteriis tam Virorum, quam Virginum Monachum unum, aut Monialem ſibi vindicaſſe leguntur: quo de jure dicere impræſentiarum nihil intereſt, illud tamen inter, ac iſtud, quo de quæritur, ad Beneficia nominandi, longum, ac latum intercedere diſcrimen nemo non perſpicit. Primus itaque, qui Pontificio abſque indulto ad Præbendas aut vacantes, aut primo vacaturas, in principio ſui adventus ad Coronam nominare præſumpſerit, fertur Henricus III. Decreto an. 1577. die 1. Aug. edito, inſertoque ejuſdem Ordinat. To. 4. fol. 434. Verumtamen huic Henrici III. Decreto, tanquam recens excogitato, confeſtim, ac palam ipſo coram Rege, & Curia, intercedere Clerus Gallicanus haud ſubſtitit in Comitiis an. 1579. die 22. Decemb., uti liquet ex Proceſsu verbali. Quæ interceſſio tam contra Decretum

hocce; quam contra hujuſcemodi Nominationes ab Henrico IV. perinde conceſsas ab eodem Gallicano Clero vice plus ſimplici inſtaurata legitur in litteris an. 1595. die 20. Decemb. ad eumdem Henricum IV. Actis Cleri ejuſdem anni inſertis, ſicut etiam in ſeqq. annis 1612. in Act. Cleri Art. 18, an. 1645, & ſeq. die 20. Jun., & 24. Jan. in Proceſsu verbali p. 48, & 458, ac 1650 die 11. Jul. in Proceſsu verbali p. 140. Gallicano autem Clero intercedenti adſenſiſse Gallos Juriſconſultos, Canoniſtas, ipſaſque Curias, ultrocitroque confirmantes Juris iſtiuſmodi uſum ante Henricum III. nullum exſtitiſse, neque præ impudentia inficiari Anonymus Regaliſta To. 2. p. 71. auſus eſt. A Carolo VI. quidem anno 1380. Johanni Bituricum Duci plurimis Regni Provinciis præfecto indultum, ut ad Beneficia vacantia, aut primo vacatura, quæ ad Jus Regium ratione jucundi ejuſdem ad Coronam adventus pertinerent, idoneas nominare perſonas quiret, ex ipſius Regis Ordinat. a D. Secouſse collectis To. 6. p. 331. refert præcit. Anonymus Regaliſta. At enim præterquam quod dubitare valdequam licet, an Decretum iſtud ſub forma deprecatoria fuerit conceptum, an ab Epiſcoporum aſsenſu dependens, ac reapſe executioni demandatum, dubio procul illud inter abuſus deinde fuiſse recenſitum poſt annos 38, diſerteque cum proprio, tum ipſiuſmet Caroli VI. nomine improbatum a Carolo VII. tum temporis pro eodem Carolo VI. patre Regnum adminiſtrante, liquet ex ipſius litteris datis apud Montem Agri die 30. Mart. 1418. ad Epiſcopum, & Capitulum Eccleſiæ Laudunenſis inter Probat. libert. Eccleſ. Gallic. cap. 15. n. 61. Quibus litteris hanc ſibi, perindeque Succeſsoribus legem præſtituit, ne aliter, quam modo deprecatorio, impoſterum ad Beneficia Regio nomine, etiam in novi Regni exordio, nominatio fieret. Quo plane modo deprecatorio tam antea Ludovicum VII. uſum, ac fruſtra quidem teſtatur in epiſt. ad eumdem Regem Abbas quidam Catalaunenſis apud Duchesnium To. 4. p. 504, & 669, tum deinceps uſos religioſe conſtat Reges Ludovicum XI. apud Regaliſtam Gallum cit. To. 2. p. 92, Carolum VIII. inter Probationes libert. Eccl. Gallic. cap. 36. n. 24, & apud D. Cochet To. 1. p. 57, Ludovicum XII. in litteris ad Epiſcopum, & Capitulum Lemovicenſe die 18. Aug. 1603.

1603, & apud D. Ranchin in tractatu Gallice inſcripto *Reviſion du Concile de Trente* lib. 7. cap. 8, ubi refert etiam formulam deprecatoriam litterarum, quibus Supremæ quoque Curiæ Epiſcopos rogabant de recipiendis eiſdem nominationibus, ac Ludovicum XIII. in reſp. ad Cleri Gallic. repræſent. Art. 18. an. 1612. Atque ita modo deprecatorio a Regibus dirigi Nominationum litteras conſueviſſe teſtatur Rebuffus Conſ. 47, ubi n. 8. primarias Preces tam ab Imperatoribus Germ., quam a Galliarum Regibus ex Apoſtolico indulto robur, ac vim obtinere adfirmat, quod ipſum fateri Choppinus de Sacr. Polit. lib. 1. tit. 10. n. 12. haud renuit, ideoque deprecandi jus iſtud Regum Franc. cum primariis Imperatorum Precibus confundere non dubitarunt D. Boyer Deciſ. 32. n. 11, & Gallus ipſe Regaliſta To. 2. p. 88, & 92. Sed de his plura dabit Emin. Sfondratus Gall. Vind. diſſert. I.

DE ECCLESIÆ POTESTATE

Monarchica, & Hierarchica, ſive de Poteſtate Legislativa, & Judiciaria.

ARTICULUS IV.

QUemadmodum Civilis Poteſtas juxta Thucididem lib. 5. cap. 18, ubi Civitatem vocat Αὐτόνομον, Αὐτόδικον, καὶ Αὐτοτελῆ, tribus deſcribitur rebus, videlicet *Legibus*, *Judiciis*, & *Magiſtratibus*: a quo parum diſtat Ariſtoteles Polit. lib. 4. cap. 14. res adſignans partes in adminiſtranda probe Republica, quarum prima ſit conſultatio de rebus communibus, quò faciunt utique Leges, altera ſit legendorum Magiſtratuum cura, quò pertinent electiones, tertia ſit Judiciaria facultas, qua Jus comprehenditur de morte, de exſilio, de publicatione, de repetundis &c., quam pariter in ſententiam utroque concurrit pede Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4. cap. 20, & lib. 7. cap. 56, triplex maxime ad Rempublicam bene moratam, riteque adminiſtrandam Jus neceſſarium obſervans, Jus nempe Magiſtratuum creandorum, Jus Legum condendarum, ac Jus exercendi Judicia: multo certe magis

magis in Ecclesia tria hæc Dei institutione optime constituta fæ-ri, & agnoscere oportet, potestatem videlicet Electivam, Legislativam,& Judiciariam. Si namque hominum institutione id Civilis Respublica consequitur, ut Magistratibus, Legibus, ac Judiciis consistat, quis, obsecro, id totum Ecclesiæ a Christo D. fuisse collatum ambigat,aut inficiari audeat?Age vero tria hæc Ecclesiæ officia fundamentum habere fixum, ratumque in forma Monarchica, & Hierarchica a Christo D. inducta demonstrare prioris operæ pretium est: demonstrata enim semel Divina institutione Sacri Principatus diversis in Ordinum gradibus diffusum, jam suapte fluit, ut gemina Ecclesiæ gubernandæ Pontifici, Episcopisque potestas Legislativa, & Judiciaria collata perinde fuerit, absque qua Monarchica, & Hierarchica gubernandi ratio nec esse, nec intelligi potest. Igitur Imperium, & Jurisdictionem ab Ecclesia ut eliminent, ac totum, quantum est, in Principes integre transferant, mirum valde quanto animi conatu Protestantes incumbant, ac quot in diversas, adversasque scindantur partes, ut se rite facere demum ostentent. In eo itaque principio conveniunt omnes, ut adstruant ejusdem esse Religioni principari, cujus est Reipublicæ gerere Principatum, nempe rei cum Civilis, tum Ecclesiasticæ summam unum penes Principem integre stare. Quod principium ut suo ponant, firmentque loco, dicere sibi sumunt Christum D. neutiquam in Mundo Dominatorem egisse, sed Doctorem, ideoque neque cogitasse de Imperio in Ecclesia constituendo cum potestate ferendi leges, cogendique fideles, sed Magistetium dumtaxat ab eo fuisse institutum cum officio docendi, & admonendi. Doctrinæ hoc munus Clericis dumtaxat collatum, Dominationis illud Principibus derelictum. In Religionis itaque rebus primas imperii partes agi a Principe ipso, a cujus potestate totius Reipublicæ dependet administratio: Doctrinis officium a Clericis geri, a Laicis ceteris Auditoris obsequium præstari: itaque Divino jure Clericos inter, & Laicos non aliud discrimen, nisi Doctoris, & Auditoris intercedere: utrosque vero Principi rei tam Civilis, quam Sacræ administranti summam omnino subesse.Ita systema istud est Societatis æqualis cum Clericorum inter se se, quam Clericos inter, & Laicos, Principe secluso, fastigioque

potes-

poteſtatis ſupremo poſito, quod primus excogitavit Puffendorfius ac libro *De habitu Religionis* publicam in lucem produxit: quod ambabus amplexari ulnis Proteſtantium turba properavit, quorum elenchum, brevem etſi, artic. 3. exhibui, quove de pulcro excogitato ipſi plaudere non dubitarunt Pfaffius in ſerm. Academ. de Jure Eccleſ., Adnotator Huberi Not. 36. ad Jus Civit. lib. 1. ſect. 4. cap. 1, aliique, quos recenſere non vacat. In hac tamen æqualitatis hypotheſi proprio explicanda arbitratu neque ſatis Proteſtantes ſibi cohærent, multoque minus in attingenda ratione, quo Principi demum Jus in Sacra, ipſamque regendi Societatem poteſtas ſuprema competat: etſi jam convenerint inter ſe ſe Principi utique ex acceſſione ad ipſam Religioſam Societatem amplioris poteſtatis nihil prorſus acceſſiſſe, velut oſtendere Pfaffius ipſe cit. ſerm. Acad. §. 18. non abſtinuit. Itaque alii Principibus Jus in Sacra, & in Societatem ipſam adquiſitum fuiſſe non jure quidem proprio, ſed jure fiduciario, ſibi nempe ab ipſa Societate delato defendunt, veluti Strychius, Lynckerus, Mylerus, Stephanus, Beſoldus, Mevius, Eſtorius, Textor, Kromayerus &c. apud Pfaffium cit. §. 18, & Boehemerum ad tit. de Offic. Judic. Ordin. §. 21: cui opinioni valde affinis eſt altera Carpzovii, Ziegleri, Gerhardi, Voetii, Brunemanni &c., qui duas in Principe diſtinguentes perſonas, Laicam nempe, & Eccleſiaſticam, Principis, & Epiſcopi, ipſi qua Principi jure proprio Laicæ exercendi, qua Epiſcopo adminiſtrandi Eccleſiaſtica jure adquiſito facultatem adſcribunt. At opinionem hanc ea plane efficaci ratione exagitandam adſumpſere Pfaffius, & Bohemerus, quod inde manifeſte ſequatur Jus in Sacra ad Eccleſiam ipſam, ſeu Epiſcopos jure proprio, antiquo, ac jugi cum praxi conjuncto, & continuato pertinuiſſe, antequam Principes eidem Societati Eccleſiaſticæ nomen dederint, nec fuiſſe, cur exinde, ex dato nempe Societati nomine, in Principes transfundi jus illud debuerit, ſiquidem ex amplexata Religione amplior in Religionem ipſam poteſtas illis adquiſita non fuerit. Igitur Bohemerus indivulſam in Principe a Civili poteſtatem in Sacra ex Territoriali ſuperioritate derivandam ſtatuit, quod Religio nempe legibus Regionis adficiatur, ideoque ad eum de Religione decernere perinde ſpectet, ad quem ſpectat utique Regi-

Regioni dicere leges. Sed hoc ſyſtema Boehemeri haud recte ſubſiſtere ideo viſum eſt Pfaffio loc. cit., quod inde duplex exſurgeret incommodum, & abſurdum, tum quod Principi jus in Sacra ſubditorum, & etiam diverſæ Religionis, ineſſet, tum quod Apoſtoli, priſcique Eccleſiarum Paſtores Imperatorum, antequam Chriſtianæ Religioni colla ſubmitterent, victaſque dederent manus, Jura profecto uſurpaſſe cenſendi forent, dum independenter ab ipſis, & in Imperium Religionem invehere, ipſisque inſciis, atque invitis, de Religione decernere non dubitarunt. Viceverſa Preuſchius in diſſert. Germanice edita Gieſſæ an. 1753. de negato Domino Territoriali jure cognoſcendi de cauſſis Matrim, & Eccleſ. ſuorum ſubditorum, in ea ſententia verſatur, ut Eccleſia primitiva Sacra exercendi jure potitam credat. etſi poſtea eum prolabatur in errorem, ut putet Jus illud abſque Imperio fuiſſe, cogendique facultate, ideoque pure directivum, quin etiam illud, poſtquam Eccleſia Romanæ inſerta Reipublicæ eſt, in Imperatores fuiſſe transfuſum, quibus perinde titulus quoque Pontificis M. fuerit adquiſitus. Ita hæc opinio eòdem recidit ac prima, eiſdem ſubjecta evadit incommodis, nempe 1, quod ita Eccleſiaſtici Regiminis forma ab ea fuerit immutata, qua a Chriſto D. condita fuit: 2, quod ſi Eccleſia primæva jure in Sacra potita eſt, inique eo jure ſubinde ab Imperatoribus ſpoliata fuerit: ſiquidem ipſis ex eo, quod Religioni demum adſociati ſint, novum inde Jus, quo antea carebant, non acceſſerit. Receptior denique Proteſtantium opinio eſt in Principes Jus in Sacra ex primævo jure naturæ, ſive Principali Jure ipſo deſcendere: eo ipſo enim, quod Reipublicæ intexta fuit, inſertaque Religio, eamdem Principis imperio ſubjacere putant. Sed iſtius perinde Juris Principalis in Sacra, non ſecus atque in adſtruendo fundamento, ſic in adſignandis finibus inter ſe diſcrepant. Liberalior aliis Hobbeſius in element. Philoſoph. de Cive poſtquam cap. 17. §§. 6, & 8. dixiſſet Regimen Chriſti in hoc Mundo fuiſſe non Imperium, ſed Conſilium, non per auctoritatem, & potentiam, ſed per doctrinam, & perſuaſionem, nullaſque a Chriſto leges inductas, ſed inſtituta Sacramenta dumtaxat, §§. 18, & 27. Civili poteſtati ampliſſimam facit S. Scripturas interpretandi, deque fidei Controverſiis definiendi facultatem. Et cap. 18. §. 18. edit. Amſtel. 1742. de

de Articulo *Jesum esse Christum*, quem solum de fide interna necessarium ad salutem statuit, definiendi, nec non de Internis, quæ in unius cujusque libertate relinquenda contendit, decernendi Principibus adimit quidem facultatem, sed circa externa absolutissimam facit. Quo postremo in errore parem Hobbesio adsertorem se præbuit Huberus lib. 1. sect. 5. cap. 2, seq. Civili potestati de rebus omnibus ad Religionem pertinentibus definiendi omnimodam faciens auctoritatem, modo a legibus ad Conscientiæ forum transferendis abstineat. Atque hinc parum differunt Grotius de Imp. Sum. Potest., Estorius de Jure publ. Eccl. cap. 8, aliique plures Art. 3. sup. recensiti. Contra Ecclesiæ, sive Ecclesiasticæ Societati Jus in Sacra non omne abjudicare sustinuerunt Pfaffius cit. serm. Acad. cap. 8, & Preuschius cit. dissert. cap. 2, jus nempe tribuentes fidei condendi Formulas, sacros constituendi Pastores, Sacra ordinandi, & Cæremonias, conventionales ferendi leges, infligendi pœnas, reformandi abusus &c. Idque Juris statuunt in S. Scriptura Matth. cap. 16. v. 17, Actor. cap. 1. v. 15, & 1. Corinth. cap. 6; quin Principi tamen denegare ausi sint Jus in Ecclesiam ipsam, Jus nempe concedendi Religionis exercitium, dignoscendi de caussis Ecclesiasticis, statuendi pœnas in eos, qui officio erga Principes suo deessent, Legatos mittendi ad Synodos, quorum absque nutu nihil in eis decernatur, confirmandi decreta, eorumque observantiam urgendi. Atque ita nefaria Jurium confusione, & perversione, quantum Ecclesiæ detrahere studeant, tantumdem Principibus adjungere non erubescunt: qua perversa in agendi ratione longe plures habuisse qua duces, qua sectatores liquet ex dictis Art. 3. Confer & Gregorium ZalWein in dissert. de statu Ecclesiæ cap. 1. §. 22, seqq., ex quo nonnulla delibavi.

Contra Protestantes ergo Regiminis Ecclesiastici formam a Christo D. institutam Monarchicam, & Hierarchicam fuisse, neutramque consequenter absque potestate Legislativa, & Judiciaria integre posse consistere, fundamenti veluti loco statuere nobis sacrum est. Equidem Regalem proprie dictam potestatem ab Ecclesia ablegatam fuisse a Christo D. fateri non abnuo; Pontificalem tamen eidem collatam ejus generis esse contendo, ut cum potestate Judiciaria, & Legislativa, quæ Regum est propria, fuisse certe con-

junctam. Enim vero quò pertinent, quæso, ea S. Scripturæ loca, quibus superiori Art. 3. divisam in duas personas Moysem, & Aaronem in veteri Lege potestatem in Evangelica in unam, eamdemque personam, Rom. nempe Pontificem, utramque confluxisse palam est factum? Fit id palam adhuc illustri, nihilque obscuro Ezechielis Vaticinio, qui postquam cap. 21. v. 26. de veteri Synagoga dixisset: *Aufer Cidarim, tolle Coronam*, futurum nempe significans, ut ab ea tam Sacerdotalis per Cidarim, quam Regalis per Coronam designata dignitas auferretur, subjungit cap. 37. v. 22. utramque dignitatem in nova Ecclesia futura ex Gentibus, & Judæis in unam confluxuram fore personam, quæ simul Rex, & Sacerdos evasura sit: *Faciam eos in Gentem unam, & Rex unus erit omnibus imperans, & non erunt ultra duæ Gentes, nec dividentur amplius in duo Regna*. Quod Vaticinium de futura unione Reipublicæ, ac Religionis in Ecclesia, unoque eidem præficiendo Capite Rom. Pontifice, in cujus ideo persona Sacerdotalis cum Regali potestas copulanda sit, quin accipi debeat, locum dubitandi plane non sinunt, quæ subnectit v. 24.: *Et Servus meus David Rex, & Pastor unus erit omnium*. Atque ita profecto Vaticinium illud in Christo D. Sacerdote, & Rege impletum docent S. Hieronymus in Ezech. cap. 22, & 37, Theodoretus in cap. 21, Albertus M. in cap. 37, qua de re fusius infra. Deinde vero Christo D. in Sacerdotio, ac Regno successisse S. Petrum, in eoque Davidis præfiguratam fuisse personam, Regis nempe, & Pastoris, docet idem S. Hieronymus in Isajæ cap. 19. hunc Ezechielis proferens locum. Quin etiam S. Petri personam a Moyse prægestam, præsignatamque, atque in illum Sacerdotalem Aaronis non modo, sed Regalem etiam Moysis concurrisse potestatem, S. Ephræmo persuasum fuit, ipsisquemet Jacobitis in Pontificali de Ordinat. Presbyt. & de Consecrat. Chrism. p. 25. apud Ecchellensem de Orig. nom. Papæ cap. 22. Confert ad hoc confirmandum Vaticinium Oseæ alterum cap. 1. v. 11. sic loquentis: *Congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibimet Caput unum*. Ubi *Principatum unum* legunt Septuaginta; *Principem unum* habet Paraphrasis Chaldaica: quem profecto locum de Sacerdotii, & Regni potestate in unam Christi personam, perindeque Romani Pontificis, translata intel-

telligunt S. Irenæus de Hæreſ. lib. 4. cap. 1, Tertullianus adv. Marcion. lib. 4. cap. 16, S. Cyprianus lib. 1. adverſ. Judæos cap. 19, S. Ambroſius de Vocat. gent. lib. 2. cap. 7, S. Gregorius Nazian. orat. de pace, S. Hieronymus in Comment. ad hunc loc., & q. 10. ad Hedibiam, S. Auguſtinus de Civit. lib. 18. cap. 18, & contra Fauſtum lib. 22. cap. 89, S. Cyrillus in hunc loc., Theodoretus ibid., S. Gaudentius ſer. 9, Philo Carpatius in Cant. 6, Rupertus hìc, Albertus M. in cap. 37. Ezech., S. Thomas lib. 4. contra Gent. cap. 76, Ferrarienſis ibid. &c. Eamdem Regni, & Sacerdotii futuram in nova Lege in una eademque perſona unitatem haud obſcure prænuntiavit etiam Zacharias cap. 6. v. 11, ſeq. verbis illis: *Sumes aurum, & argentum, & facies Coronas, & pones in capite Jeſu filii Joſedech Sacerdotis magni, & loqueris ad eum dicens: hæc ait Dominus Exercituum dicens: Ecce Vir Oriens nomen ejus* &c. Quæ ſane de Chriſto Sacerdote, & Rege accipienda non dubitant S. Athanaſius tract. in Matth. cap. 11. v. 27, Euſebius Demonſt. Evang. lib. 7. cap. 9, S. Baſilius hom. 12. in Pſal. 45, S. Ambroſius lib. 5. de fide ad Gratian. cap. 3, & lib. de Parad. cap. 3, S. Joh. Chryſoſtomus in cit. Matth. locum, S. Hieronymus in hunc Zach. locum, S. Cyrillus Alex. ibid., S. Gregorius M. in 1. Reg. cap. 1., & lib. 10. in Job cap. 18, S. Johannes Damaſc. de Fide orthod. lib. 4. cap. 12, communiterque S. Scripturæ Interpretes, quorum ſane interpretandi rationem juvant Paraphraſtes Chaldaicus, & Rabbinorum doctiores apud Galatinum de Arcan. Cathol. verit. lib. 3. cap. 16. Quæ vero dicta de Chriſto D. ut Caput eſt Eccleſiæ, de Rom. Pontifice dicta perinde accipi debere ea ſuadet ratio, qua docemur eidem vice Chriſti D. in Eccleſia datum etiam Regnum, cui datum eſt Sacerdotium. Exinde ut id obiter adnotem, ego moveor, quominus Vitringæ in Archiſynagogo, Maimonidis, & Leonis Mutin. ſententiam ſequuto, & ex noſtris Bacchinio de Orig. Eccl. Hierar. exiſtimantibus Synagogarum formam in Chriſtianam Eccleſiam a Chriſtio D., & ab Apoſtolis deinde fuiſſe translatam, aſſenſum meum accommodem. Quorſum vero teſtimonia ex veteri Teſtamento quæram, qui luciſſima, obviaque habeo in Novo? Quó enim, quæſo ſpectant illud Hebr. cap. 7. v. 11. ſeqq. ex Pſal. 109. v. 4. deſumptum, quo

Ecclesia juxta Mechisedechi, qui Regis, & Sacerdotis pariter fulgebat potestate, Ordinem instituta, fundataque in eamque a Synagoga cum Sacerdotio translatum Regnum dicitur, nisi idipsum, quod primo in unam Christi personam, ac perinde in Rom. Pontificem, ambas Moysis, & Aaronis confluere personas, sive geminam Melchisedechi Regis, & Sacerdotis dignitatem, sive quod utraque præditum Regali, & Sacerdotali potestate, velut etiam habetur 1. Petri cap. 2. v. 9, repetito ex Exodo cap. 19. v. 6, eumdem Pontificem M. Christus D. voluit è.

Haud me fugit a Protestantibus nullo hæc in pretio haberi, proprio indulgentioribus ingenio, quo Religionis formam ad præjudicatæ opinionis captum exigere potius, quam ad præoptensum a Patribus Divina ex institutione purum exemplar, affectant, privatæque rationis circino potestati Ecclesiasticæ fines statuere, extra quos ad Reipublicæ forum propius accedere fas ei non sit. Ne vero nobis falli in re tam gravi contingat, duces potius sequemur Ecclesiæ Patres veritatis facem præferentes, a quibus absque errore discemus, quæ a Christo D. Ecclesiæ regiminis indita fuerit ratio, quo se modo regimen exerere istud valeat, & quò jus suum extendere. Iis Patribus igitur, qui Ecclesiam Sacerdotio, Regnoque constare docent, Romanum ideo Pontificem loco Principis eidem præsidere intime persuasum fuisse oportet; quales profecto haberi debent principio Romani ipsi Pontifices, Auctor Constit. Apostolic. sub S. Clementis nomine lib. 2. cap 11, S. Leo M. Serm. 3. 4, & 5. in die Anniv. suæ assumpt. edit Baller., Serm. 82. in Natali SS. Apostol., Serm. 83. in Nat. S. Petri, S. Gelasius in epist. ad Anastasium Imp, S. Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Aug., Johannes VIII. in epist. 68. ad Lambertum Comit., S. Leo IX. in epist. ad Michaelem Cerul, & Leonem Acrid., S. Gregorius VII. lib. 1. epist. 19. ad Rodulphum Sueviæ Ducem, & lib. 7. epist 25. ad Wilhelmum Ang. Regem, Innocentius III. Expos. in Psal. 50., & ser. 1. de S. Silvestro, Gregorius IX. in epist. ad Germanum Constantinopolit., Urbanus IV. in epist. ad Michaelem Palæolog. apud Raynaldum ad an. 1263. n. 30, seq., aliique longe plures, de quibus To. 3. Par. 2. Art. 1. §. 2. abunde dictum. Nec est vero, cur eisdem, velut in propria caussa testibus, fidem adhibere quis ambigat., quam

quam ſua luculenter auctoritate confirmant Eccleſiæ Patres, Didymus Alex. in epiſt. 1. S. Petri cap. 2, Hilarus Diac. in cap. 7. epiſt. ad Hebræos, S. Epiphanius Hær. 29, S. Hieronymus epiſt. 85. ad Evangelum, in Iſa. cap. 60, & Ezech. cap. 21, S. Joh. Chryſoſtomus in cap. 7. ad Hebr., S. Auguſtinus lib. 12. de Civit. cap. 4, lib. 17. cap. 5, & lib. 12 contra Fauſtum cap. 33, S. Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſt. 235. ad Serenum, S. Cyrillus Alex. lib. 10. in Johan. cap. 23, Theodoretus in Pſal. 119, & in cap. 7. ad Hebr., S. Petrus Chryſologus epiſt. 25. inter Leoninas edit. Baller. ad Eutychem, Procopius Gazæus in Exod. cap. 19, Theophylactus in cap. 7. ad Hebr., Oecumenius in 1. Petri cap. 2, Primaſius in cap. 7. ad Hebr., S. Iſidorus de Offic. lib. 2. capp. 4, & 25, V. Beda in 1. Petri cap. 2. Quibus junge Patres Synodi Orientalis in Syno. dica ad Taraſium inſerta Nicænæ II. Act. 3, Pariſienſis VI. an. 829. lib. 1. cap. 3, ſeq., Aquiſgranenſis II. an. 836. in præf., Meldenſis an 845. Can. 8, Pontigonenſis an. 876. cap. 1, ſeq., apud S. Macram an. 881. cap. 1, Scriptores etiam Eccleſiaſticos Haymonem, ſive Remigium in 1. Petri cap. 2, Rabanum in Exod. cap. 19, & Jerem. cap. 33, S. Anſelmum in 1. Petri cap. 2, Petrum Bleſenſ. Serm. 5. ad Sacerdotes in Synodo, S. Bernardum epiſt 40. ad Conradum Imp., alioſque de Schola Theologos Hugonem Vict. de Sacr. lib. 2. par. 3 cap. 1, & q. 66. in epiſt. ad Hebr., Magiſtrum Sentent. in 4. diſt. 24, S. Thomam de Regim. Princip. Opuſc. 20. lib. 1. cap. 14, ſi tamen ejus ſœtus eſt, & lib. 3. cap. 10, S. Bonaventuram in 4. diſt. 24. dub. 3, & 4, & Hier. Eccleſ par. 2, Richardum Mediavill. in 4. diſt. 24. Art. 1. q. 1, Veteresque alios in eumdem Sentent. locum apud Boſium de temp. Eccl. Monar. lib. 2. cap. 11. Speciatim denique Sacerdotii, Regnique dignitatem a S. Petro in Romanum tranſiiſſe Pontificem, cujus proinde nulla poſt Divinam in terris par, multoque minus ſuperior poteſtas ſit, quæ præterea ad res ipſas Civiles ſe extendat, ex Evangelio didiciſſe, tenuiſſe, docuiſſe leguntur S. Baſilius homil. de B. Virgine, cujus exemplar e Rhodo Inſula aſportatum extat Pariſiis in Bibl. ling. Orient. viri Cl. Gilberti Gaulminii, S. Cyrillus Hieroſolym. homil. de Ingreſſu B. Virginis in Templum, Abnalhaſſalus de Eccleſ. quæſt. q. 23. ad cap. 16. S. Matth., Hebedjeſu Sobenſis Metropoli-

polita in Collect. Canon. cap.ult. de Ordinibus, & lib. Margarit. tract. 4. cap. 2. de Sacerdotio, Abulpharagius Bennatibus in paraphr. ad Matth. cap. 16, Auctor præfat. Concil. Arabicor., Johannes Beccus Constantinopolit. Patriarcha in Synodica ad Johannem XXI. apud Raynaldum ad an. 1277. n. 34, seqq., David Maronitarum Archiep. Constit. Syriac. cap. 1. de Fide relatus ab Ecchellensi de Orig. nom. Papæ cap. 22. Apud quem cap. 25. explicatior est utique de Pontificia dignitate, potestateque Regali ipsi longe præstantiori Auctoris Geographiæ Nubiensis sententia, qui par. 2. Clim. 5. de Romana Pontificis Sede postquam clare dixisset: *Est Sedes major quatuor Sedibus* (Patriarchalibus nempe, subjungit. *Nec est supra Papam Superioritas in dignitate, & Reges sunt inferiores ipso*. Intorquere quidem ista, turbareque mala fide, pro ingenio præpostero, conatus est Constantinus l'Empereur in Not. ad Itinerarium Benjamini Judæi: sed viden, ut egregie illa vindicaverit, suoque integra restituerit sensui, obvio alioqui, nihilque difficili, & implexo, Ecchellensis loco mox cit. Sanctiori consilio isto ductus, ac sinceriori veritatis amore Cassiodorus vir Consularis affectus lib. 2. Variar. epist. 2. ad Johannem P. M. se ipsius correptioni subesse in rebus ipsis etiam, quas gerebat Civilibus, religioni habebat, de cujus proinde officio, potestateque eam animo induerat opinionem, quod sicut homo corpore, & anima præditus est, sic utriusque cura ad eum pertineret: *Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis Gregem, tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere: nam sicut homo constat dualitate, ita boni Pastoris est utraque re fovere &c.* Quare oppugnatum a Sæculi Potestatibus Sacrum hunc Pontificis M. Principatum exertis propugnandum viribus pariter suscepisse leguntur Avitus Vienn. epist. 2. communi Episcoporum Galliæ nomine scripta adversus Senatores; Facundus Hermian. lib. 12. cap 3. Africanæ Ecclesiæ quoque sententia adversus Justinianum; S. Bernardus tam epist. 190. ad Innocentium II, quam epist. 183. ad Conradum Imp., cujus auribus illud Apostoli ingerens: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit* Rom. cap. 13. v. 1. id ab ipso religiose quoque adimpleri S. Pauli sententia jubet, *In exhibenda reverentia summæ, & Apostolicæ Sedi, & B. Petri Vicario*

cario; S. Thomas denique, qui de Regim. Princip. lib. 1. cap. 14. eamdem Regibus obedientiæ, obſervantiæque Pontifici M. præſtandæ legem indicere non dubitat, quam a Chriſto D. ſibi præſcriptam ignorare ipſi nequirent: *Summo Sacerdoti*, inquiens, *Succeſſori Petri, Chriſti Vicario, Romano Pontifici omnes Reges Populi Chriſtiani oportet eſſe ſubditos, ſicut ipſi Domino Jeſu Chriſto*: Sed enim ceteris efficacius hanc ſibi dignitatem, poteſtatemque vindicare, quoties opus fuit, quotque pollerent viribus, nunquam deſtitere Romani ipſi Pontifices, atque præter alios jam paullo ſuperius indicatos, Liberius adverſus Conſtantium, S. Felix III. adverſus Zenonem, S. Gelaſius adv. Odoacrem, & Anaſtaſium epiſt. 13. ad Dardan. Epiſcop., S. Symmachus adverſ. eumdem Regem in Synodo Romana an. 502, S. Johannes I. adverſ. Theodoricum Reg. Gothor., S. Agapetus, & Vigilius adv. Juſtinianum, S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 62, & lib. 5. epiſt. 25. adverſ. Mauritium Imp., S. Martinus I. adverſus Heraclium, & Conſtantem in Synodo Romana, S. Sergius I., & Johannes VII. adverſ. Juſtinianum Juniorem, Conſtantinus adverſ. Philippicum, S. Gregorius II. adv. Leonem Iſaurum epiſt. 1, & 2, S. Nicolaus I. adv. Michaelem Imper., Johannes VIII. epiſt. 192 adv. Michaelem Bulgar., & epiſt. 199. adv. Imperat., S. Leo IX adv. Græcos epiſt. 1. ad Michaelem Cerular., & epiſt. 7. ad Conſtantinum Monomachum, Nicolaus II. epiſt ad Mediolan, & epiſt. ad Gervaſium Remen adv. Henricum Franc. Reg., S. Gregorius VII. adv. Henricum Imp. lib. 4. epiſt. 2, & lib. 8. epiſt 21., AlexanderIII. adv. Fridericum &c Audiendus inter alios InnocentiusIII. ſerm. 2. de ſua Conſecr., ubi de acceptra in S Petro a Chriſto D. Rom. Pontificis utraque poteſtate loquens, propriaque faciens verba Auctoris Conſt. Apoſtol. lib. 2. cap. 26: *Inter Deum*, inquit, *& hominem Deus conſtitutus, citra Deum, ſed ultra hominem, minor Deo, ſed major homine, qui de omnibus judicat, & a nemine judicatur*. Præterea in Cap. 6. *Solitæ* de Major., & Obed. ſimilitudine inter Solem, & Lunam inſtituta, Regali eo majorem adſtruere Sacerdotalem non dubitat auctoritatem, quo Luna minor eſt Sole: *Illa*, inquiens, *quæ præeſt diebus, ideſt Spiritualibus, major eſt, quæ vero Carnalibus minor*, ex epiſt. ad Conſtantinum Imp.

Imp. Qua ipsa perinde comparatione usus legitur Urbanus IV. in litteris ad Roman. Regem apud Auctorem Indicum Rer. Aragon. To. 3. Hisp. illust. Quam in rem conferendi etiam Bonifacius VIII. Extrav. *Unam Sanctam*, & Johannes XXII. Extrav. *Ne Sede vacante*. Sed de his jam satis alibi, superque.

Inde factum igitur, ut Imperatores, Regesque ipsi, quibus insita cordi Religio esset, Pontificiam fastigio veluti longe superiori positam suspicere potestatem, dignitatemque revereri, eique fasces submittere haud detrectarent. Inde quin imo profectum, ut eò Principum erga Rom. Pontificem devotio, Religioque processerit, quam invidiæ, culpæque deputare quis tam audax præsumat? ut vel propriam dignitatem, potestatemque ipsius de manibus referre, intima persuasione ducti fore tum demum, ut eadem sibi ab omni discrimine sarta, tectaque maneret, solliciti fuerint, atque ideo qua Reges insulis Romana ab Ecclesia insigniri in votis habuerint, Ecclesiæque Romanæ sua libenter Regna facere vectigalia non reformidarint; qua Imperatores, fidei præstito Sacramento, obedientiam Apostolicæ Sedi obligare suam imperandique inde auspicia quærere, accipereque non dubitarint. Et quidem ad Reges quod attinet, ut pauca quædam ex longe plurimis ex historiis fide dignis obiter, & indigestim attingam, Alfredum I. Regio diademate a S. Leone IV. an. 853. insignitum memorant Asserus lib. 1. de ejus gestis, Genebrardus in Chron. lib. 4, & Polydorus Virgilius hist. Angl. lib. 5. Venetorum Reipublicæ Ducalem, quæ tum adhuc dum Tribunitia dumtaxat erat, dignitatem obsecratus contulisse fertur Adeodatus, sive Deusdedit anno 615. apud Petrum Justinianum de reb. Venet. lib. 7. A S. Zacharia Francorum Regnum e Childerico in Pippinum fuisse translatum, aut si mavis, factam translationem confirmatam referunt rerum Francicarum Scriptores tantum non omnes, e quibus proferre sat fuerit Annalistas Loiselianum, Tilianum, Hildesheimensem, Bertinianum, Metensum, Lambecianum apud Muratorium inter Rer. Ital. Script., Pithœanum, sive Fuldensem apud Baronium, Laureshamensem cum Eginhardo perperam a Duchesnio confusum apud Bellarminum, Auctorem Catalogi Majorum Domus Franc., & Scriptorem hist. a Dagoberto I. usque ad Pippinum apud Duches-

cheſnium To. 1, ſive uſque ad Rodulphum apud Urſtitium, præſertim vero Auctorem Appendicis ad S. Gregorium Turon. lib. de Gloria Confeſſ. exaratæ an. 767. apud Ruinartium in nov. edit., Mabillonium de re Diplom. lib. 5. p. 384, qui ejus autographum extare apud Henſchenium, & Papebrochium teſtatur, cujus auctoritate preſſus Eccardus fruſtra amoliri conatur rer. Franc. lib. 23. §. 135, Anonymum Carolo Calvo coævum apud Labbeum in Bibl. nov. lib. Mſs., & Annaliſtam Moiſiacenſem, non prout extat apud Ducheſnium mutilus, ubi deficit ab an. 717. uſque ad an. 778, ſed prout ſuppletur ex veteri Codice a Martenio To. 5. vet. Monum. uſque ad Ludovici Pii obitum, ſive ad an. 819.: qua de re adeundi Remundus Ruffus adverſ. Molinæum cap. 6, Johannes le Lau de Pontif. auct. lib. 2, ubi Scriptores 24. enumerat, ſicut etiam Bellarminus in Apolog. adv. Barclajum, & Schulchenius pro Bellarmino, Germonius de Sacr. Immun. lib. 3, Zipæus de Juriſd. lib. 1. cap. 2, Diana in Dogm. tract. 10. reſol. 6. complures etiam laudans, Franciſcus Balduinus Anaſt. To. 4. in Not. ad vit. S. Zachariæ, & Stephani III, Papebrochius in Conatu Chron. diſſert. 26, ubi auctoritate præſertim Scriptoris præcit. Appendicis ad S. Gregorium Turon. Cointium, & Natalem Alexandrum oppugnat, Ruinartius in Annot. ad Fredegarii Chron., ſeù Append. cit. S. Gregorii Turon., Sandinus ad vit. Pontif. diſput. hiſt. 18, Manſius in Not. ad Natalis Alexand. diſſert. 1. hiſt. Eccleſ. Sæculi VIII, Blancus de poteſt., & polit. Eccleſ. To. 1. lib. 2. §. 11, Mamachius Orig., & antiq. Chriſt. To. 4. lib. 4. cap. 2. §. 4, aliique, quos perſequi longius non vacat. Carolus M. Regnorum partitionem factam inter filios Leoni III. probari voluit apud Ducheſnium hiſt. Franc. To. 2. p. 88. A Johanne VIII. Boſonis in Provinciæ Regem electionem in Synodo Mantalenſi an. 879. peractam approbatam fuiſſe augurari licet ex epiſt. 51. ad Carolum Calvum. Juſſu quoque Stephani V. Ludovico Boſonis filio Regis Arelatenſis nomen ab Epiſcopis delatum eſt in Synodo Valentina an. 890. Hugo Comes Arelatenſis an. 926. Rodulphi vice Italiæ Regno admotus a Johanne X. legitur apud Luitprandum lib. 3. cap. 4. A Silveſtro II. Hungariæ Regium nomen, ac inſigne retulit S. Stephanus teſte Cartuitio in ejus vita, qua etiam de re le-

gendæ Ladislai Hung. Reg. litteræ ad Christifideles omnes apud Raynaldum ad an. 1279. n. 31. Robertum Guiscardum Calabriæ, Siciliæque Ducem an. 1059. inauguravit Nicolaus II. apud Baronium n. 69, seqq. Angliæ Regem, misso S. Petri Vexillo, Willelmum Normannum contra Haraldum idem Regnum affectantem, esse jussit Alexander II. an. 1066. teste Orderico Vitali hist. Eccl. lib. 3. Sceptro, Corona, & Vexillo missis Croatiæ Regem Demetrium instituit S. Gregorius VII, veluti liquet ex lib. 2. epist. 74, & ex Cencio Camerario lib. de Cens. memorat Baronius ad an. 1076. n. 66, seq. Urbanus II. Vexillo tradito Rogerium Siciliæ Regem inauguravit, Romualdo Salernitano Archiep. teste in Chron. ad an. 1090, cujus filium Cogominem Apuliæ deinde Ducatu adauctum ab Honorio II. ex Alexandro Abbate, & Falcone in Chron. adnotat Pagius ad an. 1128. n. 5. Quod Regium deinde nomen ordinarium evasit sub ea lege, ut Romanæ Ecclesiæ vectigal esset, uti post Nicolaum II, S. Gregorium VII, Urbanum II. & Honorium II. jussere Innocentius II, Hadrianus IV, Innocentius IV, Bonifacius VIII, Gregorius XI, Innocentius XIII. Const. *Inscrutabili* an. 1721. Hierosolymorum Regno admotum Gothofredum Buillonium a Paschali II. an. 1099. referunt Fulcherius Carnot. hist. Hieros. lib. 1. cap. 21, & Willelmus Tyrius lib. 9. cap. 9. Regis Portugalliæ titulum sibi, ac Successoribus ab Alexandro III. impetrasse Alphonsum I. an. 1179. liquet ex Diplomate, quod vulgavit Baluzius Miscell. To. 2. p. 220, seq., atque testis accedit Innocentius III. epist. 99. edit. Baluz., 100, aliisque apud Baronium ad cit. an. n. 16, seq. Regio diademate a Cælestino III. insigniri meruit Leo Armeniæ Rex, uti fidem indubiam faciunt Gregorii Catholici litteræ ad Innocentium III. hujusce Regesto lib. 2. epist. 209. insertæ, & Arnoldus Lubecensis in Chron. Slavor. lib. 5. cap. 2, & lib. 6. cap. ult., quem locum tamen ab invido quopiam labefactatum observat Baronius ad an. 1197. n. 11. Ab Innocentio III. Sceptro, Diademate, & Vexillo donatus Calo-Johannes sive Johannitius Blachiæ, olim Bulgariæ Dux legitur in Actis ejusdem Pontificis, ac lib. 7. epist. 1, apud Raynaldum ad an. 1204. n. 34, seqq. Ab eodem Pontifice Regia accipere insignia Petrus II. Aragonius, ac vicissim Regnum facere vectigale honori duxit, velu-

veluti in Regeſto Pontificio lib. 7. epiſt. 229. liquet. Regio item cum Diademate Primislao Bohemiæ Duci Regium titulum idem Innocentius lib. 7. epiſt. 42. apud Raynaldum ad an. 1204. n. 54, & Pagium in Brev. hiſt. Crit. Chron., deperditumque a Boleslao II. reſtituit demum, non ſecus atque Regiam diu intermiſſam apud Polonos dignitatem revocandam demum in Uladiſlao ſtatuit Johannes XXII. apud Raynaldum ad an. 1319. n. 2. Ferdinando Hiſpaniæ, Alphonſo Luſitaniæ, & Waldemaro Daniæ Regibus eas Regiones, quas infidelium jugo eripuiſſent, Chriſtianæque fidei ſubjugaſſent, ab Honorio fuiſſe tributas refert Raynaldus ad an. 1218. n. 71. Semel & iterum rogatus Gregorius IX. legitur, ut Regio diademate Norvegiæ Regem exornari liceret apud Raynaldum ad an. 1231. n. 44, & 1241. n. 41: quas Regias inſulas Haquino Regi deinde conceſſas ab Innocentio IV. liquet ex ipſius litteris 30, ſeq. lib. 4. a Raynaldo regeſtis ad an. 1246. n. 33. Mindano Ruſſiæ Principi, ſicut & Chriſtiano Lithuaniæ Duci Regiam dignitatem tribuit idem Pontifex, cujus hac de re litteras refert præcit. Annaliſta ad an. 1251. n. 48, ac 1254. n. 27: apud quem perinde ad an. 1257. n. 57. ab Alexandro IV. Regiis exornari inſignibus ſupplex expetiiſſe legitur Theobaldus Navarræ Rex; non ſecus atque Lectoviæ Regis filius Regio inſigniri diademate juſſus an. 1255. n. 57, facta inſuper facultate Regiones, quas in Ruſſia infidelium poteſtati eripuiſſet, ſuo adjiciendi Imperio. Sardiniæ, & Corſicæ Inſulas Regio cum titulo in Jacobum II. Aragonium, certis ſub conditionibus, tranſtulit Bonifacius VIII. jure beneficiario, Diplomate an. 1297. dato, regeſtoque a Raynaldo n. 2, ſeqq.; quod iterum Regnum Clementi V, fidei ſacramento præſtito, acceptum referre idem Rex officio duxit apud eumdem Annaliſtam ad an. 1305. n. 8, ſeqq. Gerbæ, & Cherchinæ Inſulæ, Africæ objacentes, fiduciario Rom. Eccleſiæ jure, poſſidendæ Rogerio Lauriæ tributæ ab eodem Bonifacio P. M. leguntur lib. 1. epiſt. 115. deſcripta a Raynaldo ad an. 1295. n. 37. Juſtis natalibus donatum Oroſium Regio Serviæ titulo, fidei nuncupata profeſſione, adauxit Johannes XXII. litteris ad eum datis an. 1323. legendis apud Raynaldum n. 15, ſeqq., cujus quoque Pontificis auctoritate Regio Scotiæ diademate inaugurari obtinuit Robertus Rex

no 1329. Diplomate exarato, quod idem recenſet Annaliſta n.79, ſeq. A Benedicto XII. creatos Duces Philippum Gonzagam Mantuæ, Maſtinum, & Albuinum Scaligeros Veronæ, Parmæ, & Vicentiæ, atque Luchinum Vicecomitem Mediolani, lege adjecta de fiduciario Apoſtolicæ Sedis jure, referunt S. Antoninus 3. par. tit. 21. cap. 7, Villanius lib. 11. cap. 100, & ex Vaticanis Mſs. Raynaldus ad an. 1339. n. 61, & 1341. n. 29. Alphonſo Luſitaniæ Regi partum in Barbarica Regna jus, aliaque occupandi, Guineam, Æthiopiam &c. qua confirmatum, qua factum a Nicolao V. teſtantur ipſius litteræ apud Raynaldum ad an. 1455. n. 7, ſeqq. Borſium Ateſtinum Mutinæ, ac Ferrariæ Ducem creaſſe Paulus II. an. 1471. refertur a Jacobo Papienſi epiſt. 381, Pigna lib. 8, ac Stephano Infiſſura in Mſs. Vatic. apud Raynaldum n. 56. A Sixto IV. Regis inſignia expetiviſſe Moſcoviæ Ducem Johannem Baſilium denarrat Sigiſmundus liber Baro rer. Moſcovit. Comment. p. 74. relatus a Raynaldo ad an. 1484. n. 26. Ferdinando Caſtellæ Regi Catholici titulum Conſt. edita 4. Non Maji 1493. primus attribuit Alexander VI, non Innocentius VIII, nec Julius II, ut perperam nonnullis perſuaſum fuit, Occidui trans Oceanum Orbis, Regiſque Africæ, ſi eadem expugnare Regna, Chriſtique imperio ſubjugare contingeret, titulo, jureque adjunctis teſtibus Philippo Cominæo belli Neapol. lib. 7, & lib. 8. cap. 17, Volaterano lib. 2, Barroſio Aſiæ dec. 1. lib 3. cap. 11, Surita To. 5. lib. 1. cap. 25, Mariana lib. 26. cap. 12, Raynaldo ad an. 1493. n. 18, & 1494. n. 36, ac Pagio Jun. in Alexandro VI. Regni titulo Hiberniam a Paulo IV. decoratam ſcribit Pallavicinus hiſt. Concil. Trid. lib. 5, & ex Actis Conſ. Mſs. refert Raynaldus ad an. 1555. n. 26; & a S. Pio V. Etruriam in magnum Ducatum erectam, ad Coſmum Mediceum Regia Corona dono miſſa, tradunt Berninus hiſt. Hær. To. 4. ad Sæcul. XVI. cap. 9, Gabutius de rebus ejus geſtis lib. 3. cap. 16, Laderchius ad an. 1570. n. 1. ſeqq. p. 64, ſeqq., Thuanus lib. 46. §. 16. To. 2. p. 753, ac liquet ex Conſt. 121. *Romanus Pontifex* an. 1569. edit. Rom. 1746. Quo demum loci illud advertendum volumus, quod vel quum dicimus Romanis a Pontificibus Reges vice plus ſimplici Regio nomine, ac dignitate inſignitos, non eam nobis inſedere opinionem, quod exinde Regii cujuſ-

cujuſpiam juris Principibus illis acceſſio facta debeat intelligi, contrarium enim diſertis, explicitiſque declaraſſe verbis leguntur Clemens V, & Johannes XXII. in litteris ad Robertum Scotiæ Regem a Raynaldo recenſitis ad an. 1320. n. 40, ſeq.; vel quum dicimus Romanis a Pontificibus Regnorum quorumdam jura in Reges de re Chriſtiana optime meritos fuiſse translata, non id putatum nos ire, (quod intelligant demum Auctor *Maris liberi*, & Benzo hiſt. novi Orb. lib. 3. cap. 3. Alexandro VI. ideo ſubinfeſti,) quod Pontifici M. Regna ab Infidelibus etſi auferre fas ſit, & in Chriſtianos transferre pro libitu liceat, Pontificiæ id enim poteſtatis limites prætergredi ultrocitroque fatemur, bene vero adfirmamus Pontifici jus ineſse prædicatum Evangelium in Regna quælibet Infidelium mittendi, ac ſiquando Reges illos, ac Populos vel Evangelicæ prædicationi obſiſtere, vel in Evangelii præcones deſævire contingat, poſſe illos Regum Chriſtianorum armis compeſci, illorumque Regna occupanda Chriſtianis exponi, jureque belli tranſferri. Hæc Honorii III, hæc Alexandri IV, hæc Bonifacii VIII, hæc Nicolai V, hæc Alexandri VI. ſententia, quum Africæ, & Americæ Regna expugnanda, ut Religionem in eadem inferre Chriſtianam facultas eſſet, Luſitaniæ, & Hiſpaniæ Regibus expoſuere: nam alioqui Paulus III. Infideles Evangelicæ prædicationi haud obſiſtentes libertate, ac dominio imminui nequire declaravit. Atque ſane Infideles Evangelicæ prædicationi impedimentum afferre nequire docet ipſe Grotius de Jure B., & P. lib. 2. cap. 20 §. 49, (quamvis Proteſtantium more, Infidelium Regna, vel ob Religionis cauſſam in Chriſtianos Reges transferendi jus Eccleſiæ prorſus neget cap. 22. §. 14, & Coccejus ibid. in Not., eo ducti errore, quod ſæcularis poteſtas Eccleſiæ nulla competat,) ideoque, ſi impediant, armis comprimi poſſe docent S. Thomas 22. q. 10. art. 8., Johannes Major in 2. diſt. 44. q. 2, & 3, Cajetanus in cit. S. Thomæ locum, Alphonſus a Caſtro de juſta hæret. punit. lib. 2. cap. 14, Dominicus Soto in 4. diſt. 3. q. un. art. 1, Antonius Cordub. quæſt. lib. 1. q. 57. dub. 4, Valentia To. 3. diſp. 1. q. 10. pun. 6, Franc. Vargas de Epiſcop. juriſd. confirm. 10, Toletus in Sum. lib. 4. cap. 2, Thomas Sanchez in Sum. To. 2. lib. 2. cap. 1, Suarez de Fide diſp. 18. ſect. 2, Covarruvias par. 12. in Reg. *Peccatum*

§. 10

§. 10, seq., Germonius de Sacr. Immun. lib. 3. cap. 13, Bannez in 2. 2. q. 10. art. 10, Molina de Just., & Jure tract. 2. disp. 105, & de fide q. 10. art. 8, Johannes Lupi de Insulis Mar. Oceani, Beccanus in Sum. To. 2. q. 4. cap. 13, Freitas de Justo Imp. Asiat. cap. 9, Masquardus de Ind., & Infid. par. 1. cap. 14, Josephus a Costa de procur. Indor. salute cap. 13, Solorzanus de Jur. Indiar. lib. 2. cap. 20, Antonius de Herrera Indiar. hist. decad. 1. lib. 2. cap. 4, ac videndus Blancus de polit., & potest. Eccl. Tom. 2. lib. 6. §. 9.

Hisce Romanis a Pontificibus ampliſſime beneficiis affecti Principes antiquius nihil habebant, quam juſtas pro iis, officiique pro munere rependere grates, quarum denuo integrum in ipſos redundaret bonum, & commodum. In clientelam igitur S. Romanæ Eccleſiæ Regna, & Principatus dare, & tranſcribere, ideo videlicet, ut S. Petri tutiora patrocinio deinceps irent, ſummique tuitione Pontificis a Tyrannis, ab hoſtibus, a turbis incolumiora evaderent. Ita tantum abeſſe, ut Reges ſemet Romano ſubjicientes Pontifici de ſua quidpiam dignitate deperderent, ut potius amplioris & poteſtatis, & libertatis ipſis fieret augmentum, fide polliciti ſua leguntur Gregorius IX. in litteris ad Davidem Georgiæ Regem, & Urbanus IV. in litteris ad Michaelem Palæologum Græcor. Imper. apud Raynaldum ad annos 1240. n. 42, & 1263. n. 33, ubi plura pietatis erga Reges officia, quæ Romanis a Pontificibus ſolent præſtari, late perſequitur, atque ob ipſius oculos ponit. Hungariæ itaque Regnum B. Petro a S. Stephano Rege, ac deinde ab Henrico II. Imp. oblatum fuiſſe, fiduciariumque factum, ut ejus nempe protectione firmius maneret, cum fateri non dubitarunt Andreas Rex in epiſt. ad Jacobum Card. Præneſtinum, & Ladislaus Rex item Hung. in epiſt. ad omnes Chriſtifideles apud Raynaldum ad an. 1233. n. 51, & 1279. n. 31, tum S. Gregorius VII. lib. 2. epiſt. 13. ad Salomonem Hung. Regem adfirmat, cum quo ideo queritur, quod Regnum beneficiario jure ab Imperatore obtinere maluerit. Qui prærerea eodem libro epiſt. 63, & 70. ad Geuſam Hungariæ Ducem, in quo ea Regni ſubjectio conſiſteret, explicans, inde a Regis alterius jure quolibet liberum prorſus abire confirmat. Hinc a Sancto noſtro Pontifi-

tifice deprecari plane licet invidiam, qua Regnorum juribus paſſim invidiſſe a malevolis tam Proteſtantibus, quam a Catholicis pleriſque quoque impune fertur. Angliæ Regnum ſub tutela, & clientela S. Romanæ Eccleſiæ extitiſſe teſtes accedunt locupletes Alexander II. epiſt. 8. ad Willelmum Reg., & S. Gregorius VII lib. 1. epiſt. 70. ad eumdem Reg., cui ideo annua ſolvebatur pecunia, eratque 700. argenti marcarum pro Anglia, & 300. pro Hibernia: quo de cenſu Canutus apud Willelmum Malmesb. lib. 2. Willelmus I. apud Hickeſium, S. Eduardus in litter. ad Nicolaum II, & leg. Eccleſ. cap. 10, Paſchalis II. epiſt. 40. ad S. Anſelmum Cant., & epiſt. 105. ad Henricum I. Reg., & Henricus II. epiſt. ad Alexandrum III. apud Baronium ad an. 1173. n. 10. Nempe vectigalem pecuniam inſtituit primus, non Alanus circa an. 890, uti perperam ex Annaliſta Saxone contendit Muratorius Antiq. Ital. diſſert. 69, nam Chronographus ille eo loci non de annuo cenſu loquitur, ſed de unius dumtaxat anni decimis voto S. Petro deſtinatis ob victoriam de Normannis relatam, ſed Ina circa annum 740, teſtibus Polydoro Virgilio lib. 4. p. 118, qui ab Offa perinde, & Athulpho perſolutum S. Romanæ Eccleſiæ cenſum ſubjungit, & Ranulpho Ceſtrenſi lib. 5. cap. 24, quos ſequi non dubitarunt Baronius n. 15, & Pagius n. 2: atque ſolutio poſtinde in Hiberniam extenſa eſt ab Henrico II, cui eam imperio ſuo ſubjugandi Inſulam facultas ab Hadriano IV. facta fuerat, teſte Matthæo Weſtmonaſterienſi ad an. 1155. Primus vero hominio, ſive fidelitatis ſacramento Innocentio III. ſe obſtrinxit Johannes ſine Terra dictus an. 1213, tradente Matthæo Pariſio, ac veluti liquido eſt teſtimonio idem Pontifex lib. 16. epiſt. 78, 79, 130, ſeq. apud Raynaldum ad an. 1213. n. 79, & 1214. n. 28: quæ donatio in Concilio demum Lugdunenſi I. an. 1245. coram Innocentio IV. perlecta eſt cum litteris Nationis Anglic. apud Harduinum To. 7. p 399, ſeq. Scotiæ quoque Regnum S. Romanæ Eccleſiæ fidei commendatum a Roberto Rege liquet cum ex Nicolai IV. epiſt. 102. an. 1291. ad Eduardum Angl. Regem, tum ex Johannis XXII. litteris ad ipſum Robertum an. 1329. apud Raynaldum n. 79, qui Pontifex aliis in litteris ad Eduardum I. Angl. Regem an. 1317. ibid. n. 47, deſcriptis eum de cenſu perſolvendo monet, nec non ex litteris

ris Bonifacii VIII. ad Eduardum II. Regem apud Harduinum To. 7. p. 1173 seq., quibus Scotiæ Regnum pleno jure ad Romanam pertinuisse Ecclesiam adserit. Insulam Monam, vulgo Man in Hibernico Mari Honorio III, sub annuo censu, hominio, ac fidei sacramento, ultro citroque subjugasse Reginaldus ejus Dominus legitur inter Honorii litteras lib. 4. epist. 629, lib. 7. epist. 164, & 189. apud Rymerum To. 1. Actor. public., & Raynaldum ad annos 1219. n. 44, & 1223. n. 53. Hispaniæ Regna Romanæ Ecclesiæ fiduciario jure obnoxia denuntiare non ambegit S. Gregorius VII. lib. 1. epist. 7. ad Hisp. Principes, & lib. 4. epist. 28. ad eosdem: qui Evolo Comiti de Rocejo paratissimum adversus Saracenos in Hispania ad præliandum animum præferenti suo a Decessore concessum adfirmat, ut quas perdomuisset, terras, e manuque Infidelium eripuisset, S. Petri sub nomine, jureque possidere, ac retinere posset. Quæ potestas aliis quoque Principibus facta est, ac Berardo præsertim Barcinonensi Comiti; neque negat Bossuetius defens. Dec. To. 1. par. 2. lib. 4. cap. 13, quem tamen in S. Pontificem minus æquum, ejusque hac in re passim dicta, gestaque carpere, mordereque haud veritum, quasi nempe ipsius ex favore Principes titulum ad vicinos invadendos quærerent, viden, ut jure, ac merito suggillet, castigetque Blancus de Polit., & potest. Eccl. To. 1. lib. 2. §. 14, seq. Tarraconem in specie Urbem a Berengario Comite expugnatam Romanæ Ecclesiæ addictam fuisse, sub annuo censu viginti quinque argenti pondo retinendam, fidem indubiam faciunt Instrumentum donationis, & Urbani II. epist. 7. ad Berengarium Ausonensem Episcopum apud Harduinum To. 6. par. 2. p. 1633, seq. Innocentio III. Aragoniæ Regnum an. 1204. obnoxium facere, seque ipsius manibus inaugurandum præstare religioni duxit Petrus Rex, se, posterisque suis annuo censu, fideique sacramento obligatis apud Raynaldum n. 71, seqq. In Concilio Lugdunensi II. an. 1274. Jacobo Regi censum abnuenti diadema fuisse denegatum a B. Gregorio X. denarrat Mariana lib. 11. cap. 21, & lib. 13. cap 22, a Ramiro vero censum instauratum lib. 9. capp. 5, & 7. S. Petro in Rom. Pontificis Lucii II. persona ab Alphonso I. Portugalliæ Regnum sub annuo centum byzantiorum, sive unciarum auri quatuor censu stipen-

ſtipendiarium factum teſtantur litteræ Cæleſtini III., & Innocentii III. apud Baronium ad an. 1144. n. 3, & 1179. n. 16, ac Raynaldum ad an. 1198. n. 35. quod & liquet ex litteris Lucii II. a Baluzio cum ipſius Regis Diplomate To. 2. Miſcell. p. 220, ſeq. deſcriptis, quibus imo prædeceſſori ſuo Innocentio II. fidei ſacramentum ab ipſo Rege jam præſtitum memoratur. Ab eodem Rege cenſum deinde oblatum Eugenio III. ſcribit Rodericus lib. 7. cap. 6, quo a Pontifice Regio illum nomine primo donatum putat Mariana lib. 10. cap. ult., ab Alexandro III. vero Regis titulum accepiſſe refert Baronius ad an. 1179. num. 16, quin ipſius Patrem ab Aexandro II. jam pridem creatum Regem ſcribit Thomaſſinus par. 3. lib. 1. cap. 32. n. 9. Paullo nunc retro flectendo veſtigia S. Gregorio VII fidei ſacramento præſtito Regna feciſſe vectigalia Demetrius Croatiæ, & Dalmatiæ Dux, annui tributi lege ſibi impoſita, Bertrandus item Provinciæ Comes, obligata fide, Dominium ejuſdem clientelæ obnoxium præſtitiſſe leguntur apud Baronium ad an. 1076. n. 66, & 1081. n. 33. Poloniæ Regnum Romano Pontifici tum Benedicto IX. feudale, ac tributarium factum ſub annuo unius oboli in ſingula capita, ſive quatuor marcarum quarto quoque anno, cenſu, a Caſimiro Rege refert Longinus apud Baronium ad an. 1041. n. 3, ſeqq., & 1045 n. 2, ſeq., quem ſane cenſum exegiſſe S. Gregorius VII. legitur a Boleslao Duce lib. 2. epiſt. 73, inſtauratum ab Innocentio III. ſub quatuor marcis ſingulis perſolvendis trienniis liquet ex Regeſt. lib. 14. epiſt. 44. apud Raynaldum ad an. 1211. n. 23. Honorio III. fidelitatis ſponſione ſe obſtrinxiſſe Leskonem Ducem teſtantur ipſius litteræ inter Honorianas lib. 1. ep. 392. ab eodem Annaliſta deſcriptæ ad an. 1217. n. 48, qui ad an. 1285. n. 72 a Polonis, & Pomeranis denarium S. Petri exactum ab Honorio IV. ex ipſius litteris lib. 1. epiſt. 492, tribuſque ſeqq. oſtendit, atque demum cum reſtituta Uladislao Poloniæ Regia dignitate inſtauratam de eodem vectigali a Johanne XXII. legem exhibet ad an. 1319. n. 2, ſeqq. A Catenenſi, & Orchadienſi Comite impoſitum ſub Alexandro III. in ſingulas Domos unius denarii vectigal ab Innocentio III. repetitum ex ipſius litteris ad Orchadienſem, & Roſmarchenſem Epiſcopos a Raynaldo indicatis ad an. 1198. n. 18. adparet. Quod indicium eſt liquidum

& Insulas illas Romanæ olim Ecclesiæ clientelæ fuisse commendatas. Daniæ quoque Regnum hominio, & censu Romanæ Ecclesiæ devotum, obligatumque fuisse dubitare non sinunt litteræ Alexandri II. ad Suenonem Regem apud Baronium ad an. 1062. n. 109, & S. Gregorii VII. lib. 2. epist. 75. ad eumdem Regem, & lib. 7. epist. 21. ad Aconum Reg. Nicolao II, & S. Gregorio VII. Robertum Guiscardum, ac Urbano II. Rogerium Siciliæ Reges obedientia, fide, censuque se se obligasse patet ex Baronio ad annos 1059. n. 69, 1080. n. 35, & 1090. n. 2: quod perinde religiose præstare Reges alios officio duxisse abunde palam est factum Artic. super. prope finem. Ad S. Petri jura pertinuisse Corsicam testis est liquidus S. Gregorius VII. lib. 5. epist. 4. ad Corsos; qui pariter a Judicibus Sardiniæ, velut Apostolicæ Sedis fidejussariis, obedientiam, censum, demissionemque exegisse legitur lib. 1. epist. 29, & 41, ac lib. 8. epist. 10; Cujus perinde Sardiniæ Insulæ Romanæ Ecclesiæ jus adserere, vindicareque non dubitavit Innocentius III. apud Baluzium lib. 14. epist. 101, & apud Raynaldum ad an. 1203. n. 68. lib. 6. epist 29. Wezelino quoque diras intentatus est minas idem S. Gregorius lib. 7. epist. 4, nisi a molestia inferenda Dalmatiæ Regi, Romanæ Ecclesiæ fiduciario, vectigalique cessaret. Censum denique S. Petro olim desponsum pro Regno Bohemiæ ab Uratislao Rege exposcere haud est oblitus lib. 2. epist. 7. Innocentio III, fidei data sponsione, Bulgariæ Regnum subjicere non dubitavit Johannitius Rex, certior factus utique fore, ut ea subjectio in incrementum Regni potius, quam in Regis injuriam vergeret, veluti liquet ex ipsius litteris Regesti Innocentiani lib. 7. epist. 6. insertis. Pari instructi exemplo Innocentio IV, ut eò nempe tutiores evaderent, quò se S. Petri tuitioni credebant, fide, obedientiaque submittere se se e re sua duxere Mindanus Russiæ Rex apud Raynaldum ad an. 1251. n. 46, & Christianus Lithuaniæ Dux ibid. an. 1254. n. 27, quem ann. 1255. ab Alexandro IV. Regia donatum corona arguit n. 57, seq. Jure beneficii, fide data, a Johanne XXII. obtinere voluere Principatum sunm Stetini Duces an. 1331. n. 23, seq., a Clemente VI. Insulas Fortunatas Ludovicus Hispanus an. 1344. n. 39, seq, cujus ideo in Pontificis obsequium juri, quod in eas Insulas per-

pertendebant, cedere uterque, tam Alphonſus Luſitaniæ, quam Alphonſus Caſtellæ Reges officio duxere ibid. n.48, ſeqq. Hungariæ S. Romanæ Eccleſiæ deſponſam olim ſubjectionem defendendam conjunctis viribus ſuſcepiſſe leguntur Nicolaus IV. an.1291. n. 47, ſeqq., a quo in clientelam pariter receptus eſt Stephanus Serviæ Rex ibid. n.41, Bonifacius VIII, a quo ideo Hungarico Regno abſtinere Wenceslaus Bohemiæ Rex juſſus eſt an.1301. n. 10, Clemens V. an.1308. n.23, ſeqq., Calliſtus III. an.1458. n.21, ſeq., & Pius II. an.1459. n.17. Boſniæ, olim Dardaniæ, Deſpotam Stephanum Thomam, poſtquam veteribus Manichæorum erroribus ſe abdicaſſet, & Apoſtolicæ Sedi obedientiam deſpondiſſet, qua de re legenda Benedicti Ovetarii Cypri Regis ab epiſtolis epiſtola ad Petrum Donatum Patavinum Epiſcopum apud Martene Veter. Monum. To.1. p.1592, regeſtaque a Manſio in Not. ad Raynaldum an.1444. n.2, Regio ſceptro, dignitateque exornavit Eugenius IV, ut ex ipſius litteris a Raynaldo exhibitis ad ann.1445. n.23, ſeq. liquet. Cujuſce Regni demum jura teſtamento a Catharina Regina in Romanam fuiſſe tranſcripta Eccleſiam, tabula Sixto IV. nuncupata, fidem certam faciunt cum Jacobus Cardinal. Papienſis epiſt. 695. ad Franciſcum Gonzagam Cardinal. Mantuanum, & Volaterranus in diar., tum Apographum ipſum, ex quo exemplar produxit Raynaldus ad an. 1478. n. 45. Raſciæ quoque Deſpotam ſuum Apoſtolicæ Sedi dominium tranſcripſiſſe teſtis accedit locuples Calliſtus III. in litteris ad Ludovicum Aquilejenſem Cardin. Legatum in Oriente relatis ab eodem Annaliſta ad ann.1458. n.18. Hiſce Regum egregiis erga Romanam Eccleſiam devotionis argumentis jungenda pleraque alia diverſæ ſpeciei inſignis obſequii ſpecimina, quibus Romanos Pontifices Stratoris officio excipere, ad pedes diadema, faſceſque ponere, ipſique met advoluti de genu adorare religioni, honorique duxere, quomodo geſſiſſe feruntur cum S. Gregorio II. Luitprandus, cum Paſchali II Philippus Auguſtus, cum Calliſto II. Willelmus Calabriæ Dux, cum Innocentio II. Ludovicus Craſſus, & Henricus I. Angliæ Rex apud Sugerium Abb. in Ludovico, & Baronium ad an. 1120. n 9, & 1130. n. 58; cum Alexandro III. Ludovicus VII. Gall., & Henricus II. Angl. Reges apud Robertum de Monte in

Chron.; & Baronium ad ann. 1162. n. 12; cum S. Cælestino V; & Bonifacio VIII. Carolus Martellus Hungariæ, & Carolus II. Andeg. Siciliæ Reges, de quibus Jacobus Stephanescus lib. 2. cap. 4, seqq., & Petrus Alliacensis lib. 2. cap. 11. apud Raynaldum ad an. 1294. n. 10, seq., & 1295. n. 5; cum Clemente V. Philippus Pulcher, Carolus ipsius frater, & Johannes Britanniæ Dux, de quibus idem Annalista ad an. 1305. num. 13; cum Urbano VI. Carolus III. Siciliæ Rex apud Theodoricum Niemum lib. 1. cap. 28, & Raynaldum ad ann. 1382. n. 5, cum Benedicto XIII. pseudo-Pontifice Ferdinandus Rex Aragoniæ apud Marianam lib. 20. cap. 6; cum Sixto IV. Christiernus Daniæ Rex, de quo Jacobus Cardinal. Papiensis epist. 566, & Raynaldus ad an. 1474. n. 2; cum Alexandro VI. Carolus VIII, & cum Leone X. Franciscus I. Galliæ Reges apud sæpe citat. Annalistam ad annos 1495. n 3, & 1515. n. 10. Observat denique Cl. Thomassinus Vet., & Nov. Discipl. par. 3. lib. 1. cap. 32. n. 15. S. Romanæ Ecclesiæ Regna sua Regibus subjugantibus ingens illud obvenisse beneficium, ut eadem deinceps Regna nulli humanæ potestati obnoxia manserint, sed in proprium jus libera evaserint, uti de S. Stephano Hungariæ Rege ita ab Imperiali dominatione in libertatem adserto riscpsit S. Gregorius VII. lib. 2. epist. 63 ad Hung. Ducem; uti de Davide Rege Scotiæ a Regis Angliæ potestate ita redempto tradit Matthæus Parisius ad an. 1244; uti de Matthia Hung. Rege ita a Friderici III. imperio haud dependente respondit Pius II. apud Gobelinum lib. 2. p. 325; uti de Poloniæ Rege tradit S. Petrus Damiani in vita S. Romualdi cap. 9, illum maluisse Papæ subjici, quam Imperatori: qua plane ex subjectione ingentia Poloniæ Regno beneficia provenisse advertit Johannes Dlugossus, alias Longinus in Chron. Slav. apud Baronium ad an. 1045. n. 2; non secus atque de Britanniæ Rege Alano tradit Annalista Saxo in hist. Francor. ad an. 890. apud Eccardum Corpor. hist. med. Ævi To. 1. p. 227. cum voto nuncupato de unius anni decimis S. Petro persolvendis, insignem de Normannis Britanniam diripientibus victoriam retulisse. Alterum Principibus ex hac S. Petro subjectione desponsa obvenisse bonum advertit Muratorius Antiq. Ital. dissert. 68, & 71. delictorum nempe redemptionem, ita nempe, ut

ut bonorum oblationibus pœnas redimerent, quæ ſibi juxta Sacros Canones pro qualitate culparum fuiſſent ſubeundæ. Atque ita veniæ impetrandæ gratia S. Petro cum Patrimonia obtuliſſe, tum ſe met obedientiæ devinxiſſe ſacramento leguntur Pippinus & Carolus M. apud Anaſtaſium in vita Stephani II, & apud Hadrianum I. epiſt. 92. Cod. Carol. Rer. Ital. To. 3. p. 2; Welpho Bavariæ Dux apud S. Gregorium VII. lib. 9. epiſt 3; Mathildes Comitiſſa, de qua Domnizo lib. 2. cap. 1. apud Muratorium Tom. 5. Rer. Ital. p. 366, ſeq.; Bertrandus Provinciæ Comes apud Baronium ad an. 1081. n. 33; Berengarius Comes Barcinonenſis, de quo Urbanus II. epiſt. 7; Adelaſia Turritana, & Gallurenſis Duciſſa, de qua Gregorius IX. lib. 11. epiſt. 302, ſeqq., Raynaldus ex Cencio Camerario lib. Cenſ. ad an. 1237. n. 16, ſeq., & Muratorius citat. diſſert., ubi ſimilia multa eorum, qui Eccleſiis aliis, Monaſteriis, ac locis Piis bona ſua pro remedio animæ ſuæ, peccatorumque remiſſione largiti ſunt, late perſequitur; etſi nonnulla turbet, miſceatque, quæ animadverſione ideo digna doctiſſ. Cennio viſa ſunt. Inde patet hæc Principum non tam exteriora fuiſſe demiſſionis Romanos erga Pontifices obſequia, quam interioris ex animo proculdubio profecta devotionis argumenta: cujuſce rei documento rurſum eſt Principum obedientia ſacramento vice plus ſimplici Pontifici M. obligata. Qua in re quidem, præter eos pleroſque, qui ſtipendiario, ac fiduciario jure Romana ab Eccleſia Regna obtinentes, non ante Regni adminiſtrationem ipſis adire fas erat, quam fidei data ſponſione, Rom. Pontificis obedientiæ ſe ſe mancipaſſent, de quibus abunde, opinor, dictum eſt, egregia profecto haberi merentur obedientiæ exempla præſtita S. Martino I. a Penda, & Hadriano I. ab Offa Angl. Regibus apud Willelmum Malmeſb lib. 1; S. Sergio I. a Ceduvalla, & S. Gregorio II. ab Ina Occid. Saxonum Regibus, de quibus V. Beda lib 4. cap. 15, ſeq., & lib. 5. cap. 7; S. Leoni III. a Chnulpho, Benedicto III. ab Ethelvulpho, & Aelfredo, S. Leoni IX. a S. Eduardo, de quibus, aliiſque Reg. Angl. dictum Par 1. Tom 2. Art. 9. §. 2; Johanni XIX. a Canuto Daniæ, Honorio III. ab Erico Sveciæ Reg apud Raynaldum ad an. 1225. num. 18; Sixto IV. ab Æthiopiæ Rege Præſto Johanne denominato, dequo Jacobus

Vo-

Volaterranus lib. 3. apud Raynaldum ad an. 1481. num. 40, seq.; Alexandro VI. a Constantino Georgiæ, a Carolo VIII. Galliar., & Ferdinando Hisp. Regibus, de quibus Raynaldus ad an. 1496. num. 21, Burchardus in Diario Curiæ Rom., & Stephanus Infessura in Diar. Urb. Romæ editis ab Eccardo in Corp. Hist. medii ævi Tom. 2. p. 2012, & 2064; Julio II. ab Alphonso Congi, ab Henrico Franc., & ab Henrico Angl. Regibus apud Osorium lib. 3, Raynaldum ad annum 1512. n. 116, Burchardus cit. Tom. 2. p. 2160; Leoni X. a Francisco I. Gall., & Sigismundo I. Poloniæ Regibus, de quibus Raynaldus ad an. 1513. n. 41, ac 1515. n. 30; Clementi VII. a Davide Æthiopiæ Imperat. apud Damianum a Goez Tom. 2. Hisp. Illust., & Raynaldum ad an. 1533. num. 20, seqq.; Pio IV. a Francisco II. Gall. Rege, & a Maria Regina Scotiæ apud Raynaldum ad ann. 1560. n. 24; S. Pio V. ab eadem Regina, de qua Laderchius ad an. 1566. edit. Rom. 1728. Tom. 1. p. 223, & ad an. 1570. Tom. 3. p. 243; Gregorio XIII. a Congi Regibus, de quibus Cicarellus in ejus vita p. 456, Gualterius in Relat. edita Rom. 1586, fidemque facit Tabula Marmorea cum Inscriptione in Capitolio servata; Sixto V. ab Henrico III. Valesio Bressii Orat. opera, a quo Oratio habita die 11. Septemb. 1586. Rom., ac Paris. eodem anno excusa; Clementi VIII. ab Henrico IV, cujus obedientiæ præstatio Ludovici Gonzagæ Ducis Nivernensis opera primum a Pontifice, Hispano Oratore impediente, admissa non est, uti liquet ex Actis Legationis Ducis Nivern. edit. Paris. 1594, & Francof. an. inseq., refertque Thuanus hist. lib. 108. p. 402, & lib. 113. p. 584, seq.; præstita tamen deinde, Legati Francisci Lucemburgii Pinei Ducis opera, Jacobo Davide Perronio agente, recepta est an. 1597, de qua Thuanus lib. 117. p. 758; Paulo V. a Congi Regibus, quod ostendit Nummus num. 8. a Claudio Molineto editus Paris. 1679. p. 147; Urbano VIII. a Ludovico XIII. Gall., & Uladislao IV Poloniæ Regibus, de quibus Mercurius Gallicus Tom. 19. p. 701, seqq., & Auctor Theatri Europæi Tom. 3. p. 136; V. Innocentio XI. a Jacobo II. Angliæ Rege an. 1687. apud Auctorem narrationis adventus Romam Comitis de Castelmanie Orat. ejusdem Regis &c., Rom. eodem anno. Sed de his, aliisque multis dictum jam abunde

Par. 1. Tom. 2. Art. 9. §§. 2, ſeq. p. 456, ſeqq., & 491, ſeqq., ac Par. 2. Tom. 5. Art. 11. §. 2. p. 226, ſeq., ac videndi Greizerus lib. de Munificentia Principum in Sedem Apoſtol. Oper. Tom. 6. p. 643, & Thomaſſinus vet., & nov. Diſcipl. par. 3. lib. 1. cap. 32, qui cap. 29. num. 7. obſervat, ubi vel ſocordia, vel vitium, & copiarum penuria Principes officio tuitionis Reipublicæ defuerunt, eorum partes adimpleviſſe, inque functiones ſucceſſiſſe cum Epiſcopos paſſim, tum Romanos maxime Pontifices, a quibus induſtria, operaque ſæpius commodata ad temporalem quoque Reipublicæ felicitatem, tuitionemque fuerit, & num. 8. ex Regnorum, ac Principatuum oblatione, ſubjectione, & obligatione S. Petro facta id boni profectum, ut Reipublicæ, Eccleſiæque Romanæ jura in unum conjuncta, confuſaque evaſerint, ideſt Reſpublica in idem corpus cum Eccleſia B. Petri concreverit, non alio deinceps, ſicut multo antea tempore, defenſore uſa tutiore, non alio capite, quam Romano Pontifice, conſpicua.

Quod ad Imperatores nunc attinet, tantum abeſt profecto, ut quam illis deferre ultro citroque Proteſtantes non reformidant, aut Pontificiæ parem, aut ſupra Pontificem ipſum poteſtatem arrogare, præter eos paucos, eoſque ut plurimum a fide devios, atque in tranſverſum furore actos, de quibus Art. 1. ſub initium, tentarint, ut potius illis aut propriam referre acceptam, aut ſponte ſubjicere religioni duxerint. Atque principio ſubjectionis hujuſmodi profecto argumento, documentoque eſt fidei profeſſio, quam ad Romani Pontificis imperium exigere officio ipſis ceſſit. Ita Valentiniano, ac Valenti fidem amplecti, quæ Liberio probata fuerat, cordi fuiſſe tradit Theodoretus lib. 4. cap. 8, ſeq. A Populis fidem teneri, quæ docebatur a S. Damaſo lege ſanxiſſe leguntur Theodoſius, Gratianus, ac Valentinianus L. 1. Cod. Theod. *de Sum. Trinit.*, & in Edicto ad Aquilinum Urbis Vicarium. Maximus etiam Tyrannus fidei ſe adquieſcere, quam profitebatur S. Siricius, in epiſt. ad ipſum adfirmavit. Fidem, quam tenendam indixerant SS. Zoſimus, & Bonifacius, tuendam ſuſcepit Honorius in Reſcripto ad Aurelium Carthag., alteroque ad ipſum Bonifacium. Valentiniano III, Theodoſio Jun., Marciano, & Leoni Auguſto nihil accidit religioſius, antiquiuſque, quam

S. Leo-

S. Leonis M. cum fidei integre se concredere, ac dignitatem summopere revereri, ac suspicere in epist. ad eumdem Pontificem, & Valentiniani in epist. ad Theodosium, ac in Edicto ad Galliarum, & Italiæ Præfectos. Ipsos quin etiam Zenonem, & Anastasium sollicitos quammaxime se præbuisse, ut SS. Simplicium, Felicem III, Gelasium, & Anastasium II. in partes traherent, ex horum Pontificum epistolis adparet. Fidei professionem, juxta formulam a S. Hormisda præscriptam, emittere neque Justino, neque Justiniano grave accidit: quin ille prior S. Johanni I, a quo fuerat inauguratus, valdequam obsequentem se præstitit, uti referunt Anastasius Bibl. in ejus vita, & Aimoinus lib. 1. cap. 13; posterior iste vero S. Bonifacio II, Johanni II, & S. Agapeto litteris datis fidem obligare suam haud dubitavit, obsequiumque dependere. SS. Agathoni, & Benedicto II. obsequentissimum se exhibere religioni duxit Constantinus Pogonatus. Justinianus II. Cononi fidem despondit, a S. Sergio I, a Johanne VII, & a Constantino Synodum Quinisextam approbari desideravit, cui posteriori præsenti deosculari pedes, diadema capite deponere, ipsiusque votis facere satis religiosæ pretium operæ fecit. Viden, ut hæc denarret in horum Pontificum vitis Anastasius Bibl. Eidem Pontifici Constantino fidei professionem nuncupare e re sua duxisse Anastasium II. Imp. inde liquet, non secus atque Leoni Isauro eodem defungi apud S. Gregorium II. officio cordi fuisse adparet ex Pontificiis ad ipsum litteris. De fide decretis ab Hadriano I, & Leone III. integre adquiescendum sibi statuit Constantinus Porphyrogen. S. Nicolai I, & Hadriani II. mandatis obtemperare Basilius Macedo, Stephano V. se corripiendum, & Formoso supplicem se præstare Leo Sapiens haud ægere tulere. Obauscultare, & obsequi S. Leoni IX. Constantinus Monomachus, & Alexandro III. Emanuel Comnenus religioni, & officio habuere. Fidei formulæ ab Innocentio IV, & Alexandro IV. præscriptæ subscribendæ se paratos exhibuere Johannes Ducas, & Theodorus Lascaris. Eidem formulæ ab Urbano IV, a Clemente IV, & a B. Gregorio X. sibi propositæ syngrapham adjicere suam non ambegere Michael Palæologus, & Angelus Comnenus. Johanni XXI, & Nicolao III. fide, obedientiaque se obstringere honori, & saluti duxere idem

Mi-

Michael, & Andronicus; non ſecus atque fidei dato ſacramento in Innocentii VI, & Urbani V. obſequium, obedientiamque ſe transcribere Johanni Palæologo juſtum, æquumque accidit, & pari officio Eugenio IV. ſe devovere Johanni VII. item Palæologo laudi ceſſit, & gloriæ; de quibus fuſius me diſputare Par. 1. To. 2. Art. 9. §. 1. p. 413, ſeqq. bene memini. Interea de fidei, quam Patriarchæ Conſtantinopolit. ante nuncupare Imperator debet, quam inauguretur, formula confer Codinum Curopalatam, a quo deſcribitur libro de Officiis, & Official. Eccleſiæ, & Aulæ Conſtantinopolitanæ cap. 17, relato a Martenio de Antiq. Eccl. Ritibus To. 2. lib. 2. cap. 9. Ord. 2.

De Occidentis nunc Imperatoribus loquendo, præ Orientis illis, longius horum erga Pontifices MM. devotionem proceſſiſſe indubium eſt, ipſis ideo, obſequii Romano Pontifici dependendi gratia, Romanum adornare iter, & ad Apoſtolica ſe conferre limina nec grave accidiſſe, ejuſdem fidei arcte inhærere, nec latum ab ea unguem deflectere religionis, & operæ pretium feciſſe, nec fidei ſponſione præſtita, obedientia ſe ſe Pontifici devincire Imperiali dignitati indecorum habuiſſe. Porro Chriſtianus Gottlieb Buderus Juris, & Hiſtoriæ Profeſſor in Academia Jenenſi libro *De Legationibus Obedientiæ Romam miſſis* Jenæ, & Lipſiæ edito an. 1737. cap. 1. §. 8, ſeq. in ea opinione verſatur, ut obedientiæ Romano Pontifici ab Imperatoribus promittendæ morem non altius occepiſſe putet, quam ab ætate S. Gregorii VII, quum videlicet Henricus V. parentis Henrici IV. hoſtis effectus, ut Imperii faſtigium adipiſceretur, Pontificis Romani partes arripere non dubitavit, ut eumdem adjutorem experiretur, atque ita Henriciana ejurata hæreſi, ſolemni obedientiæ ſacramento, & obſequio Paſchali II. ſe integre devovit, teſte Conrado Urſpergenſi in Chron. Ante id temporis Imperatores e Stirpe Carolingia, & Saxonica *Advocatiæ* cauſſa tutelam quidem Romanis Pontificibus libenter promiſiſſe, non etiam *Obedientiæ* juramentum præſtaſſe, clientelamque ſpopondiſſe. Ita, inquit, Johanni XII. Otto M., Benedicto VIII. S. Henricus II, Innocentio II. Lotharius II. Expreſſe quin etiam obedientiam refugiſſe Fridericum Ænobarbum ex Othone Friſing. lib. 2. cap. 4, & ab Henrico VI. non obe-

dientiam, ſed tutelam dumtaxat fuiſſe promiſſam ex Rogerio apud Baronium ad an. 1190. num. 10. pugnat. Ad hæc cap. 4. §. 1, ſeq. poſtquam intrepide adfirmaſſet confirmationis petendæ Rom. a Pontificibus Imperialis electionis morem ortum ex fictitia Romani Imperii translatione in Francos, ac Germanos per Pontifices facta, §. 8, ſeqq. Imperii jus a Pontificio independens ſuadere momentis hiſce nititur ſiculneis. Ex Friderici I. Ænobarbi proteſtatione contra picturam Coronationis Romæ peractæ Lotharii II. in Palatio Lateranenſi, qua Imperialis inauguratio ceu Feudalis inveſtitura exhibetur, atque deſcribitur: Ejuſdem Friderici indignationem adverſus Hadrianum IV. attexens, quod Imperium dixiſset *S. R. Eccleſiæ Beneficium* apud Radevicum de geſtis Friderici I. lib. 1. capp. 10, & 16. Ex litteris Germaniæ Procerum ad Innocentium III. apud Raynaldum ad an. 1201. num. 20, ſeqq., quibus Romano Pontifici Imperiali electioni ſe immiſcendi jus abjudicatur omne, multoque magis Judicis munus de electione cognoſcendi, electique perſona denegatur. Ex Ludovici IV. Bavari Conſtitutione, qua de conſenſu, & conſilio Electorum in Comitiis Francofurti an. 1339. edita ſancivit, ſola electione Imperatorem legitimum haberi apud Freherum Script. Germ. To. 1. p. 615. edit. Struvii, & Goldaſtum Conſt. Imper. Tom. 1. p. 336. Ex ejuſdem Ludovici Imp. ſimili altera Conſtitutione in Comitiis Reſenſibus edita an. 1338. apud Goldaſtum Tom. 3. p. 409, ſeqq., ipſiuſque epiſtola ad Benedictum XII. apud eumdem Goldaſtum p. 414. Ex Friderico III, & Maximiliano I, quos tuitionem pollicentes a voce obedientiæ abſtinuiſſe adfirmat. Ex Ferdinando I, quem addit ex electione jus ſibi a Pontificio independens adſeruiſſe, quo etiam pro Imperiali jure diſputarunt Seldius doctor Catholicus in Conſilio dato eidem Ferdinando Imp., & Benburgius de Jure Imperii cap. 8. Ex Maximiliano II, a quo obſequium quidem Pio IV, non etiam obedientiam deſponſam fuiſſe poſt Sarpium in hiſt. Concil. Trident. lib. 8, & Schilterum de libert. Eccleſ. German. lib. 7. cap. 10. §. 10. contendit. Ex Rodulpho II, quem per Oratores Gregorio XIII. *Obſequium*, Eccleſiæ vero *Obedientiam* præſtitiſſe refert ex Anonymo Scriptore Commentationis de Cauſsa Colonienſi apud Schardium in libello peſtilentiſſi-

tiſſime inſcripto de perfidia Pontificum erga Imperatores p. 181. Ex Carolo VI, qui pariter in formula Juramenti ab obedientiæ voce caute abſtinuiſſe ipſi viſus eſt. Verum quam labilia, & elumbia ſint iſta, quæ tanto Buderus oggerit conatu, ſequenti ex documentorum breviter contexta ſerie, quibus tam electos Imperatores confirmandi jus Pontifici, tum Imperatoribus electis fidei ſacramento defenſionem, obedientiamque Pontifici viciſſim præſtandi onus adſtruendum adſumimus. Atque principio quidem ad fidei ſacramentum, obedientiamque quod attinet, ab ipſis Orientis Imperatoribus, de quibus paullo ſuperius, jurata Pontificibus obedientia vel ex ipſa fidei profeſſione eiſdem exhibita videri poteſt: quæ non alterum profecto animum præferebat, quam in rebus ad Religionem pertinentibus Romano obediendi Pontifici, ejuſque dictis adquieſcendi paratiſſimum. Qua in re teſtes accedunt locupletes cum S. Anaſtaſius II, qui in epiſt. ad Cognominem Imperat. apud Baronium ad an. 497. n. 9. ab ipſo obedientiam explicitis exigit verbis tam pro debito, quam pro utilitate: *Pro Apoſtolico*, inquiens, *officio prædicamus, ut (ſicut decet, & Spiritus S. dictat) monitis noſtris obedientia præbeatur, ut bona omnia veſtram Rempublicam conſequantur, ſicut in Exodo promittitur* cap. 15. &c., tum S. Symmachus, qui in Apolog. ad eumdem Imperat. apud Baronium ad an. 503. n. 30. priſco in more poſitum Imperatoribus adſerit, ut cumprimum aut ipſi ad Imperii faſtigium elevati fuiſſent, aut Pontificem in Apoſtolica poſitum Sede percepiſſent, in ejus extemplo fidem, litteris, legatiſque miſſis, ſe transferre ſatagerent.

Ad Occidentis Imperatores nunc accedendo, fidelitatis, obedientiæque Pontifici exhibendæ debitum, & officium ab ipſa translatione Imperii cœpiſſe, neque translationem hancce commentitiam eſſe mihi oſtendendum obiter adſumens, altius exordium capiendum opinor. Principio igitur ad aſſequendam quò facilius, eò efficaciorem Principum advocatiam, ac tutelam, id conſilii a Pontificibus initum eſt, ut gratia, & beneficio cum Principibus agerent, eoſque ideo Romana donarent Civitate nedum, ſed & Urbis Reginæ Patritios crearent. Porro ſuos a principio Romanæ Eccleſiæ Defenſores adfuiſſe Romano ab ipſo Pontifice dele-

ctos, atque ex primariis aliquando Urbis præſtantioris virtutis viris, qualem fuiſſe S. Sebaſtianum a S. Cajo P. M. conſtitutum adparet ex ipſius S. Pontificis Actis a Becillo illuſtratis, potiſſimum vero ex Clero ipſo, ſive ordine Subdiaconorum, atque numero quidem ſeptem adlectos liquet ex S. Gregorio M. lib. 4. epiſt. 25, & lib. 7. epiſt. 17, in quam videndæ Altaſerræ notæ. Verum ſucceſſu temporis Italiæ res hinc Græcis aut derelinquentibus, aut diripientibus, illinc turbantibus, ac vaſtantibus Langobardis, validioribus indigere defenſoribus Romana cepit Eccleſia, a quo ideo cogitatum de creandis in ſui defenſionem ex Regibus ipſis Patriciis. Patriciatus Romani porro nomen Urbi adnatum, & a Romulo inditum dubitat nemo: dignitatem tamen non tam antiquam, ut perſuaſum habuit Dempſterus ad Roſini Antiq. Rom. lib. 7. cap. 5, nec ab Alexandro Severo primum inductam, ut putavit Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 4. cap. 11, & poſt ipſum Indenius in prælect. ad §. *Filius familias* Inſtit. *Quibus modis* &c., nec ab Auguſto, ut Pichardo ad Inſtit. lib. 4. tit. 16. §. *Non omnium*, & Pancirolo in Not. Imp. cap. 2. viſum eſt, nec a Juſtiniano, ut voluit Sertorius Urſatus in Not. Roman. Theſau. Græv. Tom. 2. p. 892, & qui eum penes exhauſit, Pitiſcus V. *Patriciatus*, ſed a Conſtantino M. cum Imperii Byzantium translatione primitus inſtituram, qua primus ornatus fertur Optatus, Zoſimi lib. 2. Hiſtor. cap. 40, & Glicæ Annal. par. 4. teſtimonio ſuffultus, poſt Baronium ad an. 337. n. 53, conſulendum etiam in Not. ad Martyr. Rom. ad diem 27. Auguſti, Spondanum ibid. n. 9, Gutherum de Offic. Domus Aug. lib. 2. cap. 19, Sigonium de Regno Ital. lib. 4. an. 173, Bullengerum de Imperat., & Imp. Rom. lib. 3. cap. 1, Ducangium V. *Patricius*, Angelum de Nuce in Not. ad Chron. Caſſin. Rer. Ital. Tom. 4, & Meurſium in Gloſſ. Græco Barbaro p. 522, oſtendit Gentilius de Patriciorum Orig. lib. 2. cap. 1. Quam dignitatem tamen, præter nudum *Patris Imperatoris* nomen, de quo Valentinianus L. unic. Cod. *De Parentibus*, & in L. un. *De Epiſcop. Judicio*, Majoranus in epiſt. ad Senatum apud Sigonium de Imper. Occid. lib. 14, Juſtinianus L. 5. *Sancimus* Cod. *De Conſulibus* &c., & §. 4 Inſtit. *Quibus modis Jus Patr. pot.*, Novel. 81. præfat., L. 3. Cod.

Ubi

Ubi Senat., L. 64. in fin., & L. ult. *De Decurion.*, Gloſſa in L. *Quoties* Cod. *Ubi Senator*, Claudianus prolog. in Eutropium v. 49, & lib. 2. v. 68, Nicephorus lib. 13. capp. 1, & 4, Zoſimus lib. 2. cap. 40, Luitprandus de Rebus per Europam geſtis lib. 3. cap. 8, Cujaccius in L. 5. Cod. *De Conſul.*, Veſſenbecius in §. *Filius familias* Inſtit. *Quibus modis* &c., & Bullengerus lib. 3. cap. 1, ac præter inſignia, quæ ferme erant S. Petri Vexillum, Claves, Gladius, Circulus aureus pro Corona, Talaris amictus, Chlamys, Aurati calcei, de quibus fuſe Gentilius poſt alios lib. 3. cap. 5, honoris purum, ullius abſque Juriſdictionis parte, titulum prætuliſſe, cum Bignonio in Not. ad Marculfi Form. lib. 1. cap. 35, & Guthero cap. 14. ibidem docet Gentilius. Devaſtatæ igitur a Langobardis Italiæ, deque ipſius reſtituenda incolumitate nihil cogitantibus Græcis Imperatoribus, quin ad ejus poſtremum, ſi per ipſos fieri potuiſſet, incumbentibus excidium, reique Romanæ ſupremum in diſcrimen adductæ, cujuſce ſummam ejus paullo ante deceſſor S. Gregorius II. in ſe ſuſceperat, atque ideo Occidentali Imperio undique laboranti, labaſcentique remedium adferret aliquod, aliqualique, qua fieri per ipſum fas eſset, meliori proſpiceret ratione, atque in priſtinum, ſi per Superos liceret, imo ſplendorem, decuſque redintegraret, in operis adjutorium potentiſſimos Francorum Reges ſibi adhibendos, ſtatimque adcerſendos exiſtimavit, advertitque S. Gregorius III. Is omnium itaque primus, una cum Clavibus Sepulcri S. Petri, ejuſque Vinculorum fragmentis, atque Vexillo, litteris, atque Legatis, (unde Nunciorum in Gallia mos inductus viris Doctis viſus,) ad Carolum Martellum Majorem Domus ſemel, & iterum miſſis, qua de Legatione Anaſtaſius Bibl. in Gregorio III, Gothofredus in Chron., Sigonius de Regno Ital., Romanum Conſulatum eidem detulit, ut habent Annaliſta Metenſis ad an. 741, & Continuator Fredegarii cap. 110, ea lege adjecta, ut Romanorum partes tam adverſus Græcos ſchiſmaticos, a quibus ſpes nedum auxilii decollarat omnis, ſed in Italiam atrox, immaniſque cogitabatur impreſſio, adverſus Langobardos barbaros, qui tantum abeſt, ut ab Italiæ vexatione, infeſtationeque ſibi temperandum denique ducerent, ut potius Urbem ipſam Principem armis diripien-

piendam jamdiu, & quotidie ſibi propoſuerant, adjuvandas ſuſciperet. Atque a Carolo Martello plane Legatione miſſa Luitprandus Romana quamcitius excedere ditione juſsus, ceſsareque a moleſtia Romanæ Urbi inferenda legitur apud Sigonium de Regno Ital. lib. 3. ad an. 739, p. 180. edit. Mediol. 1732. Tom. 2. corrigendum in hac temporis conſignatione, ſiquidem Legatio iſta contigerit an. 741, qua de re ipſius diligentiſſimus Annotator Joſephus Ant. Saxius, & ante ipſum Pagius ad an. 740. n. 6. Carolo Martello Conſulatum a Rom. Pontifice conferri non potuiſse cenſuit Cointius in Annal. Franc. ad an. 741, quod tum temporis Conſulatus Imperium præſeferret. Neque magis conferri Patriciatum quiviſse contendit Gronovius in Not. ad Grotium de Jure B., & P. lib. 2. cap. 9. §. 11, quod jus illud neque Pontifici, neque Populo ineſset, ſed unius Imperatoris. At egregie fallitur uterque, Cointius utique, nam ut oſtendit Pagius ad an. 740. n. 5, præterquam quod duplicis generis Conſules erant, perpetui, cujuſmodi erant Imperatores, ac temporarii honoris gratia ad ſtatum tempus ſuffecti, cujuſmodi erat Thomas quidam apud Continuatorem Theophanis p. 440, tum temporis Conſulum nomine Patritii veniebant, quo plane nomine inſignitum ab Anaſtaſio Imp. an. 508. Clodovæum Franc. Regem adfirmans S. Gregorius Turon. lib. 2. hiſt. cap. 38. ita intelligendus Hadriano Valeſio Rer. Franc. lib. 6. viſus eſt: unde non erat, cur Pagio hac de re litem intenderet Gentilius de Patric. Orig. lib. 2. cap. 10. n. 6, ac deceptum S. Gregorium Turon. ab eo dici mallet, duplicis Conſulatus diſtinctionem improbans. Eo vel magis, quod eodem Patriciatus honore, qui tum magno habebatur etiam a Regibus in pretio, ab eodem Anaſtaſio Imp. exornatus fuerit Sigiſmundus Burgundiæ Rex, S. Avito Vien. teſte epiſt. 7, ab Imper. Zenone item Odoacer, & Theodoricus Italiæ Reges apud Malchum Rhetorem in Excerpt. p. 94, Procopium de bello Goth. lib. 1. cap. 1, & Caſſiodorum lib. 8. cap. 9, Theodatus item, & Vitiges Reges Gothorum, & Childebertus Franc. Rex a Juſtiniano apud Bodinum de Republ. lib. 3. cap. 4, Freherum de Orig. Palat. lib. 6. cap. 1, Auctorem hiſt. Miſcell. lib. 16. p. 457, & 469, & Anaſtaſium in S. Silverio, Telericus Bulgariæ Princeps a Leo-

a Leone Sap. apud Landuphum Sag. lib.23, Adalgiſus Italiæ Rex a Conſtantino Copronymo, de quo Poeta Saxo, & Eginhardus ad an. 774, aliique ab aliis, de quibus ſuſe Ducangius Gloſs. To.5. edit. Ven. 1739. p.253. A Zenone demum Patriciatum honorarium Conſulatum adpellatum obſervat etiam Hottomannus ad L. 3. Cod. *De Conſulibus* &c., & Carolus M., qui a Stephano III, &Hadriano I. Patricius dictus eſt, Conſul etiam denominatus legitur a Godeſcalio in præfat. Evangel. circa an.780. apud Ducheſnium To. 2. p. 187. Igitur Conſulatus a S. Gregorio III. Carolo Martello collatus idem ac Patriciatus fuit, veluti fatetur ipſe Goldaſtus Conſt. Imp. To.1, ac Ducangius V. *Patricius*. Errat vero ſplendide Gronovius, nam ut ad oculum a Noſtris oſtenſum jamdiu eſt, ac maxime a Cl. Orſio, Fontanino, Acamio, Cennio, Auctore Obſervat. in Com. Carli librum de Orig., & Commerc. Monet. &c., Antonello de Titulis Dominii Apoſt. Sedis, Aſſemanno Ital. hiſt. Script. To. 3. cap. 6, Sandino diſput. hiſt. 17, jam tum Romanæ rei ſumma unum penes Rom. Pontificem integra ſtabat, ideoque abſque Imperatoris Orientis injuria, qui dominatione in Romanos, Italoſque propria exciderat penitus culpa, tam a Romano Pontifice conferri Patriciatus legitime potuit, quam legitime a Francorum Regibus admiſsus a nemine, niſi ab infrunito ſychophanta, negabitur. Ex quibus perinde corruit opinio Ducangii V. *Patricius* cit. To. 5. p. 254, ſeq., Boſsuetii defenſ. Decl. par.2. lib.6. cap.37, aliorumque, quibus perſuaſum fuit Pippino omnium primo a Stephano II. Patriciatus dignitatem fuiſse delatam, eamque non ſecus atque ejus filiis, ipſi delatam putat Boſsuetius ex Senatus, Populique Romani conſenſu, ejus principalis etſi pars eſset Pontifex M. Nam ex dictis patet tum primum Carolo Martello a S. Gregorio III. collatum Patriciatum fuiſse, uniuſque auctoritate Pontificis, a quo Romani ipſi, atque Itali ab Orientis Imperatoris obedientia ſoluti fuerant, inque libertatem aſserti, a quo ideo tempore jure Gentium, Belli, ac Donationis in ſupremum illud Dominium Pontifices ipſi ſubintroierant, ac primus omnium S. Gregorius II, unde Jure principali Francorum Reges Patricios facere ipſis fas inerat. Itaque Carolo Martello immatura morte prærepto an. 741, Aiſtulpho Re-

Regi tum assiduis Italiam impressionibus exagitanti, tum Romanæ Urbi excidium sæve intentanti ut occurreret Stephanus II, sive III. decessoris exemplo in Pippino, tum legatione præmissa, tum per semet in Gallias profectione adornata, præsidium constituendum sancivit. Qui reapse in Conventu apud Brennacum, & apud Carisiacum an. 754. Patriciatus una cum utroque filio Carolo, & Carolomanno dignitate a Pontifice adauctus, præsentissimus adfuit, duplicique Aistulphum bello petens, eum Urbes, & quas occupasset, restituere, & quibus inhiabat, recedere compulit, qua de re Anastasius Bibl., Auctor 2. Append. ad Continuat. Fredegarii, Annalista Fuldensis ad an. 754, ac luculenter ipsius Pontificis epistolæ præsertim 7, seqq. in Cod. Carolino ad Pippinum, & Pippini ad ipsum, adeundique Nicolaus Alemannus de Lateran. Parietinis cap. 11, Mabillonius de re Diplom. lib. 2. cap. 3, & Supplem. cap. 9, Gutherus de Offic. Domus Aug. lib. 2. cap 19, Petrus de Marca de Concord. lib. 1. cap. 12, Pagius ad an. 754. n 8, 755. n. 1, & 756. n. 2, Hofmannus in Lex. V. *Patricius*, Magerus de Advocatia armata cap. 5. n. 285, seq., aliique passim. Desiderio perinde ferro, flammaque Italiam undique devastanti objiciendum sibi rati cum eumdem Pippinum S. Paulus I, & Stephanus III, sive IV, tum Carolum M. deinde Adrianus I, & S. Leo III, litteris, Legatisque missis, ac Vinculorum fragmentis una cum Vexillo, confirmataque Patriciatus utrique dignitate, atque in Filios utriusque adoptione facta, præsentissimo ambòs auxilio experti sunt: qua de re, præter horum Pontificum litteras in Cod. Carol. descriptas, abunde fidem liberant Annales Franc., & Anastasius. Quo loci tum Stephanum II. in epist. 8. ad Pippinum, tum Anastasium Bibl. in eodem Pontifice, tum Auctorem 2. Append. ad Contin. Fredeg. de Aistulpho conquerentes, quod loca a Pippino donata S. Petro *S. Dei Ecclesiæ, & B. Petro, vel Reipublicæ Romanorum* reddi passus ille non fuisset, accipiendos de restitutione Romano Imperio facienda putantes Cointius ad an. 754. n. 80, Marquardus Freherus in Corp. Franc. hist. vet. in marg. ad Auctorem 2. Append. ad Contin. Fredegarii, Muratorius in plena Exposit. Jur. Imper. &c. cap. 1. p. 25, seqq., & Comes Carli de Orig. Monet. dissert. 2. To. 1. §. 5, valide refelluntur a Pagio ad an.

an. 755. n. 2, & 756. n. 2, a Fontanino in defenſ. 1. Domin. A. poſt. Sed §§. 98, & 101. p. 258, & 265, ac Defenſ. 2. §§. 6, & 7. p. 54, ſeqq., & a Dominico Georgio in Append. ad Adnotat. in Baronium To. 12. edit. Lucen. 1742. ad an. 743. p. 669, ſeq., ab Antonello lib. cit. p. 4, ab Auctore Obſerv. in Com. Carli lib. 2. p. 54, ſeq., nempe litteris Stephani II, ſive III. in Cod. Carolino n. 8, & 9, S. Pauli I. n. 24, ſeqq., quibus Romanæ Reipublicæ & Populus *Noſter*, & Civitates *Noſtræ* ab utroque Pontifice adpellantur, atque *Nobis* reſtituendæ Exarchatus Urbes dicuntur, quæ Romanorum reſtituendæ Reipublicæ eſsent. Anaſtaſii Bibl. in Stephano II. teſtimonio, quo tradit Pippinum Græco Imperatori Exarchatum repetenti reſpondiſſe eumdem jam a ſe in poteſtate B. Petri, ac Pontificis Rom. jure poſitum, quod ipſum Stephano II, & S. Paulo I. ab eodem Pippino jam fuiſſe promiſſum ex utriuſque litteris patet; & in Hadriano I, ubi a Carolo M. Deſiderium ad reſtituendum Eccleſiæ Rom., & S. Petro Exarchatum fuiſſe compulſum refert. Ludovici Pii, Othonis I, S. Henrici II. &c. Diplomatibus apud Gretzerum de Imp. in Sedem Apoſtol. munific. p. 17, ſeqq., quibus in perſona Rom. Pontificis donationes a Pippino, & Carolo M. factas S. Petro confirmant. Hadriani I. epiſtola 59. Cod. Carol., qua Rom. Reipublicæ Populum *Noſtrum* denominat, ac Johannis VIII, qui epiſt. 54. ad Lambertum Spolet. Ducem, 88. ad Ludovicum Ducem Bajoariæ, 128, & 131. ad Berengarium Forojul. Ducem, & 308. ad Supponem Piceni Comitem de Rom. Reipublica ita loquitur, velut de ea, cujus Pontificatus ſumma penes ſe ſtaret. Atque id adeo verum Petro de, Marca de Concord. lib. 1. cap. 12. n. 3, & Ludovico Thomaſſino vet., & nov. Diſcipl. p. 3. lib. 1. cap. 29. n. 7, ſeq. viſum eſt, ut Exarchatus reſtitutio quin S. Petro, ſive Rom. Pontifici facienda a Pippino fuerit promiſſa, non vero Imperio Romano, atque Romanæ Reipublicæ nomine quin Pippino Rom. ipſe Pontifex venerit, ſive Eccleſia S. Petri, in cujus jamdiu corpus illa concreverat, ne levi quidem dubio, ſuſpicionique locum relinqui, fateatur, ac profiteatur uterque. De ſequentibus demum Imperatoribus, Carolo Calvo, Othone I, Henrico III, IV, & V, Lothario, Conrado &c., qui de eadem Patriciatus dignitate Rom. a Pontifice con-

sequenda fuere solliciti, vel de consequuta plausum sibi fecere, vide Ducangium To. 5. p. 256, seq. V. *Patricius*, & Gentilium lib. 3. cap. 4.

Jam vero quid juris, officiique Patriciatus hic Rom. a Pontificibus conferri solitus præseferret, si a me quæras, præsto respondeo potissimum cum dignitate prætulisse jus defensionis, ac protectionis R. Ecclesiæ adversus tam publicam, quam privatam vim: atque ita persuasum fuit Viris Doctiss. Nicolao Alemanno de Lateran. Pariet. cap. 11, Joh. Garnerio in Not. ad lib. Diurn. cap. 1. tit. 3. p. 4. ea dignitate vocatum dumtaxat Patricium ad Sanctius Imperatoris consilium adnotanti, Pagio Sen. ad ann. 796. n. 4, seqq., Natali Alexandro hist. Eccl. ad Sæcul. VIII. cap. 1, Petro de Marca lib 1. cap 12, & lib 6. cap. 11, Magero de Advocat. Arm. cap. 5. n. 161, seqq., Joh. Franc. Baldino in Not. ad Anastasium in Stephano III, Pagio Jun. in Leone III, Pichlero hist. Imp. cap. 5. q. 5. p. 141, seq., Gentilio de Patric. Orig. lib. 3. cap. 2; Quin etiam ipsismet Imperialis juris ardentioribus amplificatoribus, Lupoldo de Babenberg de Jure Regni, & Imp. Rom. cap. 4, Andreæ Knichen in Polit. perveslig. ad Rom. Imp. auctocrat. cap. 1. n. 257, Everardo Ottoni de Jure publ., & priv. dissert. 1. cap. 2. §. 9, &c. Constat id vero 1. Ex litteris S. Gregorii III, Stephani II, S. Pauli I, Stephani III, Hadriani I, & Leonis III. in Cod. Carol., quibus a Rom. Pontificibus ea dignitate Francor. Reges ad defensionem Rom. Ecclesiæ, ob amorem dumtaxat S. Petri, adlecti, sollicitatique conspiciuntur. 2. Ex Formula Ritus, quo constitui olim Patricii solebant apud Paulum Diac. hist. Langob., Cassiodorum Var. lib. 3. epist. 9, Mabillonium Annal. Bened. lib. 23, Pagium ex Vatic. Ms. eam referentem ad an. 740. n. 6, Ducangium V. *Patricius*, Ecchartum Franc. Orient. Tom. 1. p. 383, & Gentilium lib. 2. cap. 2. n. 7, ubi de una protectione impendenda a Patricio fit sermo. 3. Ex Litteris Pippini, & Caroli M. ad prælaudatos Rom. Pontifices, ex Caroli M. Constitutione adversus Felicem, & Elipandum apud Goldastum Tom. 1. ad an. 794, litteris apud Alcuinum 84, seq., Capitulari I. an. 769. apud Baluzium Tom. 1. p. 189, Aquisgranensi an. 789, Diplomatibus apud Dublettum, Ughellum, Purricellum, Baluzium, Mabillonium, Mar-

Martenium, Heumannum &c., quibus uno ſolo *Defenſoris S. Dei Eccleſiæ, aut Patricii Romanorum* titulo ſemet inſignit, & gloriatur. 4. Ex Inſtrumentis diviſionis Regni peractæ ſive a Carolo M., apud Baluzium Capitul. Tom. 1. p. 439, & Pagium ad an. 806 n. 4, ſeq., ubi diviſionis hujuſce Chartam legitimam poſt Baluzium Tom. 2. p. 1068, Cointium, & Mabillonium Analect. Tom. 4. p. 34. oſtendit, ſive a Ludovico Pio apud Baluzium To. 1. p. 685, Goldaſtum Conſt. Imp. Tom. 1, & Pagium ad an. 838. num. 3, ſeq., quibus Caroli Martelli, & Pippini exemplo, una Romanæ Eccleſiæ defenſio impendenda filiis, jure veluti Patriciatus hæreditario, ab utroque Rege enixe demandatur. Quo de argumento fuſius infra. Nihilominus una cum Patriciatus dignitate Francorum Regibus adquiſitum Jus Romanæ Urbis, ac Romani Ducatus adminiſtrandi cum Pontifice, qui Pontifex imo ab ipſis Francorum Regibus in Patriciatus conſortium admiſſus fuerit, opinio eſt Petri de Marca de Concor. lib. 3. cap. 11. n. 6. Eo viciſſim in errore verſatur Joh. Georgius Ecchartus Comment. de rebus Franc. Orient. Tom. 1. lib. 25. §. 38. p. 737, ſeqq., quod duo quidem ab eo tempore Patricii audirent, ſed unus Romæ, Pippinus nempe, Ravennæ vero alter, nempe Pontifex M. Sententiam porro ſuam Petrus de Marca duabus ſuffulcit epiſtolis in Cod. Carolino 15. S. Pauli I, & 36. Populi Romani ad Pippinum, quibus utrique Pippino æque, atque Pontifici *Fidelem* ſe Populus Romanus profitetur, atque *Fidelem* & S. Petro, & ipſi Pippino futurum, ſive in *Fide* cum S. Petri, tum Pippini Romanum Populum manſurum idem S Paulus pollicetur. Quam ſententiam Ecchartus pejori errore oppugnat, quod nempe dum Rom. Populus fidei Pontificis commiſsus auditur, de fide quoad ſpirituale Regimen accipi dictum oporteat; dum ſe fidelem Pippino viciſſim profitetur, de fidelitate quoad Regimen temporale intelligi debeat, itaque duo perperam Romanos Patricios diſtingui a Petro de Marca concludit. Suam viciſſim opinionem Hadriani I. epiſt. 85. Cod. Carol. ad Carolum M., qua rogat etiam, atque etiam, ut ſicuti Patriciatum Romanum in navatæ pretium operæ Avo, Patri, ipſique collatum, integrum conſervare ipſe Pontifex ſtudebat; ita viciſſim ipſe Ravennæ Patriciatum ſibi Pontifici,

tificî, ſive S. Petro factum, tectumque ſervare curaret. Longe procul ab vero aberrant Franciſcus Junius de Translat. Imperii, Meurſius in Lex. Græco-Barbaro V. *Patricius*, Goldaſtus Conſt. Imp. Tom. 2. ad an. 774, Hofmannus in Lex. Univ. V. *Patricius*, Heumannus de re Diplom. To. 1. cap. 2. §. 53. n. 4. p. 51. &c. perſuaſum habentes in Francorum Regibus Patriciam dignitatem non honorariam dumtaxat, neque ſolam imo Præfecturam Urbis conſpicuam fuiſſe, ſed parem Imperatoriæ poteſtati, inque Romanum ipſum Pontificem. Parum hinc abfuere Radulphus de Columna lib. de Transl. Imp., Nicolaus Cuſanus de Concord. lib. 3. cap. 3, Draco de Orig., & Jure Patric. lib. 2. cap. 6. apud Gentilium, Bebenbergius de Jure Regni, & Imp. Rom. cap. 4, & Lehmannus in Chron. Spirenſi lib. 3. cap. 24. Francorum vicißim Regibus, quatenus hujuſmodi Patriciatus honore inſignitis, Romanis a Pontificibus Reipublicæ adminiſtrandæ curam demandatam exiſtimantes. Denique Patriciatus officium cum Urbis Præfectura fuiſſe conjunctum, adeoque Francorum Principes, qua Patricios, jure temporali cum in Urbem Romam, tum in Romanum Ducatum potitos fuiſſe putant Ducangius in Gloſſario V. *Patricius*, Mabillonius de re Diplom. lib. 2. cap. 3, Everardus Otto de Jure publ., & priv. diſſert. 1. cap. 1. §. 8, Gutherus de Offic. Dom. Aug. lib. 2. cap. 9, Petrus dela Lande in Suppl. Concil. apud Labbeum Tom. 8. p. 556. &c. Opiniones aſt enim has abnormiter a vero, rectoque abhorrentes prorſus evertunt viri doctiſſimi, Petri de Marca, & Eccharti Pagius ad an. 789. n. 8, ſeq., & Pichler hiſt. Imp. cap. 5. q. 7. num. 20. p. 145, ſeqq.; Junii, Meurſii, Goldaſti, Hofmanni, & Heumanni Gretzerus Obſervat. ad Codinum Curopalatam de Officiis, & Official. Eccl., & Aulæ Conſtantinopolit. lib. 3. cap. 17. p. 289. edit. Pariſ. 1625, Ducangius in Gloſſar., Everardus Otto cap. 2. §. 8, Nicolaus Alemannus de Later. Pariet. cap. 11; aliorum denique Gentilius lib. 3. capp. 6, & 7, & Blancus de Polit., & poteſt. Eccleſ. Tom. 2. lib. 5. §§. 2, & 3. Et certe tam fruſtra excogitatos fuiſſe vel duos Patricios, vel Patriciatum in duplicem diſpertitum, quam Francorum Reges Patriciatus inſigni vel ſeorſim totam Reipublicæ Romanæ adminiſtrandæ provinciam ad ſe rapuiſſe, vel cum Pontifice in adminiſtrationis partem

rem admiſſos fuiſſe, ſed unum penes Romanum Pontificem Romanæ rei ſummam integram ſtetiſſe, ideoque Francorum Principes uno Patricii nomine, dignitateque eum Protectionis, ac defenſionis jure conjuncta, adjecta in filios adoptione, pro amore S. Petri, fuiſſe contentos evincunt ſequentia. 1. Ex Epiſtolis 3, 4, & 5. Cod. Carol. Stephani II. ad Pippinum, quibus ipſum Populi Romani Protectorem invocat, ſuum vero Populum eumdem adpellat, quis æqui, bonique æſtimator, obſecro, tuto non arguat jam tum Romanum in Populum jure Principatus unum Pontificem fuiſſe potitum, atque iſtius ad Juris tuitionem tum adverſus Græcos, tum adverſus Langobardos, tum adverſus Romanos ipſos aliquando rebelles, Francorum Reges tanquam Advocatos, & defenſores plus vice ſimplici fuiſſe accerſitos, ideoque Patricii dignitatem in ipſis defenſionis, & advocatiæ dumtaxat jus prætuliſſe? Et certe S. Gregorius III. Carolum Martellum, & Stephanus II. Pippinum pro auxilio rogantes, coſque Patriciatus inſignibus exornantes, non Urbis, Ducatuſque Romani dominium illis obtuliſſe leguntur, ſed unius S. Petri religionem in conſpectu poſuiſſe, ipſiusque S. Petri ideo ad redintegranda jura, in Exarchatum præſertim, ſollicitaſſe: ipſos vero Principes unius Principis Apoſtolorum reverentia, & amore, non item temporalis Dominii adquirendi ulla habita ratione, Patrocinio adfuiſſe, ereptumque Langobardis Exarchatum in S. Petri, ſive Rom. Pontif. jus transfundere religioni duxiſſe indubium eſt. 2. Ex Senatus, Populique Romani ad Pippinum epiſt. 36. Cod. Carol., qua pridem ab ipſo admoniti de officio erga Paulum I. P. M impendendo reſpondent, ſe jugiter in Pontificis fide permanſuros, *Nos*, inquientes, *firmi, ac fideles Servi S. Dei Eccleſiæ præfati ter Beatiſſ., & Coangelici Spiritualis Patris Veſtri, Domini Noſtri Pauli Summi Pontificis, & Univerſalis Papæ confeſſimus*. Eò itaque tota Pippini intentio, & Populi Romani proteſtatio collineabat, ut Pontifici in Reipublicæ ſupremo regimine & ille adeſſet ope, quin ullam ad ſe regiminis raperet partem, & iſte non deeſſet obedientia, quin ad priſtinam adſpirare libertatem auderet. Junge & Pauli ad eumdem Pippinum, & Stephani III. ad ejuſdem Pippini filios epiſtolas, quibus S. Petri nomine, ut eidem a Langobardis ablata bona reſtituenda curarent, eoſdem efflictim

ctim obtestantur, & obsecrant, deque Populo Romano tanquam sibi subdito, & de Romano Principatu, Exarchatuque Ravennate loquuntur tamquam suo, sive S. Petri proprio. 3. Ex Hadriani epistolis in Cod. Carol. 46, 49, 51, 52, 54, 56, 58, 69, 76, 78, 85, 90. &c. ad Carolum M., quibus indesinenter instabat, ut fidem demum cum ab ipsius Parente, tum ab ipso S. Petro vice plus simplici desponsam integre, pro virili, liberarer, atque Principatus in Italia tam superiori, quam inferiori S. Petro devotos pervasorum manibus ereptos in S. Petri supremum jus tandem transcribere non moraretur. Nominatim vero de Exarchatu Ravennate, quem S. Petri peculiarem Patriciatum nominat, differens Carolum admonet, ne Pontifice inscio, aut invito quempiam ex subditis temporali Dominio S. Rom. Ecclesiæ apud seipsum recipiat, ac bonis S. Petro semel oblatis oneris quidpiam imponere tentet, contestatus, si hæc ipse præstiterit, operam vicissim ab se impendendam omnem, ne ipsi de Patriciatus honore quidpiam deperiret. Rogo vero, indicia sunt ne ista potestatis, qua Carolus M. administrandæ Reipublicæ una cum Rom. Pontifice, aut imo per semet seorsim, polleret, an magis Dominii cum in Romanum Ducatum, tum in Exarchatum Ravennatem, quo unus integre potiretur ipse Pontifex? Neque movere quempiam debet, quod Pontifex Carolo M. Patriciatum Romanum conservandum promittens, vicissim Patriciatum Ravennæ S. Petro donatum sibi conservari petierit. Nam Patriciatus Romani nomine dignitatem veniisse, ac Protectionis jus dumtaxat, integro apud Pontificem dominio manente, ex dictis patet. Patriciatus vero Ravennatis nomine intelligi dabatur Exarchatus, quem S. Petro redintegrandum curaverant Pippinus, & Carolus M., atque ita plane intelligi debere id ostendit, quod Patriciatus S. Petri denominetur, cujusmodi esse, nisi Exarchatus nequibat. Qui Exarchatus ideo Patriciatus nomine denominandus Hadriano videri potuit, quod Ravennas Exarcha Patricius semper esset, ut liquet ex libro Diurno Rom. Pontif. cap. 2. tit. 2, & 4, atque ut comparationis vis Carolo M. magis adpareret in voce Patriciatus, quem alter alteri tuendum proponit. Ad hæc in epist. Apolog. pro Sacris Imaginibus apud Baronium ad an. 794. n. 50, seq., & Harduinum To. 4. p. 820.

p. 820. S. Petri optatiſſimam defuturam Protectionem nunquam Carolo M. pollicetur, modo ipſe promiſſorum viciſſim haud immemor pro integra bonorum, juriumque S. Romanæ Eccleſiæ reſtitutione adlaborare non deſineret. Junge Leonis III. epiſtolas 3, 7, & 12. inter alias ad Carolum M., quibus obſecrat, tum ut Romanos in ſe rebelles compeſceret, & ad ſibi debitam obedientiam dependendam adigeret, tum Saracenos ab Agri, Principatuſque Romani devaſtatione procul arceret, tum Ravennates ad bona, quæ uſurparant, fiſco reddenda Apoſtolico compelleret, neque prætermittens ejuſdem conqueri de Miſſis, quod pleraque, quæ fas non eſſet, & pluſquam eſſet fas, ſibi arrogare tentarent. Conſer & Pagium ad an. 799. n. 3, ubi ex una Alcuini epiſtola 11. ad Carolum M. contra Petrum de Marca, & Cointium rite duo deducit, eo tempore Orientis Imperatores Romæ, & Italiæ dominio jam excidiſſe, Romanæ vero Urbis, ac ditionis ſupremum Jus, ac dominium non apud Franc. Reges, ſed unum penes Rom. Pontificem integrum ſtetiſſe. Certe Petrus ipſe de Marca fatetur de Conc. lib. 3. cap. 11. tum abſque dubio Pontifices Romanæ Urbis dominio temporali potitos cenſeri debere, quo *Domini Noſtri* nuncupatione a Romanis denominari cœpere, primumque, qui hoc nomine fuerit adpellatus, Leonem III. fuiſſe putat, conjectura ducta ex Triclinii Lateran. inſcriptione, nec non ex Numiſmate relato a Nicolao Alemanno de Later. Pariet. cap. 2, in cujus altera facie S. Petri Imago cum Clavibus humero impoſitis conſpicitur, in averſa vero hæc legitur inſcriptio: *D. N. Leoni Papæ*, quem tertium eſſe non dubitat. Itaque quum S. Paulus I. eo nomine fuerit adpellatus in præcit. epiſt. Senatus, Populique Romani, atque ante Leonem III. eodem nomine inſignitus legatur Hadrianus I. in Charta privilegii, quo Monaſterio Sandionyſiano proprium habendi Epiſcopum facultatem an. 786. impertiit, apud Harduinum To. 3. p. 2021, ſeq., palam fit inde Pontifices, & quidem ante Leonem III. Romani Ducatus, & Urbis dominio potitos: cujuſmodi dominium confirmant Nummi, non ille quidem Leoni III. a Nicolao Alemanno, a Petro de Marca, a Papebrochio in Conat. in S. Leone I. §. 47. n. 5, & a Pagio ad an. 896. n. 6, tributus, quem imo pejus S. Leoni I. tribuendum arbitratus eſt olim Baronius.

nius ad an. 461. n. 12, qui Leonis VIII. Pseudo-Pontificis fuisse ostenditur a Floravante de Antiquior. Pontif. Rom. Denariis pag. 78, neque ille perinde an. 1607. in media Nave vet. Vaticanæ Basilicæ subtus terram inventus, S. Petri quidem Clavibus, ac Vultu Salvatoris insignitus, sed ullis absque litteris, ac S. Gregorio II. adscriptus ab Auctore doctiss. Observat. adv. Comitem Carli dissert. 2. de Orig., & Commer. Monet. &c. lib. 3. §. 23. p. 158, seqq., sed S. Gregorii III, cui restituendos duos Nummos, quorum alter S. Sergio I. ab Oldoino in Addit. ad Ciaccon. To. 1. p. 492, & a Baertio, & Janningo in Addit. ad Conat. Chron. Papebrochii §. 86. in S. Sergio tributus fuerat, alterum vero produxit Ficoronus inter Plumba antiq. p. 1. cap. 23. n. 5, idem Auctor cit. lib. 3. §. 25. p. 163, seqq. ostendit; S. Zachariæ duo apud Mabillonium Itin. Ital. To. 1. p. 18. n. 6, & Oldoinum ad Ciaccon. To. 1. p. 524, de quibus præcit. Baertius, & Janningus in S. Sergio I, Fontaninus Defens. 1. cap. 21. p. 72, & Auctor Observat. §. 29. p. 178, seqq., & Comes Jacobus Acami de Orig. & antiq. Pontif. Offic. Monetariæ §. 1. p. 8, seq.; Hadriani I apud Vignolium, & Floravantem de Antiq Denariis Pontif. Rom. par. 1. p. 1, & Baldinum in Not. ad Anast. edit. Vignol. To 2. p. 375, in quo inscriptionem *Victoria X. D. N.*, non ad Græcum Imperatorem referendam, ut perperam a Muratorio Antiq. Ital. dissert. 27, & Blanco de Polit., & potest. Eccles. To. 2. p. 176, relata fuerat, qui tum Constantinus Copronymus audiebat, sed ad Christum D., cujus Crux in Nummo exprimitur, ostendunt Cennius in Not. ad cit. dissert., Auctor Observat. cit. lib. 3. §. 33. p. 190, seq., & Acamius cit. dissert §. 2. p. 18, non secus atque simile in Benedicti III. argenteo Nummo lemma ad Christum D. referendum ostendit Garampius dissert. eo de Nummo in Admonit n. 1. p. 152, seqq., & Autocratiæ, sive Pontificiæ ab Imperatoribus independentis auctoritatis indicium esse concludunt, neque fuisse perinde, cur de Nummi Hadrianei integritate dubium induceret Muratorius in Expos. plena Jur. Imper cap. 6: quo demum ex Nummo, non secus atque ex laudatis mox SS. Zachariæ, & Gregorii III. corrigendus sane venit Anonymus Scriptor vitæ Hadriani I. apud Mabillonium Mus. Ital. To. 1. par. 2. p. 39, adfirmans

ea

ea adhuc ſub ætate Græci Imperatoris poteſtati obnoxiam fuiſſe cum Urbem Romam, tum nonnulla Italiæ Caſtra: quamquam Scriptorem illum loquutum de Græci Imp. dominio ſub S. Gregorio II. rite obſervat Cl. Fontaninus Defenſ. 1. Domin. Apoſt. Sed. par. 4. cap. 103. p. 265, ſeq. edit. Rom. 1713. Sequuntur Nummi Stephani IV, S. Nicolai I, Johannis VIII. apud Vignolium, & Floravantem de Antiq. Pontif. Rom. denariis par. 1. p. 23, Fontaninum Defenſ. 2. Dom. Apoſt. Sed. par. 1. cap. 21. p. 73, & le Blancum in Tract. hiſt. de antiq. Franc. Monet. p. 108. n. 5, cujus poſtremi Johannis VIII. nempe jungenda pariter epiſtola 85. ad Berengarium, ubi liquido tradit jampridem Rom. Pontifices Urbis dominio potitos; Johannis IX, Stephani V, Benedicti IV, Sergii III, Anaſtaſii III. apud Vignolium p. 49, 56, Fontaninum loc. cit., Garampium p. 156, ſeq., Argelatum de Monet. Ital. T. 3. Append. p. 64, ſeqq., Muratorium antiq. Ital. diſſert. 27; Johannis XI, de quo Vignolius par. 1. p. 67, ſeq., & Muratorius loc. cit., Leonis non VI, ut ibid. Muratorio viſum eſt, ſed VII, ut cenſet Auctor Obſervat. adv. Com. Carli lib. 3. § 41. p. 219, Johannis XII, Leonis VIII, Pſeudo-Pontificis, Benedicti V, Paſchalis II, Sergii IV. &c., apud præcit. Fontaninum p. 74, ſeq., Vignolium par. 1. p. 73, ſeqq., Floravantem par. 2. p. 3, ſeq., Muratorium &c., in quibus omnibus Nummis cum S. Petri, aut S. Pauli nomine, præfat. Rom. Pontificum nomina, diverſis cum inſignibus adparent, ulla abſque Patriciorum, aut Imperatorum mentione: quod indicium eſt liquidum unum penes Pontificem a S. Gregorio II, ac deinceps Urbis Imperium ſtetiſſe.

Sed enim Goldaſtus, a quo duo, quæ profert Conſt. Imper. To. 2. ad ann. 774, & poſt ipſum Lunig Cod Diplom. To. 1. n. 1, & 3, Senatus Conſulta, Populique Rom. de Patriciatu collato Carolo M., atque Othoni I. ad fabulas amandanda ex unanimi Scriptorum de iis ſilentio demonſtrat Gentilius lib. 3. cap 9, Conringius, Ecchardus Rer. Franciæ Orient. To. 1. lib. 25. §. 86. p. 771, le Blanc in Tract. hiſt. de antiq. Franc. Monet., & in Diſſert. hiſt. de Monet. Gallice editis Amſtel. 1692, ubi cap. 8. p. 72. pugnare non eſt veritus ab anno 755. uſque ad an. 1143. Romanæ Urbis Imperio Occidentis Imperatores fuiſſe potitos, tumque primum

mum ab Innocentio II. conatum impendi prorsus omnem cœpisse, ut illud ad se raperet; Joh. Clericus Bibl. Select. To.20. p. 196. Vignolii documentis se vinci non passus; Pagius, qui postquam ad an.796. n. 4, seq. adversus Petrum de Marca, & Comtium jam sub Stephano II, ante Leonem III, Urbis Romæ dominio Græcos excidisse, nec in eo sane successisse Francos, sed unos supremos Urbis Dominos Rom. extitisse Pontifices defenderat, a le Blanco postea in errorem pertractus ad an.823. n. 1.,& 3, & 875. n.1. adserere non dubitavit, Imperatores Francicos præter defensionem, & protectionem Ecclesiæ, supremo dominio in Urbe potitos fuisse ex concessione Pontificum: quem ideo a Vignolio p. 16, seq. redargutum frustra Pagius Jun. in Paschali I. censura redimere studuit, a Pagio seniore adstruens scriptum, quod a Paschali I. supremum Urbis dominium Lothario Imp. fuerit delatum: quippe si ex Monetis sub Lothario cusis Ant. Pagius arguit, (ut de Pauli Diaconi testimonio nihil dicam, quo moveri certe haud debebat, utqui Lothario a Paschali eam dumtaxat, qua prisci fruiti Imperatores fuerant, potestatem super Populum Rom. fuisse largitam adfirmat, quod plane de Advocatiæ, ac Protectionis jure dumtaxat accipi tam debet, quam rite potest), arguit, inquam, in Lotharium a Paschali I. dominium Urbis fuisse transfusum, ex Nummis similiter Caroli M., ac Ludovici Pii nomine Romæ insignitis arguere debuisset, jam tum penes eosdem Principes rei Romanæ summam stetisse; Baluzius in præfat. ad Capitul. §. 28, Fleurius ad an. 817. hist. Eccles. lib.46. §.26,& Muratorius, qui Observat. in epist. Fontanini de Dom. Apostol. Sed. cap.25. p.50. Italiæ totius dominium apud Imperatores usque ad an.1346. mansisse videtur sentire, eò quin etiam progressus in Supplici libello ad Josephum I. Imp.capp.9,11, 12, seq., & Observ. cap.41, ut post Blancum disert. cit. cap. 7. Imperialis veluti juris pervasores Pontifices nonnullos traducere videatur, atque Ital. Antiq. dissert.27, qua de Monet. offic. orig., & Monetas cudendi jure diligenter inquirendum instituit, (quo loci inter alia ex Nummis illis Pontificibus forsan jus procudendæ Monetæ Græcis ab Imperatoribus factum ariolatur; Ita nempe postquam in Romanos Imperio excidissent, Monetis cudendis præfectos esse voluere Pontifices.

Næ-

Næ qui ita nugatur), ac in Annal. Ital. paſſim Monetas Romæ cudendi jus Francos penes Imperatores ſtetiſſe docens, aut ab illis Romanis indultum demum fuiſſe Pontificibus, (quo tamen de indulto in Epiſtolis 99. Cod. Carolini ne γρὺ quidem, leveque indicium adparet), hi, inquam, omnes ea in opinione verſantur, ut de præfatis Nummis aut dubitent, aut illos non Pontificios, ſed Imperatorios fuiſſe confidentiſſime pronuntient, quibus ideo Imperatorum dominium in Urbem Romam, Romanumque Ducatum detur intelligi, devotioniſque gratia dumtaxat Papæ nomen aliquibus inſertum. Contra quos, uti modo dicebamus, non Imperatorios, ſed Pontificios fuiſſe Nummos illos pugnant Vignolius, Floravantes de Antiq. Rom. Pontif. denar., Fontaninus Defenſ. 1. Domin. Apoſt. Sed. cap. 108. p. 274. edit. Rom. 1713, & Defenſ. 2. cap. 21. p. 72, ſeqq., Pagius Junior in Leone III, & Paſchali I, Garampius de Nummo arg. Benedicti III. cap. 4. n. 3, & in Admonit. ad Tabul. Num. p. 152, ſeqq., Cennius Ephem. Rom. an. 1746. Art. 10, in Not. ad Murat. diſſert. 27, Catalanus in præfat. ad Tom. 4. Murat. Annal. ipſius Tom. 1. p. 57, ſeqq., & 87, ſeqq., Auctor Obſervat. in Carli lib. de Orig., & Comerc. Monet. lib. 3. §. 22. p. 155, ſeqq., Comes Jacobus Acami de Orig., & antiq. Offic. Monet. Pontif. adverſus eumdem Carli §. 2. p. 17, ſeqq. &c. Ab hac utraque alteram induit opinionem Janus Raynaldus Comes Carli libro de Orig., & Commer. Monet. &c. To. 1. diſſert. 2. §. 5. de Pontificia Moneiali Officina ſermonem inſtituens, nempe Nummos illos neque Imperatorios, neque Pontificios habendos eſse, ſed Senatorios, ideſt Senatus juſsu cuſos, apud quem ab an. 728. a Græcorum Imperio ſubductum Imperii Romani ſummam iterum revocatam integram ſtetiſse putat uſque ad an. 800, quo ad Carolum M. Imperatorem electum Imperii adminiſtratio translata fuerit: quam etſi uſurpare tentaverit Johannes XII, fruſtra tamen conatum ei omnem ceſſiſse, ſed penes Imperatores qua Francos, qua Germanos illam manſiſse intactam uſque ad an. 1198, id-ſt uſque ad Innocentium III, cui fidelitas jurata primum legitur a Petro Urbis Præfecto apud Card. Aragonium in vita Pontif. Rer. Ital. Tom. 3. p. 487, quum antea fidem Imperatori obligare ſuam Præfecti ſolerent. Carli porro in ea-

dem quoque opinione de Nummis plerisque Senatus Rom. auctoritate, nomineque percussis præivera t le Blanc in cit. dissert. hist. p.74, inde arguens Imperii summam tum temporis apud Senatum stetisse. Huic igitur Carlius opinioni infixus Nummos illos aut Pontificibus aliis, quam vulgo putetur, fore tribuendos, aut alio, quam fuerit persuasum, tempote fuisse procusos, ostendere adgressus, præteritis iis, qui SS. Gregorio III, & Zachariæ tribui solent, quos incompertos sane habuit, Nummum Hadriani I. percusum vult ante Caroli M. inaugurationem; Stephani IV. peræque, aut potius Stephano V, aut VII. tribui posse, aut debere, quod visum quoque Muratorio cit. dissert. 27. fuerat; Nicolai I. restituendum esse Nicolao II, sub quibus tribus nullus fuit Imperator: sub Johanne IX, & Benedicto IV. vacasse, Imperium; Sergii III. esse potius Sergii IV, sub quo Imperium similiter vacans erat; Leonis VIII. denum Nummum, qui nota caret Imperatoris, subdititium esse. Itaque vacante Imperio, non fuisse, cur Nummis illis Imperatoris nomen adponeretur. At enim quid, vicissim rogo, caussæ fuit, ut Apostolica vacante Sede Monetæ Romæ cum solo Imperatoris nomine non fuerint cusæ, siquidem omnes Senatus jussu procusas existimet? Eccur denuo Monetis suo jussu procusis Notam SC., ut potestatis, qua tum fruebatur, indicium esset, adjicere Senatui cordi, curæque non fuit? Sed de hisce post ea, videndus interea Doctiss. Auctor Observ. lib. 3. §. 46. p. 339. Tamvero Blancus, & Carli, quam Pagius, Muratorius &c. suam de Nummis Imperialibus, aut Senatoriis, non vero Papalibus opinionem sustulcire satagunt Nummis illis, in quibus Imperatorum una cum Pontificum Monogrammate usque ad Benedictum VII. imprimi solebat ephigraphes, velut Caroli M. in Nummo Leonis III, de quo Floravantes p. 11, & Argelati de Num. Ital. Tom. 3. Append. p. 63; Ludovici Pii in Nummo Paschalis I. apud Blancum, & Muratorium dissert. 27; Ludovici, & Lotharii in Nummis Gregorii IV, de quibus Vignolius, & le Blanc cit. dissert. p. 75, & Tract. hist. p. 102; dubitat tamen Acami §. 2. p. 20. an fuerint Gregorii Ravennatis Archiep. in vivis sub Ludovico, & Lothario agentis, uti liquet ex Ughello To. 2. p. 346, ideo quod in his non habetur *Rome*; Lotharii in Nummis Sergii II.

apud

apud Floravantem p. 30, & Garampium p. 155, & Leonis IV. apud Floravantem p. 35, & Muratorium; Ludovicii II. in Nummis Benedicti III, de quibus Vignolius p. 37, ſeq., le Blanc p. 108, & Garampi cap. 2. n. 6, ſeq., & cap. 5. n. 1; S. Nicolai I. apud Floravantem p. 41, Hadriani II, quem le Blanc Ludovico Pio tribuit, & Ludovico II. reſtituit Vignolius p. 42; Johannis VIII. p. 45, & apud Garampium p. 156, ſeq., quem tamen eſſe Leonis III. cenſet Auctor Obſervat. §. 34. p. 195; Caroli Calvi in Nummo altero Johannis VIII. apud Vignolium, & Muratorium; Caroli Craffi in Nummo Marini I, de quo Floravantes p. 47, & Muratorius, dubium habet tamen ex defectu ſiglarum *Romæ* Acami cit. p. 20, & in Nummis Hadriani III, & Stephani V. apud Floravantem p. 49, Blancum, & Muratorium; Widonis in Num. Formoſi, de quo Floravantes p. 52; Lamberti in Num. Johannis IX. p. 56; Ludovici III. in Num. Benedicti IV. p. 59; Berengarii in Num. Johannis X. p. 66, & Garampi p. 160; Alberici Tuſciæ Marchionis in Num. Agapeti II. apud Floravantem p. 72, & Fontaninum Antiq. Hortæ p. 289; Ottonis I. in Nummo Johannis XII. apud le Blanc diſſert. p. 85, Tract. p. 88, ubi tamen Othonem III. intelligit falſo quidem, ut oſtendit Floravantes p. 75, ſeq., dubitans tamen ipſe, an Johanni XIII, & Othoni II. tribuendus ſit, non ſecus ac Muratorius; Othonis I. rurſus in Nummis Leonis VIII, Johannis XIII, Benedicti VI, & VII. p. 77, 81, & 85; Henrici III. in Nummo S. Leonis IX. p. 94. Ad hæc Muratorii cit. diſſert. 27. dubium, an poſt Heraclium, annum ideſt 640. cudi Romæ Nummi cum Imperatorum Græcorum monogrammate perrexerint, evellentes Auctores Ephemer. Florent. To. 1. par. 2. Art. 1. p. 39, ex Banduriо tres producunt Nummos Stauracii Imp. ſub Carolo M. in vivis agentis, ac Zoe, & Theodoræ Imperatr. poſt an. 1000. ex quibus arguunt tum adhuc in Urbem Romam Græcis Imperium conſtitiſſe. Errorem hunc vero egregie depectit Auctor Obſerv. lib. 3. §§. 18, & 41. p. 147, & 217, ſeq. ex Nummo altero Conſtantini Pogonati Romæ percuſſo apud Bandurium Num. Imper. To. 2. p. 693. oſtendens quidem etiam poſt Heraclium uſque ad an. 685, quo vitæ finem Conſtantinus Pogonatus fecit, ſuum Græcis in Urbem dominium conſtitiſſe, non ita deinceps ſub Leone Iſauro,

&

& Constantino Copronymo. Itaque de tribus illis Nummis, quos Bandurius ex Ducangio, hic vero ex Octavio Strada exhibuit, jure cum Bandurio dubitationem induit, Stradæ siquidem Nummos conflandi fraus cunctis perspecta jam sit: cujusmodi fraudis indicium in Nummo Stauracii est, quod nec de Metallo constet, nec eodem modo legatur nomen a Strada, & a Ducangio, neque is post Patris obitum duobus paullo amplius mensibus superstes fuerit; in Nummis vero Zoe, & Theodoræ fraus ipso conspectu statim detegitur, nam ita ornata adparet Zoe, sicut Augustæ solebant Theodosii Sæculo, in utroque Nummo vero adsunt Siglæ *Con.*, & *Rom.*, unde nescias, Romæ ne, an Constantinopoli percussi fuerint. Fortassis etiam syllaba *Rom.* in Zoe Nummis designatus est Romanus Argyrus ejus Conjux, non Romanæ Urbis Monetalis Officina. Ad omnem denique de Græcorum ea sub ætate adhuc dum in Urbem imperio evellendum scrupulum abunde sufficere debet Constantini Porphyrogenetæ sincera confessio de Thematibus lib. 2. them. 10, ubi de Urbis dominio loquens sic habet: ἰδιοκρατορίαν ἔχειν, καὶ δεσπόζεσθαι κυρίος παρά τινος κατὰ καιρὸν πάπα, juxta vers. Morelli, Roma *propriam administrationem, ac jurisdictionem obtinuit, eique proprie dominatur, qui suo tempore Papa est*. Ex hoc porro loco Petrus de Marca de Concord. lib. 3. cap. 11. n. 11. arguit Romani Ducatus, & Exarchatus Ravennatensis dominium in Romanos jam tum Pontifices, ideſt circa an. 914, quo ita scribebat Constantinus, a Franchis, quod factum putat a Carolo Calvo, atque in Johannem VIII. quidem, fuisse translatum, quod Eutropii Presbyteri Langob. testimonio confirmat. Contra Pagius recte quidem Petrum de Marca sufflaminat ad an. 875. n. 5, seqq. cum ex silentio Annalist. Fuldensis, Bertinianensis, & Metensis, qui alioqui Caroli Calvi de rebus agunt, tum ex Johannis VIII. epistolis 21, 23, 30, &c. ad Carolum ipsum, ac 26, 31, &c. ad Richildem Imperatr., quibus Imperatoris auxilium adversus Saracenos, & prædones implorat, arguens Eutropio quidem haud fidem adhibendam, falso vero a Carolo Calvo Urbis imperium in Johannem VIII. translatum credi. Eo vicissim in errore ipse versatur, quod Romani Ducatus, & Ravennatis Exarchatus dominium in Francos ipsos a Pontificibus transfusum sub Carolo Calvo perse-

ſeveraſſe credat, neque Porphyrogennetæ tam illuſtri teſtimonio ſe vinci paſſus, quin eo confiſum quoque Nicolaum Alemannum ſuggillans, quod ita ſcripſerit eo tempore, quo Imperium Occidentale vacabat, ſub quo plane Urbis adminiſtratio penes unum Pontificem ſtabat. Errorem hunc Pagii multis evertit ſane Dominicus Georgius in Not. ad Baronium an. 796. n.6. cum litteris S. Gregorii III, Stephani II, S. Pauli I, &c., tum Nummis S. Zachariæ, Hadriani I &c., de quibus ſuperius dictum, ad an. 875. n. 4. litteris Johannis VIII. 1. ad Boſonem, qua *Noſtræ Regionis* titulo Romanum Ducatum nuncupat; 7, 21, 23, 30, 32. ad ipſum Carolum Calvum, quibus *Populi noſtri* nomine Romanos vocat ad *Noſtram diſpoſitionem in territorio Romano* a Paganis, & prædonibus in tuto ponendam ut adcurrat, ac Romanæ Eccleſiæ *Defenſionem, debitamque tuitionem* adferre non differat, efflictim obſecrat; 35. ad Archiepiſcopos, & Epiſcop. in Regno Caroli conſtitutos, qua illum *Patronum, & advocatum* ab ſe electum deprædicat, 68, 72, 82, 84, ſeqq., ad Lambertum Comitem, & contra ipſum Romam, ac Romanum Ducatum *Terram S. Petri* nuncupat, intentatiſque minis ab ejus invaſione, Romaniſque inferenda moleſtia eum abſtinere jubet; litteris etiam ad Ludovicum II, & Angelbergam Imper. apud Baluzium Miſcell. To.5. p.489, quibus loca pleraque in Exarchatu Ravennate ſuis a Deceſſoribus poſſeſſa *Jure proprio* ſe retinere, & Ravennatis Urbis Claves *a Veſtiario* ſuo (cujus officium erat Veſtiarii, Theſauri, & Cimelii cuſtodia, dignitas vero inter quatuor Palatinas maximas, cujuſce mentio etiam occurrit apud Anaſtaſium in Hadriano I, in Leone III, in Stephano IV, apud Joh. Diaconum in vita S.GregoriiM. lib. 1. cap.10, alibique ſæpe apud Ducangium To. 6. p. 1447, ſeq. edit. Ven. 1740.), cuſtodiri ſcribit; decretis item Synodorum Ravennatenſis an. 877. capp. 15, & 17. in Trecenſi an inſeq. confirmatæ cap.3. ſub eodem Pontifice, Pontigonenſis, & Ticinenſis an. 876. cap. 3, quibus Romani Ducatus, & Exarchatus Ravennatenſis dominium Romano Pontifici evidenter adſertum legitur; ad an. 882. n. 2. adverſus Pagium iterum ex epiſtolis 277, 279, & 293. Iohannis VIII. ad Carolum Craſſum, quibus eumdem ad defendendam Eccleſiam S. Petri, & Juſtitiam faciendam ſollici-

tat

tat, jus Regni ab Imperatore in Ducatu Romano, & Exarchatu Ravennate exercitum infert, non idem esse Imperium exercere, atque Justitiam administrare, Defensorem agere, atque Dominio potiri, ostendit, & ad ann. 936. n. 7. Chartam venditionis Monasterio Sublacensi cujusdam Agri factæ eodem anno sub Leone VII. profert, ubi testis subscriptus legitur Andreas Monetarius una cum Leone Romæ Tabellione: unde liquet ea sub ætate jam Romæ Monetarias extitisse officinas: qua de re Muratorius Antiq. Med. ævi dissert. 28, & Auctor Observat. lib. 3. §. 41. p. 218, seq.

Ita quidem adversus Pagium. contra Muratorium vero eodem in errore versatum, quod apud Francos Romani Ducatus, atque Ravennatis Exarchatus imperium diu post manserit, documentoque sint Nummi Francorum Imperator monogrammate insigniti, principio contendunt opinionis nostræ Patroni Nummos a S. Gregorii II, ac deinceps, ætate Romæ cusos Papales ad unum omnes habendos esse, solaque honoris, ac tuitionis gratia, Imperatorum nomine aliquando insignitos. Ad hæc tuitionis, ac defensionis causa, jusdicundi factam ipsa in Urbe Romanos adversus rebelles copiam a Pontificibus ultrocitroque largiuntur, ipsosque rogatos quin etiam plus vice simplici, ut Missos suos ad justitiam faciendam properare juberent, tum quod persemet turbis compescendis, ac Tyrannis in ordinem redigendis, multoque magis procul arcendis hostium impressionibus Pontifices impares esse; tum quod cautis sanguinum, uti persæpe de capitalibus opus erat flagitiis vindictam exercere, semet immiscere nefas exputarent, velut ipsemet fateri Muratorius in Annal. Ital. ad an. 921. non dubitavit, ante ipsum vero Gerhous Præpos. Reicherspergensis in expos. Psal. 64. Pezii Anecd. To. 6. p. 1168, & 1186. observavit, *Alia sunt*, inquiens, *judicia, & negotia, quæ Spiritualis homo sedens in Cathedra Moysis per semetipsum posset administrare, alia, quæ debet sensatis laicis committere, præcipue, quæ spectant ad vindictam Malefactorum &c.*; dignus qui legatur tota hac Expositione. Et certe Benedictus XIV. de Synodo Diœces. lib. 9. cap 9. n. 10. Ecclesiarum Advocatis, & Defensoribus justitiæ dicundæ jus olim incubuisse, eosque veros fuisse Judices cum potestate coercitiva adversus potentiam Divitum, atque jurisdictionem proinde

inde Conſervatoribus fuiſse a Pontificibus collatam ex Capp. 1, & 2. *De Offic. Jud. Deleg.* in 6. docet. Quod ad ſignificandum juſtitiæ exercendæ jus Patriciis, ac Imperatoribus factum a Rom. Pontificibus, Manum in Nummis appoſitam aliquando, velut in Nummis Benedicti III, & Johannis XIII, ut nempe Poteſtas ſæcularis deſignaretur, qua in officio Populus contineretur, exiſtimat Auctor Obſerv. lib. 3. §. 49. p. 258, ſeqq. Atque ita plane Manum ſymbolum Juſtitiæ apud Septentrionales haberi liquet ex Fontaine Diſſert. Epiſt. tab. 1, & 9. apud Hickeſium Theſau. Ling. Septent. To. 3, & in Sigillo Hugonis Capeti, ideoque tertiæ Francorum Regum Dynaſtiæ Manum pro Juſtitiæ ſigno adſumptam fuiſſe obſervat Mabillonius de re Diplom. p. 421. Quò ferme recidit ejus Manus interpretatio adhibita a Garampio diſſert. de Numm. Benedicti III. cap. 5. n. 15, & Acami cit. diſſert. §. 3. p. 48, ſeq., quo pacto in Diplomate Caroli Craſſi, & ab Ivone epiſt. 190. *Obligatio hominii, juramenti, ſeu fidei per Manum datæ* memoratur, ubi & videndus Juretus in Not. Atque fidelitatis utique juramentum, Pontificibus jubentibus, a Populo Francorum Imperatores accepiſſe liquet: ita Carolum M. jubente Leone III. apud Poetam Saxon., Ludovicum Pium jubente Stephano IV. apud Theganum ipſius vitæ cap. 16, Lotharium jubente Sergio II. apud Anaſtaſium, Arnulphum jubente Formoſo in Append. Annal. Fuldenſium apud Ducheſnium To. 2. p. 58: quod ſupremi dominii non utique indicium erat, ſed medium, quo Populus a Defenſoribus, ac Patricis in officio erga ſupremos Dominos, Pontifices ideſt, cohiberentur. Quo pacto etiam ad Populi turbas compeſcendas ſuas præſentibus Imperatorum Miſſis electiones celebrari Pontifices ipſi voluere, qua de re infra. Itaque Manus in Nummis appoſitæ germanum haud aſſequutos fuiſſe ſenſum le Blanc, Pagium, & Muratorium rite Cl. Garampius obſervat, quibus ex litteris R. O. cum *Manus* copulatis *Romanus* exſurgere viſus eſt. Jam vero, quod ad jus Monetæ cudendæ pertinet, atque ad ſupremum Urbis, Ducatus, Exarchatuſque dominium, apud Pontifices integrum ſteriſſe multis ſuadent, perſuadentque. Enim vero obſervant Garampius cit. diſſert. cap. 4. n. 3, & Auctor Obſerv. adv. Carli lib. 2. §. 24. p. 72, ſeq. Paſchali I. promiſiſſe Ludovicum Pium in Di-

plom. apud Georgium in Append. Tom. 13. Baronii edit. Lucen., & Antonellum de Titul. Dom. Apoſt. Sed. par. 7, de quo etiam Cennius ad calcem Orſii de Orig. Dom. Sed. Apoſt., quove de non fuerat, cur cum Pagio dubitaret Acami de Orig., & Antiq. Pontif. Monet. Offic. §. 3. p. 34, promiſiſſe, inquam, ſe nullam imperii partem in Apoſtolicæ Sedis Dominio propriam ſibi facturum unquam; cui fuere ſimilia cum ante inita cum Hadriano I, & Leone III. a Pippino, & Carolo M, ac poſt cum Leone IV. a Lothario, & Ludovico II. apud Gratianum Can. 31, ſeq. Diſt. 63, cum Johanne IX. a Lamberto in Synodo Ravennate an. 904. Can. 6, ubi ita pridem initum fuiſſe quoque cum Formoſo a Widone refertur, atque perinde cum Johanne XII. ab Othone I, & cum Benedicto VIII. a S. Henrico II. &c. apud Harduinum To. 6. par. 1. p. 623, & 799. Nihil vero hac luculentius in re deſiderare licet Johannis VIII. decreto, quo in Synodo Ravennatenſi an. 877. Can. 15. relato etiam a Card. Deuſdedit Collect. lib. 3. cap. 51, & ab Anſelmo lib. 4. cap. 31. inter alia jus Monetæ Romanæ ſibi vindicat, & adſtruit. Junge quod eidem Pontifici temporale jus omne, ſi quod ſive Imperii, ſive Patriciatus ratione ſibi competeret, a Carolo Calvo remiſſum refert Auctor vetus Append. Eutropianæ apud Goldaſtum Monarch. Tom. 1. pag. 8; ideoque jus omne, ſi quod habuiſſet, proprium inſculpendi Pontificiis Nummis nomen, abdicaſſe cenſendus eſt. Nihilominus in Nummis inferioris adhuc ætatis ſiquidem Imperatorum nomen adpareat, indicio, argumentoque id eſt honoris dumtaxat titulo adpoſitum fuiſſe. Ad hæc, ut advertunt Vignolius de Antiq. Denar. Rom. Pontif. p. 37, & Auctor Obſerv. lib. 3. §. 38. p. 206, uno dempto Marini I. P. M. Nummo, in quo certe a Monetario erratum oſtendunt, ceteris in Nummis Papalibus, cum Imperatorum nomine inſculptis, in medio quidem, ac ſemper Pontificis Monogramma conſpicitur: quod indicium eſt alterum ſupremi penes ipſum dominii, ſolaque honoris cauſſa Imperatorum nomen in gyro adjungi voluiſſe. Quod inde magis confirmatur decreto Caroli Calvi, quo in Capitulari an. 864. Piſtis edito cap. 11. apud Sirmondum Oper. To. 3. p. 157, & Baluzium Tom. 2. Capitul. p. 178, quo jubet ſuis in Denariis ex una parte nomen ſuum in gyro quidem inſcri-

ſcribi, ſed in medio quoque ſui etiam nominis Monogramma inſculpi, in altera vero parte Urbis nomen, & Crucem in medio. Quo loci obſervat Sirmondus Monogrammatis uſum in Francorum Imperatorum Diplomatibus antiquiſſimum fuiſſe. In Nummis vero inſtituiſſe primum id quidem Carolum Calvum, ſed ante illum in Nummis Caroli M., & Pippini pro Monogrammate illorum effigiem incidi conſueviſſe. Junge, quod in Capitul. Reg. Francor. apud Baluzium To. 1. p. 427, 433, 756. Urbes deſignantur, ubi cudendæ Monetæ eſſent, de Roma vero alte ubique ſiletur: putas ne vero, quod ſi proprii Urbs juris fuiſſet, aut pro cudendis Monetis haud fuiſſet deſignata, aut Romano Pontifici Monetas procudendi ea non fuiſſet, quæ paſſim indulta facultas legitur inferioribus Epiſcopis Trevirenſi, Cameracenſi, Cenomacenſi, Abbatibus S. Medardi Sveſſionenſi, Corbejenſi, Prumienſi, Tigurino &c., Ducibus aliis, ac Comitibus apud Ducangium, & Maurinos in Gloſs. V. *Moneta*, Ecchardum de reb. Franc. Orient. To. 2. p. 803, 497, 216, 261, 483, & 464, & Heumannum de re Diplom. To. 1. cap. 3. § 75. n. 13. p. 194, & n. 35. p. 203, ſeq. ? Quid vero, quod a Gregorio V. Diplomate ann. 998. exarato apud Ughellum Ital. Sac. To. 2. in Archiep. Raven. p. 357. edit. Ven. 1717, & Rubeum hiſt. Raven. lib. 4. Gerberto Ravennati cudendæ Monetæ jus conceſsum legitur ? Diploma inficias pro more ivit quidem Muratorius Obſervat. in Epiſt. Fontan. cap. 18. p. 43, ſed illud vindicant Thomaſſinus vet., & nov. Diſcipl. p. 3. lib. 1. cap. 30. n. 10, Natalis hiſt. Eccl. ad Sæcul. 9. cap. 1. art. 25, Fontaninus Defenſ. 2. cap. 48. p. 107, Catalanus in præfat. ad To. 4. Annal. Ital. To. 1. p. 89, Auctor Obſervat. lib. 3. §. 39. p. 209, ſeqq., Pinzius diſſert. de Num. Raven. adverſ. Murat., Argelati par. 3. p. 116, Acamius de orig., & antiq. Monet. §. 1. p. 5, ſeq. &c., atque Diploma illud plane ab omni fidei ſuſpicione abunde liberant teſtimonia Clementis III. Pſeudo-Pontificis, Innocentii II, Honorii III, Gregorii IX, & Alexandri IV, a quibus memoratum eſt. Quin etiam altero Diplomate ab eodem Gregorio V. idem cudendæ Monetæ jus confirmatum Arnulpho Raven. legitur apud Baluzium Miſcell. Tom. 7. p. 62: multo igitur magis eo ipſo potitum fuiſſe Pontificem jure, quod aliis largiebatur Epiſcopis, fateri prorſus oportet.

Ita contra Pagium, Muratorium &c., quibus pro Nummis Imperialibus pugnare; Imperioque proinde in Romanum Ducatum allibuit. Jam contra le Blanc, & Carlium, qui Nummos illos Senatorios esse, ideoque cum Goldasto penes Senatum imperii summam stetisse propugnant, collato veluti pede agendum venio. Igitur Nicolaus Alemannus de Later. Pariet., Fontaninus Defen. 2. par. 1. cap. 22. p. 78, seqq., ac Floravantes de Antiquior. Pontif. Rom. Denar. par. 2. p. 5, seqq. Romano Senatui Denarios cudendi facultatem insedisse quidem arguunt ex formula juramenti a Judicibus, & Advocatis Urbis Innocentio II. præstiti apud Baronium ad an. 1143. n. 11, ubi de Papalibus Nummis fit sermo, quos tamen eodem loci Papienses legunt Card. Aragonius in vita Innocentii II. Script. rer. Ital. To. 3, & Panvinius apud Auctorem Observ. p. 233, ex Actis concordiæ inter Clementem III, & Senatum initæ an. 1188. apud Baronium n. 23, seqq., quo inter alia de Moneta Pontifici reddita fit sermo, cujus ipse Floravantes emendatius ex Muratorio Script. rer. Ital. To. 3. p. 588, & Cornazano exemplar ibidem exhibet, ex juramento facto Innocentio III. a Senatu iterum apud Mabillonium Mus. Ital. To. 2. p. 215, ex ejusdem Innocentii epist. 135. ad Rectores, & Consules Campaniæ apud Baluzium To. 2. lib. 2. p. 203, quibus constat a Senatu Pontifici subjugatam *Fidelitatem, Senatum, & Monetam*, ac vicissim a Pontifice recipi Senatus Monetam in Campania jussum fuisse; demum ex Denariis, quos Senatus auctoritate, nomineque procusos, insignitosque plerosque cum Fontanino producit p. 16, seqq. Ast eos tamen non ante Innocentii II. ætatem cudi cœpisse observant, idem tum demum, quum Urbem commovente, ac turbas excitante Arnaldo Brixiano, Populus ad Senatum, cui pridem ab anno 552. juxta Pagium n. 11, aut 553. juxta Norisium de Synodo V. cap. 6. a Gothis Totila Duce apud Procopium de bello Goth. lib. 3. c. 21, & lib. 4. cap 34. deleto, non amplius caput attollere hanc usque ad Innocentii II. epocham datum est, medio etsi temporis intervallo Senatorum nomine audire Urbis Nobiliores, auctoritate non etiam, haud desierint, ad Senatum, inquam, restituendum, ac veterem redintegrandam cum libertate Rempublicam adspirare cœpit ardenter, armisque se conferre, seditionis deinde vexillum extol-

tollente Nicolao Laurentio. Quamquam jampridem ſub Agapeto II. Populi rebellis opera Urbis dominium, ac Patriciatum, & Præfecturam affectare viſus eſt AlbericusTuſciæ Marchio, ac tum primum Senatus auctoritate cuſos Denarios æſtimare licet ex Alberici nomine Denariis Agapeti inſerto, ut arguit Gentilius lib.3. cap.10. n.2; niſi cum Auctore Obſerv. adv. Carli p.264. exputare, ac probabilius utique placeat, erga Albericum haud animo, ut vulgo falſo creditur, admodum infeſto Agapetum fuiſſe affectum, ſed ipſi probatam,acceptamque Patriciatus dignitatem, quam ille arripuerat, ejuſque dignitatis, amoriſque gratia ultrocitroque a Pontifice largitum, ut Pontificiis ſuum inſerere Denariis nomen Alberico fas eſſet. Poſt hinc ſub Silveſtro II. Creſcentius Numentanus ad hanc ſimiliter adſpiraſſe dignitatem refertur a Romualdo Saler. in Chron. ad an.998. Johannes quidam item ſub Sergio IV. apud Chronog. Farfenſem ad an.1009,ſeq. inter Script.rer. Ital.; Henricus IV. deinde, ac demum Henricus V, Romanis rebellibus ultrocitroque deferentibus, Patriciatus dignitatem, ac Præfecturam uſurpaſſe leguntur in Actis PſeudoSynodi Baſileenſis an.1061, apud Willelmum Malmesb. lib. 5, Hermannum in Chron. ad cit. an., & Harduinum To.6. par. 1. p. 1117: qua de re plura dabunt Gentilius de Patric. Orig. lib. 3. cap.10, & Auctor Obſerv. lib. 2. n. 33. p. 88, ſeqq. Cæterum quandiu pacatæ Urbis res erant, Senatoriam dignitatem a Pontificis arbitrio pependiſſe oſtendit uterque cum Gentilius præc. cap. 10, tum Floravantes de Antiq. Pontif. Rom. Denar. p. 15, ſeqq.; Patriciatus quoque, ac Præfecturæ dignitatem, non in Senatus, Populique auctoritate, poſitam, ſed a Pontificis volontate dependiſſe, ab eoque pro libitu qua collatam, qua abrogatam oſtendunt Auctor Obſerv. lib. 2. §. 29. p. 80. ſeqq., & lib. 3. §. 42. p. 223, ſeq., & Acami de Monet. Orig. §. 3. p. 25, ſeqq. Enim vero a S. Gregorio III, S. Zacharia, Stephano II, S. Paulo I, Stephano III, Hadriano I, Leone III. &c., a quibus, Petro de Marca, le Blanc, Pagio, Muratorio &c. fatentibus, Carolo Martello, Pippino, Carolo M., Ludovico Pio &c. Patriciatus dignitas aut collata, aut confirmata eſt, cui dignitati ſiqua Juriſdictio conjuncta erat, collata perinde, aut confirmata a Pontificibus illis æſtimari profecto debet; ac Pontificis

ex

ex consensu ab illis exercita, qua de re plura jam superius, ac pleraque rursus paullo infra: ex quo sequitur frustra post Goldastum, & Blancum laborasse Carlium, ut Jurisdictionem prius a Senatu adquisitam, in Carolum M. postea eodem a Senatu transfusam suaderet. Ad hæc a Paschali II. in Synodo Romana cum Investituris Patriciatum dimittere compulsus Henricus V. legitur in Not. ad Chronicon Cassin. lib. 4. cap. 4; Petro Leoni vero propria collatam auctoritate Præfecturam ab eodem Pontifice refert Petrus Bibl. in vita Paschalis apud Baronium ad an. 1115. n. 1, seq. A Gelasio II, Præfectum Urbis alterum, Petrum nomine, fuisse creatum auctor est Pandulphus Pisanus in ipsius Pontif. vita, eum adversus Cencii Frangipanis insultus præsentissimo adstitisse Pontifici auxilio referens apud Baronium ad an. 1118. n. 6, seqq. A Calliſto II. Diplomate edito Præfecti jus ad Urbem Leoninam restrictum, postea magis amplificatum ab eodem Pontifice, ac deinde a Calliſto III, & Innocentio III, a quo, fidei præstito sacramento, Præfecturæ investituram per mantum accepisse legitur apud Contelorium de Præf. Urbis cap. 5. Atque Pontifici M. quidem hominium, fidelitatemque præstari ab Urbis Præfecto jam pridem consueviſse testis accedit locuples Romæ sæpius demoratus, ac Romanis acceptus Pontificibus Gerhous Reicherſperg. Præpositus Ord. Canon. Regul. S. Aug. anno denatus 1093, defunctus 1169. in tract. de Negotiis Eccles. apud Baluzium Miscell. lib. 5. p. 64. Jordanem Petri Leonis filium Patricia, qua, se invito, a Populo Arnaldi partes insequente fuerat adauctus, dignitate exspoliasse, Senatum quin etiam abrogasse Lucius II. legitur in epistola ad Conradum Imperat apud Othonem Frising. in Chron. lib. 8. c. 31, Anonymum Vatic. ejus vitæ Scriptorem apud Baronium ad an. 1144. n. 1, seqq.; videndus etiam Sigonius de Regno Ital. lib. 11. ad an. 1145. To. 2. p. 691, seqq. edit. Mediol. 1732. Res tamen non adeo ex voto Lucio II. succesſerat, quin ad inceptum explendum laboris opus fuerit Eugenio III, quia tamen Latini Populi, longe præ Romanis tum temporis Pontifici addicti, armis adjutus Romanos impulit ad Patriciatum abrogandum, Præfecturam vero ab ipso Pontifice recipiendam, testibus Othone Frising. lib. 7. cap. 31, & Sigonio cit. lib. ad an. 1145. p. 696. In Capitulatione cum Friderico

Æno-

Ænobarbo ab Alexandro III. inita, quam ex Tabulis Anagniæ ſervatis exhibet Sigonius de Regno Ital. lib. 14. ad an. 1176. p. 802, ſeqq., inter alia Urbis Præfectura ſe abdicare Imperator, eamque Pontifici dimittere juſſus eſt. Inter pacis conditiones eidem Friderico pridem ab Hadriano IV. propoſitas apud Baronium ad an. 1159. n. 14. ea locum habebat, quod a Regalibus S. Petri abſtinere deinceps deberet, inter quæ Magiſtratus Urbis omnis dinumerabatur. Tam vero Alexandro III, quam deinde Urbano III. fidelitatis, homagiique ſacramento, cujus formulam exhibet Mabillonius Muſ. Ital. T. 2. p. 215, & poſt ipſum Auctor Obſerv. adv. Carli lib. 3. p. 223, Senatores ſe obſtrigentes S. Petro, ac Rom. Pontifici Regalia, interque alia *Senatum*, *Monetam*, *ac Dignitates* reſtituere non detrectarunt. Et hæc inter alias concordiæ cum Senatoribus initæ ſubinde a Clemente III. an. 1188. conditiones extitere, ut *Senatus*, *Urbs*, *& Moneta* unius Pontificis juri cederent, qui viciſſim Patricio deleto, Præfectum, ac Senatores annuos ab ſe creatos recipi deinceps voluit, teſte Cencio Camerario apud Ciacconium in Clemente III, Panvinium in Adnot. ad eamdem vitam, & Baronium ad cit. an. n. 22, ſeqq. In Actis Vatic. Innocentii III. recenſitis a Raynaldo ad an. 1198. n. 13. mentio fit juramenti, quo Petrus Urbis Præfectus dignitate per mantum a Pontifice accepta, fidem ei ſuam obligavit omnem. Urbis Senatore electo Carolo Andegavenſi, eam ab ipſo dignitatem ad triennium, vel ad quinquennium dumtaxat, non amplius retineri voluit Urbanus IV, litteris hac de voluntate ſua datis ad ipſum Carolum, ad S. Ludovicum ipſius fratrem, & ad Albertum Legatum ſuum apud Martenium Anecd. To. 2. p. 28, & Raynaldum ad an. 1264. n. 4, ſeqq. Henrico deinde Caſtellæ Regis fratri Senatoris dignitatem, quam ei detulerat proprio arbitratu Populus, abrogatam in eumdem Carolum ad decennium transfudiſſe legitur Clemens IV. apud Raynaldum ad an. 1268. n. 26, ſeqq. A Nicolao III., ut pro temporum iniquitate denique licuit, ad omnem penitus res moliendi novas a Populo licentiam amputandam, Conſtitutione edita, quæ habetur Cap. 17. *Fundamenta* in 6. Decret. lib. 1. tit. 6. *De Electione* §. *Proinde*, Capitanei, Senatoris, & Patricii electiones a Populo factæ inſcio Pontifice abrogatæ penitus

nitus sunt, eligique ad ejusmodi dignitates, etsi Principes cujuslibet gradus, non nisi per annum decretum est. Confer ejusdem præterea epistolam ad Latinum Ostiensem apud Raynaldum ad an. 1278. n. 76, qua Senatus Carolo eripiendi, ac repetendi jus, ac Romanæ per semet rei curam suscipiendi vindicat, & tuetur. Sed enim, Urbis bono ita exigente, ea Nicolai Constitutione revocata, Senator Urbis denuo creatus est Carolus a Martino IV, qui tamen epistola ad Philippum Cavensem pro Carolo in Urbe Vicarium anno 1282. die 8. Kal. Jan. exarata, quam e Martini Regesto Vat. fol. 39. descriptam primus in lucem produxit Floravantes de Antiq. Pontif. Denar. par. 2. p. 34, seq., expresse cautum voluit, ne sua absque auctoritate cuderentur in Urbe Monetæ, ita vero cusæ, velut adulterinæ ne reciperentur. Videsis & Raynaldum ad an. 1281. n. 14, seqq. Insigni denique justæ severitatis exemplo Jacobum de Vico Præfectum perduellem capitis sententia condemnatum ab Eugenio IV. tradit Contelorus de Urb. Præf. Juvant demum ad hæc illustranda haud parum Friderici II, hominis post natos homines imperio prorsus exspoliandis Pontificibus inhiantis, Encyclicæ ad Christifideles universos an. 1244. exaratæ, atque a Fontanino ex Cod. Ms. Vat. 4957. in Castro S. Angeli descriptæ in Dissert. hist. de Apost. Sed. Imp. §. 142. p. 79. edit. 1709, quibus prætensum jus, Advocatiæ, Protectionis, ac defensionis nomine persequens, & quoad ejus fieri potuit, amplificans, non ampliorem tamen sibi vindicandam in Dominium Ecclesiasticum facultatem adsumpsit, quam ducendi Exercitum, exigendique *Cavallaricum*, sive obligationem pergendi in Exercitum, atque *Fodrum*, idest præstationem militarem pro Exercitus annona, qua duplici de voce adeundus Ducangius Glossar. To. 1. edit. Ven. 1737. p. 6, seq., & To. 3. p. 540, seq. Quæ tamen postulata infesto illi Ecclesiæ hosti tantum abest, ut indulta fuerint, ut potius ipse ab Ecclesia projectus, Imperioque detrusus fuerit. Igitur compertum illi erat imperium in Pontificem ipsum, Urbem, atque Ducatum, Exarchatumque sibi, neque Patriciatus, neque Advocatiæ, Protectionisque ratione, competere. Denique Protectionis rationi ipsi repugnat supremi Dominii, Imperiique ratio. Nec enim Dominus in rem suam Protectionem, & Advocatiam exercere recte dicitur, sed

ſed in rem alterius. Sub Ditione ſunt propria, aliena ſub Patrocinio; unde Geminianus Conſult. 81, & Card. Tuſchus pract. Concluſ. To. 6. litt. P. n. 1, ſeq., exindeque Salgadus etiam de Regia Protect. par. 1. cap. 1. Prælud. 5. n. 205, ſeq q., junctis Innocentio III. in epiſt. ad Auſonenſem Epiſcop. Cap. *Ex parte* Decretal. lib. 5. tit. 33. *De Privilegiis*, Gloſſa in L. fin. *De Confirmatione utili, vel inutili*, Bartholo in L. 1. *De Excuſat.* lib. 10. &c., rite obſervant, cui protectio a Romano Pontifice, vel a Principe commendata eſt, non ideo cenſeri eidem conceſſam juriſdictionem, niſi quatenus protectionis lex fert. Magerus etiam de Advocatia armata, & Grotius de Jure B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 21. n. 3, ubi ex Sylla, ex Livio, ex Cicerone, ex Strabone, ex Joſepho, ex Pæto, ex Diodoro notat opponi in fide eſſe, & in ditione, ſub Patrono, & ſub Rege, quales reſpectu Romanorum Carthaginenſes, Lacedæmones, Arabes, Judæi, Armeni &c., Perſarum Cyprii, aliique in fide, & Patrocinio, non in dominatione, & Poteſtate eſſe dicebantur. Et Coccejus ibidem in Not. poſt Magerum cap. 10. advertit, etſi a Cliente Patrono imperanti ea præſtari debeant, ſine quibus Protectio expediri nequit, nihil inde tamen omnino dominii juri decedere.

Aliud nunc ex alio deducendo, ac ita propius e diverticulo in lineam me recipiendo, ex Patriciis facere ſubinde Imperatores Romanis Pontificibus opportunius, expeditiuſque, ita temporum ferente viciſſitudine, Eccleſiæque neceſſitate exigente, accidit, ut Eccleſiæ nempe Romanæ Patrocinium, quod Orientis Imperatores jampridem aut adferre neglexerant, aut imo auferre cogitabant, ab Imperatoribus Occidentis & præſentius impetrarent, & præſtantius, veluti probe obſervatum eſt a Monacho Sangallenſi lib. 1. de Carolo M. cap. 28, & a Sigonio de Regno Ital. lib. 4. ad an. 801, quem antiquo more a Natalitio D. die exordi. tur, To. 2. Oper. edit. Murat. p. 251. Itaque Occidentis Imperium quod ab Auguſto inceptum in Auguſtulo, ab Odoacro Herulorum Rege devicto, an. 476. defecerat, in Carolo M. reſtauratum fuiſſe conveniunt omnes quidem, non ita tamen de jure, ratioque, qua fuerit reſtauratum. Jure belli a Carolo M. Imperium fuiſſe adquiſitum, eique a Leone III. nudum Imperatoris titulum

delatum adfirmant Matthias Flaccus Illyricus de Transl. Imperii, ejusque defensores Matthias Dresserus in Confutat. opinionis Bellarmini, Franciscus Junius Animad. in Bellarm., Henningus Arnisæus de transl. Imp., Goldastus eodem de argum., Gronovius in Not. ad Grotium de Jure B., & P. To. 1. Not. 59. p. 195. edit. Lausl. 1751., & To. 2. Not. 74, & 77. p. 530, seqq., in Germanos illud deinde Jure successionis transfusum adfirmans, Coccejus uterque Jurisp. Publ. cap 6. §. 5, seq., & in Grotium To. 1. p. 300, seq., & To. 2. p. 547, seqq., Barbeyracius ibid. in Not. p. 196, aliique vulgo Protestantes, quod pridem a Friderico I. jactatum, armorum vi nempe, non Pontificis beneficio, adquisitum Imperium, refert Otho Frising. de ipsius gestis lib. 2. cap. 21, quibus adstipulati sunt Maimburgus hist. Iconocl. lib. 4. ad an. 800, Franciscus Feu doctor Paris. de Legib. q. 4. Art. 4, parumque abfuere Thomassinus vet, & nov. Disciplin. par. 3. lib. 1. cap. 29, & Natalis Alexander hist. Eccles. ad Sæculum IX. dissert. 1. Ireni, & Constantino Imperium Occidentale vicissim ademptum, Carolo M. a Leone III. collatum existimant Baronius ad an. 800. n. 18, Bellarminus de Transl. Imp. lib. 1., ejusque Apologistæ Gaspar Hap in resp. ad Dresserum, Gretzerus To. 2. defens., Azorius Inst. Moral. lib. 10. p. 2. cap. 2, Card. Sfondratus in Gall. Vind. dissert. 2. §. 2, Card. Petra in Comment. ad Constit. 7. *Firmæ* Alexandri IV. To. 3. n. 8, seqq. p. 117, seqq. edit. Ven. 1741, aliique. Cui opinioni adhæsisse pridem ipsum Lutherum, quem ideo sequitur una cum Bibliandro, Centuriatoribus &c., refert Chytræus in cap. 13. Apocalyp., sed ideo Papam a Luthero pro Antichristo habitum subjungens. A Græcis potius in Francos Imperium fuisse translatum, aliorum opinio est, pactis nempe cum Carolo M. initis ab Irene, a Nicephoro, a Michaele, a Leone &c. Denique non Leonis III, ceu Pontificis M. auctoritate, sed Populi Romani electione Carolum M. Imperatorem evasisse censent ex nostris Panvinius, & Bossuetius defens. Declar. par. 2. lib. 6. cap. 38, ex Protestantibus vero Conringius a Romanis deinde in Germanos eligendi Imperatoris jus transfusum adfirmans de Finibus Imper. Germ. lib. 2. cap. 19. §. 28, & Grotius de Jure B., & P. lib. 1. cap. 3. §. 13. num. 2. Tom. 1. pag. 195, & lib. 2.

& lib. 2. cap. 9. §. 11. num. 2, ſeq. Tom. 2. pag. 530, ſeqq. At harum neutra ſubſiſtere opinio poteſt, non prima, nec enim Carolo M. Imperium jure belli adquiſitum: nam Deſiderio victo, captoque, bello impoſitus an. 774. finis eſt, atque Italiæ Regno, cujus haud exiguam Romanæ Eccleſiæ partem reſtituere officio, religionique duxerat, potitus, in Galliaſque reverſus, poſt annos 6. dumtaxat Imperator audire promeruit, quum nempe a Leone III. inſulis eſt redimitus. Præterea Romanis bellum nunquam a Carlo illatum eſt, nec unquam hoſtis illorum fuit: quì igitur fieri potuit ut jure belli Romanorum Imperium adipiſceretur? Ad hæc ſi armis occupata Italia, quæ Imperii pars erat, ideo adquiſitum Imperium dici poſſet, ita quoque & Galliæ, & Hiſpaniæ, & Angliæ &c. Reges Imperatorum nomine inſcribere oporteret, quod Imperii Provinciæ fuerint. Non ſecunda: nec enim Leoni III. legitimum Imperio detrudendi Dominum auctoritatem inſediſſe, animumque rite oſtendunt Natalis cit. diſſert., & Blancus de Polit, & poteſt. Eccleſ. To. 2. lib. 5. §. 4, bene vero jampridem Imperio Occidentali Græcos Imperatores qua ignavia, qua infeſtatione decollaſſe, jureque Gentium, ac Religionis in Italiæ partem haud exiguam dominium S. Gregorio II. adcreviſſe, quod haud certe in Francos Imperatores fuiſſe transfuſum, pluribus ſuperius oſtendimus. Multo minus pacto, aut tranſactione a Græcis Imperatoribus in Francos Imperium derivatum æſtimari poteſt: quippe potius Græcos Imperatores, fama Caroli M. inaugurationis perlata, valdequam indignatos referunt Eginhardus in ejus vita, Sigebertus in Chron., & Chrantzius lib. 2. Saxoniæ cap. 8. repetit, apud Scriptores alios vero altum de pactis hujuſmodi ubique ſilentium; atque teſtes accedunt demum Michaelis, & Theophili litteræ ad Ludovicum Pium, quibus ſemet Romanorum Imperatores, illum vero Francorum, & Langobardorum Regem, & *vocatum eorum Imperatorem* inſcribunt; litteræ quoque Baſilii Macedonis ad Ludovicum II. apud Baronium ad an. 871. n. 50, quibus illum redarguit ob Imperatoris nomen affectatum, exhortatus vehementer, ut ab eo deinceps abſtineret. Non tertia demum: nec enim tum ullam penes Senatum auctoritatem ſtetiſſe, quin imo profligatos a Totila Senatores admodum ſero, nec niſi ſub Agapeto II, ſeu

verius ſub Innocentio II. reſurrexiſſe, reique Romanæ ſummam a S. Gregorii II. tempore ac deinceps unum penes Pontificem integram ſtetiſſe paullo ſuperius oſtendimus. Populi vero acclamatio Imperatoris inaugurationem ſubſequuta quidem eſt, non item præivit electio. Remanet ergo, ut a Leone III. in Carlo M. Occidentalis Imperii titulus cum Jure in Occidentis Provincias, quæ Imperio pridem obnoxiæ nullo deinceps altero legitimo in alios Principes jure tranſmigraſſent, inſtauratus dicatur. Cujuſce rei certe documento ſunt cum Numiſma e Muſeo Pariſienſi relatum a le Blanc, cujus in anteriori parte effictus conſpicitur Carolus M. Imperiali diademate inſignitus, haſtamque geſtans cum epigraphe: *D. N Kar. P. F. PP. Aug.*, in poſteriori vero legitur *Roma*, cum epigraphe: *Renovatio Roman. Imp.*, cui Nummo perquamſimile retulit Plumbum Franciſcus Baldinus; tum Plumbum aliud, quod habuit P. Joh. Antonius Blancus, cujus in antica parte viſitur imago Caroli M. loricata, Imperialique corona redimita, in gyro inſcriptio legitur: *D. N. Kar. Imp. P. F. PP. Aug.*, videlicet *Dominus Noſter Carolus Imperator Pius Felix Perpetuus Auguſtus*, in poſtica vero cernitur deſuper Crux, infra litteræ *Roma*, circum autem *Renovatio Rom. Imp.* Argumento quoque, teſtimonioque ſunt quotquot ferme Scriptores, quibus hacce de re ſermo incidit, Eginhardus in vita Caroli M., Paulus Diacon. lib. 23, Conradus Urſpergenſis in Chron. ad an. 800, Aimoinus lib. 4. cap. 90, ſeq., Ado Vien. in Chron., Regino lib. 2, Otho Friſing. lib. 5. cap. 31, Cedrenus in Comp., Zonaras in Annal. To. 3, Hermannus Contractus, Sigebertus in Chron., Blondus lib. 1. decad. 2, Anaſtaſius in Leone III, Annaliſtæ Moſiacenſis ad an. 801, Laureshamenſis ad eumdem an., Hildesheimenſis ad an. 800, Metenſis ad inſeq., Sigonius de Regno Ital. lib. 4. ad an. 801, S. Antoninus in Chron. par. 2. tit. 14. cap. 14, aliique apud Bellarminum. Etſi vero S. Anſcharius apud Mabillonium ſæcul. Bened. To. 3. par. 2. p. 407, & Helmoldus in Chron. Slavor. lib. 2. cap. 3. concurriſſe Populum adfirment, inauguratum tamen a Pontifice in Synodo ajentes, de Populi acclamatione, non electione intelligendi ſunt. Sed enim his de facto ſermo fuit, audiendi obiter, qui de jure fati, tam Judices integri, quam idonei Teſtes haberi debent, ut non ſit, cur

cur iis fides aliqua detrahatur. Itaque a Benedicto VIII, antequam in Urbem admitteretur S. Henricus II, Decretum editum refert Glaber lib. 1. in fin., quo ſancitum eſt: *Ut ne quisquam audaciter Imperii Romani ſceptrum præproperus geſtare Princeps appetat, ſeu Imperator dici, aut eſſe valeat, niſi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiſerit inſigne Imperiale.* Optimum, ac perhoneſtum Glabro apud Baronium ad an. 1013. n. 5. Decretum viſum eſt, quo nempe Tyranni ab inferenda Reipublicæ pernicie, ut fieri ſæpe contingebat, procul arcerentur. Cui potior altera ſubjungi ratio debebat, cur nempe Romano Pontifici Imperatoris electio probari, acceptaque eſſe debeat, quod Imperator inauguratione Eccleſiæ Advocatus, ac Defenſor evadit: Eccleſiæ vero Defenſorem, & Advocatum dare ad Pontificem attinet, qui Eccleſiæ Caput eſt, & Pater. Atque hac utique ratione Apoſtolicæ Sedis jus in Imperatoris electione vindicandum adſumpere Innocentius III. Cap. 34. *Venerabilem* Decr. lib. 1. tit. 6. *De Electione, & Electi poteſt.*, Alexander IV. Conſt. 7. *Firma* §. 1, & Clemens V. Conſtit. in Concilio Vicnnenſi edita Cap. un. *Romani* Clement. lib. 2. tit. 9. *De Jurejurando*: quod & profiteri religioni duxere Otho I Can. 33. *Tibi Domino* diſt. 63, & Carolus V. in Capitulatione inita cum Clemente VII. apud Petram To. 3. p. 118. Hac inſuper, qua de agimus, ratione translationis Imperii, ſive renovationis, Imperatoris electionem adprobandi facultatem ſibi paſſim adſerere Pontifices non dubitarunt, nec inficias id ire Imperatores ipſi auſi ſunt. Itaque Francorum Regibus Imperium Apoſtolicæ Sedis beneficio adcreviſſe honori ſcribere habuit Ludovicus II. in epiſt. apolog. ad Baſilium Macedonem apud Baronium ad an. 871. n. 59, ſeqq. *Matrem omnium Eccleſiarum Dei defendendam, atque ſublimandam ſuſcepimus*, ita de officio viciſſim cum Imperio ſibi incumbente loquens, *Ex qua & regnandi prius, & poſtmodum imperandi auctoritatem Proſapiæ noſtræ ſeminarium ſumpſit. Nam Francorum Principes primo Reges, deinde vero Imperatores dicti ſunt ii dumtaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc Oleo Sancto perfuſi ſunt.* Quam ſane Imperatoris eligendi auctoritatem diſerte ſibi vindicaſſe legitur Johannes VIII. epiſt. 155. ad Anſpertum Mediol. Archiep.

Ipſe,

Ipse, inquiens, *qui a nobis est ordinandus in Imperium, a nobis primum, atque potissimum debet esse vocatus, & electus* &c., similia repetens epist. 181. ad eumdem. Qui præterea epist. 2. ad Ludovicum Jun. se Judicem exhibet in causa, quæ ipsi cum Carolo Calvo fratre de Regno, & Imperio erat. Atque ad Imperii fastigium utique ejusdem Johannis VIII. auctoritate, beneficioque Carolum Calvum adscendisse adfirmat Synodus Ticinensis an. 876, a Pontigonensi eodem an. indivisa in allocutione ad eumdem Imperatorem apud Harduinum To. 6. par. 1. p. 169. Friderico Ænobarbo gradu detruso, Occidentis Imperium cum Orientali sua in persona iterato conjungi ab Alexandro III, atque Pontificis auctoritate quidem, effictim petendi, sponsione data de conjungenda Græca Ecclesia cum Latina, opportunitatem arripuisse Emanuelem Comnenum testis accedit Blondus Decade 2. lib. 1, ac referunt ejusdem Pontificis Acta Vatic. regesta a Baronio ad an. 1170. n. 54, seq. De Imperio decertantibus invicem Philippo Suevo, & Othone IV. Saxone, litem dirimere sui esse juris diserte scripsit Innocentius III. epist. ad Moguntinum Archiep., & Episcop. Sabinensem, atque ad Principes Germaniæ Eccles., & Sæcul. apud Raynaldum ad an. 1199. n. 28, seqq., ea producta ratione, quod intima Romanam Ecclesiam inter, ac Romanum Imperium necessitudo intercedat, & conjunctio: *Ut ipsa per illud accipiat defensionis auxilium, & illud per ipsam in suis necessitatibus adjuvetur*. Repetitis vero litteris ad Principes Germaniæ, & ad Conradum Moguntinum Archiep. quum nihil profeciisset, deliberatione super Imperii facto per semet capta idem Pontifex apud Raynaldum ad an. 1200. n. 27, seqq. tam Friderici, quam Philippi jure ad Imperium rejecto, efferendum Othonem Electoribus jubet: cujus jussionis hanc initio reddit rationem: *Interest Apostolicæ Sedis diligenter, & prudenter de Imperii Romani provisione tractare: quum Imperium noscitur ad eam principaliter, & finaliter pertinere; principaliter, quum per ipsam, & propter ipsam de Græcia sit translatum, per ipsam translationis auctricem, propter ipsam melius defendendam; finaliter, quoniam Imperator a summo Pontifice finalem sive ultimam manus impositionem promotionis propriæ accipit, dum ab eo benedicitur, coronatur, & de Imperio investitur.* Quam Investituram uti-

utique a Cæleſtino III. deceſſore ſuo per pallam auream accipere, Henrico VI. cordi fuiſſe ſubjungit: quorum ſimilia repetit in epiſt. ad Colonienſem Archiep., ejus Suffraganeos, ad Archiep. Salisburg., Bremenſem, Treviren., Suffraganeos, ad Principes Germ. Eccleſ., & Sæcul., ad Bohemiæ Ducem, ad Othonem ipſum, cui Imperium confirmat, juramento fidelitatis accepto, de quibus idem Annaliſta ad an. 1201. n. 1, ſeqq. Quia vero non defuerant Germaniæ Principes alii Philippi fautores, qui ejuſmodi particulam juris Rom. Pontifici detrahere aperte non fuerant veriti, data Innocentius graviſſima epiſtola ad Bertholdum Zaringiæ Ducem inſerta Juri Canonico Cap. 34. *Venerabilem* de Elect., quæ integra proſtat legenda apud Raynaldum ad cit. an. 1201. n. 23, ſeqq. querelam ipſorum propulſat omnem, ab Apoſtolica Sede Imperatoris eligendi profecto jus ad Germanos proveniſſe adfirmans, ad ſe vero pertinere jus perſonam ad Imperium electam examinandi, & promovendi, & quatenus juri ſuo deſint Electores, eligendi, prout e Romanæ Eccleſiæ re judicaret, repetitis iis, de quibus paullo ſupra, rationibus, quibus id ſibi juris vindicandum adſumpſerat. Et certe Imperatoris nomine electum minime audire, niſi Romano a Pontifice inauguratus ſit, edixit liquido Hadrianus IV. in epiſt. ad Germaniæ Epiſcopos, decrevit imo Carolus IV. in Bulla Aurea, obſervat Gloſsa in Cap. 88. *Certum* lib. 5. de Regulis Jur. in 6, & advertit Muratorius Antiq. Ital. diſsert. 3. Egregia hac de re ſententia hæſit Mareſchallo Regni Arelatenſis Gervaſio Tilberienſi in epiſt. ad Othonem IV. hiſce verbis expreſsa: *Profecto Imperium tuum non eſt, ſed Chriſti, non tuum, ſed Petri: non a te tibi obvenit, ſed a Vicario Chriſti, & Succeſſore Petri . . . Nec cedit Imperium, cui Teutonia, ſed cui cedendum decrevit Papa*, apud Leibnitium Cod. Jur. Gent. Diplom. To. 1. p. 943, ſeq. Neque diſpar ſane tam Rodulpho Imp., quam Imperii Electoribus inſedit religio in litteris utrinque ad Nicolaum III. exaratis apud Raynaldum ad an. 1279. n. 4, ſeqq., cum enim ille Romani Pontificis auctoritate a Græcis Imperium in Germanos translatum, tum etiam iſti ejuſdem Pontificis beneficio ſe Imperatoris Germanici eligendi auctoritatem adeptos fateri, ac profiteri honori, officioque habuere. Earumdem litterarum exemplar,

quæ

quæ ſeparatim exaratæ fuerant ab Othone Brandeburg., Johanne, & Alberto Saxon., Ludovico Palat., aliiſque jam ante produxerat Baronius ad an. *996.* n. 43, ſeqq. Quo loci n. 33, ſeqq. a Gregorio V. eligendi Imperatorem jus ad Germanos Principes fuiſſe transfuſum pluribus ſuadere conatur, & n. 55, 63, ſeqq. ſeptem Electorum denique numetum ab Innocentio IV. deſignatum; eique adſtipulatur Cabaſſutius in Not. Eccleſ. ad Sæcul. XI. hiſt. Synop. Baronio repugnet etſi Pagius ibid. in Not. n. 13. ſeqq., nec imo Leibnitio in præfat. Cod. Diplom. primam Electorum mentionem fieri in litteris Alexandri IV. ad Gerardum Mogunt., expreſſiorem vero in litteris Urbani IV. ad Richardum electum Reg. Rom. exputanti, poſt quem de Electorum origine diſſertatione edita an. 1711. fuſe diſputavit Joh. Guill. Janus, de Pontificio vero jure circa Electiones Thomas Boſius in Tract. de Jure Status, adquieſcat, Baronii tamen opinioni ſuam haud deeſſe probalitatem obſervant PP. Maurini in Addit. ad Gloſſarium Ducangii V. *Electores* To. 3. edit. Ven. 1738. p. 35, ſeqq., ubi fuſe de Septemviralis Collegii inſtitutione, quam demum ad Caroli IV. tempus, annum id. eſt 1356, quo celebris Aurea Bulla evulgata eſt, referendam arbitrantur. Ut erat vero Pontificii juris aſſertor, ac vindex acerrimus Bonifacius VIII. in Brevi ad Albertum I, quo ipſius Electionem confirmat, e Græcis translatum ab Apoſtolica Sede in Carolum M., ac in Germanos deinde Imperium, Imperatoriſque eligendi facultatem Germaniæ Principibus factam, rem velut indubiam adſtruit, & in Brevi ad Electores Mogunt., Trevir., Colon., Bohemum, Saxonem, Brandeburg., & Palatinum apud Raynaldum ad an. 1303. n. 2., ſeqq., quo Alberto eos obſequi jubet, jus examinandi, conſecrandi, coronandi, probandi, vel reprobandi perſonam in Imperatorem electam diſerte ſibi tribuit. Ideo Albertus ipſe in litteris ad eumdem Pontificem, de quibus adeundi Baronius ad an. *996.* n. 48, ſeqq., & Raynaldus ad an. 1303, n. 9, ſeqq., agnoſcete ultrocitroque non diffidit a Rom. Pontifice in Germanos Imperium e Græcis fuiſſe tranſcriptum, Imperatorem eligendi jus certis perſonis fuiſſe tributum, ideoque Imperatores ab Apoſtolica Sede adſumi debere, ſive advocari. Id ipſum in Concilio Viennenſi a Clemente V. Conſtit. edita, relataque Cap. un. *Ro-*

un. *Romani* de Jurejur. definitum paullo ſuperius dicere me memini: quod ideo ab Innocentio III. in Cap. 34. *Venerabilem* de Elect., & a Clemente V. in cit. Conſtit. *Romani* decretum incontrovertibile dicere, veritate cogente, ingenue fateri non detrectavit Maimburgus ipſe, infenſus alioqui Sedis Apoſtolicæ hoſtis, hiſt. de Imperio Occid. Gallice conſcripta lib. 2. ad an. 996. p. 107. Id etiam juris eſſe Apoſtolicæ Sedis, eoque ideo jure a Græcis ad Francos translatum Imperium fuiſſe, adeo perſuaſum fuit Philippo Pulcro, ut fatis functo Alberto I, Imperium a Germanis iterum ad Francos transferri a Clemente V. petierit, teſtibus Conrado Vecerio de geſtis Henrici VII, Joh. Villanio lib. 8. cap. 101, & ex ipſo S. Antonino 3. par. tit. 21. cap. 1. §. 5. Friderici III. electionem confirmans Nicolaus V, defectum omnem, ſiquis in electione interfuiſſet, etiam ſupplendi jus ſibi tribuit in Diplomate de Elect., & Coronat. ejuſdem Imp. apud Raynaldum ad an. 1452. n. 3, & Leibnitium Cod. Diplom. par. 1. p. 403, ubi confer & Æneam Silvium in Orat. ad Cardinalium Senatum Cæſaris nomine tum habita, qua ſub initium verbis illis Num. 27. v. 21. *Eleazar conſulet Dominum, ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipſe* (Joſve) *& omnes filii Iſrael cum eo &c.* oſtendere ſumpſit Pontificis M. magnis in rebus imperium ſequi Principes etiam oportere. Sed enim Pontifex factus ſub Pii II. nomine graviſſima ad Mahumetum Turcar. Imp. epiſt. 396. data, qua ſuis a Prædeceſſoribus in Francos Orientis Imperium translatum fuerat, eadem poteſtate ipſi confirmandum Imperium ita ut, *Quod modo vi occupas, & cum injuria tenes*, ſicuti loquitur, *poſſidebis jure*, pollicitus legitur ea lege, ut Chriſtianæ Religioni nomen dare non detrectaret. Intima hac ipſa perſuaſione ductus Carolus VIII. Gall. Rex Orientis Imperium ab Alexandro VI. poſtulaſſe, impetraſſeque fertur apud Spondanum ad an. 1495, ac Raynaldum ad an. 1494. n. 29. Atque ex his liquido adparet, quam levis penſi facienda ſit & Friderici Ænobarbi proteſtatio, qua Imperium S. R. Eccleſiæ beneficio conferri inficiatus legitur apud Radevicum de ejus geſtis lib. 1. capp. 10, & 16, & Ludovici Bavari Conſtitutio in Comitiis Francofurti an. 1339. edita, qua ſola electione Imperatorem haberi legitimum declaravit apud Frehetum Script.

rer. Germ. To. 1. p. 615. edit. Struvii, & Goldaſtum Conſt. Imp. To. 1. p. 336, a quo To. 3. p. 409, ſeqq. ſimilis eadem de re altera ejuſdem Ludovici Conſtitutio in Comitiis Reſenſibus an. 1338. edita, nec non epiſtola ad Benedictum XII. exhibetur. Scitum eſt enim quanto, & quam immani uterque odio Romanæ in Eccleſiæ ſanctiſſima jura efferbuerit, eamque laceſſere non exhorruerit.

Ampliorem hæc adhuc lucem ex factis ipſis, & pactis, quibus Pontificum beneficio paſſim ad Imperium promotos Imperatores, ac viciſſim ab Imperatoribus fidei ſacramento Pontificibus obligatam defenſionem, ac obedientiam paucis oſtendere adgredior, accipient, ac ſibi mutuo affundent. Pro Religionis igitur, ac Reipublicæ bono certatum eſt invicem a Pontificibus, ut Eccleſiæ Protectores Imperiali dignitate adaugerent, ab Imperatoribus, ut Eccleſiæ Principi indivulſo fidei vinculo poteſtatem obſtringerent ſuam, ac ita ex mutuo, ſubordinatoque Imperatoris cum Pontifice M. glutine, indiſſolubilis Sacerdotii, & Imperii exſurgeret unio. In Carolo M. itaque Occidentis Imperium a Leone III. inſtauratum hactenus dicta demonſtrant: ab eo viciſſim juriſjurandi religione fidem, obedientiam, ac defenſionem eidem Leoni deſponſam oſtendit formula Sacramenti, quæ habetur in Ordine Rom., referturque a Sigonio de Regno Ital. lib. 4. ad an. 801. p. 252. hiſce concepta verbis: *In nomine Chriſti ſpondeo, atque polliceor ego Imperator coram Deo, & B. Petro Apoſtolo, me Protectorem fore, ac Defenſorem hujus S. Romanæ Eccleſiæ in omnibus utilitatibus, quatenus Divino fultus fuero adjutorio, prout ſciero, & potero.* Eam porro fictam habere non abſtinuere Goldaſtus in Rationali ad Bull. Hadriani I, Babenburgius, & Leyſerus apud Heumannum de re Diplom. To. 1. cap. 2. §. 53. n. 3. p. 50, qui inde non ſequi perinde contendit, ut hac Juramenti ratione Pontifici M. Imperator ſubjiciatur. At falli Proteſtantes iſtos, ac germanam profecto formulam eſſe Caroli M. Teſtamentum §. 15. apud Baluzium To. 1. p. 444. evincit, quo loci Eccleſiæ S. Petri defenſionem, ſicut ab Avo Carolo Martello, & a Patre Pippino ſuſcepta fuerat, ſic ab ipſo pariter fuiſſe ſuſceptam, eamdemque hæreditario veluti jure transfundi in Filios profeſsus legitur, non ſecus atque apud Chronographum Moſiacenſem ad an. 801. Præter etiam Sigonium

gonium paullo ſupra relatum, eamdem formulam ex duplici Pontificali Conſtantinopolitano annorum 500, alteroque Arelatenſi an. 400 exhibet Martenius de Antiq. Eccl. Ritib. To. 2. lib. 2. cap. 9. de Imperat. bened. inſcripto Ordine 7. p. 591, ſeq. edit. Antuerp. 1736. Qui §. 8. item obſervat veteri fuiſſe in more poſitum, ut Imperator, antequam Mediolani inauguraretur, *in Romani ſe Pontificis auctoritate fore*, ſacramento polliceri debebat. In formula quoque Coronationis Aquiſgrani peragendæ ex Cod. Ms. Bibl. Regiæ n. 4226. annorum minimum 300. deſcripta Ord. 4. Colonienſi Archiepiſcopo ſub jurejurando ſpondere debuiſſe fidem Catholicam ſe retenturum, Eccleſiæ defenſioni non defuturum, ac *Romano Pontifici*, *ac S. Romanæ Eccleſiæ ſubjectionem debitam*, *& fidem reverenter exhibere*. Præterea Cap. 23: in Addit. Ord. 9. p. 846. ex Cod. Ms. Chiſiano pridem a Mabillonio eruto formulam profert alteram, juxta quam Imperator ante inaugurationem jurejurando polliceri debebat *S. Petri Succeſſori D. Papæ fidelitatem*, *Protectorem*, *& defenſorem S. Romanæ Eccleſiæ*, *ejuſque perſonæ ſe futurum*. Junge, quod pacta cum Michaele Græcor. Imp., poſt Imperium Rom. adeptum, a Carolo M. inita, Leoni III. probari ſollicitum uterque ſe dedit: rati nempe tum demum ea tenere, & obtinere, poſtquam Rom. Pontificis deſideratus eiſdem acceſſiſſet aſſenſus. Ita referunt Ado Vien. in Chron., & Regino Prum. Chron. lib. 2. ad an. 818. Neque officit, neque moram inferre debet, quod ab ipſo Leone III. poſt coronationem adoratum Carolum M., antiquorum more Principum, referant Annales Wirceburgenſes ad an. 816, Loiſeliani, Fuldenſes, Tiliani, Laureſhamenſes, Bertiniani, Metenſes &c., unde ſubjectionis argumentum ſe trahere fruſtra putavit Heumannus de re Diplom. To. 1. cap. 2. §. 53. n. 4. p. 51. Nam ibi nomine adorationis ſubmiſſam intelligi ſalutationem debere ex Gothofredo ipſo ad Leg. unic. *De Præpoſitis Sacri Cubiculi* Cod. Theod., & Salmaſio ad hiſt. Auguſtam obſervare non deſtitit Ecchardus ipſe Franc. Orient. To. 2. rer. Franc. lib. 26. §. 3. p. 4. Et certe Pontificia dignitas ab omni prorſus independens in Leone inde adparuit, quod gravium criminum in noxam vocatus, ad omne amoliendum a ſe ſcandalum propria ſe voluntate purgatus, non a quopiam

piam vi adactus, legitur apud Ecchardum To. 2. p. 2, & Harduinum To. 4. p. 936, seq. Ludovico Pio Leonis III. sententia Imperium confirmatum liquet ex eodem Caroli M. Testamento ad Pontificem missо apud Baronium ad an. 806. n. 18, seqq., quo a Pithœi in præf. ad Script. 12. hist. Franc. dubitatione vindicant Baluzius Capitul. To. 2, Mabillonius Analect. To. 4, Cointius, & Pagius n. 6, seqq. Imperium, quod ipsi deinde in Episcoporum Conventu Lugdnni habito, decretoque edito eripere ipsius Filii, & cum hisce conspirantes Galliar. plerique Præsules tentabant, eo rescisso decreto, minisque intentatis, a Gregorio IV. confirmatum ei fuisse, vindicatumque referunt Paulus Æmilius de rebus gest. Franc. lib. 3, Marianus Scotus Chron. lib. 3, & Theganus cap. 41, atque indicant Regino lib. 2, & Aimoinus lib. 5. capp. 14, & 16: ex quibus refellitur Sigebertus conspirationis in Ludovicum Pium Gregorium IV. participem agere haud veritus. A Stephano IV. deinde Imperiali diademate Ludovicum insignitum, ac vicissim ab ipso Pontifici ingentia obsequii argumenta reddita tradunt Anastasius Bibl., Scriptor vitæ Ludovici cap. 38, seq., Eginhardus, Theganus de gestis Ludovici cap. 16, seqq., & Carolus Calvus in epist. ad S. Nicolaum I. Donationis a Ludovico Pio, non secus atque deinde ab Othone I, & S. Henrico II. Rom. Ecclesiæ factæ exemplar ex veteri Codice Ms. Vatic. n. 1984. ætate Gelasii, & Calliſti II. exarato profert, & vindicat Dominicus Georgius in Append. To. 13. Baronii edit. Lucen., non secus atque Cennius in Append. ad Orsium de Orig. Dom. Eccl. Rom. edit. 1754. Lotharium nonnisi Paschalis I. auctoritate Imperatorem audivisse testatam rem faciunt Eginhardus ad an. 823, Agobardus in epist. ad Ludovicum Pium, & Paschasius in vita Walæ Abb. Corbejen. apud Mabillonium Sæculo IV. Bened. p. 513. Qui præterea sub Eugenio II. Romæ Constitutione edita, quam ex Collectione Deusdedit lib. 1. cap. 242, seqq. integram exhibet Holstenius in Collect. Rom. par. 2. p. 218, & ex ipso Harduinus To. 4. p. 1261, & Pagius ad an. 824. n. 3, Cap. 1. *Ut Domno Apostolico in omnibus justa servetur obedientia*, decrevit, & cap. 3. Romano Clero liberam eligendi Pontificem manere potestatem, quin ullus impedimentum apponere audeat, jubet. A Lothario porro Exarchatum Ra-

Ravennatem Pontifici ereptum ſcripturiit Bartholomæus Dulcinus de var. Bonon. ſtatu lib.2. apud Grævium Script.Ital. To.7. par.1. p.33.Sed enim Scriptorem hunc nuperum ſub initium nempe ſæculi elapſi XVII. refellit Rubeus hiſt. Raven. lib. 5. ad an. *966*, ubi ab Othone I. Ravennam, Exarchatum, aliaque loca, quæ Berengarii olim occupaverant, Pontifici reſtituta commemorat. Non itaque a Lothario, ſed a Berengario ereptus Exarchatus fuerat. Cujuſce rei argumento etiam eſt, quod ſtatim ſub Ludovico Lotharii filio in cauſſa mere temporali Ravennates Cives inter, & Johannem Archiepiſcopum Judex, non Ludovicus tum Ticini degens, ſed S. Nicolaus I. interpellatus eſt, qui plane Ravennam profectus Judex pro Tribunali ſedit, litemque diremit, Anaſtaſtio Bibl. teſte in ejus vita. Ludovicum II. imperio adauctum a S.Leone IV. adfirmat Annaliſta Bertinianus ad an.850, neque niſi ab Apoſtolica Sede imperandi Francos accepiſſe poteſtatem ipſe confirmat in Apologet. ad Græcum Imp., de qua Baronius ad an. 871. n. 59, quem demum obedientia S. Nicolao I. devinctum tradit Anaſtaſius Bibl. Carolo Calvo deinde ipſius Imperium armis tentanti, legatis, ac litteris miſſis, Apoſtolicæ Sedis objecit auctoritatem, ac minas Hadrianus II, cui parendum ille ducens a cœptis deſtitit, teſtibus Aimoino lib. 5. cap.24, & Annaliſta Bertiniano ad an. 869, ratus nempe una Pontificis M. auctoritate Imperium ſtare, aut cadere. S. Nicolao I. obedientia perinde obſtringere ſeſe idem Carolus Calvus epiſtola ad ipſum data religioni duxit apud Harduinum To. 5. p. 686, non ſecus atque Johanni VIII, a quo Imperiali diademate inſigniri promeruerat, uti fidem indubiam faciunt Synodus Ticinenſis an. 876. in Allocut. ad eumdem, & capp. 1, & 2. ejuſdem juſſu ſancitis, ac Synodus Romana an. inſeq. in ſerm. a Pontifice habito. Una ejuſdem Pontificis voluntate (Ludovicum Balbum non utique, uti perſuaſum Baronio fuit ad an. 877. n. 17, Struvio hiſt. Germ. diſſert. 9, aliiſque, quem Regiis dumtaxat inſignibus decoratum ex actis Synodi Trecenſis II. an.878. a Bertiniano Annaliſta deſcriptis, aliiſque Chartis ejuſdem Ludovici verius oſtendunt Sirmondus in adnot.ad Synodum Trecenſem, Pagius ad an. 878. n.3, & Saxius in Not. 95. ad Sigonium de Regno Ital. To. 2. lib. 5. p. 339, ſeq.) bene vero Ca-

Carolum Crassum ad Imperii fastigium erectum testantur epistolæ 160, 172, 216, & 269. ad eumdem Carolum exaratæ, quibus jungenda simili de argumento epistola 155. ad Anspertum Mediol. Archiep. Aliud nunc accipe Pontificiæ Imperium transferendi potestatis specimen: nam Carolingia prætermissa stirpe, tum Widoni, non a Formoso, uti Baronio visum est ad an. 892. n. 1. seq., sed a Stephano V, aliis VI, ut ex Sigonio de Regno Ital. lib. 6. ad an. 891. To. 2. p. 358, & ex Joh. Berardo in Chron. Casaurienſi apud Dacherium Spicileg. Tom. 5. p. 397. ostendit Pagius ad an. 892. n. 2, atque ex Widonis Diplomate pro Monasterio Ticinensi apud Ughellum To. 2. nov. edit. p. 151, & Muratorium Rer. Ital. To. 2. par. 1. p. 416. evincit Mansius ibid. in Not., tum Lamberto Widonis filio a Formoso an. 892, testibus Flodoardo lib. 4. cap. 2, & Chronographis Cassinensi, & Farfensi, tum Berengario, non a Johanne IX, ac iterum a Johanne X, ut putavit Baronius, sed ab hoc posteriori dumtaxat, ut observat Pagius ad an. 915. n. 3, seqq., Imperialis dignitas est delata: quos tres non origine Francos, ut suadere conati sunt Valesius in præfat. ad Carmen de laudibus Berengarii, & Pagius ad an. 892. n. 4, sed Italos, sive Langobardos tradit Sigonius de Regno Ital. lib. 6. To. 2. p. 355, quam perperam ideo reprehendit Pagius ad an. 950. n. 2, & comprobant Scipio Ammiratas hist. Florent. lib. 1. p. 20, & Cosmus de Rena in serie Ducum, & March. Tusciæ p. 124, ac 130, uti notat Saxius ad cit. Sigonium. A Widone Donationes Pippini, Caroli M., & Ludovici Pii confirmatas refert ibid. Sigonius p. 358, a Lamberto quoque p. 369, liquetque ex Synodo Ravennate Cap. 3, in qua sicut in Romana, quas simul confundit Sigonius, anno non 904, ut Baronio, Labbeo, Harduino &c. putatum, sed an. 898. habitis, ut ostendit Pagius n. 4, Arnulpho abdicato, confirmata ei dignitas est. Arnulphum igitur e Stirpe Carolingia postremum accersitum, adversus Lambertum tyrannidem exercentem, an. 896. Romæ Imperiali diademate a Formoso inauguratum referunt ad eumdem an. Hermannus Contractus, Regino, & Continuator Freherianus Annal. Fuldensium apud Duchesnium To. 2. p. 58, ubi formula juramenti, Formoso præcipiente, a Romanis Arnulpho præstiti exhibetur, qua ipsi fidelitas quidem despondetur, salva

va tamen, integraque fidelitate Pontifici debita: quod indicium eſt haud obſcurum unum Pontificem ceu ſupremum Dominum habitum. E Burgundia Arelatenſis Regis Boſonis filius accerſitus deinde Ludovicus III. dictus Orbus an. non 900, ut contendit Pagius n. 14, ſeqq., & ad an. 902. n. 13, ſeqq., ſed an. 901, ut cum Sigonio de Rege Ital. lib. 6. p. 377. ex Ludovici Diplomatibus oſtendunt Saxius ibid. Not. 50, & Manſius in Not. ad Baronium To. 15. edit. Lucen. p. 507, Benedicti IV. beneficio Imperium, præ Ludovico Arnulphi filio, cui alioquin ut Imperium conferretur, fruſtra Johannes IX. a Germ. Epiſcopis rogatus fuerat apud Harduinum To. 6. par. 1. p. 481., adeptus, Berengario, cujus juſſu excæcatus eſt, cedere tandem eſt coactus: qua de re Pagius ad an. 902. n. 13, ſeqq., & Manſius ibid. in Not p. 525. Ex quibus adparet falſo Boſſuetium Defenſ. par. 2. lib. 6. cap. 40. adfirmaſſe Populi Romani pari conſenſu a Gallis ad Germanos translatum Imperium fuiſſe, illudque in Germanis perinde hæreditarium evaſiſſe: nam antequam e Gallis ad Germanos derivaretur Imperium, ſpatio annorum 60. circiter Italos, ſive Langobardos, ac Burgundiones, ſola Pontificis M. auctoritate, Imperio potitos, iſtudque, Berengario interfecto, annis 38. vacaſſe, ideſt ab an. 924, quo in Berengario finiit, uſque ad an. 962, quo in Othone I. cœpit, ex dictis liquet.

Eadem igitur auctoritate, qua e Græcis in Gallos a Leone III, a Gallis in Langobardos a Stephano V, a Formoſo, a Johanne X, e Langobardis in Burgundiones a Benedicto IV. Imperium tranſfuſum fuiſſe dicebamus, in Germanos tranſcriptum demum eſt a Johanne XII, Othone I. in Imperatorem inaugurato, qua de re Luitprandus lib. 6, cap. 6, Regino ad an. 962, Ditmarus Chron. lib. 2, Lambertus Schafnaburg. in Chron. ad cit. an., Sigonius de Regno Ital. lib. 6. in fine To. 2. p. 424: quo loci Othonem ad aram S. Petri deductum ſolemni ſe ſacramento devinxiſſe, ſe *Eccleſiæ Romanæ ſemper in auctoritate futurum* ſpondendo, ſubjungit. Et certe Othonem Johanni XII. ad Rom. Eccleſiæ defenſionem jurejurando ſe obſtrinxiſſe, rataſque habuiſſe Donationes Pippini, Caroli M., & Ludovici Pii, docemur liquido ex ipſius Diplomate relato a Gratiano Can. 33. *Tibi Domino* diſt. 63, a Balu-

Baluzio To. 1. Capit. p. 591, & a Ludevig Script. Germ. To. 2. p. 208, emendatius vero recenſito e Codice Mſ. Vatic. a Georgio in Append. ad Baronii Annal. To. 13, & e Cod. membranaceo Caſanatenſi Sæculi XI. circiter a Garampio in Append. diſſert. de Nummo arg. Benedicti III. p. 168. Quæ viciſſim imprudenter a Gratiano Can. 23. *In Synodo* diſt. 63, & a Goldaſto Conſt. Imp. To. 1. p. 221. profertur, atque a Leone vere promulgata viſa eſt Bellarmino de Clericis lib. 1. cap. 9, Petro de Marca de Conc. lib. 8. cap. 12, & 29, & Cabaſſutio in Not. Eccleſ. Sæculi XI, Conſtitutio in Romana Pſeudo-Synodo a Leone VIII. Pſeudo-Pontifice edita, qua Othoni I. poteſtas eligendi Pontifices, & Inveſituras Epiſcopis concedendi, ad exemplum conceſſionis ab Hadriano I. Carolo M. factæ, conceſſa dicitur, non ſecus atque Conſtitutio altera, qua fertur idem Pſeudo Pontifex Othoni pariter reſtituiſſe, quidquid a Pipino, Carolo M., & Ludovico Pio Rom. Eccleſiæ fuerat conlatum, ſubdititiam, ac longe poſt utramque procuſam oſtendunt Baronius ad an. 964. n. 22, ſeqq., Pagius n. 6, ſeq., Gretzerus in Apolog. Baronii cap. 19, & contra Replicatorem cap. 14. Oper. To. 6. p. 214, & 400, ac Georgius in Not. ad Baronium To. 16. edit. Lucen. p. 149, ubi e Codice Vatic. n. 1984. poſt initium Sæculi XII. exarato illam exhibet, recens eſſe commentum oſtendit, nec ejuſdem antiquius exemplar producere Goldaſto licuit, quam ex Theodorico Niemo Sæculi XV. Scriptore. Othoni II, vivente Patre, a Johanne XIII. in Synodo Romana an. 968, cujus mentio nulla apud Concil. Collectores, fit vero ab eodem Pontifice in Diplomate pro Cœnobio Grandensheimenſi, quod integrum recitat Innocentius III. lib. 8. epiſt. 43, ac refertur a Lunig Spicileg. Eccleſ. n. 32, & a Georgio, & a Manſio recolitur in Not. ad Baronium To. 16. p. 169, ſeq., Imperiale diadema impoſitum liquet ex mox laudato Diplomate, ex epiſtola Othonis I. ad Germanos apud Witichindum lib. 3. in fine, ex Continuatore Reginonis, & Chronographo Hildesheimenſi ad an. 967. A Gregorio V. Imperator renuntiatus Otho III. traditur ab Hermanno Contracto ad an. 996, & a Scriptore vitæ S Adalberti Pragen. apud Baronium ad cit. an. n. 27, & Mabillonium Sæculo V. Bened. Ita deinceps Imperiali diademate inſigniti leguntur S. Henricus II,

ricus II, (ante quem Conradus I,& Henricus I,etſi Germaniæ Reges fuerint,non item Imperatores audire promernere,quod Rom. a Pontifice ad Imperii faſtigium promoti non fuiſsent), a Benedicto VIII. apud Glabrum lib. 1. in fin., fidei præſtito juramento, confirmatiſque Donationibus Pippini, Caroli M., Ludovici Pii, & Othonis I. apud Baronium ad an. 1014. n. 7, ſeqq., Georgium, Cennium &c.; Conradus II, Salicus denominatus, a Johanne XIX. apud Wipponem in ipſius vita ad an. 1027, ubi eum ante Regem vocat, quam Romæ inauguratus eſset, poſtea Imperatoris nomine cohoneſtat: confer & Muratorium Script. rer. Ital. Tom. 2. in Not. ad Chron. Farfenſe p. 560, ſeqq.; A Clemente II. Henricus III. dictus Niger, de quo idem Pontifex in epiſt. ad Bamberg. Eccleſ., quam ex Gretzero de Divis Bamberg. ad vitam S. Henrici cap. 16. deſcribit Papebrochius in Conatu Chron. §. 152. edit. Ven. 1749. To. 2. p. 292, ſeq. Henricus IV, etſi ſceleſtiſſimus, aliquando tamen ſapere edoctus, Alexandro II, S. Gregorio VII, & Paſchali II. obſequentem ſe præſtitit, & ad obediendum paratum, qua de re loquuntur ipſius epiſtolæ ad S. Gregorium VII. lib 1. poſt epiſt. 29, & lib. 3. epiſt. 5, ad Paſchalem II, & ad Principes Imperii, adeundique Baronius ad annos 1069. n. 3, 1073. n. 43, ſeq., 1074. n. 18, 1075. n. 22, 1076. n. 60, ſeqq., 1077. n. 1, ſeqq., 1105. n. 6, ſeq., & 1106. n. 15, ſeqq., ac Harduinus Tom. 6. par. 1. p. 1356, 1481, & 1485. Hujus filium Conradum Urbano II. ſtratoris officium exhibuiſſe, ac fidelitatis juramento ſe obſtrinxiſſe refert Bertholdus Conſtant. apud Baronium ad an. 1095. n. 8. Filius alter Henricus V, Conrado Urſpeng. teſte apud eumdem Emin. Annaliſtam ad an. 1105. n. 4, ſeq. Imperium Patri reſignare, modo *S. Petro, ſuiſque Succeſſoribus ſubjici velit*, ſive ut infra loqui pergit, *Apoſtolicæ ſe ſubjecerit obedientiæ jugo*, paratum exhibuit ſe ſe. Ipſe a Paſchali II. imperandi jus quærens fidei dato ſacramento obedientiam ſpopondit, veluti teſtes accedunt Domnizo in vita Mathildis, Petrus Diacon. in Chron. Caſſin. lib. 4. cap. 38, ſeq., & Paſchalis epiſtola ad ipſum apud Baronium ad an. 1110. n. 6: qui tamen beneficio, quo a Paſchali ad Imperii faſtigium exaltatus fuerat, ingratus infeſtum ſe extemplo Pontifici hoſtem præſtiterit, non ſecus atque ſubinde Gelaſio II,

& Calliſto II, cujus poſtremi in fidem, & obdientiam ſe denuo transcribere officio duxit, uti refert Urſpergenſis apud Baronium ad an. 1122. n. 6. Innocentio II, cujus juſſu Imperium injerat, cum ſtratoris officium dependiſſe Lotharium II, tum fidelitatis religione ſe devinxiſſe, certis documentis oſtendit Baronius ad an. 1131. n. 7, & 1133. n. 2. Statim ac vero ejuſdem Innocentii II. opera Imperium adire Conrado III. fas fuit, qua de re Otho Friſing. lib. 7. cap. 22, ſeqq., is a S. Bernardo epiſt. 183. de obedientia Pontifici M. impendenda admonitus eſt. Ut fuerit vero Fridericus I. Ænobardus homo poſt natos homines Pontificibus Eugenio III, Anaſtaſio IV, Hadriano IV, Alexandro III, Lucio III, & Urbano III. infenſus, infeſtuſque, ut ad Imperii tamen aſcenderet apicem, Eugenii, & Hadriani ſubire leges debuit, ac fidei dato ſacramento faſces ſubjugare, cui etiam poſteriori ſtratoris officium, Principum hortatu, præſtare, ut habent Cencius Camerarius, & Codex Vatic. apud Baronium ad an. 1152. n. 5, & 1155. n. 7, ſeq. Imperium Pontificis beneficio obtinuiſſe deinde negans, Imperiique Principes ipſi ſententia adhærentes graviſſimis litteris ab Hadriano errorem docti ſunt: quibus oſtendit Apoſtolicæ Sedis auctoritate a Græcis in Francos, indeque in Germanos Imperium fuiſſe transfuſum, nec ante Imperatoris nomen affectare fas eſſe, quam a Pontifice fuerit inauguratus. Atque ſane invitis Romanis, unius Hadriani arbitrio Imperium a Friderico adquiſitum refert Anonymus Caſſinenſis a Camillo Peregrino, ſive Caracciolo illuſtratus, nec ante Imperatoris ſe inſignire nomine, quam a Pontifice inauguratus fuiſſet, auſum Fridericum adparet ex ipſius Diplomatibus apud Ughellum To. 4. p. 465, & To. 5. p. 524. Alexandro III. perinde minis quin etiam impetitus a Principibus Imperii, niſi Pontifici obedientiam demum impenderet, ſubjicere ſe ſe, ac ſtratoris officium exhibere non abnuit: qui propterea Emanueli Comneno Græco Imp., ut eidem Pontifici obedientia ſe devinciret, auctorem per epiſtolam ſe præbere dedignatus non eſt, ut fidem indubiam facit Auctor Vatic. apud Baronium ad an. 1177. n. 14, ſeqq. A Lucio III. fruſtra deinde popoſcit, ut Henrico filio imperandi copiam faceret, Arnoldo Lubecenſi teſte in Chron. Slavor. lib. 3. cap. 10. apud Baronium ad an. 1185. n. 4. Epiſcopos autem, qui

Me-

Mediolani, inſcio Pontifice, infulis illum redimire fuerunt auſi, officio ab Urbano III. ſuſpenſos tradit Chronographus Acquicintinus ad an. 1186. apud Pagium Jun. in Brev. Ab Imperii Præſulibus admonitus vero Fridericus, Arnoldo Lubec. teſte cap. 18, ſubjici dein Urbano III didicit, cujus Pontificis lectu valdequam dignæ apud Ludevig. Reliq. To. 2. p. 409. litteræ, quibus cum Friderici accuſationum capita diſpungit, tum de repulſo ab Imperio Henrico filio rationes expromit. A Cæleſtino III. tamen, poſtquam ei fidei ſacramento obſtrinxiſſet ſe ſe, Imperator dici promeruit Henricus VI, de quo Arnoldus lib. 4. cap. 4, Rogerius Hovedenus ad an. 1191, &c., videndique Muratorius in Annal. Ital. ad eumd. an. n. 72, Thomaſſinus To. 2. lib. 3. cap. 65. n. 5, & Catalanus in Præfat. ad Annal. Murat. To. 1. p. 299, ſeq. De Imperio decertantibus Othone IV. Saxone, & Philippo Suevo, litem definire ad ſe ſpectare abunde ſcripſit Innocentius III, uti ſupra dictum eſt, qui propterea Philippo, etſi obedientiam pollicente omnem apud Raynaldum ad an. 1203. n. 28, 1206. n. 16, & 1207. n. 7, repulſo, ut Othoni illud obveniret, auctorem ſe præbuit, ab ipſo tamen prius accepto fidelitatis, obedientiæque juramento ibid. ad ann. 1201. n. 15, & 17, ac 1202. n. 28. Sed in hoſtem Innocentii ingratiſſime converſus, ideo Friderico II. locum facere coactus eſt, qui eidem Innocentio, & Honorio III. obedientia deſponſa apud Raynaldum ad an. 1213. n. 23, 1215. n. 38, ſeqq., 1217. n. 41, & 1219. n. 7. Imperii diademate legitur donatus ibid. ad an. 1220. n. 21, ſeqq, ac 1223. n 19: quique demum ingentibus flagitiis implicitus, juſtiſſimas Gregorii IX, & Innocentii IV. expertus eſt iras. Poſteriori viciſſim huicce Pontifici, a quo in ſe Imperii vicibus jura transfuſa fuerant, ſacramento fidem, obedientiamque dependere officio, religionique duxere tam Henricus VII. Raſpo, quam Willelmus Hollandiæ Comes: etſi neuter Imperatoribus adnumeratus ſit, ideo quod Romæ neuter auguſtalibus fuerit exornatus inſignibus. Conradino Imperium deferri Alexander IV. epiſt. ad Moguntinum Archiep, & Urbanus IV. epiſt. ad Bohemiæ Regem relatis a Raynaldo ad an. 1256. n. 3, & 1262. n. 4. diſtricte prohibuere, ad quos perinde diverſa Imperii Principes in ſtudia diſtracti, pro Richardo Cornubiæ Comite ſtantibus aliis, aliiſque pro Alphonſo

Castellæ Rege, dirimendam Imperii causſam dimittere religioni duxere. Electus uterque, etſi obſequii, fidei, obedientiæque officio omni apud Sedem Apoſtolicam decertaret, qua de re Raynaldus ad an. 1257. n. 8, 1258. n. 14, 1262. n. 2, 1264. n. 37. &c., tum ab Urbano IV, tum a Clemente IV, tum a B. Gregorio X. utrique indicta dies ad Imperii diſceptanda jura, apud eumdem Annaliſtam ad an. 1263. n. 57, 1265. n. 58, 1266. n. 34, 1267. n. 22, 1268. n. 42, & 1272. n. 34: utroque deinde Imperio abdicato a B. Gregorio X. ibid. ad an. 1274. n. 5, 45, 50, ſeqq., in Imperatorem admiſſus eſt Rodulphus Habſpurgenſis, non ante tamen, quam fidei ſacramento obſequium, defenſionem, obedientiamque deſpondiſſet tum B. Gregorio X, tum Nicolao III, tum Honorio IV, tum Nicolao IV, ab iis Romam ad Imperii recipiendas inſulas invitatus: qua de re Raynaldus ad annos 1274. n. 6, 55, 1275. n. 2, 36, 1278. n. 45, ſeq., 1285. n. 22, ſeq., 1286. n. 1, ac 1289. n. 46, Fontaninus in diſſert. hiſt. de Apoſt. Sedis Imp. §. 54, ſeqq., Defenſ. 1, §. 14, ſeqq., & Defenſ. 2. §. 63, ſeqq., ac Cennius in Ephemer. Rom. an. 1747. Art. 11, & ex ipſo Catalanus in præfat. ad To. 8. Annal. Ital. Muratorii To. 1. p. 433, ubi ex apographo Emin. Card. Paſſionei deſcripto ex autographo Monaſterii Clarævallenſi Zvvetel in Auſtria Diploma Imperii Principum exhibetur, quo Rodulphi Diploma *ſuper fidelitate, obedientia, honorificentia, & reverentia per Romanos Imperatores, & Reges Romanis Pontificibus, & ipſi Eccleſiæ impendendis, ac poſſeſſionibus, honoribus, & juribus ejuſdem Eccleſiæ* &c. confirmatur: unde patet non fuiſſe plane, cur ideo Rodulpho ſubindignaretur Hyppolithus a Lapide de ratione ſtatus in Imp., quod præter modum Pontifici ſe ſubjeciſſet. Bonifacio VIII. obſequium, & obedientiam ab Adolpho Naſſovio delatam eloquuntur ad ipſum redditæ Pontificis litteræ apud Raynaldum ad an. 1295. n. 44. De Imperio ab eodem Pontifice Albertus Auſtriacus poſtulatus, fide deinde Pontifici integre obligata, cenſuris ſolutus, ſacramentiſque, quibus ſe Principibus aliis obligaſſet, reſciſſis, gradu confirmatus legitur apud Raynaldum ad an. 1301. n. 2, ſeqq., & 1303. n. 2, ſeqq., ac Rubeum in vita Bonifacii p. 55. Tam vero Philippus Pulcher a Pontifice Imperium a Germanis in Gallos, ideſt in Carolum Valeſium Fra-

trem

trem transferri, si fides adhibenda Villanio lib. 8. cap. 62, quam idem Albertus illud hæreditarium in filios transfundi, Alberto Argentin. in Chron. teste, enixis deposcentes votis, exauditi non sunt. Henrici VII. Lucemburgii, postquam Apostolicæ Sedi fidem, obedientiamque pro more juraſſet, electionem confirmavit Clemens V. ea lege adjecta, ut intra biennium Romam accederet Imperiali diademate redimendus. Quam impleturus legem Romam adveniens præter fidei professionem, fidelitatis quoque sacramento Pontifici M. se obstrinxit: quod postea inficiantem perfidiæ suis ipsius litteris redarguit Pontifex, apud Raynaldum ad an. 1309. n. 10, seqq., ac 1312. n. 37, seqq., cujus hac de re legenda Constitutio in Concilio Viennensi edita; quæ est Clementina un. *Romani* lib. 2. tit. 9. *De Jurejurando*.

A Friderico Austriaco, & Ludovico Bavaro de Imperio depugnantibus per Oratores quidem Johanni XXII. præstita obedientia est, sed uterque repulsus, quod neutrius indubitata jura constarent. Quum Ludovicus nihilosecius pro Imperatore se gerere non abstineret, justas Pontificis expertus est iras, sententia lata, qua inter alia personæ ad Imperium promotæ *Examinatio, approbatio, ac admissio, repulsio quoque, reprobatio* Pontifici reservatur, & adstruitur. Refertur a Raynaldo ad an. 1323. n. 30, seqq., adeundo etiam ad an. 1314. n. 24, seq., quo loci Hervvartum in Ludovici defens. Johanni P. M. iniquum refellit. Refelliturque sane litteris tum Johannis, quibus Ludovicus pro Ecclesiæ recuperanda gratia ad ponendum Imperium paratus adparuit, tum litteris Benedicti XII. ad Germ. Præsules, quibus refractario illi defuisse nunquam Ecclesiam ostendit, sed illo Imperium gerente tutum esse Sacerdotium nequire, Imperatoris denique caussam Apostolicæ Sedi reservatam esse, tum Ludovici ad Benedictum XII. legatione, ac litteris, quibus pro venia impetranda, fidelitateque præstanda, totum se impendere non ambigit; tum repetitis ipsius ad Clementem VI. litteris, quibus Pontifici se, suaque integre subjicit apud Raynaldum ad annos 1334. num. 19, seqq., 1335. num. 2, seqq., 1336. nu. 18, seqq., 1338. n. 3, seqq., ac 1344. num. 10, seq. Carolo IV. Bohemo, exacto fidei sacramento, legibusque indictis, Imperii dignitas a Clemente VI. con-

confimata eſt, qua de re abunde loquuntur utriuſque litteræ apud Raynaldum ad an. 1346. n. 24, ſeqq., & 1347. n. 2, ſeqq. Extat in Codice Serm. Clementis VI. Collatio ab eodem habita, qua ad Imperialem celſitudinem illum nominat, & adſumit, defectumque, ſiquis illius in electione interveniſſet, omnem ſupplet, illique obedientiam a Vaſſallis deberi decernit. Fruſtra vero apud Innocentium VI, cujus juſſu Romæ ab Epiſcopo Oſtienſi Imperii inſulis fuerat redimitus, egit Carolus, Spondano teſte ad an. 1359, ut duæ Clementis V. Conſtitutiones *Romani*, & *Paſtoralis* relatæ tit. de Jurejur., & de Sentent., & re Jud., cauſſatus illis Henrici VII. Avi ſui memoriam obfuſcari, reſcinderentur, obnitente contra Pontifice, eaſque integras manere jubente, tanquam quæ magna conſilii deliberatione editæ eſſent. Ad ejus preces tamen inflexus Gregorius XI. Wenceslaum, ad cujus alioquin *Electionis celebrationem*, fatebatur in litteris ad Pontificem Nuremberga 9. Mart. 1376. Ind. 14. exaratis, *Nobis viventibus procedi non valeat ſine veſtris beneplacito, aſſenſu, & gratia, & favore*, eligi permiſit, ea lege tamen, ut formulæ juramenti conſuetæ ante ſubſcriberet, nec Imperii adminiſtrationi ſe ingereret, ab Imperatoris, Regiſque quinimo titulo abſtineret, donec ab Apoſtolica Sede indulta ei facultas eſſet, ipſeque ſolemni fuiſſet inauguratione ſalutatus, apud Baluzium in Vitis Papar. Avenion. p. 800, & Raynaldum ad an. 1376. n. 13, ſeqq. Imperio, quod deinde confirmatum ei fuerat ab Urbano VI, & Clemente VII, quove prorſus indignum ſe præbebat, ex Bonifacii IX. ſententia, abdicatus demum ab Electoribus eſt, Ruperto Palatino ſuffecto, qui Pontifici obedientiam præſtare non diſtulit per Conradum Satalem Verdenſem Epiſcopum, a quo oratione in Cardinalium cœtu habita dejiciendorum Imperatorum, Regumque poteſtas abſque ambagibus Pontifici M. diſerte adſerta eſt, confirmatoque ſibi Imperio, per alios iterum Oratores fidei ſacramento Pontifici obſtringere ſeſe officio duxit, apud Raynaldum ad an. 1401. n. 2, ſeqq., & 1403. n. 8. Præter obſequentiſſimi animi officia, quæ Johanni XXIII. præſtitit, ſtratoris obſequia, quæ Martino V, & Eugenio IV. præbuit, fidem etiam conſueta ex Cæſarum formula poſteriori huic, a quo demum Imperiali inauguratus eſt diademate, obli-

obligare ſuam religioni habuit Sigiſmundus; qua de re Raynaldus ad an. 1414. n. 12, 1418. n. 36, & 1433. n. 12, ſeqq. Quæ monita perinde, mandataque de obedientia, defenſioneque Rom. Pontifici dependenda ab eodem Eugenio data fuerint Alberto II, ex ejuſdem litteris exhibet idem Annaliſta ad an. 1439. n. 22. A Friderico III. Septemvirum conjurationem in Eugenium IV. cohibitam, Nicolao V. ſtratoris officium exhibitum, ac fidem ſacramento, Imperii diademate ab ipſo redimendo, obligatam, Calliſto III. item, Pio II. ſupplices, infimaſque oblatas preces, Paulo II. ſtapedis obſequium præſtitum, Sixto IV. defenſionem impenſam adverſus Andreæ Crajanenſis inſultus, multis denarrant Gobelinus in Comment. Pii II. p. 13, ſeqq. edit. Francof., S. Antoninus Chron. p. 3. tit. 22. cap. 11. §. 17, Leibnitius Codic. Diplom. par. 1. p. 77, Mullerus in Theatro Comit. ſub Friderico III. cap. 8, Card. Papienſis epiſt. 282, & Raynaldus ad an. 1452. n. 3, 1469. n. 3, & 1482. n. 25. Ad ejus preces, Electorumque Maximilianum I. in Romanorum eligi Regem, Imperatorem poſt obitum Patris evaſurum, permiſit Innocentius VIII, accepta prius fidei, obedientiæque ſponſione ex præſcripta formula, quam refert Freherus Rer. German. To. 3. p. 27, ex ipſoque Raynaldus ad an. 1486. n. 44, juxta quam Julio II. perinde fidelitate Imperator factus ſemet obſtrinxiſſe legitur in Diario Curiæ Rom. Joh. Burchardi Cærem. Magiſtri apud Ecchardum Hiſt. medii ævi To. 2. p. 2159. Qui eum in Imperio excepit, Carolum V. ſuæ adſentiri electioni, niſi ante ſuo adſenſu, ſuaque auctoritate Leo X. P. M. acceſſiſſet, religioſe noluiſſe liquet ex ipſius Apolog. apud Goldaſtum To. 1. p. 479; electo item ab Electoribus leges inter alias eam impoſitam de Romana Eccleſia tuenda, colendaque retulit Card. Legatus Cajetanus in litteris ad Leonem X, indicant Pontificis ad Cæſarem litteræ, quibus addendus Paris de Graſſis Cærem. Magiſter apud Raynaldum ad an. 1519. n. 24, ſeqq., ac 1521. n. 81, ſeqq. Eum deinde Clementi VII, a quo Imperator Bononiæ inauguratus eſt, ſacramento fidem obligaſſe, Rom. Eccleſiæ Advocatiam deſpondiſſe, ſtratoriſque officium exhibuiſſe, teſtatam rem faciunt Jovius lib. 27, Struchius lib. 2. adv. Luther. p. 45, ac Raynaldus ad an. 1530. n. 18, & 38. Ideo vero, quod inſcio

inscio Pontifice, inconsultoque, Imperio subinde se abdicasset; Electorumque suffragio in Ferdinandum I. illud transfudisset, indignatus Paulus IV. inficias id totum ivit apud Raynaldum ad an. 1558. n. 8: quod pacis bono deinde probandum visum est Pio IV, cui plane Ferdinandus per litteras officii refertissimas *Fidelem observantiam* præstare cordi habuit apud Bzovium, & Raynaldum ad an. 1560. n. 2, & Hofmannum in nova Script., & Monum. Collect. To. 1. p. 763. A Maximiliano II. obsequium quidem Pio IV. oblatum, non etiam obedientiam desponsam post Sarpium hist. Concil. Trid. lib. 8, & Schilterum de libert. Eccl. lib. 7. cap. 10. §. 10. contendit Buderus de Legat. Obed. cap. 1. §. 35, qui perinde §. seq. 36. a Rodulpho II. per Oratores Gregorio XIII. obsequium dumtaxat præstitum, Ecclesiæ vero obedientiam fuisse exhibitam pugnat ex Scriptore Commentationis de Caussa Colonienſi apud Schardium in libro infami de perfidia Pontif. erga Imper. inscripto p. 181. Obedientiæ Pontifici jurandæ equidem repugnasse aliquando Maximilianum II. liquet ex litteris Delphini Internuncii ad S. Carolum Borromæum apud Raynaldum ad an. 1563. n. 228: sed eum tamen subinde a Pio IV. electionis confirmationem postulasse, in Moguntini Præsulis manibus Apostolicæ Sedi *debitam subjectionem* despondisse, ac per litteras, Legatosque eamdem sibi præstaturum fore pollicitum testis est locuples idem Pontifex in Allocut. ad Cardin. in Consist. an. 1564, de quo Raynaldus n. 27, & Pallavicinus hist. Concil. Trid. lib. 22. cap. 6. Adde, quod eidem Maximiliano II. ægre ferenti, quod Cosmus Medicæus Hetruriæ Magni Ducis titulo donatus fuisset a S. Pio V. Const 88. *Romanus Pontifex*, qua Alexandri III, Innocentii III, Pauli IV. &c., a quibus Portugalliæ, Bulgariæ, Hiberniæ, Bohemiæ Reges &c. creati fuerant, exemplo id feciſse adfirmabat apud Gabutium lib. 3. cap. 16. p. 118, & Laderchium To. 2. edit. Rom. 1737. p. 211, seqq., Pontificis nomine respondit Commendonus Nuntius apud Gratianum in ejus vita lib. 3. cap. 8. p. 282, Berninum hist. Hæres. To. 4. ad Sæculum XVI. cap. 9, & Laderchium To. 3. ad an. 1571. p. 463, seq., nempe eo ipso plane jure a Pontifice id factum, quo Hetruriæ Rector Carolus Andegav. datus fuerat a Clemente IV, quo Wenceslao contra

tra Dyrrachinos Bohemiæ Regnum adſertum, Philippo Hiſp. Navarræ Regnum a Julio II. delatum, quo Henricus Lotharingius Luſitaniæ Rex ab Alexandro III. dictus, quo Poloniæ Ducibus Regium nomen a Johanne XXII. adtributum, quo denique Imperium a Pontificibus fuerat in Germanos transfuſum. Rodulphum II. quod attinet, cum Schardio nugatur profecto Buderus, dum ab obſequio diſtinguendam obedientiam judicat, Eccleſiamque a Pontifice ejus Capite: ſiquidem utriuſque, Capitis, & Corporis videlicet, indiviſa ſint jura, obedientiæ ſit certe ſpecies obſequium, iſtudque rite Pontifici abſque illa deferri nequeat. Matthiam obedientiam Paulo V. impendiſſe nedum, ſed fidelitate præterea ſe devinxiſſe palam fit ex Pontificis ad ipſum redditis litteris, quibus primas, ut vocant, Preces illi indulgens ex Archivo Vatic. exhibitis a Fontanino in diſſert. de prim. Precibus Imp. §. 50. p. 68, ſeq. edit. Friburg. 1706. Matthiam *In fidei ſinceritate, & devotione Eccleſiæ Romanæ fidelem Advocatum* ſe devoviſſe, nec non *Humili profeſſione Rom. Eccleſiam Matrem, & Dominam* recognoviſſe teſtatur. Eidem Paulo V. obedientiam perinde juravit Ferdinandus II: quod haud obſcure indicat Indultum prim. Precum ipſi a Pontifici conceſſum, de quo Johannes Chochier in Comment. ad Regulas Cancell. Conſuetum obedientiæ officium Urbano VIII. per Eggenbergicum Principem Oratorem reddidit an. 1638. Ferdinandus III. apud Hiobum Ludolphum Schaubuhne To. 2. p. 617: quod ipſum liquido docent Pontificis litteræ primas indulgentes Preces, quibus ipſius electionem confirmat, & ab ipſo fidei, obedientiæque profeſſionem, juxta formulam præſcriptam in præcit. litteris Pauli V, ſibi oblatam adfirmat apud Fontaninum cit. diſſert. §. 52. p. 72. Hinc enim mos inductus, ut Imperator electus per Legatos ſolemniter a Pontifice, uno, eodemque tempore, confirmationem expoſtulet, fidei ſacramento obedientiam exhibeat, ac primarum Indultum Precum exoret. Leopoldus obedientiam quidem per litteras Alexandro VII. pollicitus eſt, ſed obedientiæ Legatum, ut ſumptibus in bellum impendendis parceret, ne mittere cogeretur, duplici libello a Cardinali de Haſſia exhibito rogavit. Sed prudens negavit Pontifex, ne mos ille ſacer in deſuetudinem abiret, Diploma con-

firmationis, donec Legatus mitteretur, neque primarias indulgere Preces voluit, antequam ejus electionem confirmasset, ut ex litteris Archivi Vatic. liquet a Fontanino descriptis cit. dissert. §. 70, seqq. p. 104, seqq. Josephum I. serio cogitasse de obedientia expresse, Majorum more, Pontifici impendenda, litteras misisse quin etiam supplices pro indulto primarum Precum impetrando, quæ antequam solemni pompa, ut fieri solebat, perficerentur, morte fuisse illum præreptum, testis est locuples Clemens XI. in Orat. ad Cardin. die 27. April. 1711. habita de ejus obitu edit. Rom. 1722. Per litteras, & per Legatum eidem Clementi XI. *Observantiam*, eaque omnia, quæ *Obedientissimum S. Romanæ Ecclesiæ filium*, *strenuum ejusdem Advocatum*, *& Defensorem* decent, adimpleturum religiose pollicitus est Carolus VI, veluti fidem indubiam facit Pontificis Alloquutio Consist. Nugatur vero more suo Buderus, dum §. 42. Carolum caute, consultoque a voce obedientiæ abstinuisse observat: qui enim obedientissimum se despondit filium, obedientiam ab eo abnegatam qui putet, apage illum, apage. Benedicto XIV. denique eodem ritu tam Carolum VII, quam Franciscum I. & obedientiam dependisse, & ab eo confirmationem electionis depoposcisse fit evidens ex Brevibus ad utrumque redditis, quibus & primæ utrique Preces indultæ leguntur sub consueta formula *Cum post factam* &c., ac posteriori quidem 4. Kal. Decemb. an. 1746. Ex quibus a primo ad postremum adparet mutuis jugiter officiis Pontifices, & Imperatores sibi fovendis invicem, fulciendisque incubuisse, illos beneficiis adaugendo, istos grate famulando, atque ita optima Religioni, ac Reipublicæ, quoad mutua hæc officia permanserunt illæsa, ratione fuisse prospectum.

Atqui me ferme pœnitet, quod ita paullatim extra lineam mihi præfinitam egressus, a Pontificis spirituali Monarchia, præter voluntatem, ad temporalem delapsus sim, eamque nimiis, præter quam opus foret, operique præstituti fines paterentur, sim persequutus: venia dignus tamen, quod ita delabi a Budero coactus fuerim, vique vim repellendæ opus haud paucis oppido fuerit. Nunc vero a Monarchia Pontificia gradum ad Ecclesiasticam faciendo Hierarchiam, circa quam propositæ quæstionis caput

ob.

obverſatur alterum, Hierarchiæ porro Eccleſiaſticæ nomine, quod origine ſua Græcum eſt ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἀρχῆς, duo comprehendi Sacrum Principatum diverſis in Ordinum gradibus diffuſum, & Sacram Poteſtatem diverſis Officiorum generibus occupatam, verbo, Imperium, & Miniſterium, ac utrumque in ſuperiores, inferioreſque gradus diſtinctum, poſt S. Paulum Act. Apoſtol. cap. 20. v. 28. *Attendite vobis*, ſic Epiſcopos alloquentem, *& Univerſo Gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, quibus Imperium deſignatum audis, & 1. Corinth. cap. 4. v. 1. ſic de ſe ipſo in gradu ſuperiori poſito, aliiſque inferioris gradus Miniſtris loquentem: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei*, quibus Miniſterium aperte ſignificat, concordi docent ſententia S. Dionyſius Areopagita lib. 1. de Hierarch. Eccleſ. cap. 1. §. 2. edit. Ven. 1755. To. 1. p. 162, ſeq., & cap. 5. §. 5, ſeq. p. 234, ſeqq., ibique Georgius Pachymerus, S. Maximus in Scholiis To. 2. p. 52, ſeq., 79, ſeq., Antiochus Palæſtinus ſerm. de Paſtoribus, S. Joh. Chryſoſtomus ſerm. de S. Johanne Evang., S. Leo M. ſerm. 48. de Quadrag. 10. edit. Baller., & epiſt. 14. ad Anaſtaſium Theſſal. cap. 4, S. Sophronius Hieroſol. epiſt. ad Sergium Conſtantinopolit, S. Felix III. epiſt. 5. ad Zenonem Imp., Elias Cretenſis in Orat. 1. S. Gregorii Nazian. edit. Ven. 1753. To. 2. p. 13, Dionyſius Exiguus in verſ. Can. 24. Laodiceni &c., poſt quos de Schola Theologi Hugo Victor. in lib. 4. S. Dionyſii Areop., Guillelmus Pariſ. in tract. de Univerſo par. 2. lib. 1. cap. 166, ſeq., Guillelmus Antiſiod. in Summa Theolog. lib 2. tract. 3. cap. 1, Petrus Lombardus Sent. lib. 1. diſt. 10, S. Thomas 2. Sent. diſt. 9. art. 1, par. 1. q. 108 art. 1, 2. 2. q. 184 art. 6. ad 1, & Opuſc. contra Impug. Relig. cap. 4, S. Bonaventura Centiloq. par. 3. ſect. 16, & in Opuſc. de Hier. Eccl., Gabriel Biel in 2. diſt. 9. q. 1, Riccardus Mediavill. in 2. diſt. 9. q. 1, & in 4. diſt. 4. q. 3; Petrus Tarantaſ. apud Dionyſium Carthuſ. in 2. diſt. 9. q. 1, Durandus a S. Portiano in 2. diſt. 9. q. 1, & in 4. diſt. 24. q. 2, Henricus Gandav. Quodl. 6. q. 23. art. 1, Gerſonius de poteſt. Eccl. conſid. 9, & ſerm. contra Bullam Mendican., Henricus Kalteiſen in Orat. de prædic. Verbi Dei adverſ. Bohemos, aliique apud Franciſcum

Hallier de Hier. Eccl. lib. 1. sect. 1. cap. 2, seqq., & sect. 4. cap. 15. seqq., Blancum de Polit., & potest. Eccl. To. 3. lib. 1. cap. 1. §. 10, & Mamachium Orig., & Antiq. Christ. To. 4, & 5. lib. 4: quibus adstipulari non dubitarunt Anglo-Episcopales Hammondus in diffsert. quatuor de Episcop., ubi Blondellum, Salmasium, aliosque Presbyterianos refellendos sibi sumpsit, & adversus Ovvenum subinde defendit Oper. To. 2, Pearsonius Vindic. Ignat. par. 1. cap. 1., & par. 2. cap. 13. PP. Apostol. edit. Cotel., & Cler. To. 2. p. 333, seqq., & 415, seqq., ubi diffuse contra Dallæum disputat, Beveregius in Cod. Canon. primit. Eccles. lib. 2. capp. 2, & 11. eodem To. 2. Collect. PP. Apost. p. 76, seqq., & 119, seqq., ubi idem adverss. Dallæum argumentum persequitur, Bruno in Judicio de Auctore Canon., & Const. Apostol. §. 21. eodem To. 2. p. 186, seq., Usserius in dissert. de S. Ignatii epist. cap. 18. ibid. p. 246, seq., ubi Bezam, ac Vedelium oppugnat, Dodvvellus dissert. Cyprian. dissert. 10. de Ord. Episcop., & Presbyt., ubi Blondellum sufflaminat, Bilsonus de Gubernat. perpet. Eccles., Potter de Gubern. Eccles., & Cumberlandus de Ordinat., qui tres Ecclesiasticæ Hierarchiæ gradus agnoscere, adstruereque non detrectarunt, Stackhouse Theolog. Specul., & pract. To. 4. cap. 5. §. 1. p. 476, seqq., qui §. 2. p. 472. Nota F. ideo observat depravatum in Bibl. Anglic. locum Actor. Apost. cap. 6. v. 3, *Considerate viros ex vobis &c., quos nos constituamus &c.*, idest pro *Nos* positum *Vos*, atque ita Plebi factam, quæ Apostolorum propria dumtaxat erat, Diaconos constituendi potestatem. Atqui nullam vicissim a Christo D. regendæ Christianæ Reipublicæ formam præscriptam fuisse, Hierarchicæ dignitatis, ac jurisdictionis gradus nullos distinctos, nullasque functiones distributas; siquid autem supra Presbyteros in administranda Ecclesia auctoritatis Episcopi sunt adepti, id non Divina, sed humana dumtaxat voluntate consequutos, e Protestantium grege post Aerium, de quo S. Epiphanius hær. 75, Contobabditos e Tritheitarum secta, de quibus Nicephorus lib. 18. cap. 49, Richardum Armacanum in Sum. quæst. Armen. lib. 11. cap. 5, Marsilium Patavin., de quo Pighius Eccl. Hier. lib. 5, Lutherum suum illum Megalandrum, de Captiv. Babyl cap. de Ordine, lib. de Clavib., lib. de abrogata Missa privata,

vata, & in epiſt. ad Senatum Pragen., ac Calvinum Inſtit. lib. 4. cap. 4. §. 2. ſentire, ſcribereque immanem per errorem non deſtitere Blondellus in Apolog. pro ſent. S. Hieronymi, Salmaſius de Prim. Papæ, & de Fœnote trapez., Voſſius in epiſt. 2. ad Salmaſium inſerta a Clerico To. 1. PP. Apoſtol. p. 2, ubi tamen contra Blondellum ſæculo III. demum Epiſcopos a Presbyteris diſtinctos fuiſſe, iiſque prælatos adſtruentem pugnat, atque cum Salmaſio jam ſecundi ſæculi initio ſingularem Epiſcopatum fuiſſe ſupra Presbyteratum exiſtimat, pugnat vero contra ſeipſum, qui epiſt. 1. ad eumdem Salmaſium non agnoſcere nequivit jam ſæculo I. e Presbyteris unum adpellari conſueviſſe Epiſcopum, atque in tot millibus locorum nullum reperiri, in quo ex Presbyteris eodem Epiſcopi nomine pluſquam unus fuerit appellatus, ita Antiochiæ Epiſcopum neminem dictum, niſi Ignatium, Smyrnæ neminem, præter Polycarpum, Hierapoli ſolum Papiam &c., atque demum Epiſcopum ſemper adpellatum Τὸν πρώτα τοῦ Πρεσβυτερίου, Seldenus in Comment. ad Eutychium Alex., Dallæus de epiſt. Ignatio adſcriptis cap. 13, Matthæus Larroquanus in Obſervat. ad Vindic. Pearſon. p. 298, ſeqq., Grotius in epiſt. ad Hieronymum Bignonium, quæ eſt 154. ad Gallos die 17. Jun. 1634, contra id, quod ſenſerat de Imper. Sum. Poteſt. cap. 11. n. 5, Worſtius in Exercit. de Sedibus Epiſcop. primar., Hulſemannus in tract. de Miniſtro Conſecr., & Ordin. Sacerd., Voigtius in exercit. de Presbytero legitimo Ordinationis miniſtro, Conringius de Republ. Imp. exercit. 7 §. 9, ſeqq., & epiſt. ad Joachimum Joh. Maderum 6. Kalen. Decemb. 1654, Willelmus Moma lib. de Var. condit., & ſtat. Eccleſiæ ſub triplici œconomia To. 2. lib. 3. cap 10. §. 18, ſeqq., Joh. Franc. Buddeus in diſſert. de Orig., & poteſt. Epiſcop., Robertus Parkerus de Polit. Eccleſ. Chriſt., Joh. Miltonus in tract. de Regim. Presbyt., Boehartus epiſt. ad Morlejum cap. 1. de Presb., & Epiſcopatu, Moshemius Inſtit. hiſt. Eccl. ſect. 1. par. 2. cap. 2. §. 5, Zieglerus in libro inſcripto: *Superintendens ad normam Conſt. Eccleſ. Saxon.*, Tillenus in Not., & animad. ad Bellarmini lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 8, Caldervood in Altari Damaſceno, ſive de Angl. Eccl. Polit. cap. 4. p. 207, ſeqq., Heideggerus hiſt. Papat. period. 1. §. 12, Vitringa de vet. Synag. lib. 2. cap. 2. p. 487, Span-

Spanhemius Oper. To. 1. p. 632, Ern. Salom. Cyprianus in Hilariis Evangel. p. 45, Bentlejus nomine adſcito Philelcutheri Lipſ. tectus in Act. Erud. Lip. 1715. p. 6, Bohemerus Jur. Eccleſ. diſſert. 7. p. 397, ſeqq., & in Not. ad Fleurii Inſtit. Canon. par. 1. cap. 3. §. 3, Deilingius Miſcell. Sacr. par. 4. exerc. 6, Benzelius diſput. hiſt. Theolog. de Succeſſ. Epiſcop. Canonica To. 1. p 565, ſeqq., Kromayerus de Poteſt. Eccleſ. externa par. 1. ſect. 2. art. 1. cap. 2. §. 13. p. 72, ſeqq., Pfaffius Origin. Juris Eccleſ. cap. 2. art. 1. de Jure Eccleſ. ab Apoſtolis condito p. 47, ſeqq., Abraham Ruchat Lauſanæ Profeſſor diſſert. 4. inſerta novæ ipſius Collectioni Oper. SS. Clementis, Ignatii, & Polycarpi edit. Leidenſ. 1738. Bibl. Germ. To. 1. par. 2. p. 356, aliique longe plures, quos fuſiori perſequi calamo non eſt opus, ad quorumque adhinnire ex parte errorem non expavere Bodinus, Molinæus, Jannonus lib. 1. cap. ult. §. 1. cum Grotio ſuperioritatem Epiſcoporum ſupra Preſbyteros exemplo Synagogæ inductam exiſtimans, Galli Auctores de Eccleſiæ adminiſt. in communi, ac de Auctoritate ſecundi Ordin. in Synodo Diœceſ., a quibus neque longe diſtat Gibertus Jur. Canon. To. 1. in Proleg. par. 1. tit. 19. de forma adminiſt. Diœceſ. a ſolis Epiſcopis ſine ſecundi Ordinis Paſtorum participatione Diœceſes Chriſti D. inſtitutione haud gubernandas docens. Neque hinc procul abludunt ſive Claudius Fontejus de Antiquo jure Presbyt. in regim. Eccleſ. capp. 7, & 9. ſupereminentiam Epiſcopi Presbytero Ethnicorum exemplo inductam adſtruens, qua ab opinione parum diſtat Caldervvood in Alt. Damaſ. cap. 2, ſive Grotius in Acta Apoſtol. cap. 6, & de Imperio Sum. Poteſt. circa Sacra cap. 11, quæ inde perſuaſio Zieglerum de Diacon. cap. 2. §. 11, Vitringam de Synag. vet. proleg. cap. 3, Kromayerum de Poteſt. Eccleſ. proleg. cap. 3. §. 3. &c. inceſſit, Limborchio etiam Theolog. Chriſt. lib. 7. cap. 4. §. 7. probata eſt, qui tamen Eccleſiis ab Apoſtolis Epiſcopos Presbyteris gradu aliquo ſuperiores fuiſſe conſtitutos, quin tamen immutabilis regiminis forma præſcripta fuerit, opinatur, Chriſtianæ Reipublicæ regendæ formam neque Chriſto D., neque Apoſtolis referendam acceptam fore adfirmans, ſed totum ejus regimen hominum inſtituto ad Synagogæ veteris exemplar fuiſſe conformatum: Epiſcopos

pos ideo Presbyteris jure Divino ſuperiores non eſse, Presbyteros æque atque Epiſcopos Apoſtolorum eſse ſucceſsores, atque ex æquo juris amborum eſse paſcere Dei Eccleſiam, paremque his, atque illis alios ordinandi auctoritatem ineſse. Sed enim ſecummet pugnat Grotius, ut qui in Adnot: ad Caſsandri conſul. tationem art. 7. ejus probat ſententiam, qua ad Eccleſiæ unitatem ſervandam unius ſummi Rectoris, qui S. Petro in regimine Eccleſiæ ſuccederet, ex Chriſti D. dicto Johan. cap. 13. v. 35. neceſſitatem adſtruit, eique cunctis obediendum adfirmat. Grotio vero, non qua parte utique Divinam prorſus, & Apoſtolicam excludit inſtitutionem, & Epiſcopi a Presbytero diſtinctionem, ſed qua dumtaxat ad Judaicæ Synagogæ formam regimen Eccleſiaſticum fuiſse inductum opinatur, adſtipulari non dubitat Bacchinus de Eccleſ. Hier. orig. par. 1. cap. 3, ea & ipſe in opinione verſatus, ut putet Apoſtolos in fundandis principibus Eccleſiis, minime quidem ad formam Rom. Imperii reſpexiſse, ſed potius Judæorum politiæ ſe ſe accommodaſse. At enim longe nobiliorem in Eccleſia condenda regiminis formam animo Chriſtum D. prætuliſse, eamdemque prædocuiſse Apoſtolos (quo plane loci Spanhemium Oper. To. 2. p 1219, Stillingfleetum Irenici lib. 2. capp. 4, & 6. &c. haud moror ſcribentes a Chriſto D. certam regiminis Eccleſiaſtici formam haud fuiſse præſcriptam, neque ab Apoſtolis eamdem ubique ſervatam, introductamque, ſiquidem inde fieret, ut pejori, quo Synagoga, poſita loco fuiſset Eccleſia, neque Eccleſia ipſa, ſi quis bene videt, componi ullo, abſque Regiminis ſpecie aliqua, modo potuerit) haud obſcure indicat S. Paulus ad Hebr. cap. 7, ubi e veteri Synagoga in Eccleſiam cum Sacerdotio, & Lege translatum Regnum docet. Ex quo S. Epiphanius hær. 29. id inter alia diſcriminis Synagogam inter, & Eccleſiam adnotat, quod in illa Regnum a Sacerdotio disjunctum eſset, in iſta vero utrumque in una perſona Chriſti D. nempe primum, atque in Romano ſubinde Pontifice copulatum ſit: quod non eſt aliud, quam quod in priori illa Regimen erat Ariſtocraticum, in poſteriori vero iſta Monarchicum ſit. Sed de hac differentia plura Art. 2. Ad hæc idem Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 6. v. 4. litium, quæ inter ipſos ſuboriebantur, Judicem conſtituit Epiſcopum, qua de re diffuſe

Art.

Art. seq., quod judicii genus alioquin apud Judæos ad Synedrium pertinuisse ignorat nemo. Aliam igitur Politiæ speciem, Hierarchicam ideſt, ab ea, quæ in veteri Synagoga olim obtinuit, Aristocratica nempe, Divina institutione tenuisse Apostolos inde fit evidens. Quamquam negari prorsus nequit, quin in Sacerdotio veteri, ac Synedrio Evangelici regiminis quædam præluxerit species, veluti adparet ex Levit. cap. 10, v. 10, seq., ex Deuter. cap. 17. v. 8, seqq., ex 1. Paralip. cap 23. v. 4, seqq., ac lib. 2. cap. 17. v. 7, seqq., quibus in locis Pontifici, Sacerdotibus, ac Levitis docendi Populi, dijudicandique cura, potestasque demandatur; junctis Aggæo cap. 2. v. 12, Malachia cap. 2. v. 7, Osea cap. 4. v. 6, Jeremia cap. 2. v. 8, Isaia cap. 28. v. 7, ac etiam Josepho lib. adv. Appion. apud Judæos Sacerdotes adpellante Ἔποπται πάντων, *Imperatores omnium*, δικασταὶ ἀμφιτυμένων, *Judices ambiguorum*, Παλασταὶ τῶν κατεγνωμένων, *Vindices damnatorum*. Neque repugnant Ecclesiæ sane Patres tres Ordines Hierarchicos ex analogia veteris Testamenti colligentes, veluti S. Dionysius Areop. de Hier. Eccl. cap. 5, S. Hieronymus in epist. 85, edit. Martianæi 101. class. 7. ad Evangelum, S. Cyrillus Alex. lib. 13. de adorat., S. Isidorus Hispal. lib. 2. de Offic. cap. 5, seqq., & Synodi Aquisgranensis Episcopi sub Ludovico Pio lib. 1. cap. 7, seqq.

Igitur Divina institutione duobus Ecclesiasticam Hierarchiam constare Ordine, & Officio, atque Ordinem quidem ex Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis fuisse constitutum, Officium vero Jurisdictionis exercitio, Evangelii prædicatione, & Sacramentorum administratione perfici, atque Diaconis, Presbyterisque gradu superiorem Episcopum esse, dogma Catholicum est a S. Paulo Actor. cap. 20. vers. 28, epist. 2. ad Thessal. cap. 3. v. 14, ad Timoth. 1. capp 1, & 3, ad Tit. cap. 1. v. 5, seqq., ad Hebr. cap. 13. v. 17, a S. Johanne Apocalyp. cap. 1. v. 11. &c. traditum, cujus adsertores, ac vindices se præstant jugi traditione SS. Patres, quorum primo succurrit loco S. Clemens Romanus P. M. Hic in epist. ad Corinth. de Presbyteris ita mentionem ingerit, ut eos tamen dignitate, potestateque distinguat ab Episcopis, hisque inferiores faciat, sic enim n. 1. eis in memoriam revocat, quod

ipsi

ipſi fuerint olim ὑποτασσόμενοι τοις ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ τιμὴν τὴν καθήκουσαν ἀποτίμοντες τοῖς παρ ὑμῖν Πρεσβυτέροις, *Subditi Præpoſitis veſtris, & honorem debitum Senioribus veſtris tribuentes*; quorum ſimillima repetit n. 21, *Præpoſitos noſtros*, inquiens, *revereamur*, *Seniores noſtros honoremus &c.*, & n. 40. de Eccleſiaſticis officiis lege Divina ſancitis loquens ſic habet: Τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι χειτουργίαι δεδομέναι εἰσὶ, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τοπὸς Προστέταχται, καὶ Λευίταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται, *Summo quippe Sacerdoti ſua munia tributa ſunt, & Sacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt, & Levitis ſua miniſteria incumbunt*. Quibus quid illuſtrius ad tres in Eccleſia Divina inſtitutione gradus Hierarchicos inductos oſtendendos? Quæſo vero, quid aliud, quam Epiſcopos præſeferunt nomina Præpoſitorum, ſummique Sacerdotis, quos loco ſupra Presbyteros eminentiori poſitos, diſtinctaque adſignata officia conſpicis? Nec officit ſane, quod n. 42. ab Apoſtolis Epiſcopos, ac Diaconos conſtitutos perhibeat, de Presbyteris alte ſileat: nam tum ſuper. n. 1, 21, & 40. diſerte Presbyteros ab Epiſcopis diſtinxerat, tum ſeq. n. 44. cum Corinthiis acerbe expoſtulat, quod ab his temere dejecti Presbyteri fuiſſent, qui ab Apoſtolis fuerant ordinati. Ideo vero fortaſſis Epiſcopos dumtaxat, & Diaconos ibi recenſuit, quod de his dumtaxat habeat Iſajæ locus cap. 60. v. 17. ab ipſo prolatus: *Conſtituam Epiſcopos eorum in Juſtitia, & Diaconos eorum in fide*. Deinde fortaſſis etiam τὸ ἄρχοντας mutavit noſter in τὸ διακόνοις, ideo quod ad Chriſti D. inſpexerit dictum Matth. cap. 20. v. 25: *Qui voluerit inter vos major fieri, ſit veſter* διακόνος *Miniſter*; ideit appellative pro functionis Miniſtro nomen accepit, quomodo S. Paulus ad Coloſ. cap. 1. v. 23. Evangelii ſe Miniſtrum, & Apoſtolatum ſuum Miniſterium adpellat: quin etiam Magiſtratus Civilis Dei διακονος *Dei Miniſter* ab ipſo vocatur ad Rom. cap. 13. v. 4: quo etiam ſenſu in epiſtola Eccleſiæ Lugd., & Vien. ad Eccleſ. Aſiæ apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 1. S. Pothinus Lugdun. Epiſcopus *Epiſcopatus miniſterio* fungi dictus eſt, & S. Joh. Chryſoſtomus hom. 1. in epiſt. ad Philip. Epiſcopos Diaconorum nomine aliquando deſignatos etiam obſervat: quo plane nomine Presbyteros,

& Episcopos veniſſe, non secus atque promiscue nomine Presbyteri veniſſe quoque Episcopos, adparet Act. cap. 6. v. 4, 1. Corinth. cap. 3. v. 5, 2. Corinth. cap. 3. v. 6, Coloſ. cap. 4. v. 7, & 17, ac 1. Theſſal. cap. 3. v. 2, docentque Hilarius Diac. in epiſt. ad Philip. cap. 1. v. 1, S. Hieronymus in epiſt. ad Philom., & ad Rom. cap. 12. v. 7, ac Theodoretus in cap. 1. ad Philipp., ubi notat tempore Apoſtolorum tres fuiſſe gradus in Eccleſia, Diaconos, Presbyteros, qui Episcopi etiam dicerentur, & Episcopos proprie, qui tum dicebantur Apoſtoli. Confer Cotelerium in epiſt. S. Clementis Not. 11. p. 171, ſeq., Coutantium in Not. ad eamdem p. 29, Beveregium Cod. Can. prim. Eccl. lib. 2. cap. 13. n. 10, & Pearſonium Vind. Ignat. par. 2. cap. 13, ubi tamen oſtendit Sæculo II. a Scriptore nullo amplius Presbyteros Episcopi nomine nuncupatos, ac viceverſa; quin imo ſub Apoſtolis ipſis diſtinctos Episcopos, ac Presbyteros largitur Vedelius exercit. 8. in epiſt. S. Clementis cap. 3. Jungendæ Conſtitutiones Apoſt., ſi tamen earum germanus ipſe auctor eſt, lib. 2. cap. 17, ubi Episcopus cum Magiſtratu, ac Judice comparatur, cap. 18, ſeq., ubi Episcopo ligandi, ſolvendique poteſtas Divinitus tradita dicitur, cap. 25, ſeq., ubi ex tribus hiſce gradibus Hierarchia Eccleſiaſtica conflatur, ita tamen, ut Diacono, ac Presbytero ſuperior adſtruatur Episcopus, qui Princeps, Dux, Rex, ac Dynaſta nuncupatur, & capp. 47, ac 57, ubi Episcopi eſſe ſententiam e Tribunali ferre, ferenti Presbyteri, & Diaconi adſiſtere traditur; lib. 6. cap. 17, ubi de tribus hiſce Ordinibus iterum loquitur, quibus conjugii uſum interdictum adfirmat; lib. 7. cap. 31, ubi denuo de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis ſermo recurrit; & lib. 8. cap. 28, ubi ab Episcopo ordinari Presbyterum, ac deponi docet, & cap. 46, ubi Episcopos, Presbyteros, & Diaconos nomine, dignitate, officioque differre explicitiſſime repetit, atque Episcopi eſſe ait Τα τῆς ἀρχιερωσύνης, quæ ad *Pontificatum*, Presbyteri τα τῆς ἱερωσύνης, quæ ad *Sacerdotium*, & Diaconi τα τῆς πρὸς ἀμφοτέρους διακονίας, quæ ad *Miniſteria utriſque* impendenda pertinent. Concordant Apoſtol. Canones 35, & 40. verſ. Dionyſii Exigui, quibus ſupra Diaconos, ac Presbyteros Episcoporum dignitas, ac poteſtas extol-

tollitur, quoſque viden, ut a Dallæi obtrectationibus vindicet Beveregius in Cod. Can. primit. Eccleſ. lib. 2. cap. 13. Tergemini hujuſce gradus Hierarchici mentio frequens occurrit apud S. Ignatium Martyrem, ita tamen, ut faſtigio, præ Diacono, ac Presbytero, ſuperiori poſitus Epiſcopus ſemper adpareat. Præter ea namque, quæ paſſim habet de Presbyteris, & Diaconis, ac præterquam in germana ad Epheſios epiſtola n. 3, ſeq. Epiſcopos Jeſu Chriſti ſententia in Eccleſia definitos, Ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ χριστοῦ γνώμῃ, quibus ſane verbis magnam ineſſe vim agnovit Kromayerus in Comment. Theolog. de Poteſt. Eccl. par. 1. ſect 2. art. 1. cap. 2. §. 13. p. 73, in Epiſcoporum ideo ſententiam fideles concurre re oportere ſcripſit, in epiſt. ad Magneſ. n. 6. de ſingulorum gradibus agens Epiſcopum ait præſidere Dei loco, Presbyteros loco Senatus Apoſtolici, & Diaconos miniſterium peragere: προκαθημένου τοῦ Ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων πεπιστευμένων διακονίαν &c. Eadem ferme repetit in epiſt. ad Trallian. n. 3, & in epiſt. ad Philadelph., poſtquam abſque Epiſcopo nihil agendum inculcaſſet, num. 9. de Presbyteris loquens, iis κρεῖσσον ὁ ἀρχιερεύς, *Præſtantius*, inquit, *quid eſt Summus Pontifex*, Legatos vero ex Aſiæ finitimis Urbibus ad ſe miſſos Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos ſubjungit, a quibus S. Martyri honor quoque delatus in ejus vetuſtiſſimis Actis memoratur. Quorſum vero ſpectat egregia illa Epiſcopi ſpecies, quam toties e Chriſto D., ejuſque Patre exprimit præſertim in epiſtola ad Smyrn. n. 8, decerpta etiam a S. Johanne Damaſc. Parall. lib. 2. cap. 25, Πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς χριστὸς τῷ Πατρὶ &c., *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem*, honore quoque habendos ſubjungens *Presbyterium, ut Apoſtolos, & Diaconos, ut Dei mandatum* &c., niſi quia ſicut in Deo Patre omnis, velut in fonte reſidet, quæ Chriſto D. poteſtas data eſt, ſic in Epiſcopo juriſdictionis manet plenitudo in ceteros inde profluxura Miniſtros? Unde ſubdit abſque Epiſcopo, ſicuti nec abſque Chriſto D, Eccleſiam conſtare nequire, nec abſque Epiſcopo aut Baptiſmum conferre, aut Euchariſtiam conficere fas eſſe: quibus viden, ut rei Eccleſiaſticæ ſummam unum

penes Episcopum positam declaret! Eidem inhærens doctrinæ S. Justinus in Apolog. 1. n. 67. p. 83, seq. edit. Paris. 1742. de Christianis Cœtibus, Sacrisque Synaxibus differens actionem omnem sub uno προεστῶτο *Præside* fieri, ac dirigi ait, per eum Populum edoceri, Sacramenta ab eo impartiri, & apud eum pecunias seponi in pauperes, orphanos, ac viduas erogandas: quid vero, rogo, Præsidis nomine S. Justino venit, nisi Episcopus, ideo Presbytero ipsius sententia superior? Quo plane titulo Præsidentis designatus itidem a Tertulliano de Corona Milit. Episcopus, aliisque legitur.

Siqua vero Scriptori de Eccl. Hierar. sub illustri S. Dionysii Areop. nomine, cujusque auctorem facere Synesium somniavit la Croze hist. Æthiop. p. 10, seqq., insit auctoritas, definita res ab eo æstimari debet. Nam cap. 5. §. 3, seqq. To. 1. p. 233, seqq. edit. Ven. 1755. in tres ordines distincta Hierarchia, tria distribuit officia, ac Diaconis purgandi, Presbyteris illuminandi, Episcopis perficiendi munus, potestatemque adsignat, ita tamen, ut prius ab Episcopo impositione manuum initiandi Presbyteri sint, ab eoque Chrisma accipere consecratum oporteat, ut illuminandi officio rite defungi queant. Quæ sane Presbyteri Episcopo obnoxiam potestatem liquido ostendunt. Atque ita locum illum accipere, illustrareque non hæsit Simeon Thessalon. de Sacr. Ordin. cap. 1. Junge cap. 3. §. 3. p. 35, seq., quo loci a Hierarchis jurisdictionem in fideles quoslibet pro modo, pro tempore, pro dignitate exerceri scribit, & confer S. Maximum in schol. ad cap. 5. To. 2. §. 4, seqq. p. 79, seq. Tam vero antiquus, ac verax, quam liquidus, & idoneus testis accedit S. Irenæus, ut ei tuto fides adhiberi debeat, & queat. Is ergo lib. 3. adv. Hær. cap. 3. potiori non altero Hæreticorum jugulum petendum jaculo, quo perinde felici usos liquet successu Tertullianum de Præscrip. cap. 32, S. Cyprianum lib. 1. epist. 6, S. Optatum lib. 2. p. 48. edit. Albaspin., S. Epiphanium Hær. 27, & S. Augustinum in Psal. adv. partem Donati, duxit, quam ex continuata ab Apostolorum ætate Episcoporum in Ecclesia successione, ejusdem Ecclesiæ veritatem, & unitatem ostendere: quod argumenti genus repetens lib. 4. cap. 26. hoc de Episcopali dignitate, potestateque, desumptum ex Isaiæ cap. 60.

cap. 60. v. 17. verſ. LXX. epiphonema adjungit: *Et dabo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in juſtitia.* At enim locum Actor. cap. 20. v. 28. explicans lib. 3. cap. 14. Epiſcopos diſtinctim, ac Presbyteros ab Epheſo, ac proximis Urbibus accerſitos diſerte adfimat, ſic Græcam πρεσβυτέρους ibid. v. 17. vocem, quam *Majores natu* reddidit Vulgatus Interpres, recte interpretatus. Igitur perſuaſum ipſi erat nomine, gradu, ordineque a Presbyteris diſtinctos Epiſcopos eſſe. Confer Maſſuetium in Not. ad hunc locum To. 1. p. 201. edit. Ven. 1734. Jungendæ Eccleſiæ Lugd., & Vien. epiſtolæ ad Aſiæ, Phrygiæque Eccleſias, & ad S. Eleutherum P.M. apud Euſebium lib. 5 cap. 1, & 4, quibus S. Pothinus tum Lugdunenſis Epiſcopus diſerte a S. Irenæo tum adhuc Presbytero diſtinguitur, & S. Eleutherus *Pater*, S. Irenæus vero *Frater* adpellatur. Compara Pearſonium in Vindic. Ignat. par. 2. cap. 13, quo loci Blondellum, ac Salmaſium valide ſufflaminat. Hierarchicos juxta tres iſtos Ordines, totidem Divina inſtitutione diſtributa in Eccleſia officia docet etiam Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 3. cap. 12. p 309. edit. Potteri Ven. 1757. To. 1, ubi de præceptis loquens, alia *Presbyteris*, *alia Epiſcopis*, *alia Diaconis* a Deo data perhibet, & Stromat. lib. 6. cap. 13. To. 2. p. 793. ad Angelicæ Hierarchiæ imitationem Eccleſiaſticam ex Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis, ita quod ex poſtremo fiat gradus ad primum, ſive ut loquitur, προκοπαὶ *Progreſſiones*, fuiſſe inſtitutam arbitratur. Tres pariter iſtos ſupra Populum elevatos Ordines paſſim memorat Tertullianus lib. de Præſcrip. cap. 32, ubi Hæreticos provocans ad ſuarum originem ſectarum oſtendendam, ipſe viciſſim de ſolis dicendi ordinem ſumit Epiſcopis, quorum ſucceſſionem ad Apoſtolos retrotrahit; & cap. 42. tres inter Ordines iſtos liquido diſtinguit: *Alius*, inquiens apud hæreticos, *hodie Epiſcopus*, *cras alius*, *hodie Diaconus*, *qui cras Lector*, *hodie Presbyter*, *qui cras Laicus.* Ipſius ſententia itaque a Presbytero gradu diſtinctus eſt, ac ſuperior Epiſcopus, quem ideo *Præſidentis* nomine compellat lib. de Coron. Milit. cap. 3, ubi videndus Pamelius, *Summique Sacerdotis* lib. de Baptiſ. cap. 17, cujus abſque auctoritate Baptiſmum conferre neque Diacono, neque Presbytero fas eſſe docet. Quo propterea loco dimetiendum alterum lib. de Exhort.

hort. Castit. cap. 7. monet ibid. Rigaltius. Ex altero capite Episcopi supra Presbyterum adsurgit dignitas, ex potestate nempe ligandi, atque solvendi Divinitus accepta, de qua scribens S. Dionysius Alex. in epist. ad Fabium Antioch. apud Eusebium hist. Eccles. lib. 6. cap. 32. vers. Ruff. Episcoporum esse docet de Lapsis judicium ferre, pœnitentiæ locum ipsis facere, eaque functos in Ecclesiam recipere. Quod ipsum scripsit Auctor Const. Apost. lib. 2. cap. 18, Clerus Roman. epist. 31. ad S. Cypr., ipse S. Cyprianus ad Lapsos, alibique passim, S. Johan. Chrysostomus hom. 3. in epist. ad Colos. potestatem inde singularem colligens Episcopi, & lib. 3. de Sacerd. *Cælestem* illam vocans, ac *Divinam* Cassianus de Incarn. lib. 3. cap. 14; documentoque sunt inter alias Synodi Nicænа Can. 5, 12, &c., Ancyrana Can. 2, 7, &c., Laodicena Can. 19, &c., Arelatensis Can. 7, &c. Confer & epistolam Synodi Antiochenæ ad S. Dionysium Papam adv. Paulum Samos. apud Eusebium hist. Eccles. lib. 7. cap. 26, ubi de tribus hisce gradibus, veluti de re omnino diversa, fit mentio. Clementi Alex. consentaneus ejus discipulus Origenes lib. de Orat. n. 28. To. 1. Oper. edit. Paris. 1733. p. 253. de debitis agens, quorum in Oratione Dominica mentio fit, postquam de generalibus diseruisset officiis, hæc distincte tergemino Hierarchiæ Ecclesiasticæ Ordini debita incumbere subdit: *Debitum* Ὀφαλὴ *aliud Diaconi, aliud Presbyteri, & aliud sane* βαρύτατη *gravissimum Episcopi*. Cujus potestatem, & Curiam cum Magistratus Civilis, sive Præsidis, in Urbis regimine, Curia, potestateque conferre non dubitat lib. 3. contra Celsum n. 30. p. 466: quò pertinere locum etiam Auctoris Constit. Apostol. lib. 2. cap. 49, seq., ubi de judiciis Ecclesiasticis ab Episcopo finiendis sermo fit, adnotat ibid. Spencerus. De Correptionis, & Excommunicationis jure loquens hom. 7. in Josve n. 6. To. 2. p. 413, seq., de quo S. Paulus 1. Timoth. 5, 20, & 1. Corinth. 5, 5, & 13, id præstare ad Episcopos, quos a Diaconis, & Presbyteris distinguit etiam hom. 2. in Num. p. 278, quosque *Præsides*, & *Pastores* vocat, liquido docet, repetitque hom. 1. in Psal. 37. p. 680, seqq. Diversas Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ordinationes statuit lib. 2. in Cant. To. 3. p 48, & ab Episcopo, utpote qui *Ecclesiæ arcem* tenet, omni pro Ecclesia

cleſia rationem fore reddendam , a Diacono quoque , ſed plus a Presbytero adfirmat hom. 11. in Jerem. p. 189 : quorum ſimilia habet hom. 13 , & 35. in Luc. p. 947 , & 973 , atque a Presbytero gradu Diaconum iterum diſtinguit hom. 10. in Ezech. p. 392. Sed enim clarius mentem aperit ſuam in Commen. ad S. Matth. , ubi To. 12. p. 531. ligandi , ſolvendique poteſtatem Apoſtolis factam in Epiſcopos derivari perhibet ; To. 14. n. 22. p. 646. tres inter hos Ordines diſtinctionem liquido ponit ; To. 16. p. 723. Epiſcopum *Principem* denominat , & p. 753. ad Epiſcopum bonorum Eccleſiæ diſpenſationem pertinere , idque per ſe , aliquando per Presbyteros , frequentius per Diaconos præſtari docet , juxta Apoſt. Act. 6 , 1 , ſeqq. , ac 1. Timoth. 3 , 8 , ipſeque ſcripſerat in Matth. To. 11. p. 490 , ſeq. , ubi videndus Huetius , atque Epiſcopo judicanti adſtare Presbyteros , & Diaconos in more poſitum addit , juxta quod pridem ſcripſerat etiam S. Ignatius in epiſt. ad Trall. , & ad Smyrn. , ac ipſe repetit lib. 2. in epiſt. ad Rom. Confer ibid. Huetium in Not. , ac Pearſonium in Vind. Ignat. par. 1. cap. 11 , ubi Blondellum , ac Salmaſium Origenem aliorſum intorquentes refellit . Neque deſiderari S. Cypriani luculentius , illuſtriuſque licet teſtimonium , apud quem præterquam nihil Presbyteris, Diaconiſque frequentius occurrit , Epiſcopi dignitatem , atque poteſtatem nec uno in loco , nec uno modo ſuper utroſque effert . Eccleſiæ unitatem ergo in unitate Epiſcopatus per Orbem diffuſi ſolidatam oſtendit, atque ab Epiſcopis maxime tuendam, ut qui Eccleſiæ præſident , lib. de Unit. Eccleſ. edit. Felli Amſtel. 1700. p. 78 , quæ repetit epiſt. 55 , & 56 , Pamel. 52 , & 53. Eccleſiæ unitatem ideo ſcindi ab eo ſubjungit , qui Epiſcopo a Deo conſtituto, Apoſtolorum loco ſuffecto, ac Judicem vice Chriſti D. agenti non obtemperet epiſt. 3, 43 , 52, 59 , 66. &c. , Pamel. 40, 49 , 55 , 65 , 69. &c. , ubi videndus Rigaltius in Not. In Eccleſia Apoſtolos eſſe Epiſcopos , ſive eis velut ex aſſe ſucceſſiſſe, & Apoſtolorum vice defungi epiſt. 3 , & 45 , Pamel. 42, & 65, Eccleſiæque Præpoſitos eſſe , ac Præſides epiſt. 72, & 81, Pamel. 83: quo etiam nomine olim deſignatos Epiſcopos liquet a Tertulliano de Cor. Milit. cap. 3 , & Apolog. cap. 39 , a S. Gregorio Nyſſeno epiſt. de profeſ. Chriſt. , a S. Baſilio hom. in

Pſal. 28.

Ad alios properando modo Patres, S. Hilario Pict. Episcopi nomine Ecclesiæ Præpositus, ac Princeps venisse in Matth. cap. 27. n. 1, & de Trinit. lib. 8. n. 1. non dubium est. *In Episcopo*, inquit Hilarus Diacon. in epist. ad Ephesios cap. 3. inter Opera S. Ambrosii To. 5. edit. Basil. 1555. p. 354, seq., *omnes Ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est Princeps est Sacerdotum, & Propheta, & Evangelista, & cetera adimplenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium.* Ita nempe in Episcopo, ceu Principe, Ecclesiæ coadunata officia omnia docens, quæ a Deo ad Ecclesiæ gubernationem inducta scripsit Apostolus 2. Corinth. cap. 12. v. 28, eorum in partem admissos deinde Presbyteros, Diaconosque subjungens, ita tamen, ut iis Baptismum conferre, Evangelium prædicare, Scripturas explanare absque Episcopi auctoritate non fas esset. Cui dicto conformis est utique mos ille, de quo S. Justinus in Apolog. 1. n. 67. p. 83, quemque servatum in Ecclesiis Alexandrina, veluti de Pantæno, Clemente, Origene, Heracla &c. tradit Eusebius lib. 6. cap. 26, in Antiochena, ceu de S. Joh. Chrysostomo loquuntur ipsius homiliæ ad Popul., in Hypponensi, sicuti de S. Augustino testatur Possidius cap. 5, & in Ecclesiis Cappadociæ, & Cypri refert Socrates lib. 5. cap. 22, ut in diebus Sabbati, ac Dominicæ sub Vesperas Presbyteri coram Episcopis Scripturas interpretarentur. Quid vero, quod in 1. Timoth. cap. 3. p. 402. primum Episcopum Presbytero, atque hunc ab illo, a superiori inferiorem ordinandum adfirmat? At longe nobiliori officio, & nomine cohonestandos Episcopos duxit S. Pacianus Barcin. epist. 3, quod & sibi sumere minime ambegit: *Nos*, inquiens, *Episcopi, quia Apostolorum nomen accepimus, & Christi adpellatione signamur &c.* Quæ Presbyteris, quis, obsecro, perinde tribuere haud vereatur? Et Diaconi, & Presbyteri, sed Episcopi potissimum negligentiæ, siqua Fidelium anima Populo de Christiano peribit, deputare non dubitat S. Ephræm Opusc. de Interrog., & respons. par. 2, & in Serm. Parænet. de 2. adventu D. S. Ephræmi igitur sententia ex tribus Ecclesiastica Hierarchia gradibus conflata est, quorum primum Episcopus occupat. Adeo vero aperta mens est S. Optati Milevit., ut de ea dubitandi vel leviter non sit locus: nam lib. 1. adverss. Parm. edit.

Albaſpin. p. 39. de tribus Hierarchiæ ordinibus loquens *Diaconos in tertio, Presbyteros in ſecundo* poſitos ait, in primo vero ſummo faſtigio Sacerdotii locat Epiſcopos: *Ipſi Apices, & Principes omnium Epiſcopi*. Conferendus etiam lib. 2. p. 59, quo loci Donatiſtis ſuccenſet, quod nefaria ſubverſione ex Diaconis, Preſbyteris, & Epiſcopis feciſsent Laicos. S. Ambroſius de Offic. lib. 2. cap. 24, ſeq. Epiſcopo judicium de Sacerdotibus ferendi jus tribuit juxta illud, ut mihi videtur, S. Pauli I. adTimoth. cap. 5, v. 19. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus*: quod Presbyteros ſane Epiſcopi tribunali obnoxios oſtendit, eoſque ad Eccleſiæ miniſteria pro aptitudine deputandi. Quod non eſt aliud, quam Epiſcopo inferiores Presbyteros eſse. Ad eumdem ſcribens epiſt. 55. S. Baſilius Epiſcopatum Τὴν προεδρίαν τῶν Ἀποστόλων *Præſidatum Apoſtolorum* nuncupare non dubitavit; qui præterea in Anaphora ex verſ. Maſii ad Clementem Alex. Strom. lib. 6. cap. 13, de quo ſupra, reſpexiſse videtur, dum egregiam cum tribus Angelicis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ comparationem inſtituiſse legitur: quibus etiam de tribus Ordinibus dicere non omiſit S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 16. At enim primus, qui de Aerio palmam tulit, S. Epiphanius Hær. 75. eo ineluctabili mom ento eam exploſit hæreſim ex diſcrimine Epiſcopi, & Presbyteri ducto, in eoque poſito, quod Presbyter filios quidem Eccleſiæ per Baptiſmum generet, Epiſcopus vero Patres etiam per Ordinationem. Atque hoc perinde diſcrimen præfert Angelorum nomen, ſub quo Epiſcopos intelligi, de quibus S. Johannes loquitur Apocalyp. cap. 2, idem jubet Hær. 25. Quo item ſenſu accepiſſe leguntur Hilarus Diac. in 1. Corinth. cap. 11. v. 10. To. 5. Oper. S. Ambroſii p. 274, S. Optatus lib. 2. p. 50, & S. Auguſtinus epiſt. 162; accipiendoſque docent V. Beda, Rupertus, Riccardus Victor., Lyranus, Hugo Vict. &c., atque ultro, citroque largiuntur Grotius in Voto pro Pace contra Rivetum art. 7, Uſſerius Opuſc. de Epiſcop., & Metropolit. Orig. p. 4, Hammondus diſſert. 2. cap. 4, Pearſonius in Vindic. Ignat. par. 2. cap. 11, Chriſtophorus Cellarius diſsert. 7. Eccleſ. Aſiæ, Raynoldus in Collat. cum Harto cap. 8. diviſ. 3, &c. Falli vero Salmaſium diſsert. de Epiſcop., & Presbyt. p. 183, ſeq., dum

dum Andream Cæſareenſem docere ait per Angelos deſignari ipſaſmet Aſiæ Eccleſias, oſtendit Uſſerius diſsert. de S. Ignatii epiſt. cap. 18. ideo, quod apud Andream Cæſar. expoſitio iſta nuſpiam compareat, & Apocalyp. cap. 2. diſerte ab Eccleſiis Angeli diſtinguantur; quin etiam Hammondus loco cit. ex Andrea Cæſar. oppoſitum oſtendit, ab eo nempe pro Angelis intellectos *Ephoros*, ideſt. *Inſpectores*, ſive Epiſcopos, Jacob. Fridericus Hollenhagen de Sept. Eccleſ. Aſiæ Theſauri Theolog. Philolog. edit. Lugd. Batav. To. 2 p. 1033. §. 26, ubi Aretham Cappad. Angeli nomine Eccleſiam exponentem tropice loquutum, quo Populo tribuitur id, quod Præſidis eſt, rite obſervat, locumque S. Johannis accipiendum de Epiſcopis confirmat ex Malach. cap. 2. v. 7. Eodem cum S. Baſilio ibat gradu S. Gregorius Nazian., qui Orat. 1. n. 8. pulcherrima ex corpore deſumpta ſimilitudine docet, velut in humano corpore membrum aliud præeſt, aliud ſubeſt, ita in Eccleſia, Dei inſtitutione, alios eſse, qui *paſcantur*, & *pareant*; alios *Paſtores*, *ac Magiſtros*, qui paſcant, & imperent; & Orat. 20. n. 50. e gradu Presbyteri ad Epiſcopalis Cathedræ *Principatum* aſcendiſse S. Baſilium memorat: in quem comparandus Elias Cretenſis ad Orat. 1. n. 8, & 12, ubi Eccleſiaſticam cum Cæleſti Hierarchiam confert, graduſque in utraque ſuperiores, atque inferiores diſtinguit. Fruſtra vero in partes rapere S. Joh. Chryſoſtomum Proteſtantes adnituntur, a quorum errore tam immaniter abfuit, quam explicitiſſima de Epiſcopo ſupra Presbyterum dignitate, poteſtateque ſuperiori ipſius ſententia eſt cum hom. 11. in epiſt. ad Philipp., ubi Epiſcopos *Minuum impoſitione Superiores eſſe, & excellere Presbyteros* diſerte ſtatuit, tum hom. 5. in epiſt. 1. ad Timoth., ubi denuo impoſitionem manuum ita propriam Epiſcopi facit, ut nulli prorſus alteri competat, eamque vocat πάντων μάλιστα κυριώτατον *Poteſtatem ordinandi omnium ſupremam*. In eamdem ideo epiſt. ad Timoth. hom. 11. hanc, cur a S. Paulo de Epiſcopis, & Diaconis loquente, ſilentio prætermiſſi fuerint Presbyteri, cauſsam reddens, id factum ideo ſubjungit, quod a Presbyteris ſola ordinandi poteſtate differant Epiſcopi. De trifaria hac in Eccleſia Ordinum diſtributione loquitur ſæpius S. Auguſtinus de Morib. Eccleſ. cap.

32, epist. 148, in Psal. 44, hom. 7. inter 50, &c., ita tamen, ut supra duos reliquos Episcopatum diserte collocet epist. 162, ut Episcopatu Apostolicam perennari successionem, propagarique non dubitet epist. 42, ac 166, & ab Episcopis Apostolatus munus peragi epist. 256. adseveret.

Videndum nunc, ut se habeat S. Hieronymus, quem sui participem erroris agere pedibus, manibusque Presbyteriani conantur. Ast is in cap. 3, 5, & 60. Isajæ Episcopos *Ecclesiæ Principes* inscribere, sicuti etiam in Psal. 44, & in epist. 1. ad Tit. non dubitat. Ecclesiam in tribus Ordinibus consistere invicem distinctis semel, iterumque docet in cap. 7. Micheæ, & lib. 1. adv. Jovin. Ab Apostolis per singulas Provincias Episcopos, & Presbyteros ordinatos adnotat in Matth. cap. 23. Cum Rege Episcopum confert in Epitaph. Nepot., atque Episcopi *Sacerdotum inferiores gradus* memorat in Epitaph. Paulæ. Distinctius ex duplici capite Episcopi potestatem supra Presbyterum evehit, qua ex Spiritus S., & Sacerdotii abundantia ipsi soli collata, solus fidelibus perfectionem Baptismi per Confirmationem adjicere possit: *In Ecclesia* inquiens, *baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipit Spiritum S.* lib. adv. Lucif.; & qua solus sacris Sacerdotii Ministris per Ordinationem congruas partes admetiri potest: *Quid enim*, inquiens ea ipsa in epistola olim 85, nunc in edit. Martianæi 101. non ad Evagrium, ut vulgo legi solet, sed ad Evangelum, in qua vim maximam adversarii faciunt, *Quid enim*, inquam, *facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod non faciat Presbyter?* Tam vero Divinæ institutionis siquidem Baptismus sit, quam sint Confirmatio, & Ordinatio, sequitur inde sententia S. Hieronymi, ut Episcopus Divina pariter institutione sit Presbytero superior. Qua perinde ratione a Presbytero distinctum Episcopum audivimus ab Hilaro Diac. in epist. 1. Timoth. cap. 3, a S. Epiphanio hær. 75. Aerii explosam hæresim, a S. Joh. Chrysostomo hom. 11. in epist. ad Philip. Episcopi dignitatem supra Presbyteros elevatam, a Synodo Alexandrina Ischyram Presbyterum ideo repulsum refert S. Athanasius in Apolog 2, quod a Colutho Presbytero illegitime ordinatus, ordinare ipse Presbyteros nequiret, & a Synodo Hispalensi II. cap. 5. gradu detrusi leguntur, qui a Presbytero

tero quodam manuum impoſitionem perceperant. Ancyranum porro Canonem 12, quo Presbyteri ordinatio, abſque licentia Epiſcopi prohibetur, ex quove Salmaſius arguendi olim id factitatum anſam fruſtra arripuit, ideoque a Presbyteris æque peragi, atque ab Epiſcopis, Ordinationes adfirmandi, capiendum de Chorepiſcopis admonent Ferrandus Diac. in Brev. n. 79, Creſconius in Collect. n. 96, concordantque Canones Neocæſareenſis 13, Antiochenus 10. apud Johannem Antiochenum tit. 21, & Capitulare Aquiſgranenſe cap. 9. apud Sirmondum Concil. Gall. To. 2. p. 134, qua de re Hallier de ſacr. Ordin. p. 2. ſect. 5. cap. 1. art. 2. §. 1, Petavius in S. Epiphanium hær. 69. p. 277, & de Hier. Eccleſ. lib. 2. cap. 11. n. 5, & cap. 12, P. Zacharias Hiſt. litter. Ital. To. 3. p 100, ac recolenda, ſi placet, nobis dicta Vindic. Par. 2. art. 8. §. 1. p. 321, ſeqq. Tam vero Baptiſmum, quam Ordinationem Sacramenta eſſe a Chriſto D. inſtituta cum S. Paulo 2. Timoth. cap. 1. v 6 docent S. Ambroſius de Sacerd. dignit. cap. 5, S. Joh. Chryſoſtomus de Sacerd. lib. 3. p. 15, S. Auguſtinus lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 13, aliique, de quibus ad Scholas. Ad S. Hieronymum reflectendo, eadem in epiſt. ad Evangelum ex veteri Teſtamento accommoda deſumpta ſpecie mentem de Epiſcopi gradu ſupra Presbyterum poſito adhuc ſuam aperit: *Quod Aaron*, inquiens, *& filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi vindicent in Eccleſia*. Quam ſane comparationem iterum in epiſt. 3. ad Nepotianum inſtituit, ante ipſum vero adhibuerat Auctor Conſtit. Apoſtol. lib. 8. cap. 46, ac poſtea Theodulphus Aurel. in Capitul. Eccleſ. cap. 1, Ivo epiſt. 63, ac Synodi Hiſpalenſis II. cap. 7, & Aquiſgranenſis ſub Ludovico Pio lib. 1. cap. 9, eademque arriſiſſe videtur S. Leoni M. ſer. 57. edit. Baller. 59, de Paſs. 8. cap. 7. Quod arripiens Turrianus pro epiſt. Decret. lib. 5. argumentum ita ſubinfert: atqui inter Aaron, filios Sacerdotes, ac Levitas diſcrimen intercedebat, igitur etiam inter Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, S. Hieronymi ſententia, intercedit, Atque huic argumento quidem haud ſatis feciſſe Blondellum adnotat Pearſonius in Vind. Ignat. par. 1. cap. 11, ac videndi etiam Beveregius in Annot. ad Can. 2. Apoſtol., & Dodvvellus diſſert.

sert. Cyprian. 10. Quæ vero S. Hieronymo obijci vulgo solent, viden, ut abunde diluta sint præ aliis a Petavio de Hier. lib. 2. cap. 5, seqq., fusiusque lib. 5. cap. 1, seqq. Paucis tres hosce complexus est Ordines S. Cyrillus Alexan. lib. 13. de Adorat. Episcopos καθυγεῖσθαι λαχοῦσιν *Principatum sortitos*, Presbyteros Τῶν μείω διέπουσι Τάξιν *inferiorem gerere gradum* adfirmans. cui consentanee Theodoretus in 1. Timoth. cap. 3, seq., & hist. Eccles. lib. 1. cap. 15, ac lib. 5. cap. ult. Episcopos προίστους *Præsides*, quomodo ad Rom. 12, 8, 1. ad Thessal. 5, 12, & 1. ad Timoth. 5, 17, nuncupare, eisque in Ecclesia πρωθρίαν *Primam Sedem* tribuere non dubitat, eique junge Theophylactum in Lucæ cap. 19. De Claudiano Presbytero, S. Mamerci Vien. Episcopi fratre, loquens Sidonius Appollinaris lib 4. epist. 11. ad Petrejum utriusque Nepotem, in secundo illum Sacerdotii ordine collocat, eumque Fratri vicarias præstitisse operas ait: *Antistes fuit ordine in secundo, fratrem fasce levans Episcopali*; & lib. 6. epist. 10. Censurium Antisiod. Ecclesiæ Præsidem vocat. Confer & Philippum Abb. Bonævallis de Contin. Cler. cap. 107, ac Sedulium Jun. Scotum Comment. in epist. ad Tit. cap. 1, Sæculi VIII. Scriptorem, a quo primum inductam Presbyterum inter, & Episcopum distinctionem, eique ortum Schismata dedisse, quam falso dicere somniaverit Johannes Meursius in Gloss. Græco Barbaro V. Ἐπίσκοπος edit. Lugd. Batav. 1610. p. 210. ex hactenus disputatis facile datur intelligi. Atque hanc quidem SS. Patrum traditionem quin ratam fecerint passim Synodi, ac Pontifices Summi non dubium erit perlustranti Ancyranam Can. 13, vers. Dionysii 12, Eliberitanam Can. 77, Neocæsareensem Can. 13, Nicænam Can. 18. vers. Dionys., Antiochenam Can. 1, 5, 9, 12. &c., Chalcedonensem Can. 2, Constitutiones Eccles. Alex. cap. 4. apud Ecchellensem de Orig. Eccl. Alex. cap. 2, Toletanam IV. Can. 26, Aquisgranensem sub Ludovico Pio lib. 1. capp. 7, seqq., Londinensem sub Thoma Arundelio, ubi inter alios Wicleffi articulus 6, quo tempore Apostolorum Papam, Patriarchas, Episcopos obtinuisse inficiabatur, atque duos Ecclesiæ dumtaxat Ordines, Diaconos nempe, Presbyterosque suffeciisse adfirmabat, diro inustus est stigmate,

mate , ac Tridentinam ſeſſ. 23. cap. 4, & Can. 6, ſeq., apud quas nihil frequentius audire præſtat, quam tres hoſce præcipuos in Eccleſia gradus eſſe diſtinctos, juxtaque diverſa ab his officia peragi, adeo ut duobus aliis poteſtate emineant , atque præſtent Epiſcopi . Quam Synodorum perinde ſententiam propriæ auctoritatis pondere adjuvant Rom. Pontifices , S. Leo M., qui ſerm. 47, edit. Baller. 48. de Quadrag. 10. cap. 1. tres Ordines recenſens in primo Epiſcopos , in ſecundo Sacerdotes , in tertio Miniſtros collocat , idem habet in epiſt. 84, edit. Queſn. 12, Baller. 14. ad Anaſtaſium Theſſal. cap. 4, epiſt. 87, edit. Queſn. 1, Baller. 12. ad Africæ Epiſcopos cap. 2. Epiſcopum ſuper omnes gradus conſtitutum ait, & epiſt. 90, edit. Queſn. 37, Baller. 41. Ravennium Arelat. ſummum Sacerdotem vocat , ac videndi Ballerinii in epiſt. 14. Not. 52 ; S. Gregorius III. Can. 2. *Presbyteri* diſt 68, S. Leo IV. epiſt. 2, S. Nicolaus I. epiſt. 47, Eugenius IV. in Decr. Union., Leo X. Conſt. *Divina* in Concil. Later. Seſſ. 11, &c. Siquæ vero ex SS. Patribus moram inferre aliquam loca videantur, ea diſſoluta repeties a Morino de Sacr. Ordin. par. 3. Exercit. 7. cap. 7, a Thomaſſino vet., & nov. Diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 52, ſeq., a Florente in lib. 1. Decret. tit. 29, ſeqq. To. 2. p. 193, ſeq. edit. Norimb. 1756, ab Hallier de Divina Epiſcopi Inſtit. lib. 1. cap. 4. art. 3, ſeqq. &c., non ſecus atque objecta ex Eutychio Alex. de Patriarcha ordinaato a Presbyteris a Blondello , Seldeno, Pfaffio, Deilingio , Walchio hiſt. nov. Teſt. p. 744, ſeqq. ſufflaminata videre licet ab Ecchellenſi de Orig. Eccl. Alex. cap. 2, a Renaudotio , & Solerio de Patriarch. Alex., a Petavio de Hierar. lib. 5. cap. 2, ſeq., a Mazochio in diatr. ad Acta S. Marci , a Mamachio Orig. , & Antiq. Chriſt. To. 4. p. 508, ſeqq., a Sculteto etiam in cap 3. ad Tit. Crit. Sacr. To. 5. edit. Francof. p. 1137, ſeqq. Ad hæc denique ab Hadriano Imp. in epiſt. ad Servianum , de qua Vopiſcus in Saturnino , apud Chriſtianos Epiſcopos a Presbyteris diſtinctos obſervat Grotius in Floribus ad Jus Juſtin., de quo Pearſonius in Vind. Ignat. par. 1. cap. 11. A Conſtantino M. in epiſt. ad Epiſc. , Presb., & Diac. apud Euſebium ejus vitæ lib. 2. cap. 46, & a Theodoſio , ac Valentiniano Append. Cod. Theod. cap. 20. idem adnotatum diſcrimen intueri licet. Altero demum argumento Dallæum

læum oppugnat cap. 13. Beveregius ex veteribus illis ducto SS. Viris, qui a Presbyteri gradu ad Episcopatum ascenderunt, quales S. Pothinus apud S. Gregorium Turon. lib. 1. hist. cap. 24, S. Irenæus apud Eusebium lib. 5 cap 3, seq. vers. Ruff., Heraclas apud eumdem lib. 6. cap. 19, Dionysius apud eumdem lib. 7. cap. 7, Pamphilus ibid. cap. 29, &c.

Hisce fundamenti loco suppositis, inde plane sequitur duas in sacro Principatu facultates, potestatesque Judiciariam, ac Legislativam comprehendi. Nec id Catholicis nostratibus arcte dumtaxat persuasum, sed neque Protestantium doctiores vocare in dubium ausi sunt. E quibus Spanhemius in dubiis Evang. par. 3. dub. 15. Ecclesiæ novi Testamenti Regni titulum aptare non ambigit: *Quia*, inquiens, *in hac Oeconomia omnia requisita Regni, Rex, subditi, gubernatio, protectio, leges, mandata, prohibitiones, pœnæ, præmia, ordo, & colligatio tum subditorum cum Rege, tum subditorum inter se invicem, & quævis alia tum requisita, tum officia, tum beneficia Regni, vera etiam libertas, quæ appendix, imo anima Regni non despotici, sed Politici*. Propius vero de potestate Ecclesiastica disser. de Apost. adverf. Hobbesii Systema agit, atque Spinosæ ab objectis vindicat Oper. To. 2. lib. 3. p. 290, seqq., ubi de Ecclesiæ Characteribus sermone instituto, *Character nonus*, inquit, τῆς καθ' ἡμᾶς τῶν Ἀποστόλων *Potestas quædam Judicialis, & Legislatoria in spirituali Ecclesiæ regimine, ac salva Civili potestate, a Christo iisdem concessa*. Quod multis ex Evangelio, Actis, Epistolisque Apostolorum dictis, ac gestis confirmare satagit. Hartmannus quoque de Rebus gestis Christ. sub Apostolis cap. 3. p. 63. Regalia etiam Jura Apostolis tribuere nihil hæsitans: *Nullum*, inquit, *Regale, uti nunc vocant, aut jus Majestatis nomines, quod non Apostolos exercuisse liquido demonstravero*. Qua reapse de potestate textus cum Spanhemio explicat S. Matthæi cap. 19. v. 28, & S. Lucæ cap. 22. v. 30. de Apostolorum sessione super Thronos duodecim; frustra vero, inepteque utrumque vellicat, vexatque Buddeus de Ecclesia Apostol. cap. 6. de Hierar. Eccl. §. 3, in eo tamen de Apostolis meritus, ut cum Witsio Miscel. Sacr. par. 1. lib. 1. cap. 22. iisdem in fide infallibilitatem a Spinosæ, & Clerici dubiis vindicet, & defendat.

De

De utriuſque itaque poteſtatis iſtiuſmodi ſpecie, Judiciaria videlicet, & Legislativa, ſive privata, & domeſtica, ſive publica, & externa loquendo, principio obſervandum, quod Ariſtoteles Polit. lib. 4. cap. 15. Magiſtratus jura definiens tribus iſta rebus complexus eſt, ita ut ejus ſit *Deliberare*, *Decernere*, *Jubere*: quæ tamen uſu commodiore ad duo reſtringi ſolent, ad Jurisdictionem nempe, & Imperium. Atque Jurisdictio quidem ſtrictiſſime ſumpta definiri a Juriſconſultis ſolet: *Poteſtas de publico introducta cum jurisdicendi, & æquitatis ſtatuendæ neceſſitate*, veluti notant Alciatus ad fin. cap. 24. lib. Diſput. 2, Gloſſa, & ibid. Bartholus in lib. 1. ff. *De Jurisdictione omnium Judicum*. Etſi vero Juriſdictio confundi cum Imperio ſæpe ſoleat, ut advertit Gerardus Noodt de Juriſd. lib. 1. cap. 2, ab iſto tamen rite illam diſtingui obſervat Heineccius Antiq. Roman. ad Inſtit. lib. 4. tit. 6. §. 5, ſeq. Advertit enim apud Romanos Juriſdictionem olim duabus conſtitiſſe partibus, *Decreto* ſcilicet, & *Judicis datione*. Nam Prætor, aut ipſe, perſemet cauſſa cognita, decernebat, aut Judicem, qui cognoſceret, dabat, eidemque certam judicandi formulam indicabat. Imperii vero tres fuiſſe partes *Jus edicendi*, *Jus evocandi*, *Jus prehendendi*, nempe edicendi in præſentes, evocandi abſentes, prehendendi nolentes. Unde abs vero procul aberrant cum Fleurius hiſt. Eccleſ. To. 19. in diſc. prælim. §. 1. Eccleſiaſticam Juriſdictionem abſque Imperio coactivo eſſe docens, tum Bohemerus in Not. ad ejuſdem Inſtit. Canon. par. ult. cap. 1. §. 1. Juriſdictionem abſque Imperio concipi nequire contendens, ideoque Eccleſiæ Juriſdictionem eſſe συδηρόξυλον abſque coactione. Eccleſiæ namque tam Juriſdictio, quam Imperium, competit velut oſtendunt Florens Oper. par. 2. ad Gratiani Cauſ. 11. q. 1. in tract. de Juriſd. Eccl. To. 2. p 3, ſeq. edit. Norimberg. 1756, ac Bebelius etiam Antiq. Eccleſ. art. 2. p. 212, ſeqq., ac 528, ſeqq., ac pluribus modo oſtendere adgredior, quod eſt idem ac dicere Eccleſiam Juriſdictione potiri circa res privatas, Imperioque circa res publicas. Atque ad privatas quidem refertur poteſtas docendi, quæ ex Chriſti D. præcepto credenda, & agenda manent, ſecus credentes, & agentes corripiendi, & caſtigandi; Chriſtifidelibus Sacramenta adminiſtrandi, indignoſque ab illorum

participatione repellendi; de peccatis cognoscendi, pœnasque infligendi, sive adhibita solemni judiciorum formula, ut in Foro Contentioso, sive forma ista prætermissa, ut in Sacramento Pœnitentiæ; distinguendi peccatores absolvendos a pertinacibus absolutione indignis, atque illos ad Sacrorum consortium recipiendi, istos vero a Fidelium commercio projiciendi; aliaque hujusce genus præstandi, quæ singulares personas, aut res particulares afficiunt. Ad publicas autem referenda potestas instituendi Pastores, Ministrosque publicos, ac destinandi ad Religionis officia; pro Religionis definiendis rebus Ecclesiasticos indicendi Conventus, ac celebrandi, adversusque Religionis hostes judicia exercendi; publicos Judices ad finiendas causas designandi, Templa ad publicum Dei cultum erigendi, Leges ad Christianam recte informandam Rempublicam ferendi, aliaque hujusmodi perficiendi, quæ Christifideles universim omnes indiscriminatim adstringant, & ad Reipublicæ totius publicum bonum, communeque conferant. Igitur tam ex Jurisdictione privata, quam ex Imperio publico utraque Ecclesiasticæ Politiæ species profluxit, interioris nempe, exteriorisque, quæ non est aliud, quam cum utroque potestatis Judiciariæ, ac Legislativæ genere Christianæ Reipublicæ, cujus officia privati, ac publici Juris esse constant, optime constitutum Regimen. Atque ita profecto Divina institutione constitutum contra refragantes in Anglia Brovvnistas, eisdemque adstipulatos Brunerum, Colemannum, Prynnium, Seldenum, Caldervood, Parkerum de Polit. Eccl. lib. 1. cap. 2, Tindalum de Eccl. Christ. jure, & auct., Collins *Essai hist., & Crit. sur les 39. Articles de l'Eglise Anglic.*, Clarcksonum *Traitez historiq. de l'Etat prim. de l' Episcopat, & des Liturgies, &c.* defendere non hæsere Bancroftus, Docemanus, Bilsonus, Gillepsius, Rheterfoordius, Hughesius dissert. procem. ad S. Joh. Chrysost. libros de Sacerd., Montacutius Orig. Eccl. par. 2. p. 46, Thomas Bennet ex art. 20. Eccles. Anglic. id confirmans in Apolog. Eccl. Angl., Millius in explic. August. Confes. par. 2. p. 167, Usserius, Pearsonius, Beveregius, Potter, Binghamus Orig. Eccl. lib. 2. cap. 1, Cumberlandus &c., de quibus paullo superius; & contra negantes Remonstrantes in Batavia, eisque suffragantes Grotium, Utenbogar-

gardum, Vedelium, Ludov. Molinæum, Deilingium de Novit. Regim. obſerv. 3, Velthuiſium, Eraſtum, Puffendorfium, Buddeum de Hier. Eccl. Apoſt., Moshemium Inſt. Chriſt. Major. par. 2. cap. 2. §. 14. p. 180, ſeq., Pfaffium Orig. Jur. Eccl. cap. 2. art. 2. p. 47, ſeq. &c. propugnandum ſumpſere Cabelſavius, Revius, Triglandus, Apolonius, Heideggerus Doctr. Chriſt. lib. 27. ſect. 1. 1. §§. 93, & 130, Voetius Polit. Eccleſ. par. 3. lib. 4. tract. 4. cap. 1, Hornius hiſt. Eccl. p. 335, ſeq., Kromayerus de poteſt. Eccl. par. 1. ſect. 2. cap. 1, ſeq., atque ita conſtitutum utique explicitiſſimi probant cum Evangelici, tum Apoſtolici Textus. Ita enim Juriſdictionem Eccleſiæ, Imperiumque deſignari quis ambigat verbis *Diſpenſandi, & miniſtrandi* Matth. cap. 20. v. 27, 1. ad Corinth. cap. 4. v. 1, & cap. 9. v. 17, 1. ad Timoth. cap. 4. v. 5, & ad Tit. cap. 1. v. 7, quæ ita accepiſſe videntur S. Dionyſius Areop., Antiochus Palæſt., S. Joh. Chryſoſtomus, S. Maximus, S Leo M., S. Felix III, de quibus paullo ſuperius; modo verbis *Docendi, & præcipiendi* Matth. cap. ult. v. 19, ſeq., ad Epheſ. cap. 4. v. 11, & 1. ad Timoth. cap. 4. v. 11, qua de re SS. Clemens in epiſt. ad Corinth., Ignatius ſupracit. epiſt., S. Cyprianus epiſt. 33, ſeq. edit. Felli, S. Joh. Chryſoſtomus &c.; nunc verbo *Paſcendi* Johan. cap. 21. v. 18, Actor. cap. 20. v. 28, 1. Corinth. cap. 9. v. 7, Epheſ. cap. 4. v. 11, ac 1. Petri cap. 5. v. 2, velut interpretantur Origenes hom. 2. in Num. To. 2. p. 278, S. Cyprianus epiſt. 68. edit. Fell., S. Gregorius Nazian. Orat. 1. n. 8, S. Auguſtinus de Paſtor. cap. 7. Et certe in voce Ποιμαίνειν, & Ποιμήν *Paſcere, & Paſtor*, paſcendi officium cum poteſtate, imperioque conjunctum vidit Philo lib. de eo, quod deterior potiori inſidietur ſic inquiens: Οἱ δὲ ποιμαίνοντες ἀρχόντων, καὶ ἡγεμόνων ἔχοντες δύναμιν, *Qui paſcere dicuntur, Principum, ac Ducum vim habent*. Eidem voci etiam eam ineſſe vim, quæ Regimen, & gubernationem exprimat, exiſtimant Hammondus ad 1. Corinth. 12, 28, Leighius in Crit. Sac., & Caldervvood Altar. Damaſc. cap. 4; ideoque Caſaubonus in exercit. 16. §. 133. vocem iſtam Ποίμαινε Joh. 21, 16. a Regimine extorrem faciens dignis vapulat a Kromayero §. 6, qui Puffendorfium etiam, & Bohemerum Imperium omne Eccleſiæ abjudicantes refellit. Ita quoque Juriſdictionem Eccleſiæ, atque

Imperium exprimi modo verbis *Ligandi, & solvendi* Matth. cap 16. v. 19, & cap 18. v. 18, ac Joh. cap. 20. v. 23. non dubium fuit Tertulliano de Pudicit cap 21, Origeni To. 12. in Matth. p. 531, S. Dionysio Alex. in epist. ad Fabium Antioch., S. Cypriano lib. de Unit., & epist. 41, seqq. edit. Fell., S. Leoni M. serm. 3. de sua assump. &c.; nunc verbis *Arguendi, & increpandi* 1. ad Timoth. cap. 5. v. 20, & 2. ad eumd. cap. 4. v. 2. persuasum habuere Lucifer Calar. lib. 1. pro S. Athanasio p. 37, S. Hieronymus, Theodoretus, Primasius, Oecumenius, Sedulius ibid. &c., eoque maxime, quod eadem arguendi vox apud S. Paulum epist. ad Tit. cap. 2. v. 15 omni cum Imperio conjuncta legatur, *Argue*, inquientem, *cum omni imperio* μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. Tum verbo *Imperandi* ad Philemon. v. 8, ubi voces Παρρησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοί τὸ ἀνῆκον *Fiduciam habens imperandi tibi, quod ad rem pertinet*, ita varii trium Catenar. in Paulum Vaticani Auctores reddiderunt: ἐπάρχη τόσοι Πρᾶγμά Πρέπον, ut sensum referant, quod S. Paulus imperare Magistratus more, quod sua ad hanc interesset rem, rite quiviſſet. Tum vocibus *Accusandi, & ejiciendi* Matth. cap. 18. v. 17, 11. Corinth. cap. 5. v. 2, seqq., 2. Thessal. cap. 3. v. 6, seqq., ut accipere non dubitarunt Origenes hom. 7. in Josve To. 2. p. 413. seq., Tertullianus Apolog. cap. 39, qua de re susius seq. Art. Tum verbo *Judicandi* Act. cap. 15. v. 19, & Apocalyp. cap. 20. v. 4, quem posteriorem utique locum de Judiciaria Episcoporum auctoritate accipiendum docet S. Augustinus de Civit. lib. 20. cap. 9, adnuitque S. Gregorius Nazian Orat. 9. Tum verbo *Gubernandi* 1. ad Corinth. cap. 12. v. 28, quo loci S. Paulus inter officia a Christo D. in Ecclesia instituta recenset *Gubernationes* Κυβερνήσεις, atque voce hac utique in radice hebræa *Valorem*, sive fortitudinem, sive auctoritatem significari adnotant Thomassinus in Glossar., Opitius in Lexico, Zanolitus in Lex., qua perinde voce in concreto *Duces, & Gubernatores* accepisse leguntur Interpres Syrus, de quo Trostius in Lex. Syr., & Castellus in Lex. Heptaglot., *Rectores* Arabs, de quo Golius in Lex., Versiones etiam Anglicana, Belgica &c. Hinc ex voce illa Apostolos ipsos Κυβερνήτας vocandos instituit S. Joh. Chrysosto-

mus

mus apud Svicerum in Theſ. Eccl., atque ita voce illa capiendos *Duces, & Rectores* conſentiunt etiam Melanchon in Conſil. Theolog. par. 2. p. 199, Flaccius in Gloſſa, Oſiander in Paraph., Hunnius, & Balduinus in Comment., Rungius in diſput. ad hunc loc., Danhaverus in Hodoſ. Phœnom. 2. p. 150, Muſæus de Eccleſ. par. 1. p. 93, Ravanellus in Bibl. S., Heideggerus Doctr. Chriſt. lib. 26 §. 12, apud Kromayerum, qui de Poteſt. Eccleſ. par. 1. ſect. 2. art. 1. cap. 1. §. 3, ſeq. ideo Ligfootum, & Vitringam de vet. Synag. lib. 2. cap. 3. locum accipiendum de diſcretione Spirituum exiſtimantes refellit.

Atque Juriſdictionem hanc utique, verbo indicatam, facto ipſo ab Apoſtolis cum Imperio frequens exercitam cum ex ipſorum ſcriptis, tum ex Scriptorum traditione diſcimus. At nobis prius audiendus obiter Regius Pſaltes, a quo cum Apoſtolica copulata Principalis, ac Regia poteſtas liquet ex Pſal. 44. v. 17. *Conſtitues eos Principes &c.*, & Pſal. 67. v. 13, ubi Vulgatus Interpres habet: *Rex virtutum &c.*, Textus Hebræus legit: *Reges Exercituum &c.*, quem utrumque plane locum de Apoſtolis accipiendum docent SS. Patres, & Interpretes, quibus ex Proteſtantibus adſentiri haud fuere difficiles Shmidtus in Reſolut., & Paraph. Pſalm. de Chriſto, Vitringa Obſerv. lib. 3. obſ. 8. §. 42, ſeqq., &c., ac propterea Apoſtolatus partem individuam eſſe Imperium, ſive poteſtatem Judiciariam, ac Legislativam fateri neque hæſerunt Caldervvood in Altari Damaſ. cap. 4, Hartmannus de Rebus geſt. Chriſt., Skelerander Antiq. Eccl. Chriſt. cap. 3, Kromayerus de poteſt. Eccl. par. 1. ſect. 2. art. 1. cap. 2. p. 66, ſeq., &c., in eo poſtea decepti, ut putent ab Apoſtolis perinde Regiminis ſummam penes Collegia Presbyterorum fuiſſe depoſitam: quæ deceptio inde ſane patet, quod alia forma ab ea, quam ipſi a Chriſto D. acceperant, (accepiſſe vero negantem quis patienter excipiat Moshemium Inſt. Chriſt. Major. par. 2. cap. 5. §. 5. p. 161, quod eſt adfirmare Chriſtum D. de optime conſtituenda Eccleſia haud fuiſſe ſollicitum, conſtitutamque pejori, quam Synagoga, eam conditione fuiſſe) Eccleſiæ indita fuiſſet, quod omnino falſum eſt. Sub Apoſtolis, ac deinceps ſuum Eccleſiæ conſtitiſſe Senatum, Forum, Imperiumque fatentur inde Himmelius apud Jagerum de Jure

po

potest. Supr. circa Sacra p. 270, Jagerus ipse, Hulsemmannus in Brev. cap. 20. Suppl. th. 6, &c. Et certe de Apostolatu suo loquens S. Paulus 2. ad Corinth. cap. 10. v. 8, & cap. 13. v. 10. necessaria se a Christo D. potestate instructum perhibet: quam potestatem duplicem utique fuisse persuasum fuit S. Joh. Chrysostomo hom. 21. in 2. Corinth., Gennadio apud Oecumenium, ipsi Oecumenio, Theophylacto ibid. &c., præcipiendi nempe, quæ facienda essent, ac puniendi, siquid contra præcepta fieri contingeret. Qua etiam profecto de potestate iterum loquitur epist. ad Tit. cap. 1. v. 1. Apostoli se prænotans nomine, iudicare nempe ita voluit Fideles omnes suo debere imperio esse subjectos, ut observat ibid. S. Hieronymus, qui Apostolatum etiam Ἀρχὴν *Magistratum*, & *Imperium* nuncupare non dubitat hom. 2. de Pent., quæ est 89. To. 5. p. 612. Potestate hac igitur Apostoli induti de advocandis in ejus partem aliis cogitasse leguntur. Sic enim de subrogando in Judæ locum Apostolo, deque Ministris deligendis in commune contulisse, ideoque & S. Matthias electus, & Diaconi instituti Act. cap. 1. v. 15, seqq., & cap. 6. v. 3, seqq. Sic & regendis cum jurisdictione per Orbem Ecclesiis præfecisse Episcopos, Hierosolymitanæ S. Jacobum, de quo Eusebius hist. Eccl. lib. 2. cap. 1, Hilarus Diac. in cap. 1. ad Galat., S. Joh. Chrysostomus hom. 33. in Act., S. Hieronymus de Script. Eccl., S. Augustinus lib. 2. contra Cresconi. cap. 37, & S. Epiphanius Hær. 65; Ephesinæ Timotheum, Cretensi Titum, quibus data præcepta, regendarumque Ecclesiarum formam præscriptam, ad omnes generatim Episcopos referendam, docent Eusebius lib. 3. cap. 36, & S. Hieronymus in cap. 1. epist. ad Tit.; Septem Asiæ Ecclesiis totidem Episcopos dedisse, quos Angelorum nomine designatos intueri licet Apocalyp. cap. 1. v. 20, seqq.; quamquam gubernandarum per hos Ecclesiarum formam, quam Διατάξιν Christi, sive *Constitutionem* vocat S. Ignatius in epist. ad Trall., a Christo D. potius inductam eodem loci arguere licet. Deliberasse itidem Apostolos de Mosaycæ legis abrogatione, legisque Evangelicæ observantia liquet Act. cap. 15. v. 6, seqq. Sic etiam Visitatio Ecclesiarum instituta legitur, traditaque observanda Decreta Act. cap. 16. v. 4, seqq. Præceptis deinde circa morum disciplinam, de-

deque rebus ad mutua officia, Politiamque Eccleſiaſticam ſpectantibus refertiſſimæ profecto ſunt Apoſtolorum Epiſtolæ. Veluti de Chriſtifidelium unanimi concordia, mutuaque charitate Rom. cap.12.v.4, ſeqq., Epheſ. cap.5. v.2, ſeqq., 1. Johan. cap.2. v. 7, ſeqq., cap. 3. v. 10, ſeqq., & cap. 4. v. 7, ſeqq. De Virginitate, & Conjugio, Conjugumque inter ſe ſe officiis 1. ad Corinth. cap.7, & ad Tit. cap.2. v.4, ſeqq. De officiis Patrum, Matrumque familias 1. Timoth. cap. 2. v. 8, ſeqq., 1. Petri cap. 3. v. 1, ſeqq. De Præpoſitis obedientia debita Rom.cap.13.v.1, ſeq., 1, 1. Timoth. cap. 6. v. 1, ſeq., Tit. cap. 2. v. 9, ſeq., cap. 3. v. 1, ſeq., 1. Petri cap. 2. v. 13, ſeqq. De velandis Mulieribus, earumque pietate, ac Fidelium modeſtia 1. ad Corinth. cap.11.v.5, ſeqq., 1 ad Timoth. cap.3. v. 11, cap.5. v.4, ſeqq., & ad Tit. cap.2.v.2, ſeqq. De Sacrorum Miniſtrorum virtutibus, eiſdemque ad victum neceſsariis præſtandis 1. Corinth. cap.9. v. 7, ſeqq., 1. Timoth. cap.3. v.8, ſeq., & Tit. cap.1.v.6. De Patientia, & Jejunio ad Rom. cap.13, v.13, 2. ad Corinth.cap.6.v.4. & ad Epheſ.cap.4.v.2. De Oratione, & Pſalmodia 1. Corinth. cap.14. v. 15, ſeqq., Epheſ.cap.5.v.19, & Coloſ. cap.3. v. 16. De Eleemoſynis, & Collectis 1. ad Corinth. cap. 16. v.1, ſeqq., 2. ad eoſdem cap. 8. v. 14, & cap. 9. v. 1, ſeqq. De Liturgia, & Sacrificio 1. Corinth. cap.10.v.16, & ſeqq. & cap.11.v.17, ſeqq. Miſsa facio multo plura, ne ultra modum prolixior evadat oratio. Quas denique præter leges ſcripto traditas, traditione, ſeu verbo alias quoque pleraſque commendatas ab Apoſtolis fuiſse plurimo argumentorum genere comprobare me memini Vind. Par. 1. Tom.2. Proleg. Art.7, cui nunc tantæ evolvendæ moli ſatis otii non ſuppetit. Neque vero juredicundo tantum, imperandoque, verum & contumaces coercendo, ac ſchiſmaticos, hæreticos, ac ſceleſtos Eccleſia ejiciendo, poteſtatis Eccleſiaſticæ partes omnes prorſus expletas ab Apoſtolis fuiſſe compertum eſt: qua de re ſeq. Artic. Junge, quod in Scripturis paſſim Eccleſia qua *Domus*, *ac Familiæ*, velut Matth.7, 25, Luc.6, 48, Epheſ. 2, 21, 1. Timoth. 3, 17, ac 2. ad eumd. 2, 20, ubi videndus Hilarus Diac. in 1. Timoth. cap.3, quam *Civitatis*, *& Regni* nomine deſignatur, veluti Matth. 13, 11, ſeqq., 20, 1, Marc. 4. 11, ſeqq., Coloſ. 1, 13, Hebr. 12, 22, & 28, Apocalyp. 3, 12, & 21, 10: quod indicium eſt indu-

indubium ad regendos Christifideles potestatem tam domesticam Patrisfamilias, quam politicam Regis, publicique Magistratus a Christo D Ecclesiæ fuisse concreditam. Inde sequitur igitur, ut in Ecclesiam Apostolis facta Jurisdictio pari descenderit gradu, in eaque velut ex asse ipsis successerint Episcopi. Ad hæc illud accedit, quod siquidem in Ecclesiam, sive Legem Evangelioam Sacerdotium tam Melchisedechi, quod erat Legis Naturæ, quam Aaronis, quod erat Legis Mosaicæ, translatum legitur Hebr. cap. 5. v. 6, seqq., & cap. 7. v. 11, seqq., in utroque vero tam privata, quam publica Sacrorum potestas viguerit, quæ se se Sacrificiis publicis, Legis interpretationibus, sacrisque Conventibus explicabat nedum, sed præceptis, sed judiciis, sed pœnis, inde consequitur, ut potiori ratione potestas hæc utraque in Ecclesiam transfusa fuerit.

Et certe Potestatis utriusque in se transfusæ utique nullo non prisco, sequiorique tempore usum ab Ecclesia factum concordi adfirmant, confirmantque sententia Ecclesiæ Patres: in quibus S. Ignatius, quem epist. ad Trall., Smyrn., &c. de ampla Episcoporum auctoritate loquentem paullo superius audivimus, atque ita accipiendum fatetur ipse Bebelius Antiq. Eccl. sect. 1. art. 2, Auctor Const. Apost. sub S. Clementis nomine, antiquissimus proculdubio, ut qui floruit ante Sæculum IV, siquidem ejus meminerint Eusebius lib. 3. cap. 25, S. Athanasius in epist Festali, S. Epiphanius Hær. 45, 70, 75, & 80, aliique plures, lib. 2. capp. 14, 25, seq., 34, 48, seq. Episcopalem cum Regia dignitatem conferre non dubitat, eis passim Forum externum adstruere, Judiciariam peræque adserere potestatem, atque Judiciorum formam præscribere. De Christifidelium etiam Conventibus sua sub ætate agens Tertullianus Apolog. cap. 39: *Ibidem*, diserte inquit, *exhortationes, castigationes, & censura Divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri Judicii præjudicium est, siquis ita deliquerit, ut a Communione Orationis, & Conventus, & omnis Sancti Commercii relegetur.* Ita de Judiciorum forma, æquitate, ac pœnis: post quæ de Judicum personis, dignitate, ac probitate sic pergit: *Præsident probati quique Seniores*, (Episcopi nempe) *honorem istum non pretio,*

sed

ſed teſtimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei conſtat. Quo loci plane de Epiſcopali eum poteſtate loquutum intelligit Kromayerus etiam de Poteſt. Eccl. par. 1. ſect. 2. art. 1. cap. 2. §. 15. p. 77. Hoc eodem ſenſu Origenes lib. 3. contra Celſum adfirmare non ambegit non ſecus atque in Civitate a laico Judice, ita in Eccleſia ab Epiſcopo *Magiſtratum* geri: quod & probat Kromayerus loc. cit. p. 78, quia nempe ad utriuſque partes æque pertineret judicia ferre. Tam vero proxime ad Dei inſtitutionem, quam ad jugem praxim Eccleſiæ reſpiciebat profecto, aut ego fallor, S. Cyprianus, quum epiſt. edit. Pamel. 55, Fell. 59. Pontificem M. in Eccleſia Judicem vice Chriſti D. conſtitutum, ac poſt ipſum etiam ſingulos in Diœceſibus ſuis Epiſcopos adfirmat, confirmatque Auctor quæſt. Vet., & Nov. Teſt. Oper. S. Auguſt. To. 3. in Append. edit. Antuerp. nov. p. 125, atque epiſt. edit. Pamel. 65, Fell. 3. Epiſcopis perinde vindicandi poteſtatem Divinitus adtributam adſerit. Jure proinde, optimoque ab ſe *Magiſtratum* adminiſtrari ſcribebant S. Gregorius Nazian. Orat. 17, quem *Incruentum* adpellat epiſt. 46, Epiſcopatum Ἀρχὴν *Præfecturam* etiam Orat. 1, Epiſcopum vero Ἄρχοντα, & Προεστῶτα *Magiſtratum, & Præſidem* denominans, Κριτὴν *Judicem* denuo, & Νομοθέτην *Legislatorem* Orat. 9, & in Eccleſia Βήματα *Tribunalia*, atque Δυναστεῖα *Regios gradus* Epiſcopis erecta, atque ſtabilitos adſtruit Orat. ad Cives; ac S. Johannes Chryſoſtomus hom. 3. in epiſt. ad Coloſſ., quem *Spiritualem* nuncupat, Epiſcopum ideo Ἄρχειν, & Προεστῶναι *Præſidem, ac Præfectum* vocans hom. 7. de S. Ignatio, qui & ſimilia habet hom. 34. in epiſt. ad Hebr., velut item S. Iſidorus Peluſ. lib. 3. epiſt. 127. Juxta receptiſſimam ideo Eccleſiæ praxim, Judiciis ferendis pro Tribunali vice plus ſimplici ſediſſe S. Gregorium Thaumaturg. teſtatur S. Gregorius Nyſſ. in ejus vita, S. Ambroſium memorat S. Auguſtinus Confeſſ. lib. 3. cap. 3, S. Auguſtinum ipſum liquet ex Oper. Monach. cap. 29, Syneſium eloquitur ipſius epiſtola 57. Bibl. PP. edit. Lugd. To. 6, ac tradit Nicephorus lib. 14. cap. 55. Et Senatum in Eccleſia ſane inductum, & Judiciariam Epiſcopis ideo auctoritatem tribuere non hæſit S. Hieronymus lib. 2. Iſaiæ cap. 3: *Et*

nos, inquiens, *habemus in Ecclesia Senatum nostrum &c.*; de quo Caldervvood Alter. Damasc. cap. 4, in eo tamen defixus, ut Presbyterii dignitatem, ac potestatem adstruat, non secus atque Blondellus de Jure Pleb. in Regimin. Eccles, & Fecthius in Philocalia sacr. p. 157. eodem laborantes morbo. Nec in hanc sane rem documenta, & argumenta desiderare ex Conciliis est, in iis enim passim in judicium vocati tam Cletici, quam Laici, Judiciorumque præscriptæ leguntur formulæ. Canone *66*, & *74*. ex illis, qui Apostolis tribui solent, Episcoporum præscribitur judicium. Canone Nicæno Arabico *62*. vers. Turriani Episcopi vice uni e Diaconis ideo Προσοεχδικος dicto, in homicidia, aliaque delicta inquirendi demandata habetur sparta. Cujusmodi Diaconos ex Romanæ Ecclesiæ consuetudine dictos *Judices Primicerios* observat Benno Card. in vita S. Gregorii VII. Canone Antiocheno 5. forma judicii apud Episcopos subeundi præfinitur. Ad hæc a Concilio Compendiensi an. 833. in præf. Episcopi Christi D. Vicarii, ideoque Christi D. vice Judices, vocantur: quo donatus nomine Dado Episcopus etiam legitur a Salomone Constant. apud Canisium To. 2. edit Basnag. par. 3. p. 239; a Senonensi an. 1528. in præfat. ideo Marsilius Patav., in quem, atque in Johannem de Janduno pridem a Johanne XXII. Const. *Licet* an. 1327. intortum anathematis fuerat hac ipsa ratione telum, diris cunctis devotus legitur, quod in Defens. pacis *Ecclesiam hostiliter insequutus, & terrenis Principibus impie applaudens, omnem Prælatis adimit exteriorem jurisdictionem, ea dumtaxat exceptâ, quam Sæcularis largitus fuerit Magistratus*. Qui est ipsissimus error, in quem postea utroque lapsus Jannonus est pede. In Concilio etiam Cameracensi an. 1565. tit. 14. cap. 1. Ecclesia Foro exteriori potiri explicitissimis perhibetur verbis. Accedit & illud e rationis fonte suapte fluens, quod siquidem Ecclesia Societas Fidelium sit a Deo ipso constituta, sequitur inde, quod ipsi Divina quoque institutione ea competant Jura, sine quibus integra consistere nequit: quæ inter alia sunt utique Jurisdictio, & Imperium. Unde S. Gregorius Nazian. Orat. *26*. ordinem esse in Ecclesia docet, ut alii imperent, alii pareant. Quin etiam Politiam Ecclesiasticam, absque potestate Judiciaria, & Legislati-

va,

va, esse nequire fateri non dubitarunt ipsis ex Protestantibus Melanchon lib. 5. epist. ad Sigismundum Meideburg. Episc., & in Consil. Theolog. par. 2. p. 201, Vitringa Hypotyp. hist. sac. p. 289, Schisterus Instit. Jur. Canon. lib. 1. tit. 3. §. 11, Seizius contra Riperum ab Hobbesio parum diversum p. 35, Anglus Auctor Tract. de Discipl. pœnit. in primit. Eccl. in Act. Lipsi. 1715. p. 198, Spanhemius dissert. de Apost. contra Hobbesium, Scecklerander Antiq. Eccl. cap. 3. p. 67, Grappius Controv. Theolog. adverss. Hobbesium cap. 10. q. 2. p. 114, &c. Quod argumenti genus late prosequitur Kromayerus de Potest. Eccl. par. 1. sect. 2. art. 1, cap. 3, in eo peccans tamen, ut Ecclesiasticæ potestatis subjectum Ecclesiam ipsam, post Ern. Cyprianum, Heideggerum, Voetium, Schilterum, Puffendorfium &c. faciat, eamque Magistratui laico ab Ecclesia communicari adfirmet: quo a Magistratu, pro egregii operis præmio, Ecclesiasticas demum Potestates in cœnum, lutumque detrusas, viden, ut Protestantium Megalandri plures acerbe doleant apud eumdem Kromayerum sect. 4. practica cap. 4 §. 1, seqq., & in Append. cap. 2. viden, ut olim periculum istud ex translatione potestatis ab Episcopis in Principes incumbens præsenserint iidem Primipili, & valde quam expaverint!

Jure Divino itaque nedum, quod nec inficias eunt Dupinius de Antiq. Eccl. discip. dissert. 1, & Jannonus lib. 1. cap. ult. §. 5, homines nempe sibi met haud constantes, sed Jure naturali, & communi, cunctis ipsa natura insito, in Ecclesiam Jurisdictionis utriusque speciem inductam fuisse fateri coguntur, qui mentis adhuc compotes se esse cogitent. Omni enim vero Communitati, quæ sese gubernandi jure gaudeat, jus perinde inesse, fasque ad regiminis formam servandam de negotiis, rebusque ad se spectantibus leges ferre docet Cajus JC. L. *Sodales* 4. de Collegiis: *His autem*, inquiens, *potestatem facit Lex pactionem, quam velint sibi ferre, dum nequid ex publica lege corrumpant.* Communi jure isto Ethnicis Sacerdotibus etiam licuisse tam Græcis, quam Latinis de rebus ad eorum Sacra attinentibus sancire ex Solonis lege quadam declarat ibidem Cajus: ad quem videndi Heraldus Observ., & Emend. cap. 42, ac Salmasius Observ. ad Jus Attic., & Roman. cap 4. Atque Naturali ratione plane, Jureque gentium, quo mentes ho-

minum Dei opinione imbuuntur, ut vidit etiam Cicero Tuſcul. I, aitque Xenophon de dictis, factiſque Socratis, collata Sacerdotibus Juriſdictio dicenda eſt. Nunquam enim fuiſſe hominum mores abſque Sacris, Sacra abſque Sacerdotibus, ac Sacerdotes abſque auctoritate legis ſanciundæ, judiciique ſtatuendi exploratum eſt. Sic apud Ægyptios, teſte Aeliano var. hiſt. lib. 14. cap. 34, Sacerdotes Judicum defungebantur officio; nec imo Regi abſque Sacerdotio imperare licuiſſe auctor eſt Plato in Dialogo de Regno p. 183. In Æthiopia Sacerdoribus Meroe tanta inerat auctoritas, ut pro libitu, proque licentia Regibus de Regno deponendo, morteque oppetenda nuntium, mandatumque deferre fas eſſet. Quo jure potitos uſque ad Ergamenem Regem teſtis accedit Diodorus Sicul. Bibl. lib. 4. cap. 1. Sacerdotum, ideſt Magorum, apud Perſas in tantum faſtigii adoleviſſe auctoritatem, ut fua adhuc ætate Regum Regibus imperarent, ſcribit Plinius lib. 30. cap. 1. Secundos a Rege Sacerdotes Tyriis habitos, quin ex Sacerdotibus Reges adſumptos tradit Diodorus. In Græciæ locis aliquibus Sacerdotum dignitatem Regiæ æqualem habitam ex Plutarcho quæſt. Rom. p. 291. obſervat Lakemacherus Antiq. Græcor. ſacr. par. 2. de Perſonis cap. 1. p. 260. Atque quidem Athenis ex Teſſei inſtituto, de quo Plutarchus in Theſ., ac Sigonius de Repub. Ath., ſolis Patriciis Sacerdotii dignitas commendari ſolebat, adeout iis ſolis & Sacra curare, & Magiſtratus capere, & Leges ferre, & Judicia exercere, & pœnas infligere fas eſſet, de quibus etiam Plato loc. cit. De Anio quoque Deli Rege Phœbi ſimul eum Sacerdotem egiſſe cecinit Virgilius Æneid. lib. 3. v. 80. Lacedæmonum Reges, quum primum Regnum auſpicarentur, Jovis Cæleſtis Sacerdotio initiari debuiſſe, ut in una nempe, eademque perſona dignitas utraque copularetur, auctor eſt Xenophon de Repub. Laced. p. 689. Druidas Gallorum Sacerdotes de omnibus fere Controverſiis tam privaris, quam publicis decernere conſueviſſe referunt Cæſar de bello Gall. lib. 6, & Stephanus Forcatulus lib. de Gallor. Vet. Relig.. Apud Germanos Sacerdotibus in Conventibus publicis, in quibus ſæpe de rerum ſumma agebatur, imperandi, & ſilentium imponendi fas, juſque fuiſſe teſtatur Tacitus de Morib. Germ. In Romana Republica Sacerdotes generatim

tim Patrum loco habitos discere licet ex Tacito Annal. lib. 14. cap. 5, ubi Fabricio Vejento gravissimo deputatum flagitio refert, quod probrosa in Sacerdotes, & Patres conscripsisset, ejusque ideo scripta Neronis jussu flammis exusta. Pontificum vero fuisse partes Sacris præesse non modo, sed pleraque ad externum, publicumque cum Religionis, tum Reipublicæ statum, ac regimen respicientia curare, ac decernere, veluti de Funerum pompis, Manibusque placandis, de Sepulchorum religione, votisque rite exsolvendis, de Feriis indicendis, de Fastis inscribendis, de Comitiis habendis, de Testamentorum factionibus, de Fide, & jurejurando, de Legum interpretatione, de Forensibus actionibus &c. discimus ex Livio lib. 1. cap. 20, & lib. 2. cap. 2, ex Dionysio Halic. lib. 2. p. 132, seq., ac Pomponio L. 2. *De Orig. Jur.* §. 6. Adeo verum est a Romanis res Sacras ad statum rei spectare publicæ consideratum semper fuisse, ut ideo Sacerdotum Jurisdictio tam circa Religionem, quam circa Rempublicam versaretur, ut observat Kinkershoek de Religione peregrina Oper. To. 2. p. 182, seq., unde Ulpiani L. 1. ff. *De Just. & Jure* §. 2. celebre evasit dictum adfirmare non dubitantis: *Publicum Jus in Sacris, in Sacerdotiis, in Magistratibus consistere*. Hac ideo ratione Thomas Morus Utopiæ lib. 2. in bene constituta Republica Sacerdotes nullius imperio subesse volebat, quin omnibus jurisdictione præesse, acerrimosque omnium Censores morum se præstare. Atque reapse apud Slavios Sacerdotum dignitas Regiæ præcellebat, Regesque illorum dicto obedientes præbere sese, nutuque pendere oportebat. Ratio denique manifesta suadet in Ecclesia Jurisdictionem privatam cum Imperio publico fuisse conjunctam, inque Ecclesiasticum Judicem tam boni Patrisfamilias, quam optimi Principis officia, personasque fuisse transfusas. Enim vero Ecclesiasticæ Jurisdictionis tot esse facultates, & partes oportet, quot Religionis Christianæ officia sunt, & functiones, sive quod eòdem recidit, quotuplex est jus, sive ratio, qua Christifidelis quisque ad Dei cultum dirigitur, & adstringitur, totuplex est respectus, quem ad Christifideles induit Ecclesiastica Jurisdictio: Atqui duplex est jus, quo Christifideles ad Religionis officia, Divinumque cultum obligantur, privatum, ac publicum: duplex igitur Ecclesiæ Jurisdictio

dictio est, privata, qua Religionis bono prospicit, qua singularium personarum ad salutem pertinet, ac prout uniuscujusque privatam disciplinam, morumque domesticam informationem satagit; & publica, qua Religionis cultum quatenus communi lege præscriptum, curat, procuratque, communes Leges, quibus Fideles ubique omnes instruantur, fert, & defendit, communemque disciplinam, qua Fideles omnes in unum Ecclesiæ corpus veluti coagmententur, sancit, & tuetur, atque renitentes communibus a Sacrificiis, precibus, suffragiis ablegat, a publicis Conventibus, publicoque colloquii, convictusque commercio abjicit.

Facit ad hæc denique confirmanda pulchra ex Virga, & Gladio desumpta similitudo, confertque præclare ad hanc in Apostolis primum, in Episcopos deinde, velut eorum ex asse successores derivatam, auctoritatem designandam. De priori loquens Origenes hom. 9. in Num. n. 7. occasione accepta ex loco Numer. cap. 17. v. 2, seqq. *Omnis Princeps*, inquit, *Tribus, & Populi habet virgam: Non enim potest quis regere Populum, nisi habeat virgam. Unde & Paulus Apostolus, quia Princeps erat Populi, idcirco dicebat*: Quid vultis? In virga veniam ad vos &c. ? 2. Corinth. cap. 4. v. 21. Virga proinde, vice baculi Pastoralis, qui Episcopalis potestatis indicium est, velut insigni coercitionis, & castigationis ubique gentium exercendæ, Pontificem M. uti consuevisse observat Luitprandus lib. 6. cap. 11, non secus atque virgæ argenteæ ad publica Comitia accedere Cardinalibus concessum esse. Quomodo tam Moysis, quam Davidis Sacra, Civilisque potestas in virga expressa non uno in loco legitur. Atque olim apud Romanos Centurionum in Milites, de qua Tacitus lib. 1. Annal., & Spartianus in vita Hadriani; Palatii Custodum, de qua Cassiodonus Var. lib. 7. form. 5. Judiciaria potestas virgæ gestatione designari solebat, non secus atque apud Græcos diversa Palatii officia diverso Δικανικοῦ *Sceptri Judicialis* genere distincta refert Codinus de Officiis, & Official. Aulæ, & Eccl. Constantinopolit. cap. 4; de quo Junius ibid., Gretzerus Comment. lib. 2. cap. 5. & Crusius Turco-Græciæ lib. 2. De posteriori vero, gladio nempe, differunt S. Augustinus lib. 22. contra Faustum capp. 70, & 77, Leo Sapiens in Fragm. orat. de S. Petri Caten., & glad., S. Ber-

Bernardus de Conſid. lib. 4. &c. In more poſitum olim; ut Romanum ante Pontificem, in ſignum juſtitiæ, poteſtatisque judiciariæ, nudi deferrentur gladii, atque demum ab Hadriano I. impetraſſe Deſiderium Italiæ Regem, ut is gladii ante Pontificem geſtandi honor Langobardis concederetur, auctor eſt Corius in hiſt. Mediol. Cujus ſimile de Herbipolenſi Antiſtite ad Aram maximam evaginatum tenente gladium referunt Reginaldus Polus de Papæ poteſt. cap. 43, & Renatus Choppinus de Sac. Polit. lib. 2. tit. 1. Juxta hæc itaque Sacerdotibus olim neque Satellitio militari ſtipatos incedere nefas, ac indecens erat. Atque profecto apud Judæos fuiſſe Militiam Templi cuſtodiæ mancipatam, adſcriptamque, ad Sacrarum rerum, ac Sacerdotum injurias propulſandas, ſonteſque jure prehendendos, atque in vincula pertrahendos, liquet ex lib. 1. Machab. cap. 4, ubi a Juda leguntur ædificatæ Turres, ac Milites collocati ad gentium vim repellendam, ex Joſepho Antiq. lib. 20. cap. 4, & Tacito lib. 5. referentibus ab Herode Templum cuſtodia munitum, ac Turri, ex Actor. cap. 4, ſeq., ubi a Templi Præſidio, Militiæque Præfecto Legi inobedientes, Sacerdotum juſſu, in carcerem raptos conſpicimus. Quod confirmat Græcus textus, ac Theophylacti lectio, ubi pro *Magiſtratus Templi* cap. 4. v. 1, & cap. 5. v. 24 habent Στρατὸς τοῦ Ἱεροῦ *Templi Præſidium*, ſeu *Exercitum*. Satellites hoſce porro flagris, & loris armat Rabbi Salomon, quibus nempe ad Sacerdotum imperium de flagitioſis vindictam capere præſto eſſent; quique ideo Actor. cap. 16. v. 22, & 35. Ῥαβδοῦχοι *Lictores*, *ſeu Virgarum geſtatores* dicti ſunt, quod Ῥάβδῳ *Virga* reos cædere ad Sacerdotum nutum ſolerent. Quin etiam lanceis, clypeis, & peltis a Jojada Pontifice M. armatos ad Athaliæ tyrannidem deprimendam adparet ex 4. Regum cap. 11. v. 4, ſeqq., ac 2. Paralip. cap. 24. v. 9, ſeqq. Gladiis quoque, virgiſque Lictores eoſdem armatos deſcribit Philo lib. contra Flaccum Ægypti Præſidem, iidemque apud Ægyptios *Spatephori*, eorumque duces *Protoſpatarii* dici ſolebant. Qua de re Baſnagius in Annal. Polit. ad an. 34. §. 9. To. 1. p. 439, Hammondus ad Luc. cap. 22. v. 52, & Schmidius in Not. ad Act. cap. 4. v. 1. putant revera Templi Præſidium ex Militari copia, aut Romanæ Cohortis, aut Judæo manipulo conſtitiſſe, fuiſſe

vero

vero ex Levitis ipſis armatis, quibus præeſſent Στρατηγοὶ *Præfecti*, iſtoque nomine veniſſe non bellicos Duces, ſed Præſides Civiles cum poteſtate aliis præfectos, exiſtimant Antonius Vandalæus Antiq. diſſert. 5. cap. 3. edit. Amſtel. 1743. p. 419, ſeqq., Clericus in Not. ad Hammondum loc. cit., & ad Verſ. Gallic. Nov. Teſt., Ligfootus in Horis Hebr. ad Luc. 22, 4. Oper. To. 2. p. 558, Deylingius Obſervat. ſacr. par. 3. obſer. 32. ad Luc. cit. loc., & Act. 4. v. 1, & 5. v. 24. edit. Lipſ. 1739. p. 302, ſeqq., Binæus de Morte Jeſu Chriſti lib. 1. p. 345, Wolphius in Curis Philolog. ad Luc. cap. 22. To. 1. p. 751, &c. Apud Romanos, & ſuos Sacerdotibus adfuiſſe Lictores, & Apparitores, dictos etiam *Viatores*, & *Summotores*, quos ſane Regum, ac Magiſtratuum inſignia fuiſſe multis oſtendit inter alios Briſſonius Jur. Civil. Antiq. lib. 3. cap. 14, auctor eſt Seneca epiſt. 95, & Controv. 2. lib. 1, & adparet ex veteri Fragmento lapideo in via Appia inſcripto: *Apparitori Pontificum Parmulario* apud Pitiſcum Lex. To. 1 edit. Ven 1719. p. 127. Idem Pontificum Calatores denominati Ἐκβιβασταὶ Ἱερέων, qui & Comitia calabant, & a Pontificibus Sacra facturis præmittebantur, ut opera prohiberent, quibus contaminari Numinum Cæremoniæ viderentur. Videndus & Gutherius de Vet. Jure Pontif. lib. 2. cap. 13. Romano itaque more Philotomum Martyrem Militibus ſtipatum apud Alexandrinos judicia exercuiſſe teſtatur Nicephorus lib. 7. cap. 9. Militari etiam ornatu inſtructum Syriam, Phœniciam, & Palæſtinam S. Euſebium Samoſat. peragraſſe, Diaconos, & Presbyteros ordinatum, Eccleſias inviſum, tradit Theodoretus lib. 4. cap. 12. Syneſium etiam armis ſe tueri, vitæque ſubſidia quærere fas ſibi feciſſe liquet ex ipſius epiſtolis. Maximiano item Epiſcopo laudi vertit S. Auguſtinus epiſt. 50, nunc 185, relatus Can. 2. *Maximianus* 23. q. 3, quod Eccleſiæ tuendæ cauſſa Milites conduxiſſet. Idem confirmat epiſt. 154, nunc 47. ad Publicolam, ac refertur Can. 8. *De Occidentis* 23. q. 5. Milite quoque ſtipatus S. Cyrillus Alex. ſeveram de Judæis, turbas paſſim in Chriſtianos commoventibus, vindictam cepiſſe refert Nicephorus lib. 14. cap. 15. Utcumque vero ab Eccleſiaſtica manſuetudine aberrare exempla hæc videri queant, non alia tamen eam temporum iniquitatem tuliſſe remedia cogitandum

dum eſt, ideoque eo, quo poterat, exerendam fuiſſe Eccleſiaſticam poteſtatem modo, cui pepercit tandem, quum præſentiſſimos delictis vindicandis Chriſtianos Princeps experiri cœpit. Facit huc deniqne vetus illa *Senatorum* adpellatio, qua alicubi Epiſcopi, propriæ indicandæ poteſtatis gratia, denominari a fidelibus conſuebant, veluti fidem facit antiquiſſima inſcriptio Virdunenſis in Æde B. Virginis apud Vaſſeburgium lib. 1. Antiq. Belgic. & apud Fileſacum de Sac. Epiſcop. auctor. cap. 1. §. 1, qua nempe ejuſdem Eccleſiæ Præſules eo *Senatorum* nomine inſigniti leguntur. Sed de his jam nimis.

Documentis hiſce quam diſertis, tam ſolidis quis, ſodes, vinci non pateretur? Non tamen Jannonus, qui ingenio pro improbo eadem aut perſpicere, aut probare vel neſcivit, vel noluit. Age vero, quibus demum ipſe ductus momentis oppoſitam in Proteſtantium opinionem utroque pede deſcendere maluit? Principio nempe Hiſt. Civil. Neap. lib. 1. cap. ult. § 1. poſtquam cum Grotio, & Fontejo, qui in eo dumtaxat inter ſe diſcrepant, quod Epiſcoporum poteſtatem, dignitatemque ſupra Presbyteros inductam hic putet Gentilium exemplo, ille vero, ad quem cum Seldeno, Thorndicio, Salmaſio, Dodvvello, Ligfooto, Spencero, Hammondo, Zieglero &c., de quibus Pfaffius Orig. Jur. Eccleſ. cap. 2. art. 3. p. 83, ſeqq., Jannonus propius accedendum eſt ratus, Synagogæ veteris regiminis formæ acceptam referendam arbitratur, in SS. Ignatii epiſt. ad Trall., Cypriani lib. 1. epiſt 10, lib. 2. epiſt. 7, lib. 3. epiſt. 10, & lib. 4. epiſt. 2, ac 10, Baſilii epiſt. 319, ac Hieronymi in cap. 2. Iſajæ ſententia, communi opera ab Epiſcopis, & Presbyteris veterem adminiſtrari Eccleſiam conſueviſſe præfidentiſſime adfirmare non dubitaſſet, quaſi parem cum Epiſcopis in Eccleſiæ regimine Presbyteri obtinuiſſent poteſtatem, ultra progreſſus §. 4. tribus primis Sæculis ex triplici dumtaxat gradu (in quo tamen a Proteſtantibus ipſum abfuiſſe largiri non detrectabo) Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, nulla Pontificis M. ratione habita, Eccleſiaſticam Hierarchiam coaluiſſe, reſque omnes Eccleſiaſticas in Synodis definiri conſueviſſe contendit. Qua ratione deinde, quibuſve de rebus judicia ſtatuenda tribus iiſdem prioribus ævis Eccleſia ſibi propoſuerit, reque ipſa

ſtatuendi eidem jus inſederit, inquirendum ſuſcipiens §. 6. decernit velut ex tripode, concluditque in Eccleſiæ poteſtate fuiſſe quidem poſitum cognoſcendi 1. de Religionis, ac fidei rebus per modum Politiæ, de ſcandalis, aliiſque delictis per modum Cenſuræ, & Correctionis, ac de litibus Chriſtifidelium per modum Arbitrii, & Compoſitionis, non etiam tum Eccleſiam propria Juriſdictione potitam, ideoque eidem con petiiſſe dumtaxat *Notionem*, *Judicium*, & *Audientiam*, non Forum, non Territorium, non Juriſdictionem habuiſſe. Quo plane in errore Jannono præiverant Bodinus de Repub. lib. 3. cap. 5, & Cujaccius lib. 1. Reſp. Papiniani in L. 40. §. 1. *De Pactis*, & in Paratit. Cod. *De Epiſcopali audientia*, Epiſcopis Juriſdictionem detrahendi argumentum inde deſumentes, quod Valentiniani III. Novel. tit 12. *De Epiſcop. Jud.* L. 1. Epiſcopi, & Presbyteri Forum Legibus non habere dicantur. Quod Conſtantini M. lege apud Sozomenum lib. 1 cap. 8. Epiſcopalis ſententiæ exécutio Laicis Magiſtratibus legatur demandata. Quod Epiſcopis Audientia dumtaxat, ſive nuda Notio, velut inſcribitur titulus, non etiam tribuatur Juriſdictio, quæ proprio Territorio cohæret, L. ult. ff *De Juriſd.*, L. ult. Cod. *Ubi, & apud quem in integr. reſtit.* At enim Epiſcopos Diœceſim habere quidem, non vero Territorium liquere ſubjungunt ex Can. 3. *Sicut* 16. q. 3, ex Can. 5. *Licet* ibidem, ex Can. 2. *Poſſe* ibid. q. 5. Morem hunc veterem Eccleſiæ adgnatum perduraſſe integrum a Juſtino II. uſque ad Leonem Iſaurum repetere pergit Jannonus lib. 4. cap. ult. §. 1, ideoque toto eo tempore Eccleſiam Foro, Territorioque caruiſſe. A Carolo M. Pontifici M. jus Territorii primo fuiſſe collatum lib. 5. cap. ult. §. 1. ex Richerio in Apolog. Gerſon. par. 3. Axiom. 36. colligere ſe præſumit: cujus exemplo deinde aliis Epiſcopis a Principibus aliis ejuſdem Juris facta particula fuerit. Sæculo XII. denique Foro potitam Eccleſiam plene fuiſſe, ob idque compilatum Gratiani Decretum, To. 2. lib. 14. cap. ult. confiteri non dedignatur. Non his meliora utique Proteſtantes habent, ac quammaxime in his Tillenus, Spanhemius, Chamierus, Goldaſtus, Deylingius, Salmaſius de Epiſcopis, & Presbyteris cap. 6, de Fœnore trapez., ac de Primatu Papæ cap. 1, Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 10, Matthias Stephani

phani ad Cod. lib. 1. tit. 4, Tobias Pautmeiſterus de Juriſd. Imp. Rom. lib. 2. cap. 7. §. 27, aliique Remonſtrantes in Batavia, Independentes in Anglia, Confeſſioniſtæque præſertim Auguſtani in Germania ad Artic. 16, &c., ante quos, aut poſt ire non puduit Marſilium Patav. in Defenſor. pacis par. 2. cap. 5, ſeqq., Guillelmum Ochamum de Poteſt. Eccleſ., Philotheum Achilinum in ſomno Viridarii lib. 1. capp. 12, 14, 65, &c., Petrum Cunerium in diſput., ex parte Jacobum Almainum de Poteſt. Eccleſ., & Laic. q. 3. cap. 2, Jacobum Gutherum de Jur. vet. Pontif. lib. 2. cap. 1, Pagninum Gaudentium de vita Chriſt. ante Conſtant. cap. 56, Sarpium hiſt. Conc. Trid. lib. 4. p. 169, Antonium Dominici de Commun. peregr. p. 92, Duarenum de Sac. Eccleſ. Miniſt. lib. 1. cap. 2, Richerium de Poteſt. Eccl. &c. in ea opinione verſatos, ut Eccleſiæ Juriſdictionem ex Principum indulgentia profectam exiſtiment: quorum tamen omnium, devicto, proſtratoque Jannono, concidere omnes prorſus gladios oportet.

Itaque, ut omni de germana SS. Patrum ſententia dubitandi amoto prorſus ſcrupulo, Proteſtantium, atque Jannoni objectis vis perinde, roburque omne penitus auferatur, obſervare cum Baronio ad an. 58. n. 3, ſeqq. operæ pretium erit, aliam veteres Patres loquendi rationem tenuiſſe, quum de nomine, aliamque, quum de re ipſa quæſtio eſſet. Quoties itaque de Epiſcopi poteſtate ſermo eiſdem incidiſſet, eam profecto explicitiſſime ſupra Preſbyteros extuliſſe indubiam rem faciunt eorumdem congeſta ſuperius, nihilque obſcura loca. Si quando vero de nomine ageretur, Apoſtolatui quidem Epiſcopatus aliquando inditum nomen intelligimus ex Pſal. 108. v. 8, & Actor. 1. v. 20, atque ita S. Auguſtinus de Civit. lib. 19. cap. 19. Epiſcopatum operis nomen, non honoris, denominatum a Græco Ἐπὶ *Super*, & σκοπὸς *Intentio*, ut idem ſit, ac *Superintendere* obſervat. Epiſcopos viciſſim dictos Apoſtolos diſcimus ex epiſtola ad Rom. 16. v. 7, 2. ad Corinth. 8. v. 23, & ad Philip. 2. v. 25 Quadam perinde ratione, quod fidelium curæ præfecti eſſent Presbyteri, eodem & ipſi Epiſcoporum nomine inſigniti reperiuntur Actor. 20. v. 17, & ad Philp. 1. v. 1. A Presbyteris iterum diſtinctos explicitiſſime Apoſtolos dignoſci-

mus ex Act. 15. v. 2, 22, seq., & 16. v. 4, atque ita promiscue Episcoporum nomine Presbyteros fuisse adpellatos docent nos Hilarus Diac. in epist. ad Ephes. cap. 4, S. Joh. Chrysostomus ibid. hom. 15, & in cap. 1. ad Philip., Theodoretus in eamdem epist., in cap. 3. epist. 1. ad Timoth., & in cap. 1. epist. ad Tit., Auctor quæst. vet. Test. inter Opera S. Aug. lib. 1. cap. 101, & apud Ecchellensem de Orig. Eccl. Alex. cap. 12. Johannes Darensis de Hier. Eccl. lib. 4. cap. 3, Joh. Maro tract. 1. in Liturg. S. Jacobi cap. 6, & Syrus Interpres in cap. 3 epist. 1. ad Timoth. Quæ omnia eò demum collineant, ut quoad Sacerdotium par esset quidem Apostolorum, Episcoporum, ac Presbyterorum ordinatio, non etiam potestas. Ad hæc prisco in more positum, ut Presbyteri in administrandis Ecclesiis Episcoporum adjutores, & consiliarii accederent utique, non vero quod eis potestate essent pares, laudatorum in objectione Patrum sententia est, quam auctoritate confirmant sua S. Polycarpus in epist. ad Philip., & Auctor Const. Apost. lib. 2 cap. 28. Enim vero scripsisset ne alioqui S. Ignatius tot locis a nobis prolatis Episcopo Presbyteros subjectos esse debere, absque Episcopo nihil agere Presbyteris in Ecclesia fas esse, Episcopum veluti Patrem, ac veluti Dominum habendum, qui Principatu omni, potestateque superiot est, atque in Ecclesia præ ceteris opera præstet: cujus persimili loquendi ratione usi leguntur S. Dionysius Corinth. in epist. ad Athen., ad Gortynen., ad Amastren., ad Gnosios apud Eusebium lib. 4. cap. 23. vers. Ruff., & Polycrates Ephes. in epist. ad S. Victorem P. M. apud eumdem lib. 5. cap. 24: nisi ejus pariter sententia Episcopus potestate longe Presbytero superior esset? Cujusmodi superioritatis exprimendæ rursus gratia duplicem ab Episcopo referri imaginem repetit, unam Christi D., quatenus Sacerdotio defungitur, altera Dei Patris, quatenus Imperio potitur. Quomodo pariter in Concilii Nicæni Diatyposi 2. apud Gelasium Cyzicen. lib. 2. cap. 30. in Coll. Sect. Hard. To. 1. p. 425, seq. Episcopus dicitur obtinere τὸν τύπον τοῦ κυρίου, ὡς κεφαλὴ μετ' αὐτὸν ὄντα τῆς Ἐκκλησίας. *Imaginem*, sive τόπον *Locum*, ut legunt alii, *Christi D.*, *tanquam Caput post illum Ecclesiæ*; atque S. Isidorus Pelus. cum lib. 1. epist. 236. scripsit ab Episcopo geri Τύπον τοῦ Χριστοῦ *Imaginem Christi*,

tum

tum lib. 2. epiſt. 72. Epiſcopum poteſtate omni, ac Principatu ſuperiorem adſtruere non dubitavit. Quamobrem hinc profectum augurari fauſto licet ſydere formulam illam Προσκυνῶσι *Adorate*, qua olim uti Chriſtifideles conſueviſſe, dum obvium haberent Epiſcopum, teſtis idem accedit S. Iſidorus lib. 1. epiſt. 490. Nec altera S. Cypriano mens inerat, qui objectis in epiſtolis de Presbyteris, ac Diaconis ad conſilium, Eccleſiæque curam adhibendis loquutus, utique quid deceret, expediretque magis, indicavit, non quod omnino eſſet neceſſe. Ideſt quod Eccleſiaſtica conſuetudine obtinuiſſet, non quod Divina inſtitutione deſcendiſſet. Unde epiſt. 6, ſive 14. ad Presbyt., & Diac. ſuſcepti ab Epiſcopatus primordio ſtatuiſſe apud ſe ſcribens, nihil ab ſe gerendum abſque ipſorum conſilio, & abſque Plebis quin etiam conſenſu, ſua privata ſententia quid aliud, quæſo, ſignificare intendebat, quam id ſuapte, ac libere a ſe ſtatutum, non coacte, ac neceſſario, & de ratione quidem regendæ prudenter Eccleſiæ, non de poteſtate ipſa regendi, qua ipſum unum potitum tot in locis a nobis laudatis profitetur. Atque profitetur adeo liquido præſertim lib. de Unit., in Concilio Carthaginenſi de Baptiſ. an. 256, ac in epiſt. 55. edit. Pamel., 59. Felli, alibique ſæpe, ut non fateri nequiret Pfaffius Orig. Jur. Eccl. cap. 2. art. 2. p. 112, ſeq, interea afficere injuria non abſtinens, eumque dicere extra oleas vagatum, ab eoque Dominii Eccleſiaſtici jam tum improvide ſemina jacta. Hoc ipſo pacto, quod factum potius, quam Divina diſpoſitione, Eccleſiaſtica diſpenſatione, & conſuetudine, ut Presbyteri Eccleſiæ adminiſtrandæ ab Epiſcopo in adjutorium advocarentur, ſcripſit in epiſt. ad Evangelum S. Hieronymus, (cujus perinde germanum haud aſsequutus eſt ſenſum Michael Medina lib. 1. de Sacr. hominum Orig., eorumque continentia cap. 5, eumdem, non ſecus atque S. Ambroſium, S. Joh. Chryſoſtomum S. Auguſtinum, Theodoretum, Primaſium, Sedulium, & Theophylactum Aerianæ hæreſis participes agere quam imprudenter, tam impudenter auſus, peſſime vero inflectere poſt Heterodoxos Jannonum haud puduit,) factumque proinde, ut quum ſuperbiæ faſtu, elatoque ſupercilio Presbyteri turgeſcere, ſe ſeque præter modum efferre inciperent, ac ſchiſmata ideo conflare, ut ab Epiſcopis

copis ad confessum non amplius deinceps admitterentur, deque rebus Ecclesiasticis per se dumtaxat Episcopi decernerent, velut hanc modo obtinere disciplinam cernimus. Qua de recta S. Doctorem interpretandi ratione confer Cl. Dominicum de Dominicis Brixiensem Episcop. de Dignit. Episcop. par. 4. p. 169, seqq. edit. Rom. 1757, & Mamachium Orig., & Antiq. Christ. To. 4. p. 183, seqq. Ad S. Ambrosium, seu verius Hilarum Diac., quod attinet, in cap. 4. ad Ephes., & cap. 4. item 1. ad Timoth., S. Joh. Chrysostomum hom. 1. in epist. ad Philip., S. Augustinum de Hæres. cap. 53, & epist. 19. ad S. Hieronymum, Theodoretum in cap. 3. epist. 1. ad Timoth., & in cap. 1. epist. ad Tit., Primasium, Sedulium, Theophylactum &c. nomine tenus cum Episcopis Presbyteros convenisse, re tamen discrepasse locis superius laudatis adeo liquido tradunt, ut mirari valdequam subeat eorum temeritatem, qui adversum illis appingere errorem non erubuere. Compara, qui de his copiose disputant, Petavium dissert. Eccles. lib. 1. cap. 3, & de Hier. Eccl. lib. 2. cap. 8, Cozzam in Vind. Areop. par. 2. cap. 18, Natalem Alex. hist. Eccles. ad Sæculum IV. dissert. 44. §. 24, Witassium de Ordin. par. 2. q. 1. art. 2. sect. 2. cap. 1, &c. Videndus etiam Ecchellensis de Eccles. Alex. Orig. cap. 11, ubi hanc quoque de Episcopo gradu, potestateque Presbytero superiore doctrinam tradi ostendit in Didascaliis, libro idest de Doctrina Cathol. duodecim Apostol. magno apud Orientales in pretio cap. 9, a Johanne Darensi Episcopo Sæculi V. Scriptore de Hier. Eccl. lib. 2. cap. 4, in Constitutionibus Ecclesiæ Maronit., quas ex Syriacis Arabicas fecit David Archiep. an 1059, cap. 42, a Johanne Marone, qui Sæculo VI. ad exitum vergente floruit, lib. de Sacerdotio capp. 4, 21, 22, & 25, a Gregorio Bar-Hebræo inter Jacobitas doctissimo in tract. de fundam. Ecclesiæ lib. 7. de Sacerd. cap. 2. sect. 1, & in Constitut. Eccl. Alex. cap. 9. sect. 3. de Ordin., quibus abunde fit satis argumento, quod ex Eutychio Alex. velut Ajacis clypeum toties objicere Protestantibus usu præpostero venit. Tam vero operam ipse lusit Jannonus, dum Rom. Pontificem a supremo Ecclesiasticæ fastigio Hierarchiæ detrudendum, in eodemque communi cum Episcopis gradu collocandum adsumpsit, atque rem Ecclesiasticam omnem in Synodis defini-

finiendam fore pugnat, quam luderem ego quoque, argumentum iſtud Tomis præced. jam abſolutum, profligatumque ad incudem fruſtra revocando.

Venio igitur ad Axioma, quod ſuo de præpoſtero ingenio, nulla in medium ſufficienti producta ratione, de Poteſtate Eccleſiaſtica, ejuſque Politia Jannono confingere placuit, eoque, defixo velut in pulvere pede, ceu pro capite, dimicare propoſitum eſt. Eccleſiæ ergo ab exordio uſque ad Caroli M. ætatem *Notionem, Audientiam, Judicium* largiri non detrectat, non etiam *Forum, Territorium, Juriſdictionem*. Sed enim jugulum ſibimet Jannonum petere quis non perſpicit, dum is ſimul aſſerit, negatque? Enim vero Cognitionem viam eſſe, conditionemque ad Judicium, atque cognoſcendi jus ad eumdem pertinere, cujus eſt Judicium ferre, nemo ignorat. Audientiam quoque ipſo cum Judicio confundi, juxta receptum Jurifperitorum morem, intelliget facile quiſque ex Cod. Theod., & Juſtin. paſſim, ex LL. Burgundiæ tit. 19. §. 1, & Wiſighot lib. 2. tit. 1. §. 23, ex Conventu apud Andelaum an. 587, ex Conciliis Pariſienſi V circa an. 615. cap. 5, & in Edicto Clotarii II, Remenſi an 630. circ. Can. 16, & Cabilonenſi circa an. 650. Can. 6, ex S. Hilario in Fragm. p. 6, Sulpitio Severo hiſt. lib 2, S. Gregorio Turon. lib. 10. cap. 17, Flodoardo hiſt. Rem. lib 2, Ratherio Veron epiſt. 3 S. Bernardo epiſt. ad Epiſcop. Aquitan., Petro Cellenſi lib. 1, epiſt. 16, &c, a quibus utique Epiſcopis Audientia tribuitur. Jam vero a Judice judicium abſque Juriſdictione exerceri quis ſomniet? Et inde quis Jannono non iraſcatur Eccleſiæ Juriſdictionem eripienti, Judicium tamen ultro citroque tribuenti? Territorii nomine rurſus, quid, per Deos immortales rogo, a Juriſconſultis aliud intelligitur, quam Locus, quouſque ſuam juriſdicendi potestatem Judex extendit, veluti Pomponius, Paullus, aliique L. *Pupill.* §' *Territ.* ff. *De Verb. Signif.*, L *Extra Territ.* ff. *De Juriſd. omn. Judic.*, unde per metonymiam Territorii adpellatione Juriſdictionem ipſam accipere Ulpiano placuit L. *Si quis ex aliena* ff. *De Judiciis*. Quò etiam faciunt L. un. *De Hirenarch.* Cod. Theod., & Gloſſarium Græco-Lat. Ducangii V. Ἐπαρχία, Περίβολος, Περίχωρος, Ugotio, & Sidonius Apollin. lib. 1.

epiſt.

epiſt. 8, ubi vide & Savaronem, & Menagium in Amœnit. Jur. p. 940. Siquidem vero intelligi nequeat Judicium abſque Judice, neque Judicem abſque Juriſdictione, neque Juriſdictionem abſque Territorio, inde fit evidens, quod ſiquidem Eccleſiæ Judicium etiam competat, eidem competere perinde Juriſdictionem, ac Territorium oportet: quod non eſt aliud, quam pro Romano Pontifice, totus, qua late patet, Orbis, pro Epiſcopis vero ſingulæ ipſorum Diœceſes, in quas Juriſdictio paſſim a Synodis ipſis adſcritur, veluti recte ex Antiochena an. 341. Can. 22. obſervat Altaſerra in Vindic. adverſ. Fevretum cap. 1. Atque hæc quidem quoad nomen: quoad rem ipſam vero, Eccleſiæ Juriſdictionem in Clericos liquido probant quæ, & quanta ad probandam a Foro Laico Clericorum exemptionem ex Patribus, ex Conciliis, ex Pontificibus documenta paullo ſuperius producta ſunt. Eadem quoque Eccleſiæ in Laicos Juriſdictio manifeſtiſſima evadet ex dicendis Art. ſeq., ideoque heic ſatius habebo indicaſſe Synodum Apoſtol. Hieroſolymis anno a Chriſti D. obitu 16. habitam Act. 15, 6, ſeqq., S. Paulum ad Rom. 16, 19, 1. ad Corinth. 6, 1, ſeqq., 2. ad Corinth. 10, 6, ſeqq., 13, 2, ſeqq., ad Hebr. 13, 17, alibique ſæpe ſua de poteſtate, deque obedientia ſibi impendenda loquentem, S. Clementem epiſt. ad Corinth. n. 2, S. Ignatium epiſt. ad Epheſios n. 2, ad Smyr. n. 8, &c., Origenem contra Celſum lib. 3. n. 29, ſeq., hom. 2. in Jerem., &c., S. Cyprianum epiſt. 55. ad S. Cornelium, alibique frequenter, Luciferum Calarit. lib. 1. adv. Conſtantium, S. Ambroſium epiſt. 32. ad Valentinianum, S. Gregorium Nazian. Orat. 17, S. Auguſtinum de Moribus Eccleſ. cap. 28, &c. de Epiſcoporum in Laicos, ipſoſque Principes Juriſdictione loquentes. Jure optimo itaque Eccleſia Juriſdictionem, ac Forum proprio edito titulo *De Foro competenti* Decret. Gregorii IX. lib. 2. tit. 2. ſibi vindicavit. Quod plane Forum ſi Negotiatorum, Artificumque Collegiis non denegatur, Alexandro Severo auctore apud Lampridium, ac L. ult. Cod. *De Juriſd.*, in Milites competit Magiſtro L. *Magiſteriæ* Cod. eodem, Rectori Univerſitatis in Scholares Cod. *Ne Filius pro Patre*, Patriſamiliis in Filios, & Famulos, Navis Gubernatori in Vectores, Artis Magiſtris in Diſcipulos, ut habet S. Joh. Chryſoſtomus hom. 3. in

in epiſt. 2. ad Timoth., quis æqui, juſtique æſtimator idem Eccleſiæ deneget? Non denegarunt ſane Imperatores: nam Conſtantinus M. Epiſcoporum leges per Orbem valere, adeoque ut Judicum aliorum anteferendæ forent ſententiæ, voluiſſe fertur ab Euſebio in ipſius vita lib. 4. cap. 27; Theodoſius, Honorius, & Arcadius Cod. *De Epiſcop. Jud.* eo ipſo, quo Jus Civile ex deciſionibus cauſſarum Prætorianis in Provinciis, modo Jus Eccleſiaſticum conſtitui tam agnovere, quam adprobarunt; Juſtinianus L. 45. *De Sacroſ. Eccleſ.* eodem ipſo in pretio Eccleſiaſticas haberi leges præcepit, quo Civiles a ſe latas obtinere decreverat. Confer & L. *Omni* 9. eodem Cod., & tit., L. *Cum Clericus* 25. *De Epiſcopis, & Cler.*, & L. *Mathematicos* 11. *De Epiſcop. Aud.*, quibus Epiſcopi leges ferendi, judicandique poteſtatem a Chriſto D. accepiſſe dicuntur, Neque ſcrupulum injicere, moramque valet Valentiniani III. lex forum Eccleſiæ abrogans, utpote quæ adverſa pugnet fronte tum cum legibus Imperatoribus a prioribus aliis, ac poſterioribus latis, veluti L. *Placet*, Auth. *Interdicimus*, & Auth *Statuimus* Cod. *De Epiſcop., & Cler.*, tum cum L. 3. Cod. *De Epiſcop. Jud.* lib. 16. ipſius Valentiniani, qua Eccleſiaſticas cauſſas Epiſcopali finiri judicio debere fatetur, atque ipſemet paullo ante quin etiam Epiſcopis, prout jurgantium ſe ferret voluntas, jurgia finiendi licentiam non ademerat: quod eſt proculdubio Eccleſiæ Forum agnoſcere, faterique; tum quæ gravi digna reprehenſione S. Ambroſio viſa fuit epiſt. 23, eique Patris ſui exemplum proponenti, qui Epiſcoporum Juriſdictionem, veluti liquet ex L. 18. *Quorum Appell.* Cod. Theod., loco dimoveri ſuo nunquam eſt paſſus; tum quæ demum a Majoriano, ut alibi dictum eſt, & a Concilio Andegavenſi quin etiam an. 455. Can. 1. abrogata penitus fuit. Hinc igitur habes, quibus etiam Cujacio, Loyſelio, Bordio item *Temoignage de la Verité*, & Polono Nobili in Principiis ex Bordio adoptatis, ſufflaminato ab Auctore Reflex., & Princip. meliorum de Juriſd. Eccl. Lipſ. 1757, ſatisfacias, quo ex poſtremo habes præterea Imperatorum ſequioris ætatis Pacta, & Capitulationes Friderici I. an. 1179, Friderici II. an. 1213, & 1220, Rodulphi I. an. 1275, Caroli IV. an. 1359, Maximiliani I. anno 1507, Rodulphi II. an. 1590, Caroli VI. an. 1711, Franciſci I.

an. 1742, & 1745, quibus Juri Canonico ſua auctoritas religioſe ſervata eſt, ac Judiciorum Eccleſiaſticorum forma ſarta, tectaque jubetur. Quamquam etſi daretur Eccleſiam Forum non habere, prout Forum legibus accipitur pro Cognitione, & Judicio cauſſarum pure Civilium, uti L. 6. §. *Eſt autem* ff. *De Excuſat.*, Forum tamen, prout Juriſdictionem in Clericos importat, ac in Laicos etiam circa Leges Eccleſiaſticas, nulla denegari Eccleſiæ ratione poteſt. Rurſus etſi ſuas per ſe ſententias exequi Eccleſia nequiret, non ideo tamen Juriſdictione carere dicenda eſſet: rerum enim judicatarum executio ideo ab Eccleſia in Judices ſæculares rejecta fuiſſet, quod eadem plerumque Militari fieri manu debeat, quam alioqui Brachii ſæcularis nomine Principum legibus a Laicis Judicibus Eccleſiæ, proprio ex officio, præſtari debere alibi oſtendimus. Cæterum Eccleſiam ſuas per ſemetipſum plurimum ſententias exequi ſeq. Art. 6. palam fiet. Præterea licet in Cod. Juſtin. titulus inſcriptus ſit non de Epiſcopali Juriſdictione, ſed de Epiſcopali Audientia, hæc autem dicatur aliquando ſimplex Notio ſine Imperio, veluti L. *Ait Prætor* ff. *De Rejudicata*, L. *Notionem De Verb. Signif.*, nihil intereſt, dum Audientia hæc ad Eccleſiam pertinens a S. Auguſtino in Brevic. Collat., & lib. 3. contra Julianum cap. 1. dicitur *Audientia competens*, quomodo Decret. lib. 2. tit. 2. *De Foro competenti* inſcribitur; ideſt conjuncta cum Juriſdictione. Denique etſi daretur Epiſcopos Territorio carere, non propterea carerent Juriſdictione, quæ tum perſonæ adhæret *L. Inter Tutores ff. De Adminiſt. Tutor.*, *L. Si res*, *De Legib.* 1, tum eſt in perſonas L. 3. ff. De *Offic. Præſid.*, junctis Gloſſ., & Juriſperitis in L. 1. ff. *De Juriſd.* Sed enim Territorio Eccleſiam non carere diximus, quod potius Diœceſis nomen obtinuit, re tamen idem eſt, nec de nomine diſputandum. Itaque legibus Principum Juriſdictionem Eccleſia non adquiſivit, ſed ea dumtaxat, quæ Jure Divino ipſi competit, vel magis declaratâ eſt, uti docet Johannes vetus Gloſſator in Can: 11. *Si Imperator* diſt. 96, vel magis eſt munita, ac defenſa, velut interpretatus eſt recte S. Iſidorus Hiſpal. in Can. 20. *Principes* 23. Q. 5. Arque hoc de argumento hactenus.

DE

DE ECCLESIÆ POTESTATE

Lites inter Fideles Laicos judicio finiendi, Laicasque suis infensas Leges infringendi.

ARTICULUS V.

GEnerali principio, geminoque præjacto de Jurisdictione, & Imperio, sive de Potestate Judiciaria, & Legislativa Ecclesiæ competenti, sequitur inde, aut ego fallor, quod tam privatas Fidelium lites judicio finire, quam publicas, suis infensas, Principum leges infringere in Ecclesiæ potestate sit positum. Atque principio quod ad caput primum respicit, hanc profecto de litibus inter Fideles agitatis cognoscendi provinciam idcirco priorum Sæculorum Episcopis præfracte eripiunt, partes eosdem dumtaxat Arbitrorum egisse pugnantes, Basnagius in dissert. de Tribunal. Episcop., Bohemerus de Jure Protest., Mornacius ad L. 8. Cod. *De Episcop. Audient.*, Fleurius Hist. Eccles. To. 19. in discur. prælim., Jannonus Hist. Neap. To. 1. lib. 2. cap. ult. §. 3, & lib. 5. cap. ult. §. 1, &c., quod ad Judicis laici partes litium illarum cognitio pertineat, in quas ideo nefas sit Episcopos irrumpere. Verumtamen quod ipsis nefas visum est, Ethnicis olim receptissimum religione erat, cujus intuitu sane apud Ægyptios, ac Tyrios Sacerdotes Judicum officio defungi consuevisse tradit Ælianus Var. lib. 14. cap. 34; apud Lacedæmones, & Athenienses Sacerdotibus de negotio quocumque cognoscendi, dicundique jus perampium insedisse testatur Plutarchus in Theseo, apud Gallos, & Germanos Sacerdotum judicio stare, adquiescereque jussos, qui de hæreditate, & qui de finibus contenderent, officioque cessisse inobedientes Sacrificiis interdicere: quo nomine igne, & aqua interdicti habebantur, atque ab eis aditu, sermoneque decedebant omnes, fide adfirmant sua Cæsar de Bello Gall. lib. 6, Tacitus de Morib. Germ., & Stephanus Forcatulus de Gall. vet. Relig.; apud Romanos, ac Latinos tali Sacerdotes, ac tanta auctoritate potitos, ut de Pauperum causis, de Testamentis, de Adoptionibus,

de Mancipationibus &c. judicium ferrent, auctores se præbent Dionysius Halic. lib. 1, Livius lib. 1. cap. 20, & lib. 2. cap. 2, ac Cicero de Aruſp., & pro Domo ſua. Ad eam vero Pontificis M. amplitudinem excreviſſe poteſtatem adjungunt Feſtus de Verb. ſignif. VV. *Ordo*, *Judex*, *Arbiter*, Dionyſius Halic. lib. 2, & Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 15. cap. 26, ut *Rerum Divinarum*, *& humanarum Judex*, *& Arbiter* haberetur, ut legum ſuarum tranſgreſſoribus, pro delicti magnitudine, pœnas infligendi, bene ſibi viſas, poteſtate defungeretur abſolutiſſima, nulliuſque ipſe viciſſim poteſtati obnoxius, neque Populo, neque Senatui geſtorum rationem cogeretur reddere. Per Religionem longe puriorem Judæorum Sacerdotibus licuiſſe gentilium ſuorum lites judicio finire certum eſt quammaxime, & conſtans. Levitici 13. locum explicans Philo de vita Moyſis lib. 3. Principibus, ac Judicibus ad cauſſas diſcernendas, componendas, ac dirimendas aſſediſſe Sacerdotes arguit. In unaquaque Urbe ſeptem conſediſſe Judices, quibus duo adjungi Levitæ ſolebant, qui Judæis jus dicerent, auctor eſt Joſephus Antiq. Judaic. lib. 4. cap. 8. Sub Syris tractatu inito Lyſiam inter, & Judam fas Judæis fuiſſe ſuis vivere, judicarique legibus liquet ex 2. Machab. 11, & Joſepho Antiq. lib. 14. cap. 17, & lib. 17. cap. 2. Indultum id quoque a Romanis ſub Quinto Memmio, & Tito Manlio, ac perinde ſub Pompeo, Gabinio, Felice, Feſto, Albino &c. adparet ex cit. Machab. loco, & ex Act. Apoſt. capp. 4, ſeqq., ac 24, ſeq., adfirmatque Joſephus lib. contra Appionem p. 1065, & Antiq. lib. 18. cap. 34, lib. 19. cap. 4, ac lib. 20. cap. 1. Vide ſis & Tillemontium Tom. 1. p. 410. edit. Bruxel. Monum. hiſt. Eccl. par. 1. Tom. 2. p. 316, ſeqq., Schikardum de Jure Reg. Hebr. cap. 1. p. 15, ſeqq., Baſnagium Hiſt. Jud. To. 2. cap. 15. p. 380, ſeqq., Deylingium Obſervat. Sacr. par. 5. diſſert. de Æliæ Capitol. Orig. §. 13. p. 461, ſeq., &c. Per leges denique Cod. Theod. lib. 2. tit. 1. L. 10. *Siqui* ſub Chriſtianis Imperatoribus Judæo cum alio gentili litem gerenti ſuum apud Patriarcham judicio experiri permiſſum conſtat. Idque adeo conſtans apud Judæos, ut integrum Sacerdotum jus manſerit Laicorum jurgia, liteſque de rebus etiam mere temporalibus judicio dirimendi, ut illicitum ſemper Judæis, ac nefas ingens

fuc.

fuerit, ſuo relicto foro, aliud a Religione ſua alienum adire diſerte legatur in *Schulchan Aruch* par. 4. n. 26, multiſque ex Judæorum libris allatis documentis oſtendat Joh. Andreas Eiſenmengerus in Judaiſmo detecto par. 2. cap. 9. p. 472, ſeqq. Confer & Baronium ad an. 43. n. 4, ſeq., ac Seldenum de Syned. lib. 1. cap. 8, & lib. 2. cap. 15. Potius vero quam hinc, ex Judæorum Diſciplina ideſt, ut perſuaſum fuit Pfaffio Orig. Jur. Eccl. cap. 2. art. 2. p. 7, multoque minus ex Principum indulgentia, ut perſuadere apud Seldenum de Syned. lib. 2. cap. 7, & Baſnagium in diſſert. 4. de Eccl. Tribun. Annal. To. 2. p. 491. Proteſtantes vellent, ex Chriſti D. inſtitutione, ſive Apoſtolica, Epiſcopali ita exigente dignitate, officioque, profectum, ut Chriſtifidelium lites de rebus etiam temporalibus dirimendæ ad Epiſcopos deferrentur, neque velut ad Arbitros dumtaxat, ac Judices electos, uti poſt eoſdem Proteſtantes ſuadere Jannonus intendit, ſed velut ad eos, qui revera Juriſdictione potiuntur, in animum quiſque facile ſuum inducet, qui recolat id profecto oneris a S. Paulo 1. ad Corinth. cap. 6. Epiſcopis impoſitum verbis illis: *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* &c. Quibus plane Corinthiis probro vertebat, quod lites agitantes experiri judicio apud Infideles mallent, quam apud Sanctos. Qua proinde adpellatione palam excluditur notio illa, *Presbyteri plebeii, vulgaris, atque vilioris exiſtimationis*, quam venire contendit Seldenus verbis illis: *Contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, eos conſtituite ad judicandum*; tamquam non Epiſcopi, ſed infimi Presbyteri ſubſellii fuiſſent a S. Paulo Judices deſignati. Multoque minus intelligi Laicos homines, eoſque neque æquitate, neque prudentia ad componendas lites ſatis præditos, ut interpretatur Baſnagius cit. diſſert. 4. n. 5, aut incertæ ſpeciei Judices ad Synagogæ exemplum in Eccleſiam inductos, uti Ligfooto in hor. Hebraic. p. 895. viſum eſt. Quod ſane quam longe ab Apoſtoli mente abhorreat, illud magis oſtendit, quod eoſdem præterea Corinthiorum rebus judicandis conſtituit Apoſtolos, quos futuros Angelorum Judices indubitanter adfirmat: *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus? Quanto magis ſæcularia?* Quo perinde nomine Judices deſignatos Epiſcopos tum exinde proba-

tur,

tur, quod id sibimet officii vindicet Apostolus, illudque commune iis faciat, qui suis sufficiendi vicibus essent, tum exinde comprobatur, quod superiori cap. 5. v. 12. Episcopale Tribunal a profano dijungens: *Quid mihi*, inquit, *de iis, qui foris sunt, judicare?* Quibus liquido de Fidelibus judicandi sibi jus vindicat, dum illud de Infidelibus a se repellit, quod ipsum jus est, quo apud Corinthios, aliosque perinde Christifideles defungi pariter Episcopos jubet. Itaque pro *Sanctis* Ecclesiæ Præsules rite interpretatus est S. Basilius in q. 9, & pro *Iniquis* Judices laicos ex humanæ diei conditione, legumque Sæcularium consuetudine judicantes accepit Theodoritus Scutatorius in Græco Cod. Mſ. Vaticano. Præterea loco verbi *Constituite* Græcus Textus habet καθίζετε, quæ dictio anceps est, ac transferri æque potest *Constituitis, ac Constituite*. Et primo quidem modo legendum *Constituitis* visum est Hilaro Diacono in hunc loc, quam lectionem probant Valla Crit. Sacr. To. 5. edit. Francof. p. 69, Paraeus, Castellio, Jos. Medus in Fragm. Sacr. p. 261, &c., quasi nempe reprehensione ideo se dignos præbuerint Corinthii, quod homines Ἐξουθενημένους *contemptos, & nihili habitos* Judices constituerent, unde subjungit: *Sic non est inter vos Sapiens quisquam, qui possit judicare?* Posteriori vero, propiorique ad veritatem modo legendum *Constituite*, ut habet Latinus Interpres, non quidem ut ironice dictum, dictumque de Judicibus Ethnicis, velut accipiendum existimant Ludovicus de Dieu, Heinsius Exercit. Sac. lib. 7. cap. 4, Lochius ad hunc loc., Wolfius in Curis Philolog. Crit. Tom. 3. p. 383, &c, probant S. Johannes Chrysostomus, S. Augustinus, qui lib. 5. adv. Faustum cap. 9. legit *Collocate*, Theodoretus, Thephylactus &c., atque hanc lectionem amplectuntur Interpretes Erasmus, Vatablus, Clarius, Zagerus, Grotius &c. Crit. Sacr. cit. Tom. 5. pag. 71, seqq., Knatchbullus in hunc loc., Herzogius dissert. de subscript. Paulin., Le Cene, Beausobrius Observat. Hist., Crit., & Philolog. in Nov. Test. in 1. ad Corinth. cap. 6. v. 8. Tom. 1. p. 319, seq. &c. Quo plane sensu S. Paulus apud contemptissimum quemque potius in Ecclesia suas a Christifidelibus agitari lites jubebat, quam Ethnicorum adirentur Tribunalia. Fallitur postremo Seldenus voce Βιωτικὰ *Sæcularia* Apostoli sensu

res

res designari Temporales nedum, sive Laicas, sed etiam Spirituales, seu Ecclesiasticas opinatus, quarum ideo cognitionem Ecclesiæ integram Apostolus jusserit. Nam Βίος Græcis tria quidem significat, sed mere temporalia, nempe vitam, victus, ac facultates, substantiamque, qua vivimus. Quia vero victus nomine vestes, domus, ac cetera vitæ necessaria subsidia veniunt, proinde veteribus Βιωτικὰ nuncupantur hæc omnia: sic Militiam, Negotiationem, Agricolationem vocant Βιωτικὰ *Biotica* S. Joh. Chrysostomus de Sacerd. lib. 4. cap. 1, & Clemens Alex. Strom. lib. 7. p. 740, ac Βιωτικοῖ adpellantur Mundi rebus dediti. Sic apud Suidam V. Βίος Philo Βιωτικῶν ἀνθρώπων, & S. Joh. Chrysostomum de Sacerd. lib. 3. cap. 15. ἀνθρώπους Βιωτικούς; unde loco *Secularia* Versio Syriaca habet: *Quæ sunt hujus Sæculi*, Arabica *De rebus Mundanis*, Græci, & Ambrosiaster *Corporalia*, Latini alii *Res hujus Mundi*. Qua de re multa oppido disputat Suicerus in Thesauro Eccles. To. 1. edit. Amstel. 1682. p. 695., seq.

Atque germana quin hæc fuerit Apostoli sententia, istaque Episcopi Judices revera cum Jurisdictione, non Arbitri dumtaxat eligendi ultro a Fidelibus, jurgiis, litibusque finiendis constituti fuerint, nos dubitare non sinunt explicitissima SS. Ecclesiæ Patrum testimonia. In quibus Auctor Constit. Apostol. sub nomine S. Clementis lib. 2. cap. 45. hoc Apostoli repetens præceptum de non adeundo Christifidelibus Ethnicorum foro sic habet: Μὴ ἐκέσθω ἐπὶ κριτήριον ἐθνικὸν, ἀλλὰ μὴν δὲ ἀνέχεσθε κοσμικοὺς ἄρχοντας, κατὰ τῶν ὑμετέρων δικάζειν, *Ne adeat ad Judicium Gentilium, imo ne patiamini, ut Sæcalares Magistratus de caussis vestris judicent*. Quorum similia regerere pergit cap. inseq. minoris momenti a Diaconis, majoris vero ab Episcopis judicandas denuntians. Neque propriæ sane potestatis exaggerandæ cupiditate illectus, inanisque gloriæ instinctu permotus, sed pro officii particula incitatus a S. Paulo Civilium in se litium sarcinas, Judicis. que functiones traducere consuevisse S. Gregorius Neocæsar fertur a S. Gregorio Nyssen. in ejus vita, quem a Christianis Laicis electum refert Judicem Τῶν βιωτικῶν ἀμφισβητημάτων *Sæcularium Controversiarum*. Extat ejusdem epistola 1. Canonica, in qua

Can. 5.

Can. 5. Euphrosynum fratrem de causſis eorum cognoſciturum, qui a Boradis,& a Gothis propriis exſpoliati, alienas facultates, damni reſarciendi gratia, rapiebant, delegaſſe legitur, ut ex legibus Eccleſiaſticis judicium ferret, quorumque nam accuſationes recipiendæ forent, quorumque repellendæ. Explicitiſſima quoque eſt, quam in dubium revocari queat, S. Baſilii M. ſententia cum apud S. Gregorium Nazian. Orat. 20, tum in Regulis fuſius diſputatis ad q. 9, ubi de Corporalibus loquens: *Porro*, inquit, *de his rebus experiri apud Judices extraneos vetat nos Dominus, quum dicit*: Et ei,qui vult tecum in Judicio contendere &c. *Et Paulus ſimiliter, ſic enim eſt apud ipſum*: Audet aliquis habens negotium &c. Ex Chriſti D. igitur, & S. Pauli juſſione cenſet S. Doctor extranea adire Judicia Chriſtifidelibus nefas eſſe, ſed eorum potius lites apud Eccleſiarum Præſules eſſe finiendas. Neque procul hinc aberant S. Joh. Chryſoſtomus de Sacerd. lib 3. cap. 18, Syneſius epiſt. 57, & 105, Hilarus Diac., Photius, Theodorus Heracleotes, Theophylactus, Oecumenius &c. in 1. ad Corinth. cap. 6, unde aliquo ſenſu certum eſt, ceu obſervat Thomaſſinus vet., & nov. Diſcipl. par. 2. lib. 3. cap 102. n 4, Epiſcopis Judicum partes in fidelium litibus dirimendis impoſitas fuiſſe, quique eas impoſuit, S. Paulum non tam ex proprio, quam ex Chriſti D. præcepto id feciſſe. Cum quo ſtat attamen, quod non ita partes iſtas perſemet explere oporteat Epiſcopos, quin ipſis per alios, prout opus adſit, præſtare fas ſit. Itaque Syneſio id magis expedire videbatur, ut in Clericos Sæcularium curarum ſarcina deoneraretur, ut Divinis ipſi curandis rebus expeditiores fierent Epiſcopi. Quin imo Sylvano Epiſcopo apud Socratem lib. 7. cap. 36. arcte perſuaſum iverat Fori moleſtias, anfractus, & fraudes a Clericis etiam fore amputandas, ut Cæleſtibus liberius vacare ipſis liceret, idque oneris ideo in Laicos quoſpiam ſpectatæ vitæ fore transferendum. Quomodo plane de Laico quodam probato, fidelique S. Paphnutio amicitiæ neceſſitudine conjunctiſſimo refert Ruffinus eum ingentem exinde laudum cumulum reportaſſe, quod Fidelium litibus componendis ſemet impendere non parceret. Qua etiam ratione a S. Martino Turon. Presbyteros Chriſtifidelium jurgiis dirimendis fuiſſe præpoſitos, quò tum poſ-

poſſet ipſe totus orationi ſe dedere, tum nequis deeſſet, qui Fidelium plebem juſtis his Judicis officiis defraudaret, teſtis accedit Severus Sulpitius. Varia erat vero hacce de re cum Patrum ſententia, tum Eccleſiarum diſciplina, tam pro vario ipſorum ingenio, quam pro ipſa rerum varietate. Theophilo Alex. placuiſſe Judicis poteſtatem exercere per ſemet, jurgantiumque litibus implicare ſeſe adparet ex epiſt. 2. Paſchali. Id pari in more poſitum S. Cyrillo Alex., ut Magiſtratus inſtar de inſtitutis Civilibus, quæ Græci πολιτείας vocant, aliiſque negotiis Sæcularibus cognoſceret, auctor eſt Nicephorus lib. 14. cap. 14. De S. Epiphanio contra refert in ejus vita Johannes, ab eo litibus dijudicandis præfectum Defenſorem Eccleſiæ fuiſſe; quo demum, veluti minus idoneo, dimoto, hanc in ſe Provinciam tranſcriptam. Iterum ob inſignem in dirimendis jurgiis peritiam digno mactantur elogio Phileus Thummitanus, & Macedonius Conſtantinopolit. a Nicephoro lib. 7. cap 9, & lib. 9. cap. 4. At viciſſim ex Can. 62. Nicæno-Arabico verſ. Turriani liquet unum ex ſeptem Diaconis Προεδρικὸς *Præfectum Judiciis* dictum, ideo quod legum ſacrarum cuſtodiæ præeſſet, deque homicidiis, aliiſque criminibus inquirere datum ei eſſet. Quos ex Romanæ Eccleſiæ conſuetudine *Judicum Primicerios* adpellat Benno Card. in vita S. Gregorii VII. Siqui Patrum attamen S. Pauli intime ſenſum attigere, quæque Epiſcoporum partes eſſent, probe tenuere, nobile profecto Latinæ Eccleſiæ luminum par fuit, SS. Ambroſium, inquio, & Auguſtinum. Prior enim ille haud ſatius habuit precibus apud Imperatores agere, atque ita quidem, ut animo Theodoſii inflexo, quos ab exſilio, quos a carceribus, quos a morte ſubducere ipſi ex voto ſucceſſerit, veluti liquet ex epiſt. 29, niſi pro facultate ſibi a S. Paulo facta litium inter Fideles Judicem ſemet inſuper erigeret. Itaque litis valdequam perplexæ Cognitorem, Judicemque ſe præſtitiſſe ipſe refert epiſt. 24. ad Marcellum, nec id ſuapte a ſe peractum, ſed ex onere ſibi cum Præſulis officio concredito, tum diſerta S. Pauli lege ſcribit: *Cognovi autem ſecundum Sacræ formam receptionis, in qua me induit & Beatiſs. Apoſtoli auctoritas &c.* Cujuſce præceptionis vim magis, magiſque ſenſit de Offic. lib. 2. cap. 24, nec alterum patere effu-

gium cognovit, quam si ejusmodi litium farcina in alium, suo tamen expediendarum nomine, transferretur. Atque exinde Vicariorum Episcopalium auspicandam originem qui exputet, a vero plurimum non abhorrebit. Posterior hic vero in Psal. 118. serm. 24. tam non ambegit de Christi D. præcepto Apostoli ore promulgato finiendarum ab Episcopis inter Fideles litium, quam officio huic perinde difficili se haud impatem præstare non destitit. *Non audemus dicere*, ajens, Dic homo, quis me constituit Judicem inter vos? *Constituit enim talibus caussis Ecclesiasticos Apostolus Cognitores, in Foro prohibens jurgare Christianos.* Cujusmodi sententiæ habet simillima in Psal. 49, & 80, Serm. 24. de Verb. Apost., hom. 50, Enchir. cap. 78, epist. 147. ad Proculejanum, &c. Tam vero S. Ambrosii exemplo, cujus meminit Confess. lib. 3. cap. 3, excitatus, quam Christi D. præcepto obstrictus, de quo præcit. loc., se propterea dirimendis hujusmodi litibus quotidie implicitum, sæculatibusque distentum judiciis acerbe querebatur de Opere Monach. cap. 29. Ingenti fortitudine idcirco, tolerantiaque S. Augustino opus fuisse, ut se Civium negotiis, atque jurgiis præstaret, testes accedunt Possidius in ejusdem vita cap. 19, Nembridius in epist. inter August. 114, deque seipso quin perhibet S. Doctor epist. 81. De Abrahamo Carorum Antistite id quoque memoriæ prodidit Theodoretus hist. PP. cap. 17, haud exiguam diei partem ab eo huicce charitatis in componendis Laicorum controversiis officio impendi consuevisse. Eodem Apostolico spiritu affectus Sidonius Apollinaris Episcopus Arvernensis, quo ipse Fidelium litibus dirimendis indesinenter incumbebat, eo ipso studio de optima Episcopalis in hac parte officii adimplendi ratione Præsules alios admonere non desistebat lib. 6. epist. 2. ad Pragmatium, 4. ad Lupum &c., quibus fides indubia fit, & quatenus Sæcularium litibus ipse per se componendis operam daret, & quatenus eo ipso pietatis officio præstando alios impendi pariter Episcopos obnixe desideraret. Afflictis generatim, Miserisque personis licuisse per Religionem ad Episcoporum opem confugere fidem indubiam facit S. Ennodius Ticin. lib. 1. epist. 7. ad Faustum edit. Sirmondi To. 1. p 810, a quo & S. Epiphanius Ticin. in ejus vita dignis, egregiisque, ob hanc ipsam frequens illis opem impen-

penſam, mactatur elogiis. Pro Tribunali dirimendis jurgiis ſedisſe, indeque præclarum induſtriæ, peritiæque ſpecimen exhibuiſse S. Maurilium Cadurcenſem Epiſcopum auctor eſt S. Gregorius Turon. lib. 5. cap. 42. E Diaconis unum ab Epiſcopo deligi, ac negotiis gerendis Sæcularibus præfici conſueviſse documento eſt Ferrandus Carthag., qui in proœm. Paræneticì ad Rheginum ſe curis Sæcularibus diſſipatum adfirmabat, diſtentumque. Hanc. ce tamen ſpartam præcipue Epiſcopis a S. Paulo demandatam fuiſſe ex præcit. ad Corinth. cap. 6. optime arguebant Doctiſs. Presbyterorum nobile par V. Beda, & Sedulius. Certum id adeo, conſtansque ſua ſub ætate tradit Hincmarus To. 1. p. 676, ut eatum imo complurium invaleſceret Epiſcoporum doctrina, qua dicerent in jus deinceps accerſiri eos nequire, neque publici Judidicis ſubjici examini, neque de quantocumque damnari crimine, qui ſibi confeſſi ſemel fuiſſent. Sequiori quin etiam ſub ætate ſcitum eſt, quanta in negotiis ejuſmodi pertractandis, Fideliumque litibus finiendis poteſtate uſus ſit, pollueritque dexteritate Ivo Carnot., quod & eloquuntur ipſius Epiſtolæ 4, 6, &c. Qui pro componendis quoque hujuſce genus jurgiis ſuum ad Tribunal adpellerent, cum iis præſentiſſimos ſe dedere officio duxere proculdubio S. Anſelmus Cantuar. Eadmero teſte, ipſoque met. in cit. ad Corinth. locum, S. Hugo Lincolnienſis, Scriptore ipſius vitæ referente apud Baronium ad an. 1191. n. 46, S. Hugo Gratianop. apud Surium ad diem 1. April., S. Carolus Borromæus apud eumdem die 4. Novemb., &c., tum ut iis pietatis officium iſtud haud impigre impenderent, ſtimulos Epiſcopis adjiciebant, ſeque dare auctores non deſiſtebant S. Petrus Dam. in Opuſc. inſcripto *Dominus vobiſcum*, S. Bernardus de Conſid. lib. 1. indignum quidem judicans terrenis Judiciis Epiſcopos implicari, non indignos tamen, qui implicentur, Anſpertus in Apocalyp. lib. 9, Haymo, & S. Brunus Signin. in 1. Corinth. cap. 6, Hugo Victor. ibid. q. 50, ſeq. &c. Ex quibus liquido patet minus recte S. Petro Dam. epiſt. 6. Eccleſiaſticis jus omne litigandi, ſeque alienis ingerendi litibus adimendum viſum fuiſſe. Sed & id juris loco magis ſtabiliviſſe ſuo, egregieque vindicaſſe legitur Hermas Lematius de Inſtauranda Vet. Religione lib. 7. cap. 29, ſeq., co-

pioſeque ſcripſit hocce de argumento Helias Turon. Archiep. in libro contra Pragmaticam Gall. Sanct. Romæ an. 1486. edito . Receptiſſimi iſtiuſmodi præterea moris , ut Fideles ſuas de rebus temporalibus lites ad Eccleſiæ potius , quam Sæculi Tribunalia ſiſterent , tam locuples accedit teſtis Philotheus Achilinus in Somno Virid. capp. 200 , & 210 , quam vindex acerrimus Petrus Bertrandus de Orig. , & uſu Juriſd. Eccleſ. Bibl. PP. To. 4. par. 1, p. 876. Viden demum , ut integrum devexiorem uſque ad ætatem iſtiuſmodi dirimendi Laicorum jurgia manſerit Epiſcopis jus ! Cujuſce deinde egregios ſe Defenſores , aſſertoreſque præſtare non dubitarunt ex Theologis , & Canoniſtis viri Doctiſs. S. Thomas in 1. Corinth. 6 , Henricus Gandav. Quodl. 6. q. 23 , Franc. Mayronus Quodl. q. 11., Petrus Lombardus ad cit. Corinth. loc., Sanderus de Clave David lib. 2. cap. 16 , Genebrardus in Pſal. 121 , Perezius de Poteſt. Eccl. coact. , Benedictus Ariamontanus , Dionyſius Carthuſ., & Lyranus ad præcit. 1. ad Corinth. 6 , Hoſtienſis in Cap. 13. *Per Venerabilem* Decret. lib. 4. tit. 17. *Qui filii ſint legit.* , Panormitanus in Cap. 10. *Licet* lib. 2. tit. 2. *De Foro compet.* , Turrecremata in Can. 6. *Cum ad verum* diſt. 96 , & cum Gloſſa Interpretes alii in Can. 14. *Relatum* 11. q. 1 , Archidiaconus , Præpoſitus , Dominicus a S. Geminiano , aliique apud Boſium de Temp. Eccl. Monar. lib. 2. cap. 8 , a quo perinde capp. ſeqq. Marſilius Patav. lib. 5. Hier. Eccl., Ochamus tract. 2. lib. 2. Dialog. cap. 8 , & de Poteſt. Pontif. q. 1. cap, 11 , Gabriel Biel lect. 75. in Canon. Miſſæ , Johannes Pariſ. de poteſt. Regia , & Pap. , ac Petrus Alliac. de Petri Monarchia abunde , valideque ſufflaminantur .

Diſciplinæ hujuſmodi caput , ut eò tutiori poneretur in loco, quò meliori ab Epiſcopis adminiſtraretur ordine , indefeſſa , jugique a Conciliis allaboratum eſt opera . In Eliberitano , cui Apoſtolicæ Sedis adfuiſſe Legatos teſtatam rem facit Synodus Sueſſionenſis II , cujuſque de ſinceritate , loco, & epocha dicere me memini To. 4. p. 232, cap. 74. falſus teſtis prolatum teſtimonium probare in Clericorum Conventu cogitur . Refertur a S. Gregorio III. in Jndic. pœnit. cap. 13 , (quod Opus tamen junioris Auctoris eſſe recte autumat Pithœus) , a Rabano de Pœnit. ſatisf. lib. 3. cap. 53 ,

cap. 53, a Reginone lib. 2. cap. 341, & a Burchardo lib. 16. cap. 18. Indicium id eſt haud obſcurum recepti moris, quo lites, æque quammaxime, quæ de crimine eſſent, agitari a Laicis in Foro Eccleſiaſtico frequens erat. Quod in Eliberitano de Teſtibus, idipſum in Arelatenſi an. 314. Can. 7, cui & conformis eſt Eliberitanus 56, de Judicibus decretum eſt, quibus ideſt in adminiſtrando officio advigilare jubentur Epiſcopi, Cenſuraſque infligere, ſicubi a recto juſtitiæ tramite deflectere illos animadverterent. Perſuaſum arcte, probatumque fuiſſe Carthaginenſi III. Can. 9. priſcum oportet Eccleſiæ morem, quo laicis Epiſcopale Tribunal ad dirimendas lites adire licebat: ſiquidem inde validum deſumit argumentum Clericos a Laici Judicis Foro eliminandi: qui perinde Canon proprius evaſit Concilio Vernenſi ann. 755. Can. 18. A Carthaginenſi IV. Can. 23. apud Gratianum Can. 6. *Epiſcopus* 15. q. 7. Epiſcopus, Clericis adſiſtentibus, cauſſas judicare jubetur. Quem Canonem de litibus etiam Laicorum accipiendum mihi ſuadet S. Auguſtinus, qui Concilio huic interfuit, quemque Laicis inter ſeſe lites agitantibus ad faſtidium uſque aures accommodaſſe ſuas ſuperius dicebam. Conjectura tamen non opus eſt, ubi explicitiſſima habetur ejuſdem Concilii ſententia Can. 26, relato Can. 7. *Statuendum* diſt. 90, & Can. 87, quibus Epiſcopi diffidentes etiam Laicos ad pacem componere præcipiuntur, Laici vero Chriſtifideles judicio apud Infideles experiri prohibentur. In Carthaginenſi V. Cap. 1, in Cod. Can. Eccleſ. Afric. Can. 59, & in Carthaginenſi VI. Can. 26, apud Gratianum Can. 38. *Statutum* 11. q. 6, Apoſtolico jure Eccleſiæ demandato Laicis fas eſſe declaratum legitur quamlibet cauſſam in Eccleſiaſtico Foro agitare. In Judices ipſos Regios excubias agere Epiſcopi a Toletano III. Can. 18. admonentur, ac ſiquid in Leges ab illis commiſsum fuerit, infringere, Regemque de illorum præpoſtera judicandi, perverſaque ratione commonefacere. A S. Patritio in Synodo circa an. 450. Can. 21. Eccleſiaſtica Communione interdictus legitur Chriſtianus, qui ad alterum, præter Eccleſiaſticum, Tribunal alium provocet apud Harduinum To. 1. p. 1792. ex Cod. Mſ. Bibl. S. Benedicti Cantabrig. In Matiſconenſi II. Can. 12. Archidiaconus, vel Presbyter alius Epiſcopi vice Judicis perſonæ ſuſtinendæ ſufficitur.

tur. Atque Viduarum, ac Pupillorum lites non ante Laicum apud Judicem agitari permittuntur, quam ab Episcopo, sub cujus præsertim tuitione degunt, examinatæ fuerint, & excusæ. Non in publico, sed in Foro proprio causas sine strepitu, sine juris scrupulis, Patrumque more potius, quam Judicum, agere Episcopos, quod ipsum perinde jussit Aquisgranense II. Can. 4, voluit Cabilonense II. Can. 11. Publicis se tamen inferre Judiciis eis permittens, ubi de legibus Divinis admonendi Judices essent, aut oppressis, ac miseris opem adferrre oporteret. Episcopis in juredicundo adjutrices præstare manus Comites, Laicique judices admonentur a Francofordiensi Can. 8, a Turonensi III. Can. 33, a Cabilonensi II. Can. 20, ab Arelatensi VI. Can. 13, a Moguntino I. Can. 8, alteroque sub Rabano I. Cap. 7, a Meldensi Can. 71, a Suessionensi II. Can. 12, a Carisiacensi in epist. ad Ludovicum Reg. cap. 13, a Pontigonensi Cap. 12. ex Capitul. a Carlo Calvo promulgatis, & a Triburiensi sub Arnulpho Imp. Can. 3, & 9. Quibus jungendi Carolus M. in Capitul. lib. 2. cap. 6, lib. 5. capp. 114, & 138, & Addit. 3. capp. 23, & 64: *Ut Comites*, jubens, *& Judices, reliquusque Populus obedientes sint Episcopo, ut invicem consentiant ad faciendas justitias*, ac Hincmarus in hortatoria ad Carolum Calvum Oper. To. 2. p. 839, seq. Vetustissimæ præterea hujusce sanctioris disciplinæ reliquias, & vestigia reperire est in Conciliis Narbonensi an. 1054. cap. 18, quo contentiones de rebus etiam temporalibus inter Laicos finiendæ Episcopis permittuntur. In Parisiensi an. 1212. par. 4. cap. 6, quo Episcopi officii admonentur proprii, ut sciant querelis Pauperum audiendis, eisque præstandæ justitiæ se deputatos esse. In Compendiensi ann. 1301. cap. 4, seq., quibus Judices, & Comites sub Anathematis interminatione inhibentur, ne Laicos subditos a Foro Ecclesiastico, in causis a Jure, seu consuetudine permissis, retrahere, ac prohibere audeant. Quorum simillima in Bituricensi an. 1336. cap. 12. instaurata habentur. In Colonienſi II. an. 1549. cap. 6. de Jurisd. Eccl., quæ prolato disertissimo S. Pauli 1. Corinth. 6. loco Episcopis vindicatur. In Mediolanensi III. an. 1573. cap. 18, & in Mexicano an. 1585. lib. 2. tit. 1. §. 3, quibus Pupillorum, Viduarum, ac Pauperum cura specialis Episcopo, veluti communi om-

omnium Parenti, enixe commendatur. Denique in Synodo Diamperitana an. 1599. ſub Alexio Meneſſio tum in Synodi indictione, tum Act. 9. Decr. 15. declaratum legitur, Conſuetudine immemorabili in Eccleſia Malabarenſi jugiter cuſtodita cauſſas etiam Civiles ad Eccleſiæ Tribunal deferri conſueviſe. Ubi confer Raulinum in Not. Plurimum ad hæc confirmanda porro conferre poſſent Conciliorum Decreta circa Servorum manumiſſionem, qualia Arauſicani I. Can. 7, Arelatenſis II. Can. 33, ſeq., Aurelianenſis V. Can. 7, Matiſconenſis II. Can. 7, Africani Can. 31, & 49, Cod. Eccl. Afric. Can. 64, & 82. Qua de Servorum manumiſſione decernere, non ſecus atque de Mancipiorum Eccleſiæ cauſſis, ad Eccleſiam ſpectaſse haud obſcure indicant etiam Conſtantini M. Sanctio apud Sozomenum lib. 1. cap. 9, Nicephorum lib. 7. cap. 46, & Caſſiodorum hiſt. trip. lib. 1. cap. 9, Legeſque geminæ in Cod. Theod. lib. 1. tit. 8. cap. 58, & in Cod. Juſtin. lib. 1. tit. 13. *De his, qui in Eccleſiis manumittuntur*, Leg Langob. lib. 2. tit. 18. §. 3, Capitulare Dagoberti Regis, cui titulus: *Lex Ripuariorum* Capitul. To. 1. p. 41, & Capitulare Caroli M. lib. 5. cap. 32. eod. To. 1. p. 891: qua de re adeundi Marculfus in Form. Append. cap. 56. Sirm. cap. 12, Willelmus a Loon de Manumiſſ. Servor. apud Romanos lib. 1. cap. 5. p. 85, Willelmus Fournerius Selector. lib. 1. cap. 4, Fridericus Lindenbrogius ad Cod. Leg. antiq. p. 1432, & Heineccius Jur. Germ. To. 1. lib. 1. tit. 2. §. 50. Conferri item huc poſſent Conciliorum Decreta circa nova gravia tributa non imponenda, qualia Lateranenſis III. Can. 22, Avenionenſis an. 1209. Can. 6, &c.; cujuſmodi Decreta ferendi poteſtatem adeo ſibi propriam feciſſe Concilia quædam leguntur, ut neque Principes ipſi a ſubditis Populis tributa exigere præſumerent, niſi ex prævio Synodi conſenſu, velut lib. 12. Leg. Wiſigoth. ex præſcripto Synodi Toletanæ liquido adparet. Sed hæc obiter indicaſſe ſat habeo. Altero ſed enim ex capite, ratione nempe peccati, Eccleſiaſticæ poteſtati de Sæcularium litibus indirecte cognoſcere incumbit. Quod dilucide Innocentius III. expoſuit in Cap. 13. *Novit* Decret. lib. 2. tit. 1. *De judiciis*. Interpellatus nempe a Johanne Angliæ Rege, qui a Philippo Auguſto Rege Franc. Comitatu Pictavienſi, aliiſque Dominiis contra fœderis pacta, fideique ſacramentum

fnerat exſpoliatus, litteris, Legatiſque Miſſis utrique Regi bello abſtinendum, datoque jurijurando ſtandum indixerat, integro tamen ſervato utrique jure. Verum parere renuenti Philippo, & cauſſanti Pontificii juris non eſſe de Regum temporalibus cognoſcere, pro reſponſo celebri hac ad Gall. Epiſcopos inſcripta Decretali declaravit: ſe quidem nihil de Regis utriuſque juribus detractum velle, neque directe de rebus eorum temporalibus judicium ferre, ſed de peccato dumtaxat cognoſcendi poteſtate uti ſpirituali, ſuoque ideo ſatis officio facere. Nolle, inquam, de Feudo, cujus haud ignorabat ad Regem pertinere judicium, ſed decernere de peccato, cujus ad Pontificem ſpectare cenſuram inficias nemo iret: ſiquidem de infractis fœderis, pacis, fideique legibus juramento firmatis ageretur, de quibus cognoſcendi jus Pontifici auferre Chriſtiana fide imbutus auſus fuerit nemo. Jam vero ab iſtiuſmodi Decretali *Novit*, ad præcavendas Interdicti minas, a Galliarum Epiſcopis, Regiiſque Procuratoribus, Regis nomine appellatio quidem interpoſita fuit, attamen non ad futurum Concilium, uti perperam adfirmant Carolus Molinæus in Comment. ad Interdictum Henrici II, & ſupine poſt ipſum Cujacius in citat. Cap. *Novit*, ſed ad ipſum Pontificem, ipſomet teſte lib. 8. epiſt. 143. ad eoſdem Gall. Epiſcopos, atque teſtante Actor. Innoc. Scriptore apud Muratorium Rer. Ital. Script. To. 3. Itaque Romam profecti coram Pontifice appellationem proſequuturi inter alios Senonenſis, & Bituricenſis Archiep., ac Epiſcopi Pariſienſis, Meldenſis, Catalaunenſis, & Nivernenſis, Procuratores item alii, palam proteſtati ſunt interjectam appellationem non eo ſpectaſſe, ut Apoſtolicæ Sedis eluderetur mandatum, ſed quia ſua intereſſe, atque Regis juſtam eſſe cauſsam ipſi crederent. Ex quibus adparet Decretalem *Novit* in Gallia executioni demandatam utique fuiſse, agnitumque a Gallis id juris Decretali hacce præſcripti revera Pontifici competere. Et certe in celebri diſput. cum Petro Cunerio an. 1320. coram Philippo Valeſio Bibl. PP. To. 26. hanc Decretalem producere Petrus Bertrandus non dubitavit, ipſo adverſario contradicere non præſumente, velut eam, cui vim in Gallia haud defuiſse non ignoraret. Unde patet falſo ſcripturiiſse Petrum de Marca Conc. lib. 2. cap. 3, & lib. 4. cap. 14, ac poſt ipſum

Boſ-

Boſsuetium Defenſ. declar. par. 2. lib. 7. cap. 22. Decretalem hancce Gallis univerſim inviſam valdequam accidiſse, nec uſpiam in Gallia fuiſse receptam.

Synodorum huicce ſententiæ de Fidelium jurgiis apud Epiſcopum finiendis Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, roburque longe potius adjungere, uti rebus optime decretis facere ſolent, Romani Pontifices non deſtitere. Itaque S. Gregorius M. apud Gratianum Can. 2. *Petrus* diſt. 39. Sæcularium negotiorum ineptos ordinari in Epiſcopos, *Qui non ſolum de ſalute animarum, verum etiam de extrinſeca utilitate debent eſſe ſolliciti*, ſapientiſſime vetuit. Et certe afflictis, egenis, miſeriſque ope non deeſse ſingulari Epiſcopo curæ, officioque cedere cum ipſe frequens exemplo, tum verbo quoque docere lib. 8. epiſt. 38. ad Januarium Calar. non deſtitit. Iterum par. 2. lib. de Cura Paſtor. cap. 7. ita quidem S. Pauli locum 1. Corinth. 6. interpretatus eſt, ut de Laicis rebus judicia a Laicis juxta regulas Eccleſiaſticas exerceri voluerit, quum tamen opus fuerit, ad ſuum ab Epiſcopis Forum eadem trahi poſſint, ac debeant. Ideo aſpere iis ſuccenſet, qui ad ſpiritualia vacandi affectu, crediti ſibi Gregis temporalia curare, ejuſque neceſſitatibus ſuccurrere negligunt. Ex eodem S. Pauli ad Corinth. loco abſolutiſſimam ſibi in res temporales auctoritatem vindicaſſe legitur S. Gregorius VII. lib. 8 epiſt. 21. ad Herimannum Meten., qua ipſum Apoſtolicis, Eccleſiaſticiſque documentis adverſus Epiſcopalis poteſtatis obtrectatores inſtruit. At enim utramque heic paginam facit Decretalium Jus tam verus, quam novum, quo liquido conſtat Epiſcopis idem officium, ac jus dirimendi cauſſas Pupillorum, Viduarum, ac Miſerabilium perſonarum, quæ ſpeciali Eccleſiæ protectione gaudent. Atque digitum huc profecto intendiſſe S. Paſchalis I. videtur, qui apud Gratianum in Can. 7. *Siquis objecerit* 1. q. 3. deſcriptus ex epiſt. ad Archiepiſcopum Mediol., de qua etiam Ivo par. 2. cap. 84, Pezius in Theſau. Anecdot. To. 5. ex Geroho in Pſal. 25. p. 519, & Manſius Suppl. To. 1. p. 803, Animæ deſumpta ſimilitudine vita ſenſitiva abſque corpore non viventis, rerum etiam corporalium, ſine quibus rite ſpirituales curari nequeunt, curam Epiſcopo incumbere docet. Juxta hæc ipſa S. Leo IV. in Can. 5. *Quia Præſulatus*

tus 1. q. 4, Epiſcopale Magiſterium de Sæcularium etiam utilitatibus ſollicitum eſse debere admonebat. Expreſſius ſed enim jure Divino Pupillorum, Viduarum, ac Pauperum curam iis, quibus animæ curandæ ſunt demandatæ, incumbere dicitur, neque proprii extra fori Eccleſiaſtici fines Epiſcopi poteſtatem egredi, quandocumque ſive ex conſuetudine, ſive ex defectu ſæcularis juſtitiæ, ad lites inter laicos etiam agitatas judicandas ſe accingit, multis Juris Canonici docemur textibus, veluti Cap. 38. *Significantibus* ex Gregorio IX. Decret. lib. 1. tit. 29. *De Offic.*, *& poteſt. Jud. delegati*, quo loci conferendus Fagnanus; Cap. 13. *Novit* ex Innocentio III, de quo paullo ſuperius, lib. 2. tit. 1. *De Judiciis*; Cap. 10. *Licet*, & Cap. 11. *Ex tenore* ex eodem Pontifice libro eod. tit. 2. *De Foro compet.*; Cap. 15. *Ex parte* ex Honorio III. eod. lib., & tit., & Cap. 26. *Super quibuſdam* ex cit. Innocentio III. lib. 5. tit 40. *De Verbor. ſignif.* Jungendi Nicolaus V. in epiſt. ad quæſita Saxonum apud Raynaldum ad an. 1447. n. 28, Tridentini Patres ſeſs. 23. de Reform. cap. 1, ac Benedictus XIV. de Synodo Dioceſ. lib. 9. cap. 9. n. 9, ſeqq., ubi hanc Laicis factam utroque Jure facultatem cauſsas ſuas de rebus etiam Civilibus deferendi ad Eccleſiæ Tribunal integram manſiſse uſque ad initium Sæculi XIV. invicte probat, quo deinde ex tempore gravia, & irremediabilia veteri Eccleſiæ Juriſdictioni vulnera infligi cœpiſse obſervat, acerbeque dolet.

Hæc itaque quum ita ſe habeant, mirari profecto non ſubit, quod tanta Chriſtianos quoque Principes religio erga Epiſcopos, reverentiaque inceſserit, ut qua laicos Magiſtratus Juriſdictionis parte mulctatos, diminutoſque voluere, eadem induere Epiſcopos non dubitarint. Qui dignos ideo ſe S. Auguſtino dedere, ut egregio illo mactarentur elogio in Pſal. 25: *Principes ſæculi tantum detulerunt Eccleſiæ, ut quidquid in ea judicatum fuerit, diſſolvi non poſſit*. Reſpiciebat nempe, aut ego fallor, S. Doctor ad repetitas leges illas, quibus Imperatores Epiſcopalis juriſdictionis particulam iſtam in tuto poſitam, integramque juſsere. Atque a Conſtantino M., qui ſicuti ceteris in Chriſtianæ Religioni nomine dando exemplo fuit, ita in Religionis Chriſtianæ Præſulibus jure ſuo ſervando auctorem ſe dedit, exordium capiendo, ejus

ejus extat memoratu valdequam digna Lex 1. in Cod. Theod. lib. 16. tit. 12. *De Epiſcopali Judicio*, qua Laicis quacumque in cauſsa ad Forum Epiſcopale confugiendi ampliſſima fit poteſtas, facultaſque. Hanc porro legem, velut apocrypham, e legitimarum cenſu expungendam ingenti ſuadere conatu ſibi ſumpſere Jacobus Gothofredus To. 6. in fin. Cod. Theod., & Carolus Loyſæus *Des Seign.* cap. 15, quos ſequuti preſſo ſunt pede Feuretus de Abuſu lib. 4. cap. 1, & Jannonus Hiſt. Neap. lib. 2. cap. ult. §. 3, ſubjungens eidem Legi obſiſtere veram Legem 3. eod. tit. *De Epiſcop. Jud.* Theodoſii Junioris, qua Eccleſiæ cognitionem dumtaxat cauſsarum Religionis adſcribit. Obſiſtere Novellam Valentiniani III. eod. tit. 12, qua Eccleſiæ Forum denegat, ſolamque cauſsarum Eccleſiaſticarum cognitionem competere adfirmat; ideoque ſæculari coram Judice compellere Clericos etiam licere adjungit juxta *Leg. Cum Clericis*, & *Leg. Omnes* 33. Cod. Juſtin. *De Epiſcopis*, & *Clericis*. Igitur Eccleſiæ in cauſſis Civilibus cognoſcere tantum per formam Arbitrii fuiſse permiſsum ſubinfert, uti legitur L. 7. Cod. *De Epiſcop. Audient.* Atque hoc modo quidem accipiendos autumat S. Baſilium in epiſt. 247, S. Gregorium Neocæſar. apud Nyſsenum, S. Ambroſium in epiſt. 24, ac lib. 2. Offic. cap. 24, S. Auguſtinum in Pſal. 118, lib. de Opere Monach. cap. 29, hom. de Pœnit. 50. cap. 12, & epiſt. 147. ad Proculejanum Donat., Socratem lib. 7. cap. 36, ac Nicephorum lib. 14. cap. 39, dum de litibus loquuntur a Laicis ad Epiſcopos definiendis delatis. Verum maximo verſari in errore cum Gothofredo, & Loyſæo Feuretum, & Jannonum, atque Legem illam Conſtantini M. legitimum eſse fœtum oſtendunt viri Doctiſs. Baronius ad an. 314. n. 38, Sirmondus in Append. Cod. Theod. Oper. To. 1 p. 416, & Concil. Gall. To. 3. par. 2. p. 394, Cujacius in Paratitl. ad lib. 1. Cod. Juſtin. tit. 4 *De Epiſcop. Aud.*, & in L. 14 *De Dot. prælegat.*, Morinus de Magnit. Eccl. par. 2. cap. 26, Johannes Le Gendre in Orat. an. 1690. Clero Gallic. inſcripta, Dandinus Alraſerra de Juriſd. Eccleſ. adv. Fevretum lib. 1. cap. 7, & in epiſt. adverſ. Gothofredum an. 1676. Ludovico Nublæo IC. miſſa, Harduinus Concil. To. 4. p. 941, Joh. Doviatius Prænot. Canon. lib. 2. cap. 2. de Juriſd. Eccl., Blancus, & Tria adv. Jannonum Obſerv. Crit. lib. 2.

cap. 4. §. 8, atque consentiunt ex Protestantibus Vitriarius Inst. Jur publ. lib. 4. tit. 3. §. 8, Pfeffingerus ibid. in Not., Heineccius in Elem. Jur. Germ. To. 2. lib. 3. tit. 1. §. 33. edit. Ven. p. 409, seq. &c. Nempe Lex illa legitur inserta Breviario Cod. Theod. Gajoaris sub Alarico Quæstoris jussu ab Aniano libellorum Supplicum Magistro an. 506. compilato. Iterum Legem illam a Constantino M revera latam testes accedunt liquidi Eusebius de ipsius vita lib 4. cap. 27, referens editas ab Episcopis regulas ab eo confirmari religiose consueviſſe ita recte censente: *Cujusvis Judicis sententiæ Sacerdotum Dei judicium anteponendum esse*, ubi & videndus Henricus Valesius; Sozomenus hist. Eccl. lib. 1. cap. 9. eandem ipse legem perspicuioribus his efferens verbis juxta vers. Valesii: *Episcopale judicium eligere litigantibus permisit, si Sæculares Judices recusare vellent; jussitque, ut Episcoporum sententia rata esset, non secus, ac si ab ipso Imperatore fuisset prolata: utque Rectores Provinciarum, eorumque Officiales sententias ab Episcopis prolatas executioni mandarent: ut denique inconcussa essent, & inviolata Ecclesiasticorum Consessuum Judicia*; & Nicephorus, qui lib. 7. cap. 46. simillima ex Sozomeno describit. Legitimam item Legem illam probat inscriptio, quæ est ad Ablavium, qui Prætorii sane Præfecturam sub Constantino M. gessit, ut patet ex Ammiano Marcellino lib. 17, & inscriptione L. 6. Cod. Theod. *De Episcop., & Cler.* Eamdem itaque, tamquam germanum Constantini opus, insertam voluit Carolus M. Capitul. lib. 6. cap. 281, edit. Baluz. cap. 366, quo ex capite emendandum Capitul. lib. 5. caput 234, ubi dicitur: *Qui Episcopos, vel Sacerdotes, aut Clericos judicare sibi maluerint, hoc quoque fieri* Non *permittimus*, auferendam nempe particulam negativam *Non*, recte admonet Filesacus de Sac. Episcop. auctor. cap. 1. §. 17, aut magis particulæ illi negativæ subrogandam istam *Nos* arbitratur Thomassinus vet., & nov. Disc. par. 2. lib. 3. cap. 107. n. 4. De hoc Caroli M. porro Capitulo valdequam dubitant equidem Ant. Augustinus de Emend. Grat. lib. 2. Dial. 11, & Sebast. Berardi Grat. emend. To. 1. par. 1. cap. 46. p. 444, qui præterea Gothofredo legem illam Constantino M. abjudicanti consentire videtur, illudque a Benedicto Levita forte inter Capitularia Regum Franc. in-

inſertum fuiſſe ſuſpicatur, utpote quod ab Anſegiſo, qui primus Caroli M., & Ludovici Pii Capitula edidit, fuerit prætermiſſum. Verumtamen de illius Capituli ſinceritate dubitare profecto non ſinunt Capitula ejuſdem Caroli alia hujuſce ſimillima, cujuſmodi eſt Capitulum 234. Capitul. lib. 5, quod nemo ambigit, quin germanus fuerit Caroli M. fœtus, neque ullam de eo dubitationem induit Heineccius loco cit., cui alioqui tam Conſtantini, quam Caroli utraque lex, ſuo pro iniquo erga Eccleſiaſticum Jus ingenio, mira, ac monſtro ſimilis res viſa eſt. Pro legitima denique Lex illa habita legitur ab Ivone Decr. par. 16. cap. 312, & Panor. lib. 5. cap. 22, ab Anſelmo, a Gratiano Can. 35. *Quicumque*, & Can. 36. *Omnes* 11. q. 1, quos Canones ideo conjungendos admonuit Ant. Auguſtinus loc. cit., quod uterque unam, eamdemque Conſtantini legem contineat, & Can. 37. *Volumus* ibid., qui decerptus eſt ex præfato Capitul. lib. 6. cap. 281, conjungendus & ipſe cum præcedentibus duobus Canonibus eodem primitivo ex fonte derivatis. Ut indubia habita item eſt ab Innocentio III. in Cap. 13. *Novit* de Judic., tameſi eam ex Theodoſio laudaverit, non ideo quod ejus auctorem revera Theodoſium exiſtimaverit, ſed quod inſertam legiſſet Codici Theod., ſequutus Gratianum, qui eamdem ex Theodoſio repetiit cit. Can. 35. *Quicumque*. Habita denique eſt a Panormitano, quin a Baſnagio Annal. Tom. 2. diſſert. 4. de Eccl. Tribun. n. 17. p. 497, ſeq., quo loci eam confert cum Sozomeni lib 1. cap. 9. ſententia, cum Gratiano Can 35. cit., ac Juſtiniani Novella 83, a Seldeno quoque in Diſſert. ad Fletam cap. 5. §. 6, de Uxore Hebr lib. 3. cap. 28, & de Syned. lib. 1. cap. 10. p. 226. edit. Francof. 1696. referente eam legem a ſe repertam in Cod. Mſ. antiquo Willelmi Malmeſb. Monachi, a quo unde hauſta fuerit, liquido haud conſtat.

Verum, quod rei caput eſt, ac peremptorium videri poteſt, confirmatam eamdem Conſtantini legem, ſive Epiſcopis ampliſſimam judicii ferendi in litibus Sæcularium facultatem ab Arcadio, Honorio, ac Theodoſio videre licet in Cod. Theod. LL. 7, & 8. *De Epiſcopali Audientia*, queis ab eorum judiciis provocandi licentia prorſus omnis amputatur. Quò etiam faciunt LL. 6, & 22. eodem tit., confirmata deinde a Juſtiniano Novel. 1, ac LL. 17, & 18.

& 18. Cod. Theod. tit. 27. *De Episcopali definitione* apud Sirmondum in App. Oper. To. 1. p. 416, quibus Imperatores Valentinianus, Honorius, ac Theodosius Episcopos curare voluere, ne officio Laici Judices deficerent suo, qui defeciſſent, eosdem ad se deferre, ne Annonis præfecti modum excederent, Populum deglu-berent, ac Pauperes egestate necarent, laicosque Judices removent a cognitione cauſſarum, quæ a litigantibus ad Episcopale fuiſſent delatæ Forum. Confert & L. 10. eod. Cod. Theod. *De Jurisd.*, qua Judæis ab Arcadio in Civili negotio ſuos apud Patriarchas lites agere permittitur, eorumque ſententias exèqui publici Judices jubentur. Inde quis enim facile, ſtatimque non intelligit plus aliquid profecto Chriſtianis, quam Judæis a Chriſtianis Imperatoribus, ac primitus a Conſtantino Imperatore religioſiſſimo, fuiſſe indultum? Pertinent & huc Novella 69. cap. 253. apud Julianum Anteceſſorem, & Novella 86. apud eumdem IC. cap. 255, quibus ea inſuper Epiſcopis ampliſſima confertur poteſtas judicandi de Provinciarum ipſis Præſidibus, admittendique ab eiſdem appellationes; de eorum iterum negligentia, deſidia, iniquaque Provinciæ adminiſtratione inquirendi, & judicandi. Idcirco L. 21. Cod. *De Epiſcop.*, *& Cler.*, ac Novel. 81. Epiſcopalis dignitas cum Honoraria, cum Illuſtri, cum Conſulari, cum Præfectura, cum Urbicaria, cum Magiſterio Militari comparatur, ut non minus Epiſcopis de Laicis judicandi fas ita ſit, ac finitivo quidem judicio, quam aliæ cuique etiam eminentiori dignitati, ei quoque, a qua neque provocare liceat, qualis eſt Prætorio Præfecti, juxta Conſtantini M. legem, qua tam Præfectorum, quam Epiſcoporum jutiſdictio eo exæquatur, quod a neutris adpellare fas ſit, velut obſervat Photius in Nomoc. tit. 9. Can. 6: a quo tamen mox laudatur Juſtiniani lex, qua Epiſcopali a ſententia intra decem dies appellatio permittitur. Judices denuo ad allegata interpellantium audienda compellendi facultas Epiſcopis facta legitur ſingularis Baſilicor. lib. 9. tit. 3. cap. 18, & tit. 22. Quid denique, quod Epiſcopis ab Imperatoribus cum demandata liquet, velut a Valentiniano, & Valente, inſpiciendi in Mercatorum negotia, pretiumque Mercium, ne plus juſto vendantur, ac Pauperes graventur, atque Curatores dandi Furioſis LL. 12, & 27. Cod.

De

De Epiſcop. Aud.; Civitatum, & Metatorum reditus exigendi L. 26. ibid.; Carceres publicos viſitandi LL. 22, & 23; Mancipia, Infantes expoſitos, perſonaſque alias miſerabiles opera tuendi, ac defendendi L. 24; reprimendi Aleatores L. 25; Mulieres ſcenicas prohibendi L. 33. eod. Cod., & tit., aliaque hujuſce generis præſtandi: quæ geſta tamen ab Epiſcopis abſque Juriſdictione coactiva tam inepte, quam falſo adfirmat Fleurius Inſt. Canon. par. 3. cap. 1. §. 3, ſiquidem Juriſdictio concipi ſine coercitione nequeat, velut adnotat ibid. Bohemerus ipſe. Ex quibus perinde ſequitur, inepte, & falſo a Feureto, & Jannono poſt Gothofredum, & Loyſæum, puro ex ingenio Eccleſiaſticæ Juriſdictionis expungendæ, adfirmari, Imperatorum legibus hiſce Laicis facultatem Epiſcopos eligendi conferri, non ut Judices, ſed ut Arbitros. Nam præterquam quod Epiſcopalis hæc poteſtas cum Juriſdictione cujuſcumque Judicis comparatur, quin in Judices quoſcumque poteſtas Epiſcopis confertur, neque conſenſus mutui, & arbitrii mentio ullibi occurrit, illud potiſſimum officit, tum quod 1. eligenti Judicium Epiſcopale jus tribuitur adverſarium etiam invitum ad Epiſcopi Tribunal trahendi: quod profecto argumentum eſt proprium Judicis ordinarii, non Arbitrarii *L. Inter Stipulantem* §. 1. ff. *De Vo. comprom. inter volent.*; tum quod 2. ab Epiſcopi judicio adpellandi facultas adempta prorſus ſit, atque Epiſcopalis ſententia eodem jure cenſeatur, quo ſententia Prætorio Præfecti: quod ſane non Arbitrum, ſed Judicem ſupremum manifeſte arguit; tum quod 3. a Judicibus quibuſcumque ipſis provocandi ad Epiſcopos libera poteſtas fiat: quo nihil efficacius ad oſtendendum Epiſcopos in ejuſmodi judiciis exercendis non Arbitrorum officio, ſed Judicis omni exceptione majoris juriſdictione defungi.

Ad confirmandam potius, qnam conferendam, Epiſcoporum de temporalibus etiam Laicorum rebus judicandi poteſtatem ultrocitroque concurriſſe legimus Franc. Reges, & ipſos Romano Imperio diu potitos. Atque a Clotario I. ſancitum, ut Epiſcopis in Judices ipſos, qui immerenti cuipiam mortem inflixiſſent, animadvertendi plena ineſſet Juriſdictio, refertur apud Cointium ad an. 559. S. Audoeno Rotomag. a Theodorico Rege, & Cenomanenſi

nensi Antistiti a Chilperico III. concessum, ut in ipsorum Provinciis Judex non alter constitueretur, nisi quem iidem designassent Præsules, referunt Fridegordus, & Cointius ad an. 681. n. 67, & 719. n. 19. Quorum similia privilegia, qui lato prosequitur calamo, videndus Cl. Thomassinus vet., & nov. Discip. par. 2. lib. 3. cap. 99. Præter autem jam paullo superius indicata ex Caroli M. Capitul. lib. 5. caput 234, & lib. 6. caput 281, neque vindictam inferioribus a Judicibus exerceri idem permisit Imperator, nisi eis testimonio Episcopi suo adfuissent Capitul. lib, 5. cap. 126. Ab Episcopis præterea commonefieri Judices jussit de Carceribus vinctis aperiendis tribus in solemnioribus anni festis Natalis, Paschatis, & Pentecostes, ita quod, obsequi qui detrectassent, Judices ab Ecclesiæ ingressu arcerentur lib. 6. cap. 106. Cujus simile Michaelis Palæologi exemplum refert Pachymeres lib 4. cap. 4, quo exsilio, carcere, mortisque damnatione statim exsolvit, qui sibi a Patriarcha fuerant commendati. Huc referendum etiam Capitul. lib. 5. caput 14, quo de Vicariis Episcopi in litibus judicandis agitur. Confer & Capitul. lib. 6. caput 141, ac lib. 7. capita 107, & 214, ex quibus liquido adparet reprehensione se valdequam dignum præstitisse Jannonum, dum Lotharium reprehendere lib. 5. cap. ult. §. 1. ideo adgressus est, quod Diplomate apud Schilterum in Comment. ad Jus Feud. Aleman. cap. 1. §. 7, de quo etiam Struvius Hist. Jur. Publ. cap. ult. §. 4, specialem Patrimoniis Ecclesiæ Judicem *Defensoris* nomine dederit, apud quem, non apud Judices publicos, causæ agitarentur. Præter quam enim, quod Principum legibus de bonis Ecclesiasticis judicandi facultatem integram Episcopis jugiter servatam pluribus Art. super. in aperto positum est, *Defensoris* nomine, sive Judicis nihil antiquius, frequentiusque apud S. Gregorium M. habetur juxta edit. Paris. in Labbei Collect. To. 5. lib. 9. epist. 13. de Patrimonio Siciliæ loquentem, lib. 7. epist. 16, seqq., lib. 8. epist. 1, aliisque plurimis lib. 9. epist. 7, multisque aliis, ac lib. 10. epist. 16, aliisque non paucis, in quibus de Patrimonio Syracusæ; lib. 2. epist. 27, aliisque, de quibus Cennius in Exam. Diplomat. Othonis, & S. Henrici Append. Orsii de Domin. Eccl. Rom. p. 306, ubi de Patrimonio Parnomitano; lib. 7. epist. 10, 39, 45, 106, seq., in

in quibus de Calabro ; lib. 2. epiſt. 40 , & lib. 7. epiſt. 39 , 105. , ſeq. , ubi de Apulo , lib. 3. epiſt. 23 , lib. 9. epiſt. 14 , & lib. 10. epiſt. 21 , in quibus de Etruſco ; lib 2. epiſt. 21 , ubi de Sabino , & Carſeolitano ; lib. 2. epiſt. 36 , lib. 4. epiſt. 9 , lib. 7. epiſt. 66 , lib. 9. epiſt. 18 , & lib. 11. epiſt. 53 , & 59 , in quibus de Patrimonio Sardiniæ ; ac lib. 1. epiſt. 50 , & lib. 9. epiſt. 54 , ubi de Patrimonio Corſicæ. Pauca nunc vero , quoad operæ fert pretium , de Regibus aliis , ac Provinciis attingendo , in Italia Theodoricus Rex Gothus apud Caſſiodorum Var. lib. 3 epiſt. 37. litem Germanum laicum hominem inter, & Petrum Epiſcopum de re mere temporali dirimendam eidem Antiſtiti reliquiſſe legitur , non obſtante naturali exceptione L. 1. Cap. *Ne quis in cauſſa propria judicet* , ſed ea ratione adducta , quod lites alias inter Laicos dirimere Epiſcopalis officii haud exigua ſiquidem pars ſit , ideoque abſque periculo , in cauſſa etiam propria , Judicem admittendum Epiſcopum fore potior exigat ratio : *Si in alienis cauſſis beatitudinem veſtram convenit adhiberi , ut per vos jurgantium ſtrepitus conquieſcat , quanto magis ad vos remitti debet , quod vos ſpectat actores* , In Hiſpania legibus Wiſigothorum , veluti liquet ex lib. 2. tit 1. LL. 29 , & 30. Ervigii Regis juſſu editis , cautum quammaxime legitur , ut integra Pauperum , Oppreſſorumque cura Epiſcopis incumberet , quorum & eſset de illorum cauſſis judicium ferre , atque Judices perverſos ita cohibere , ut qui Epiſcopi parere judicio detrectarent , quinta ejus rei parte , de qua actio eſſet , eoſdem mulctare Judices fas eſſet , & Comites etiam contra obnitentes conſtringere . Ad Epiſcoporum quin etiam fere judicium cauſſas ipſas læſæ Majeſtatis referre Gothis Regibus religio erat , qua tam erga Epiſcopos optime affecti erant , quam probe conſcii de optima Epiſcopalium judiciorum ratione . Quibus deinceps judiciis Epiſcopos implicare ſe ſe , niſi pro vita reis impetranda, jure , meritoque deinde prohibuit Concilium Toletanum IV. Can. 31. Eccleſiaſticas inter alias veteres Maccabæi Scotiæ Regis leges , hanc ad nos egregiam Hector Boethius hiſt. lib. 12. trajecit : *Chriſto initiatum ad profanum Judicem non vocato : vocatum , comparentemve non judicato ; ſed ad ſacros Antiſtites remittito* . Ex legibus Eccleſ. Aethelſtani Angl. Regis in Cod. Mſs. Saxonico , Re-

gio, & Jornalensi ea observatu digna tit. 11. *De Officio Episcopi* occurrit, qua diserte ad Episcopum jure pertinere decernitur omnem rectitudinem promovere, Dei videlicet, & Sæculi, instruere quid imo Sæcularibus judicare recte liceat; justis etiam mensuris, ac ponderibus invigilare; cum Sæculi Judicibus interesse judiciis &c. apud Harduinum To. 6. par. 1. p. 570. Inter leges Hoeli Regis ea quoque Capp. 6., & 9. locum illustrem habet, qua Sacerdotibus litium Sæcularium cognitio, ac definitio concreditur, & defertur. Amplissima præterea Jurisdictione olim potitos in Hungaria Episcopos augurari fas est ex fragmento Edicti Matthiæ Regis an. 1462, quo Jurisdictionis Episcopalis alioqui limites, orbitamque figit, ac circumscribit apud Raynaldum n. 87. Nam præter causas de Fide, de Sacramentis, de Hæresi, de Testamentis, de Matrimoniis, de Dotibus, de Donationibus ob Nuptias, de Decimis, de Usuris, de Juramentis, de Censuris &c. Pauperum, Viduarum, Miserabiliumque personarum causæ Episcopis expresse reservantur. Sed hoc de capite jam nimis. Quæ vero contra objici solent, uno facile concident omnia ictu, modo tes distinguere probe scias temporalium administrationum species, quarum aliæ Sacerdotum etiam sunt, aliæ Sæcularium omnino, ac Sacerdotibus alienæ. Prima Δημοσίας διοικήσεις, quæ ad Popularia negotia, Rerumque publicarum administrationem spectat, qualia Magistratuum creatio, Belli, & Pacis jura &c. Altera κοσμικαὶ φροντίδες, sive βιοπραγματίαι, quæ Sæculares curæ, Mercaturæ, Fideijussiones &c., atque hoc ab utroque genere abstinendum Sacerdotibus indicitur ab Apostolo 2. ad Timoth. 1, Apostolicis Canon. 20, 80, & 82, ab Auctore Const. Apost. lib. 2. cap. 6, a S. Optato Milev. lib. 1, a Synesio epist. 121, a Photio tit. 8. cap. 13. Tertia earum rerum species est, quæ βιωτικὰ vocantur S. Paulo 1. Corinth. 6, v. 3, seq., atque ad vitæ subsidia necessaria sunt: quarum administrationem a S. Paulo Episcopis demandatam hactenus dicta liquido demonstrant.

Quod nunc igitur ad alterum caput attinet, Jus nempe, quod Ecclesiæ adstruitur Laicas infringendi leges, quoties Ecclesiasticis adversentur, initio observo istud tum Naturali jure inniti, quo Respublica quælibet bene constituta potis est leges proprias condere,

dere, ſubditoſque ad earumdem obſervantiam adigere, atque impedimenta auferre, quæ in Reipublicæ perniciem vergerent, velut advertit Doviatius Prænot. Canon. lib. 2. cap. 2, nec abnuit Baſnagius diſſert. 4. de Eccl. Tribun. n. 1., tum Divino è Jure proxime deſcendere, quo Eccleſiæ datum eſt Chriſtifideles regere, de Religione Chriſtiana decernere, Morum, ac Diſciplinæ ſanctioris regulas ſancire, ideſt leges ferre, quibus Principes ipſi obſtringantur, quibuſve Principum leges ſiquæ proinde adverſentur, haſce convellere e re ſua erit. Nec enim alia ratione adminiſtrandam Eccleſiam Chriſtus D. inſtituit, quam qua ipſemet, quoad vixit, adminiſtravit. Quis autem ambigat, quo minus ea prædituſ Chriſtus D. poteſtate fuerit tam leges ferendi, quam ſuis adverſas legibus infringendi? Jam vero latum Chriſtianas leges inter, ac Civiles intercedere diſcrimen jamdiu adnotavit S. Hieronymus epiſt. 84, alias 30. ad Oceanum: *Aliæ*, inquiens, *ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Pappinianus, aliud Paulus noſter præcipit*. Quin tale quandoque intercedere obſervavit S. Auguſtinus de Civit. lib. 19. cap. 17, ut adverſa inter ſe fronte aliquando pugnent, Eccleſiæque leges in cauſſa fuiſſe, cur perſecutiones adeo ſævæ in Chriſtianos earumdem, uti par erat, legum obſervatores, ab Ethnicis commotæ ſint: *Factum eſt*, inquiens, *ut Religionis leges cum terrena Civitate non poſſet* (Eccleſia) *habere communes, proque his ab ea diſſentire haberet neceſſe, atque oneri eſſe diverſa ſentientibus, eorumque iras, & odia, & perſecutionum impetum ſuſtinere*. In iſtius utriuſque igitur Naturalis, ac Divini Juris, ex quo deſcendere Eccleſiaſticam dicimus Juriſdictionem, tam nempe proprias ferendi leges, quam infenſas Principum infringendi, conſpectu, eò improbabiliori obverſati in opinione dignoſcuntur Petrus de Marca, & Baluzius, dum ex Juſtiniani Novellis, ac Capitularibus Regum Franc. anſam captarunt adſtruendi Principibus jus leges etiam procudendi ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes, quò inani deſudaſſe opera Johannes Scholaſticus, ac Photius deprehenduntur, dum Eccleſiaſticarum legum Collectioni Imperatoriis ingerendis Sanctionibus indefeſſe incubuerunt. Atque utroque Jure utique iſto uſam Eccleſiam, nullo non tempore adverſa fronte Principum legibus minus æquis

obstitisse ut ostenderet Bartholus, quo ceu fausto sydere disputationis hujusce pelagum ingredior, in Tract. de Differentia Jus Canon. inter, ac Civile, si tamen opus non sit Jacobi Alberti Bonon., Oper. To. 10. differentias 185. adminus inter utrumque adstruit, quas alias superaddere pronum erit, ac pretium operæ. Ita L. 1. *De Paganis* Cod. Theod. a Constantino lata, alteraque Valentiniani Sen., quibus Haruspiciorum usus adhuc tolerabatur, abrogata est ab Ecclesia Can. 4. *Non oportet* ex Laodicenis 36, Can. 3. *Non liceat*, & Can. 24. *Qui Divinationes* ex Ancyranis 23, & 24, sive 25, Can. 5. *Siquis Episcopus* ex Toletano IV. Can. 29, & Can. 1. *Siquis Ariolos* 26. q. 5. ex Concilio Romano sub S. Gregorio II. Can. 12. ad superstitionum evellendas reliquias edito, quibus adhuc Langobardi detinebantur. Quò etiam faciunt seqq. Canones, Synodique Carthaginensis IV. an. 398. Can. 89, ex quo Can. 11. *Auguriis* 26. q. 5, Venetæ an. 465. Can. 16, ex quo Can. 6. *Aliquanti* ibid., Agathensis an. 506. Can. 42. ibid., Aurelianensis I. an. 511. Can. 30, ex quo Can. 9. *Siquis* eod. loc., S. Augustinus de Civit. lib. 18. cap. 17, ac Rabanus de Univers. lib. 15. cap. 4, ex quibus Can. 14. *Nec mirum*, & S. Gregorius M. lib. 11. epist. 53, aliàs lib. 9. epist. 47. ad Hadrianum Notar., ex quo Can. 8. *Pervenit* ead. 26. q. 5. Ita LL. 4, & 6. Juliani *De Sepulcr. violat.* superstione refertissimæ abolitæ leguntur, aut emendatæ Canone 19. *Non æstimemus*, & Can. 29. *Fatendum* 13. q. 2. ex S. Augustino lib. de Cura pro Mort. cap. 15, & ult., Can. 24. *Quia alii* ex S. Ambrosio in serm. de obitu Theodosii, & Can. 26. *Ubicumque* ibid. ex S. Joh. Chrysostomo hom. 26. in cap. 11. epist. ad Hebr. decerptis, aliisque ead. Caus., & Quæst. Ita in Cod. Justin. LL. 20, & 22. a Pappiniano, 23. ab Ulpiano, 24. a Macro desumptæ, L. *Patri*, L. *Nec in ea*, L. *Nihil interest*, L. *Quod ait*, L. *Marito*, L. *Gracchus* ab Alexandro lata ff. *Ad Leg. Juliam De Adulter., & Stupr.*, quibus sive Patri, sive Marito facultas sit occidendi qua filiam in stupro repertam, qua adulterum certis in casibus cum Uxore in adulterio deprehensum, Jure Canonico abrogatæ sunt Can. 9. *Si non licet* 23. q. 5. ex S. Augustino de Civit. lib. 1. cap. 16, seq., Can. 5. *Interfectores*, & Can. 6. *Inter hæc* 33. q. 2. ex S. Nicolao I. in epist. ad

adCarolum Mogunt. apud Ivonem Decr. par. 8. cap. 123, ſeq., & in epiſt. ad Bulgaros cap. 36: Quò etiam facit Synodi Triburienſis an. 895. Canon 46, quo Rotharis lex Leg. Langob. lib. 1. tit. 33. cap. 2. Maritis Uxores in adulterio repertas cum Adulteris interficere permittentis improbata prorſus eſt: Can. 8. *Admonere* Cauſ., & Quæſt. ead., qui falſo Stephano V. tribuitur a Gratiano, reſtituendus plane S. Paulino Forojul. in epiſt. ad Aiſtulphum apud Burchardum Decret. lib. 6. cap. 40, & Labbeum To. 9. p. 108, Can. 9. *Siquod* ibid. ex S. Auguſtino de Adulter. Conjug. lib. 2. cap. 5: quibus jungendus Alexander VII. in Decreto an. no 1665. die 7. Sept., quo propoſit. 19. confixa eſt. Ita L. 1. §. ult., L. 2. ff. *Unde vi*, & L. 7. ff. eod. tit., quibus beneficium interdicti, *Unde vi*, ſive reſtitutionis ei dumtaxat conceditur, qui è poſſeſſione fuiſſet vi deturbatus, non etiam ei, cujus bona ad alterius perveniſſent furto manus, ab Eccleſia ſunt emendatæ Can. 5. *Rapinam* 14. q. 5, cujuſce ſimilis eſt ſententia apud S. Ambroſium de Offic. lib. 3. cap. 3, & Cap. 18. *Sæpe contingit* Decret. lib. 2. tit. 13. *De Reſtitut. ſpoliat.* ex Innocentio III. in Concilio gener. Lateran., quibus reſtitutionis beneficium nedum alienum invadenti, ſed etiam alienum detinenti adſcritur: qua de re videndus etiam Benedictus XIV. in epiſt. ad D. Nicolaum Lercarium 19. Martii 1752. n. 22. Ita Novella 89. *Ex complexu*, qua Pater, ac Mater ex adulterio, aut inceſtu prognatos alere prohibentur, in irritum miſsa eſt Cap. 5. *Quum haberet* in fine ex Clemente III, & ibid. Gloſsa final. Decret. lib. 4. tit. 7. *De eo, qui duxit in Matrim.* &c. Ita Novella 123. *De SS. Epiſcopis* §. *Pro conſuetudine*, qua Ordinatoribus, Scribis, ac Miniſtris Epiſcopi ſtata pecuniæ ſumma ab Ordinato ſolvenda indulgetur, fœda veluti Simoniæ labe aſperſa prohibetur Can. 4. *Sicut Epiſcopum* 1. q. 2. ex S. Gregorio M. in Synodo Romana mutuato, & Cap. 1. *In ordinando* Decret. lib. 5. tit. 3. *De Simonia*. Ita L. *Cum notiſſimi*, L. *Sicut in re*, & L. *Omnes* Cod. *De Præſcript.* 30. *annor.*, quæ ad præſcribendum bonam fidem non requirunt, atque L. *Furtum* 37. §. 1, ac L. ſeq. ff. *De Uſucap.*, L. 48. §. 1. ff. *De Acquirendo rer. Dominio*, & L. unic. Cod. *De Uſucap.*, quibus decernitur Uſucapionem ſuffragari eis, qui res alienas bona fide emiſsent, atque ad Uſucapionem

pionem ſufficere bonam fidem initio poſſeſſionis, abrogatæ penitus, abolitæque ſunt Jure Canonico cap. 17. *Si diligenti*, Cap. 20. *Quoniam omne* Decret. lib. 2. tit. 26. *De Præſcript.* ex Innocentio III. in epiſt. ad Piſanum Archiep., & in Concilio gener. Cap. 12. *Jus dictum* lib. 5. tit. 40. *De Verbor. ſignif.* ex S. Iſidoro lib. Ethimolog., & Cap. 2. *Poſſeſſor de Regul. Juris* in 6. Vide & Benedictum XIV. in cit. epiſt. ad Nicol. Lercarium n. 23. Ita L. 1. Cod. Theod. lib. 2. tit. ult., & L. 26. Cod. Juſtin. *De Uſuris*, quibus moderatæ Uſuræ, intra modum ideſt præſcriptum legibus, permittebantur, ab Eccleſia improbatæ ſunt, quatenus omnis prorſus Uſura prohibita eſt Can. Apoſtol. 43, Eliberitani Can. 2, Arelatenſis I. Can. 12, Carthaginenſis III. Can. 16, aliiſque multis oppido, de quibus fuſe dictum Vind. Par. 1 To. 2. Art. 7. in Proleg. p. 160, ſeqq. Ita L. *Sed ea, quæ Patri* ff. *De Sponſ.*, L. *Nec Filium* Cod. *De Nupt.*, & L. *Nuptiæ* 2. ff. *De Ritu Nupt.*, queis Patri facultas ſit Connubio filiam, vel invitam, conjungendi, vel ad Conjugii valorem etiam Parentum exigitur conſenſus, non ſecus atque conſenſus Dominorum ad Conjugia Servorum, (etſi aliquando haud diſplicuerint S. Baſilio epiſt. 199. Canonica 2. ad Amphilochium Can. 4, Synodis Aurelianenſi IV. Can. 22, & 24, & Cabilonenſi II. Can. 30. apud Gratianum Can. 8. *Dictum* 29. q. 2, ac Haytoni Baſileenſi in Capit. Eccl. Can. 21. apud Harduinum To. 4. p. 1244. ex Dacherio Spicileg. To. 6,) Eccleſia tamen abrogandas eas duxit Can. 2. *Sufficiat* 27. q. 2, Can. 1. *Ubi non eſt* 30. q. 2. ex S. Nicolao I. in epiſt. ad Bulgaros cap. 3, Can. 35. Concilii Cantuarienſis ſub Richardo an. 1173. apud Manſium Suppl. To. 2. p. 670, Cap. 1. *Tuæ nos* ex Honorio, & Cap. 2. *Ubi non eſt* ex S. Nicolao I. cit. epiſt. ad Bulg. Decret. lib. 4. tit. 2. *De Deſponſat. Impuber.*, Cap. 14 *Cum locum* ex Alexandro III. lib. 4. tit. 1. *De Sponſal.*, & *Matrim.*, Junctis Cap. 1. *De Francia* ibid.. quo neque Francorum, neque Saxonum legibus circa Matrimonia deferendum ſancitum legitur a Synodo Triburienſi, Cap. 1. *Dignum* ex Hadriano in epiſt. ad Magdeburg. Archiep., & Cap. 3. *Licet* ex Urbano III in epiſt. ad Arimin. Epiſcop. lib. 4. tit. 9. *De Conjugio Servor.*, Concilio Tridentino ſeſs. 24. de Reform. Matrim. cap. 1., & Benedicto XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 9. cap. 11. n. 5.

n. 5. Ita L. *Liberorum* 81. ff. *De His, qui notantur infamia*, qua Viduis intra annum luctus nubentibus infamiæ dica conſcribitur, aliæque leges, quibus pœnæ ob id Viduis infliguntur, (acceptæ quodammodo etſi viſæ ſint aliquando Synodo Aenhamenſi anno 1009. Can. 16, quo Viduæ Marito orbæ Menſes 12. manere jubentur,) abrogatæ ſunt ab Urbano III. in Cap. 4. *Super illa*, & ab Innocentio III. in Cap. 5. *Quum ſecundum* lib. 4. tit. 21. *De Secundis Nupt.* Ita L. 2. §. fin., & L. ſeq., ac L. *Qui per ſalutem* ff. *De Jurejur.*, queis per Creaturas jurare permittitur, Jure Canonico infirmatæ habentur paſſim Can. 7. *Et jurabunt*, & Can. 8 *Conſidera* 22. q. 1. ex S. Hieronymo in cap. 4. Jerem., & lib. 1. in S. Matth., Can. 9. *Clericum*, qui eſt Carthaginenſis IV. Can. 61, Can. 10. *Siquis per Capillum*, qui perperam a Gratiano S. Pio tribuitur, habetur tamen Novell. 77. cap. 1, & in Pœnit. Rom. edito ab Anton. Auguſtino tit. 2. cap. 10, Can. 11. *Si aliqua* ibid. ex Auctore Oper. Imperf. hom. 44. in cap. 23. Matth., Can. 12. *Habemus* falſo S. Hieronymo adſcripto, quum ſit Caroli M. in Capitul. an. 789. cap. 62, Can. 15. *Quamvis*, & Can. 16. *Movet* ibid., qui S. Auguſtino in epiſt. 47. edit. Maurin. ad Publicolam accepti ſunt referendi, junctis pluribus aliis q. 5. Ita L. *Stipulatio iſta* §. *Alteri*, qua decernitur non valere promiſſionem verbo tenus factam, etſi juramento firmatam, veluti Juri Divino minus conſentanea, emendata eſt ab Eccleſia Can. 9. *Quacumque* 22. q. 5. ex S. Iſidoro Sent., ſive de Sum. Bono lib. 2. cap. 31, Can 10. *Ecce dico* ibid. ex S. Auguſtino ſerm. 28, aliàs 180. de Verb. Apoſt., Can. 12. *Juramenti*, qui non S. Joh. Chryſoſtomi, ſed S. Chromatii Aquil. in cap. 5. Matth. eſt, & Can. 13. *Qui pejerare* ex Auctore Oper. Imperf. hom. 12. in cap. 5 Matth. Ita L. 1. §. 1. Cod. *De Juram.*, & Cod. *Si adver. vendit.*, Auth. *Sacram*, queis Impuberum juramenta infirmantur, Jure Canonico emendatæ, correctæque ſunt Can. 14. *Parvuli* 22. q. 5. ex Capitulari Francofordienſi Caroli M. cap. 43, Capitul. Aquiſgranenſi cap. 62, Capitul. lib. 1. cap. 61, quo prava Gundoba lex, cujus etiam meminit S. Agobardus Lugd. epiſt. ad Ludovicum Imper., abolita eſt, cuique Capitulari conſonat lib. 2. Leg. Langob. tit. 55. caput 22, & Can. 15. *Pueri* ibid., qui a Gratiano inepte Eliberitano Concilio adſcribitur,

tur, quum ſit potius Hibernenſis cap. 3. apud Burchardum lib. 12. cap. 25, ſeq., quique in Collect. Hibernen. Canon. lib. 34. legitur apud Dacherium Spicileg. To. 9. vet. edit., de quo etiam Pœnitentiale Rem. Ant. Auguſt. tit. 2. cap. 16. Ita L. *Juri gentium* ff. *De Pactis*, qua tollitur Actio in promiſſione nuda, abſque ſolemni Juris formula, emiſſa in Concilio Carthaginenſi an. 348. ſub Grato cap. 12. emendata eſt relato Cap. 1. *Antigonus* Decret. lib. 1. tit. 35. *De Pactis*. Ita L. *Si unus*, & L. ult. Cod. *De Teſtam.*, queis invalidatur Teſtamentum, niſi ſeptem Teſtium ſit munimine conſtipatum, reformata legitur Cap. 10. *Quum eſſes*, & Cap. ſeq. *Relatum* lib. 3. tit. 26. *De Teſtam.*, ubi valere Teſtamentum coram duobus Teſtibus factum Alexander III. epiſt. ad Hoſtienſem Epiſcop., & ad Judices Vellenen. definit. Ita L. *Siqua illuſtris* 5. Cod. *Ad Orphicianum*, L. *Divi* 5. *De Natur. liber.*, & Novella 89. cap. 12. §. 5, quibus certis perſonis liber indulgetur Concubinatus, (quomodo etiam a Valentiniano lege altera unicuique duas inſimul habendi Uxores indulgentiam fuiſſe tributam refert Socrates lib. 4. cap. 27, ut ea nempe propriæ intemperantiæ, qua legitima Severa nomine, ex qua Gratianum procrearat, haud contentus, Juſtinam deſuper, cujus amore deperibat, induxerat, fucum obduceret aliquem: quam tamen ab eo ignominiæ notam diſpellere Baronius nititur ad an. 370. n. 125, ſeq.) veluti Evangelicæ legi palam adverſæ, legibus paſſim Eccleſiaſticis Polygamiæ detrahentibus interdictæ leguntur Can. 4. *Nemo ſibi* cum ſeqq. 32. q. 4. Ita L. *In conſenſu* Cod. *De Repudiis* multis de cauſſis libellus repudii, & Conjugii diſſolutio admittitur, quæ ab Eccleſia jure, optimeque reformata eſt Can. 19. *Sunt qui* 27. q. 2. ex S. Gregorio M. lib. 11. epiſt. 45, alias lib. 9. epiſt. 39. ad Theoctiſtam Patriciam, & Can. 18. *Si Uxorem* 32. q. 5. ex S. Auguſtino, de quo infra. Ita L. 6. §. 1. ff. *De Adulteriis*, & L. 2. Cod. eod. tit., quibus adulterii crimine Conjugata quidem ſolutum admittens damnatur, non etiam Conjugatus ſolutam cognoſcens, jure Canonico correctæ ſunt, atque eadem adulterii dica conſcripta tam Viro, quam Uxori habetur Can. 4. *Nemo* 32. q. 4. ex S. Ambroſio de Abraham lib. 1. cap. 4, Can. 19. *Præcepit*, & ſeq. *Apud nos* ex S. Hieronymo in epiſt. ad Oceanum, 32. q. 5, & Can. 23.

Can. 23. *Chriſtiana* ibid. ex S. Innocentio I. epiſt. ad Exuperium cap. 4., Can. 18. *Si Uxorem* ibid., & Can. 5. *Idololatria* 28. q. 1. ex S. Auguſtino de ſerm. Dom. lib. 1. capp. 16. & 18, adeundo etiam de Adulter. Conjug. lib. 2. cap. 8, & lib. 1. Retract. cap. 19. Ita L. 42. Cod. Juſtin. *De Epiſcopis*, ac Novellæ 123, & 137, quibus eligendi Epiſcopi jus Clero, & honoratis ex Populo viris fuerat adjudicatum, abrogatæ omnino ſunt a Conciliis Nicæno II. Can. 3. allegante Canonem 30. Apoſt., & Canonem 4. Nicæni I, & a Conſtantinopolitano IV. Can. 22. Pleraque alia circa Libertatem, Immunitatemque præſertim Eccleſiaſticam legum Laicarum ab Eccleſia infractarum exempla, documentaque perſequutus ſum ſup. Art. 3. p. 277, ſeqq., quæ heic repetere non præſtat.

Viden igitur, ut Juri ſuo Eccleſia tenaciſſime ſemper inſiterit, nec ullo unquam tempore Civiles abrogare leges abſtinuerit, quoties ab iis legibus aut Canonicis, aut Divinis injuriam, ac vim irrogari deprehendit! Nec vero putes heic totam conſtitiſſe Eccleſiaſticæ poteſtatis vim, qua contra Principum ſuis infeſtas leges exeruit, ſæpius etſi, ſe ſe, longe namque plures adhuc ſuppetunt Eccleſiaſticæ libertatis ſpecimina, qua cum Pontifices MM. tum Eccleſiarum Præſules ſæculi Principibus, non recta præcipientibus, ſe ſe, tanquam pro muro Dei, objicere non reformidarunt. E queis adhuc pauca, indigeſtimque delibando, ac principium ducendo ab Epiſcopis, quis eximiam non demiretur S. Ambroſii animi magnitudinem, qua tres Auguſtos legem Eccleſiaſticæ libertati adverſam Mediolani tum promulgatam Cod. Theod. lib. 27. *De Epiſcop.* revocare coegit, edereque omni prorſus errore purgatam? Scitum eſt Theodoſii Imp. Pragmaticam, qua Berythenſis Eccleſia ab Epiſcopi Tyrenſis Metropolitico Jure abſtracta fuerat, nauci, floccique a Concilio Chalcedonenſi Act. 2. factam fuiſſe, eamque Sanctionem alleganti contra Photium Tyrienſem Euſtathio Berythenſi hoc adhibitum a Patribus fuiſſe reſponſum: *Contra Canones nihil Pragmaticum valebit: Regulæ Patrum teneant.* Quo pariter ductu Patres Synodi Romanæ an. 502. ſub S. Symmacho Conſtituto edito Odoacris Herulorum Regis legem, qua bonorum Eccleſiaſticorum alienatio prohibebatur, etſi ex S. Simplicii conſenſu profecta diceretur, abrogare, & infringere

non abstinuere. Cujusce rei, præter alias Ecclesiasticici roboris plenas, quæ referuntur a Gratiano Can. 23. *Non placuit*, & Can. 24. *Laicis quamvis* 16. q. 7, ea non prætereunda sane ratio est, qua legem ad hanc abolendam promoveri se, ducique Synodus professa est cap. 3: *Ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet Laicis, quamvis Religiosis, vel Potentibus, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussa a Deo cura commissa docetur*. Illud in vita S. Fulgentii cap. 16. memoriæ prodidit Ferrandus Diac. præclarum Episcopalis magnanimitatis exemplum, quod Trasimundo Vandalorum in Africa Regi, extinguendæ Religionis caussa, nefario consilio Episcopos omnes Ordinatione interdicenti, Episcopi Byzacenæ Provinciæ, nulla Regiæ jussionis ratione habita, nihilque Regis iras veriti, obsistere, & in Concilio statim congregati adversus iniquum Regis Edictum statuere non dubitarunt, ad Sacros Ordines, absque mora, promovendos fore, quotquot reperirentur idonei. Ab hac Episcoporum adeo propria fortitudine deflexit porro Synodus Silvanectensis an. 863. ad Franc. Regis favorem parumper inflexa. Sed enim ipsius errorem statim emendandum suscepere Patres Synodi Romanæ V. sub S. Nicolao I, ejusdem Synodi respuentes instantiam, qua petebar, ut appellationi Rothadi Suession. Antistitis Sedes Apostolica haud deferret, uti cui leges Imperiales obluctabantur; tam nempe habin re Seculares leges despicatui habentes, quam legibus hisce Sæcularibus adplaudentes Episcopos illos aspere objurgantes. Confer Baronium ad cit. an. n. 82. De propriæ Jurisdictionis tam confinibus conscius Edgarus Angl. Rex, quam amplitudine certi Synodi Brandanfordiensis an. 964. Episcopi, Edvvini Regis legibus Ecclesiasticæ infestis libertati cum hi robur detrahere officio duxere, tum ille totum id pati, ac Episcopis jura sibi vindicantibus adnuere religioni habuit apud Harduinum To. 6. par. 1. p. 635. Ideo tum demum S. Henricus II. Imp. Edictum de rebus Ecclesiasticis edere in Synodo Ticinensi anno circiter 1012. sustinuit, editumque tum deinceps obtinere persuasum habuit, postquam ejusdem auctorem sibi adfuisse cognovit Benedictum VIII. P. M., consiliarios desuper Episcopos, adhortatoresque nactus est, sicut ipsemet testis accedit apud Harduinum ibid.

ibid. p. 317. Frequens id fuiſſe imo Principibus, ut legibus a ſe latis auctoritatem, roburque a Sede potiſſimum Apoſtolica, eque Synodis adquirerent, obſervare me alibi memini. Et certe Caſimirus Poloniæ Rex Civiles leges quaſdam Alexandro III. probari curaſſe legitur apud Baronium ad an. 1180. n. 13, ſeq. Leges viciſſim, quibus Henricus III. Angl. Rex vi a Proceribus adactus in Conventu Oxonenſi an. 1260. adnuerat, ab Alexandro IV. abrogari obtinuit, ſubditoſque compeſci rebelles ab Urbano IV. anno 1264, & a Clemente IV. an. 1265. teſte Matthæi Pariſii Continuatore ad cit. annos. Qui ſecus feciſſent, legeſque ferre Religioni incongruas auſi fuiſſent, ipſis palam obſiſtere, ipſorumque placitis obluctari, quoties opus fuit, Epiſcopi officii partibus deputarunt. Leges itaque Gothicas in Hiſpania circa Sacrorum Cæremonias abrogandi, Barcinone ann. 1064. indicta Synodo, ex Alexandri II, cujus Legatum agebat, poteſtate ſuprema, fas ſibi Cardinalis Hugo ſumpſit. Splendidiſſimum eſt vero, ſiquod alterum poteſtatis Eccleſiaſticæ ſpecimen illud, quo Synodus Lateranenſis IV. Can. 44. Decret. lib. 3. tit. 13. *De Rebus Eccleſ.* inſerto Cap. 12. *Cum Laicis*, Principum legibus Eccleſiaſticæ libertati infeſtis læthale vulnus inflixit. Cujus exemplo animatæ, excitatæque; atque ſententiæ adſtipulatæ Synodi quamplures aliæ Biterrenſis an. 1246. cap. 18, Andegavenſis 1269. cap. 1, Bituricenſis 1276. cap. 11, Ravennatenſis 1286. Rubr. 9, Inſulana 1288. cap. 13, Colonienſis 1310. cap. 1, Marciacenſis 1326. cap. 49, Andegavenſis alera 1365. cap. 29, & Vaurenſis 1368. cap. 105, laica quæcumque Statuta contra libertatem Eccleſiaſticam convellere non dubitarunt, quin Poteſtatibus ipſis Laicis obloqui contra, obluctarique ſubvenerit.

Atqui ad Rom. Pontificis accedebat quammaxime partes tam laicæ Poteſtatis facile propriam extra orbitam erumpentis licentiam cohibere, quam Eccleſiaſticas leges in tuto ponere, atque Juriſdictionis Canonicæ, e qua proficiſcebantur, vindices ſe, aſſertoreſque præſtare. Sicut itaque Conſtantii Imp. juſſionem, Pſeudo-Synodi Ariminenſis acceptationem urgentis facile ſprevit Liberius, ita Valentiniani Jun. Legem ult. Cod. Theod. *De Fide Cathol.* eidem Pſeudo-Synodo auctoritatem conciliare præſumen-

tis decreto ſuo penitus ſuſtulit S. Damaſus. Qua de re legendæ Liberii epiſt. 15. edit. Cout. ad Orientales, S. Damaſi epiſt. 3. ad Illyricos, & S. Siricii epiſt. 1. ad Himerium cap. 1. Zenonis Henotico etſi nulla diſerte adſtrueretur hæreſis, Neſtorius imo, Eutycheſque damnarentur, ac Synodo inſuper Chalcedonenſi obſequium ſe deferre Zeno profiteretur, ſed voces dumtaxat *Ex duabus, & in duabus Naturis* a S. Leone M., & a Synodo Chalcedonenſi conſecratæ ſilentio premerentur: quia tamen de fide decernere laico Principi non licebat, multoque minus Eccleſiæ decretis vel indirecte obviam ire, atque voces Eccleſiaſtico jam uſu Sacras vel ſilentio obruere, ideo Henoticon illud cum S. Simplicio diſplicuit, tum demum a S. Felice III. epiſt. 9. damnatum eſt. Nec eò deinde ſe induci ab Anaſtaſio Imp. Feſti Senatoris opera paſſus eſt S. Anaſtaſius I. P. M., ut Edicto illi ſyngrapham adjiceret ſuam, veluti teſtis eſt locuples Theodorus Lector hiſt. Eccl. lib. 2. Ex magnanimitate haud abſimili, etſi abſimilem ob cauſſam, non modica gloriæ pars ad S. Gelaſii laudum acceſſit cumulum, qui Odoacri Herulorum Regi rerum in Italia potienti, atque iniqua præcipienti obſiſtere non expavit, velut ipſe teſtatur in epiſt. 13. ad Dardaniæ Epiſcopos: *Nos*, inquiens, *Odoacri barbaro hæretico Regnum Italiæ tunc tenenti, quum aliqua non facienda præciperet, Deo præſtante, nullatenus paruiſſe manifeſtum eſt*. Cui pleraque congerere paris fortitudinis ſpecimina pergens, qua S. Ambroſius Theodoſio Sen. Eccleſiæ ingreſſum prohibuit, qua S. Leo M. Theodoſium Jun. de ope Latrocinio Epheſino impenſa libere reprehendit, qua S. Hilarus Anthemio Imp., Philothei Macedoniani opera, diverſas in Urbem Sectas inducere molienti validiſſime contradixit, qua & Baſiliſcum Tyrannum, & Zenonem Imp. ſuis pro exceſſibus SS. Simplicius, & Felix duriſſimis objurgatunt, & qua demum Hunerico Vandal. Regi nuper S. Eugenius Carthag., unaque alii in Africa Epiſcopi, ſpreta ejus ſævitia, in faciem obſtiterant, hiſce proſtratos ipſorum animos Poteſtates advertſus laicas iniqua præcipientes, aut in poteſtatis irrumpentes Eccleſiaſticæ partes erigere, confirmareque meditabatur. Horum preſſe veſtigiis inhærens Vigilius Pontificiæ juſſionis pondere Juſtinianum adegit ad ſuum revocandum Edictum contra tria Capitula, quod

alio-

alioqui fidei apprime erat conforme: niſi quia laici Principis non eſſet de rebus fidei leges ferre. Qui vero Edicti auctor Imperatori fuerat, Theodorum Cæſar. gradu abdicavit; & qui Edicto ſenſit adhæſerant ſuo, Mennam Conſtantinopolit., Ephremium Antioch., & Petrum Hieroſol. Sacrorum Communione ſuſpendit. Adiſis Cleri Italici epiſtolam datam Franc. Regis legatis Conſtantinopolim proficiſcentibus, Vigilii ipſius Encyclicam ad Chriſtiſ. univerſos, ac Noriſium in diſſert. hiſt. de Synodo V. cap. 8. Ejuſdem magnanimitatis Eccleſiaſticæ, ab obſervantia erga Principem minime disjunctæ, egregiam ſpeciem exhibuit S. Gregorius M. lib. 3. epiſt. 65, alias lib. 2. epiſt. 62, & lib. 8. epiſt. 5, alias lib. 7. epiſt. 11. Nam Mauritii Imp. legi, qua Clauſtris nomen dare Milites interdixerat, robur omne detrahere non abſtinuit, velut eas interpretatus epiſtolas legitur Hincmarus lib. 12. epiſt. 3. ad Carolum Calvum, eiſdemque rite expenſis hunc inhærere ſenſum intellexit Doctiſſ. Thomaſſinus vet., & nov. Diſcip par. 1. lib. 3 cap. 61. n. 13 *Hinc*, inquiens, *liquido conſtat re Gregorium irritaſſe legem Mauritii: quamquam verbis, & ſpecietenus ab obſequio Imperatoris præceptis præſtando non receſſerit*. Conſer & Baronium, & Bellarminum, & Blancum de Poteſt., & polit. Eccl. To. 2. lib. 4. §. 6, ubi Boſſuetium in oppoſitam interpretationem aberrantem redarguit, ac refellit. Heraclius Imp. alter, qui Eccleſiaſticis ingerere ſe negotiis geſtivit, non errore quidem, a quo maxime abhorrebat, ſed amore pacis, quam a Monothelitis turbari dolebat, Edicto fidei propoſito, quod abſque fidei diſpendio fieri poſſe autumabat, unam, aut geminam in Chriſto D. Operationem dici prohibuerat, quin ab una diſerte voluntate adſtruenda ipſe abſtineret. Sed enim tot excepta diris Ecthesis ſtatim eſt a Sophronio Hieroſolym., a Stephano Dorylen., ab Arcadio Cyprio, a Sergio ejus Succeſſore, quodque præcipuum fuit, a Rom. Pontificibus Severino, Johanne IV, S. Martino 1. &c., ut Imperatorem tum valdequam puduerit iniquæ publici juris factæ juſſionis, tum ad Johannem P. M. epiſtola inſcripta facti pœnituerit, atque fidem abſtergere ſuam, ſuſpicionemque a ſe amoliri fategerit, totius culpæ ſummam in Ecthesis auctorem Sergium Conſtantinopolit. refundens. Quo fatis inito functo, eodem Johanne P. M. auctore,

ctore, Ecthesim publicis e locis amoveri, ac in frusta dilaceratam flammis aboleri præcepit Constans ejus filius, ceu ex ipsius epistola ad præf. Pontificem liquet, quæ habetur To. 2. Annal. Euthychii Alex., & in Collect. Anastasii Bibl. p. 50. Nili quod rem, quam bene fuerat auspicatus, ac Religionem, de qua optime meritus fuerat, infecit paullo post, ac fœdavit, atque pejori facinore prodidit idemmet Constans. Nam & ipse, Paulo Monothelita persuadente, fidei Expositione altera, cui deinde Typi nomen adhæsit, proposita, silentium utrique parti cum unius, tum duarum in Christo D. voluntatum indicere præsumpsit. Eadem sed enim, quæ Patris Ecthesis, Filii Typus expertus est fata, eo nempe nomine, quod laico Principi nefas sit de fidei rebus sive dignoscere, sive definire, (sicut explicitissima subinde evasit sententia S. Maximi Abb. adversus Magistratus Constantinopolit. disputantis,) a S. Martino I. in Concilio Lateranensi Can. 18. ignominiæ stigmate inflictus. Ad mediam Ecclesiæ delabendo modo ætatem, memoranda iterum S. Nicolai I. egregia succurrit in epist. ad Synodi Silvanectensis Episcopos sententia: quibus depositionis sententiam in Rothadum Svession. defendentibus eo duplici Juris Imperialis capite, quo appellatio interponi, ante latam a Judice sententiam, interdicitur, & quo appellari a Judice electo inhibetur, diserte respondit Imperialibus legibus vim inesse nullam, ubi adversus illas Ecclesiastici militent Canones. Igitur prolatis in medium explicitissimis S. Innocentii I. ex epist. ad Alexandrum Antioch., & S. Gregorii M. ex epist. ad Theoctistam testimoniis, quibus Imperiales Sanctiones in Provinciarum Ecclesiasticarum partitione, & in Matrimoniorum caussis robur obtinere nullum adparet, exinde conficit eas leges *Evangelicis, Apostolicis, atque Canonicis Decretis, quibus postponendæ sunt, nullum posse inferre præjudicium*. Compendio uti cogor, ne immensa dicendorum obruar copia, utque finem dicendi aliquando faciam, studiosis interea relinquendo, quatenus diffusiore rerum tractatione aut delectentur, aut indigeant, ut fontes, e queis hausi, locupletatusque sum, indigitatos persemet ipsi adeant. Johannes VIII. itaque in Synodo Tricassina II. an. 878. apud Harduinum To. 6. par. 1. p. 198. Gothicis legibus adjectam de Sacrilegis legem voluit, non quæ a Justi-

ſtiniano fuerat conſtituta L. 13. Cod *De Epiſcopis, & Cler.*, atque primum ab Arcadio, & Honorio prodierat, ſed leniorem, qualis a Carolo M. Leg. Langob. lib. 2. tit. 39. n. 4. indicta eſt, ideſt ut Sacrilegi componere, non utique in quinque auri optimi libras, veluti juſſerat Juſtinianus, ſed in triginta dumtaxat examinati libras argenti, ceu indulſerat Carolus, ideſt in ſolidos ſexcentos, juberentur, atque ita deinceps juxta legem iſtam in Gallia, & Hiſpania Judices de Sacrilegis judicare deberent. Refertur & a Gratiano Can 21. *Quiſquis inventus* 17. q. 4, & ante ipſum ab Ivone Decr. par. 3. cap. 98. Ut erat vero Innocentius III. Eccleſiaſtici Juris eo callentiſſimus, quo vindex acerrimus, Conſtit. 10. *Ad noſtram* 10. Kal. Jun. 1212. Henrici Imp. Conſtantinopolit. legem, elargitiones tam in vita, quam in ſupremis Tabulis fieri Eccleſiis prohibentis, veluti Divinis, humaniſque legibus adverſam abrogavit. Concinit huicce Conſtitutioni Concilii Lateranenſis IV. Canon 44, relatus in Cap. 12. *Cum Laicis* de Rebus Eccl. non alien. Verbo, Laicas univerſim leges Eccleſiaſticæ libertati, immunitatique infeſtas a Pontificibus abrogatas paſſim videre licet, ut ab eodem Innocentio III. Cap. 7. *Quæ in Eccleſiarum*, & Cap. 10. *Eccleſia S. Mariæ* de Conſtit.; ut ab Honorio III. Cap. 26. *Quanto* de Privileg., & Cap. 49. *Noverit* de Sent. Excom.; ut ab Alexandro IV. Cap. 1. *Quia nonnulli* in 6. de Immun. Eccl., & lib. 3. epiſt. 496 ad Gall. Epiſcopos apud Raynaldum ad an. 1257. n. 54; ut a Bonifacio VIII. Cap. 5. *Eos, qui* eod. lib., & tit. de Imm. Eccl., ac lib. 1. epiſt. 223. ad Arelat, & Maſſil. Antiſtites apud cit. Annaliſtam ad an. 1295. n. 54; ut a Benedicto XIV. Conſt. *Paſtoralis* in Cœna D. §. 15. &c. Pro Eccleſiaſticis legibus quanta ſteterit animi fortitudine contra Regem Caſtellæ Gregorius IX, contra Portugalliæ Regem Clemens IV, ac deinde Martinus IV. compertum adeo cunctis evaſit, ut diutius his immorari nec vacet, nec interſit. Friderici II. Conſtitutiones Eccleſiaſticæ Immunitatis everſivas convellere haud diſtulit Innocentius IV. lib. 10. epiſt. 9. apud Raynaldum ad an. 1252. num. 1. Bonifacius IX. Richardi Angl. Regis Sanctiones Eccleſiaſticæ incommodas, adverſaſque libertati reſcindere Conſt. *Ab eo* an. 1391. apud Raynaldum n. 15. haud ſatius habuit, niſi e pu-

e publicis legum Codicibus eaſdem abradi juberet. Pragmatica Sanctio a Carolo VII. Franc. Rege evulgata, poſtquam idem Rex a Pio II. ad eam abrogandam ſollicitatus vehementer fuiſſet, adnuente demum Ludovico XI. abrogata eſt a Leone X. Præclarum illud etiam, quam ut præteriri queat, Pontificiæ ſpecimen eſt poteſtatis, qua Paulus III. geminum Caroli V. Edictum cum in Spirenſi Conventu an. 1544., tum in Comitiis Auguſtanis an. 1548. evulgatum infregit. Eò utrumque collineabat Edictum, ut afflictiſſimis Germaniæ rebus quoquo modo proſpiciendi gratia, Lutherani æque, atque Catholici Verbi Dei miniſterio, Scholarumque magiſterio, recepto vel e bonis Eccleſiarum, vel e Chriſtifidelium eleemoſynis ſtipendio, defungi permitterentur, atque Laicis quidem indiſcriminatim uſus Calicis, Sacerdotibus vero Conjugii venia indulgeretur. Quia tamen nec id fieri, abſque Religionis dedecore poterat, ac diſpendio, nec id facere, inſigni abſque poteſtatis Eccleſiaſticæ, ac Pontificiæ quammaxime, injuria, Principi laico fas erat, idcirco tam nullo in pretio ab Eccleſiaſticis Electoribus Sebaſtiano Mogun., Adolpho Colon., ac Johanne Trevir., ab Othone Auguſt etiam, aliisque Germaniæ Epiſcopis haberi meruit, quam a Pontifice M. diro inuri ſtigmate dignum eſt habitum. Qua de re plura Spondanus ad an. 1548. n. 7, & Pallavicinus hiſt. Concil. Trid. lib. 5. cap. 6. Legibus a Senatu Veneto, Eccleſiaſticæ libertati adverſis, editis clavum a Paulo V. infixum ignorat nemo. Non inficias tamen iviſſe Venetos, quin a Pontifice leges Civiles Religioni oppoſitæ infringi quirent, ſed leges a ſe latas ejuſmodi fuiſſe negaſſe, ideoque totum Pauli V. cum Venetis diſſenſionis cardinem non circa Jus verſatum, ſed circa factum, ſive materiam facti, recte obſervavit Blanchus de Poteſt., & Polit. Eccl. To. 2, lib. 6. §. 11. Qua de re Andreas Maurocenus Rer. Venet. lib. 17, Gravezonius hiſt. Eccl. To. 8. Colloq. 2, &c. Pacis item Articulos Proteſtantes inter, & Ferdinandum III. Imp. an. 1648. ſancitos, quod pleraque Chriſtianæ Reipublicæ adverſa continerent, Conſtit. edita an. 1651 abrogavit Innocentius X. Legum Codex Leopoldi Ducis Lotharingiæ nomine inſignitus, quum publicam adſpexiſſet lucem, exten plo Clementis XI. P. M. juſtas expertus eſt iras. Verum laudi tam Pontificî ceſſit zelus, quo

quo pro Dei Eccleſia efferbuit, quam Duci vergit religio, qua legibus illis ſublatis, ex Pontificis mente edendas alias curavit. Finitimum huicce religionis haberi ſpecimen debet, quam Remenſis Præſul Franciſcus de Mailly in epiſtola ad Ducem Aurelianenſem Regni adminiſtrum an. 1718. explicuit. Nempe Dux ille, ut malis Gallicanam in dies Eccleſiam afflictantibus modum imponeret aliquem, id capeſſiverat conſilii, ut Junioris Regis nomine inſcripto Edicto an. 1717. Catholicis æquæ, ac Janſeniſtis circa Dogmatum controverſias jamdiu exardeſcentes ſilentium indiceret. In ejuſmodi Edictum igitur, Religioni utique incongruum, eximius Præſul inſurgens, ſtricto calamo oſtendere inſtituit durisſimum utique Janſeniſtis os obſtruendum, non etiam interdicendos Orthodoxos, quominus illos dictis, ſcriptiſque impeterent, detractiſque larvis impuriſſimam hæreſim in dias luminis auras efferent, atque bonis omnibus fugiendam, abominandamque demonſtrarent. Innocentii X, Alexandri VII, & Clementis XI. Conſtitutionibus obtemperandum ab omnibus: qui obſiſterent, non item qui obſequerentur, legum fræno compeſcendos fore: inducias Schiſmaticis æque, ac Orthodoxis indicendas non eſſe; neque veritati, bene vero errori vocem obtendendam. Paucis a refractariis non eſſe pertimeſcendum, neque Caroli V. intempeſtivam erga Proteſtantes indulgentiam in exemplum trahendam, ſed meminiſſe potius oportere Henrici II, a quo Carceri mancipatos, ob hæreſis crimen, haud ignoraret, Fabrum, Annam Burgium, Foxium, Portam, Fumæum &c, pari decreta pœna, niſi fuga ſubduxiſſent ſe ſe, in Violam, Ferrerium, Vallam &c., Viros alioqui, quibus in Senatu Pariſienſi ſedes aliquando fuerat; Philippi Auguſti, a quo una die Albigenſes ad 600. igne cremati ſunt; Franciſci I, a quo ſuis in ſpeluncis Valdenſes ſuffocati, & Franciſci II, a quo Princeps ipſe Condæus Calviniana infectus hæreſi capite eſt condemnatus. Factu optimum quidem, ut optimo quoque Pontifici S. Martino I. occaſione Typi Conſtantis viſum eſt, inanes, verboſaſque de Religione diſceptationes compeſcere: haud opportunum tamen bonum cum malo, Patrumque dogmata cum Hæreticorum placitis ſuffocare. Reipublicæ cum Civili, tum Chriſtianæ ſummopere expedire, ut Laici Magiſtratus Eccleſiaſticis legibus cum

ipsi pareant, tum ad parendum refractarios compellant. Quoties Sacrorum Ministris jus suum integrum stetit, toties Regno, ac Religioni rem omnem bene, optimeque cessisse, pessime vicissim, quoties se rebus Sacris ingerere Potestatibus laicis adrisit. Documento, argumentoque Photii, ac Cerularii esse Schisma, cujus excitandi, & instaurandi occasio Basilii Imp., & Isaaci Comneni favor, & indulgentia fuit. Eas itaque egregias Potestatis laicæ esse partes, non ut Ecclesiasticis se implicent Controversiis, sed ab Ecclesia definitas executioni demandent, debitis in Refractarios animadvertendo pœnis. Theodosio, Marciano, Carolo M.&c. hanc jugiter sacram hæsisse sententiam, Hæreticos quidem districte ab erroribus dicto, scriptoque disseminandis prohibendos fore, non etiam Catholicos, quominus scriptis, dictisque fidem defendant. Atque hisce, similibusque Ducem Aurelianensem ad Edictum Religioni parum accommodum revocandum optimus inducebat Antistes. Quibus referendis si fusiorem, præterquam oportuisset forsitan, operam impendi, æqui, bonique, opinor, facile liberalis faciet Lector, dum cogitet eo me consilio id feciisse, ut ex paucis intelligat tam perperam, quam pessime ea confestim a plerisque in Principum jura transcribi, quæ ad Religionem proxime quidem respiciant, ad Reipublicæ tamen pacem quoque conferant, quæ ideo temporalibus admixta denominare solent.

Jam ad rem propius reflectendo meam, atque in ordinem me recipiendo, quò legibus suis firmitatem ex Ecclesiasticis Decretis adsciscere Principibus ipsis cordi fuit, eò ipso legibus vicissim suis vim inesse nullam, dum iis repugnent Ecclesiasticæ, probe ipsi viderunt. Optimo inde consilio publicæ fidei, propriæque famæ consulendi factum opinor, ut vice plus simplici Principes ipsi leges infringere proprias haud fuerint veriti, quas demum Ecclesiasticis infestas esse cognoverant. Valentiniani enim vero Legem an. 370. lib. 16. tit. 2. cap. 20. Cod. Theod. *De Episcop.*, *& Cler.*, qua Clericis, & Monachis quidquam ex Viduarum, ac sacratum Virginum successionibus capere, etiam per fidei commissa, fuerat interdictum, a Marciano fuisse revocatam, velut etiam videre licet in lib. Leg. Novell. tit. 15. de Test. Cler. ad calcem Cod. Theod., & in L. *Generali* de SS. Ecclesiis Cod. Justin. observat Scortia in Se-

lect.

lect. Rom. Pontif. Conſtit. Epitome 6. Theor. 14. Legem haud abſimilem alteram a Nicephoro an. 964 latam ſuſtuliſſe Baſilium Imp. an. 987. auctor eſt Balſamon. A Theodoſio legem quoque, qua Diaconiſſæ quidpiam Eccleſiis, aut Paupetibus Teſtamento legare prohibitæ fuerant, eodem ipſo, quo lata fuerat, anno 390. fuiſſe abrogatam lib. 16. tit. 2. cap. 28. Cod. Theod. ſuperius animadverti. Univerſim Principum Conſtitutiones Eccleſiaſticis infenſas abrogare Valentiniano III, & Marciano L. *Privileg.* 12. Cod. *De Sacroſ. Eccleſ.* religioni ceſſit: *Omnes*, inquientibus, *Pragmaticas Sanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos, interventu gratiæ, & ambitionis, elicitæ ſunt, robore ſuo, & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus.* In hæc ipſa religioſo pede trita veſtigia ingreſſi Imperatorum par nobile, Carolus M., & Ludovicus Pius, hanc præ aliis leges inter Eccleſiaſticas, ac Civiles a ſe promulgatas inſertam voluere Capitul. lib. 7. capp. 265, & 267: *Conſtitutiones contra Canones, & Decreta Præſulum Roman., ſeu reliquorum Pontificum, vel bonos mores, nullius ſint momenti.* Qua perinde lege in Paræneſi ad Rempublicam Venetam appoſite legitur uſus Card. Baronius. Ab Hiſpaniarum Regibus poteſtatem Epiſcopis ampliſſimam factam, de Civilibus nedum privatorum quorumlibet cauſſis cognoſcendi, ac judicandi, ſed leges ipſas Regni omnes caſtigandi, & emendandi ex Concilio Toletano XVI. perſpicuum evadit, in quo Egica Rex ſic Antiſtites affatus legitur: *Cuncta, quæ in legum Edictis depravata conſiſtunt, aut ex ſuperfluo, vel indebito conjecta fore pateſcunt, accommodante noſtræ Serenitatis conſenſu, in meridiem lucidæ veritatis reducite &c.* Fridericus II. & ipſe primis ſub Imperii initiis, dum adhuc pietatis Chriſtianæ compos eſſet, Patavii decem promulgatis legibus, Codici tit *De Statut.*, & *Conſuetud.* inſertis, de poteſtate Eccleſiaſtica optime meritus eſt. Nam 1. Statuta omnia libertati Eccleſiaſticæ adverſa ſive edita, ſive edenda abrogavit, e Capitularibus eadem binos intra menſes delenda mandans. Cujuſce ſimilem tulit ſubinde Carolus IV, confirmavitque Bonifacius IX. Conſt. 4. Eorum vero Statutorum generalis abrogatio habetur ex Honotio III. Cap. 49. *Noverit*, & Cap. 53. *Gravem* de Sent. Excom., quin etiam ex Valentiniano, & Theodoſio L. 47. *De Epiſcopis, & Cler.* Cod. Theod. Videndi Panormitanus in cit.

Cap. *Noverit*, Bartholus in Auth. *Cassa* Cod. *De Sacros. Eccles.*; ac Suarez To. 5. disp. 21. sect. 2. n. 81, seqq. 2. Lege cavit, ne a Potestate Sæculari ulla onera, vel Collectæ super bonis, ac personis Ecclesiasticis, aut Locis piis imponi præsumerentur. Quod ipsum prohibent Textus expressi tam Canonici, præsertim Cap. 4. *Non minus*, & Cap. 7. *Adversus Consules* de Immun. Eccles. ex Concilio Lateranensi IV, junctis aliis longe plurimis, de quibus super. Art. 2, quam etiam Civiles LL. 16, & 18. Cod. Theod. *De Episcop. & Cler.* ex Constantio, Gratiano, Valentiniano, ac Theodosio, & L. 22. *De Sacros. Eccl.* Cod. Justin. ex Justiniano relatis a Gratiano Can. 23. *In qualibet* 23. q. 8, ubi L. 16. Constantii dumtaxat esse, non etiam Constantis, cui eam communem Gratianus fecit, Jacobus Gothofredus ibid. adnotat. 3. Ne personæ Ecclesiasticæ ad Forum Sæculare in causis sive Civilibus, sive Criminalibus a quopiam trahantur. Cui legi coincidit Urbani VI. Constitutio 3, Bonifacii IX. Const. 4, Martini V. Const. 10, ac Bulla Cœnæ §. 15, prætet alios pleroscque Textus, de quibus Art. sup. 2. Quis approbe conformes jampridem editæ Leges a Valentiniano, Theodosio, Arcadio, Justiniano &c. habentur Cap. ult. *De Episcop. Audient.* 4. Hæreticos tum pœna confiscationis bonorum proscribit, tum perpetua damnat infamia. Concordant S. Leo M. epist. 46. vet. edit., ex qua locum interpolavit post Isidorum Merc. Gratianus Can. 17. *Alieni* 2. q. 7, tribuitque perperam S. Stephano, & Innocentius IV. Const. 13. *Ad extirpanda*; Imperatores etiam Honotius, & Arcadius L. 5. Cod. Theod. *Ad Leg. Jul. Majest.*, de qua item Gratianus Can. 22. *Siquis* 6. q. 1, ac Gothofredus in disc hist. ad eam legem, & ante ipsos Anianus in L. 8. lib. 9. tit. 38. Cod. Theod. Faciunt & huc Innocentii III. sententia in Cap. 10. *Vergentis*, & in Cap. 13. *Excommunicamus* §. *Damnati* de Hæret., & Innocentii IV. Constitutiones 8, & 9, ac Bonifacii VIII. Sanctio in Cap. 19. *Cum secundum leges* de Hæret. in 6: item Authentica *Gazaros* Cod. *De Hæret.*, & L. ult. Cod. *De Bonis proscript.* 5, & 6. Legibus Domini temporales, ac terrarum Rectores Hæreticos exterminare, sub jurisjurandi religione, jubentur: cui officio si desint, elapso anno, eorum bona Catholicis occupanda exponuntur. Quod item sancitum legitur ab Innocentio III. in Concilio Late-

ra-

ranenſi IV. Capp. 2, & 3, ac Cap. 13. *Excommunicamus* §. 3. *Moneantur* de Hæret., & a Lucio III. Cap. 9. *Ad abolendam* ibid. Quò etiam pertinent Caput 11. *Ut officium* §. ult., & Cap. 18. *Ut inquiſitionis* ex Bonifacio VIII. *De Hæret.* in 6. Lex item *Statuimus* Cod. *De Epiſc. Aud.*, & L. *Si vero* Cod. *De Hæret.*, ac videndi Eymericus in Direct. Inquiſ. part. 3. q. 32, Pegna ibid., Simancas Inſtit. tit. 23, aliique, de quibus alibi. 7. Hæreticorum damnantur fautores, prout etiam ab Innocentio III. Cap. 13. *Excommunicamus* §. 5. *Credentes*, a Gregorio IX. Cap. 15. eod. Decret. lib. 5. tit. 7. *De Hæret.*, a Nicolao III. Conſt. 2. *Noverit*, & a Paulo V. in Bulla Cœnæ. Confer Eymericum Direct. par. 2. q. 50, ſeqq., Turrecrematam in Sum. de Eccleſia par. 2. lib. 4. cap. 21, Silveſtrum V. *Hæreſis* q. 7, Archidiacenum, Joh. Andream, Ancaranum, alioſque in Cap. 2. *Quicumque* in 6. *De Hæret.* 8. Lege Naufragantium bona occupari, diripique vetat. Quod ipſum diſtricte vetitum habetur ab Honorio II. Conſt. unic. *Chariſſimus*, a Julio II. Conſt. 20, a Paulo III. Conſt. 42, & 57, ac in Bulla Cœnæ D. 9. Peregrinorum, & Advenarum libera permittitur receptatio, eiſque ſpontanea propriis de bonis diſponendi facultas relinquitur: decedentium vero ab inteſtato bona ut ab Epiſcopis dari legitimis heredibus queant, inque horum defectum locis Piis, integrum ſit. Quod ſane caput ad Eccleſiaſticum pertinere forum docent Hoſtienſis, & Gloſſa in Cap. 10. *Licet*, *De Foro compet.*, atque congruit Auth. *Omnes Peregr.* Cod. *Communia de Succeſſ.*, videndusque Scortia epit. 7. Theor. 22. Lege 10. demum Agricolarum ſecuritati quoad perſonas, ac res providetur. Cui ſane legi conformantur Cap. 2. *Innovamus* Decr. lib. 1. tit. 34. *De Treuga, & pace* ex Alexandro III. in Concil. Later., & L. Conſtantini lib. 11. Cod. *De Agricolis, & Cenſitis*. Confer & Petrum Gregorium Toloſanum Syntag. lib. 37. cap. 4. Friderici porro legibus his Apoſtolicæ pondus auctoritatis deinde adjunctum eſt ab Honorio III. Conſt. 48. *Has leges* nov. edit. Rom., ab Innocentio IV. Conſt. 2. *Cum adverſus*, & a Bonifacio IX. Conſt. 6. *Juſtis*. Perquamſimili Conſtitutione an. 1377. edita Carolus IV. Imp. Sanctiones pariter omnes contra Perſonas Eccleſiaſticas, earumque bona, & privilegia abrogavit. Quæ Conſtitutio a Boni-

fa-

facio IX. præfata Conſt. *Juſtis* an. 1391. confirmata eſt. Utraque vero Friderici, & Caroli perinde a Concilio Conſtantienſi robur accepit, & ad utramque pariter confirmandam approbe faciunt Innocentii IV. Conſtitutio 27. edit. nov. *Ad extirpanda*, Alexandri IV. Conſtitutio 14. *Cum ſecundum*, & ſeq., Clementis IV. Conſtit. 10. *Ad extirpanda*, Bonifacii VIII. Conſtit. in Cap. 18. *Ut inquiſitionis* De Hæret. in 6, Urbani VI. Conſt. 7. *Quia ſicut*, Martini V. Conſt. 21. *Ad reprimendas*, & Leonis X. Conſt. 11. *Regimini*, de quibus, aliiſque Diana par. 9. tract. 3. reſolut. 13, Scortia in Select. Rom. Pontif. Conſt. epit. 6, 7, 11, 29, 31, 54, &c., & Petra Comment. To. 2, & 3. ad præf. Rom. Pontif. Conſtit. Concordant Theologi, & Canoniſtæ pro Eccleſiæ poteſtate leges infringendi laicas Eccleſiaſticæ libertati, poteſtatique infeſtas collato veluti pede depugnantes S. Antoninus par. 3. tit. 24. cap. 18, Baronius ad an. 257. n. 15, ſeq., ac 370. n. 118, ſeqq., Petrus Gregor. Toloſ. Syntag. Jur. lib. 2. cap. 28, Suarez adv. Regem Angl. lib. 4. cap. 16, Silveſter V. *Excommunicatio* §. 9. n. 38, Anton. Auguſtinus Collect. 3. Decret. lib. 1. tit. *De Foro compet.* cap. 5, Joh. Andreas in Sum. ad eumdem tit. n. 15, Barboſa in Cap. *Eccleſia S. Mariæ* n. 1, ſeqq, Fagnanus ibid., & in cap. 7. *Quæ in Eccleſiarum* de Conſtitut., aliique longe plures apud Card. Petram ad Conſtit. 10. *Ad noſtram* Innoc. III. To. 2. edit. Ven. p. 151, ſeqq.

DE ECCLESIÆ POTESTATE

Coactiva, ſive Pœnas Clericis, atque Laicis infligendi qua Spirituales, qua Corporales.

ARTICULUS VI.

TAm certum, & conſtans eſſe debet Eccleſiam coactiva Poteſtate, Divinitus ſibi collata, potiri, ut opinio contraria in Marſilio Patavino, & Johanne Janduno, tamquam hæretica damnata fuerit a Johanne XXII. art. 5, iterumque in Luthero, & Calvino, ad quos poſtea accedere Molinæum, M. Antonium de Dom. de Republ. lib. 5. cap. 1, ſeqq., Roſellum, Richerium de Poteſt. Ec-

Eccleſ., & Civil., Duarenum de Sacr. Eccl. Miniſt. lib. 1. cap. 3, ſeq., Jannonum Hiſt Civil. Neap lib. 2. cap. ult. §§. 1, & 3, &c. non depudiit. Cenſura vero Johannis XXII. a S. Pariſienſi Facultate die 1. Septemb. 1330. ambabus ulnis acceptata eſt, & a Synodo Senonenſi an. 1528. ultrocitroque probata; eamque pro virili parte defendendam viritim adſumpſere Gerſonius de Poteſt. Eccl. conſid. 4, Hervæus de eodem argum., Petrus Alliacenſis, Joh. Major, Almainus de Auct. Eccl. cap 2, ac de Poteſt. Eccl., & Laic. q. 3. cap. 2, & poſt ipſos Franciſcus Hallier de Hier. Eccl. lib. 4. Sect. 2. cap. 1. art. 7. §. 1, ſeqq. Nemo enim non videt eodem proculdubio e principio Coactivam Eccleſiæ dimanare poteſtatem, quo ejuſdem, Divino nempe fonte, Juriſdictio profluxit, ſive Juſdicundi poteſtas. Nec enim Judex Eccleſiaſticus eſſe poteſt, quin Juriſdictione præditus ſit, nec Juriſdictio abſque Coercitione eſſe, ac concipi, veluti recte dicitur cum in Jure Canonico Cap. 28. *Paſtoralis* Decret. lib. 1. tit. 29. *De Officio, & poteſt. Jud. deleg.*, ubi Innocentius III, optimus ille Juris interpres, *Juriſdictio*, inquit, *illa nullius videretur momenti, ſi coercitionem aliquam non haberet*: unde S. Gregorius Nazian. Orat. 20. Epiſcopis ἐξουσίαν, καὶ δυναστείαν *Juriſdictionem Coercitivam*, ac veluti Regiam tribuere non dubitavit, & S. Auguſtinus de Morib. Eccl. cap. 28. Divina inſtitutione ex duobus, ideſt Coercitione, & Inſtructione Eccleſiaſticam diſcipli. nam coaleſcere docet; tum in Jure Civili L. ult. ff. *De Officio ejus, cui mandata eſt Juriſdictio*, ff. 1. tit. 22. L. 5. §. 1, ac L. unic. ff. *Siquis juſdicenti*, ubi Juriſconſultus optime advertit: *Omnibus Magiſtratibus, ſecundum jus poteſtatis ſuæ, conceſſum eſt Juriſdictionem ſuam defendere pœnali judicio*: Unde inter Coercitionis ſpecies mulcta, carcer, verbera enumerantur a Cicerone de Legib. lib. 3. cap. 3, concordantque Ulpianus in L. 2. ff. *De in Jus voc.*, & Pomponius L. 2. §. 16. ff. *De Orig. Jur.*, animadverſio pecuniaria item, corporiſque punitio a Pratejo in Lexico Jur. Civ., & Can. V. *Coercitio*. Accedit & Naturæ, & Gentium Jus, quo mentes hominum imbutæ & ipſis plane Sacerdotibus, queis de Sacris ferendi leges facultas competit, homines a legum tranſgreſſione compeſcendi facultatem perinde competere, quæ potius illius prioris appendix cenſeri poſſit, ultrocitroque agnovere. Unde factum,

ctum , ut apud Ethnicos Sacerdotibus passim variæ Coercitionis ſpecies uſu frequentes venerint : velut apud Æthiopes Regum etiam depoſitio , de qua Diodorus Bibl. lib. 4. cap. 13 apud Ægyptios pecuniaria animadverſio , de qua Ælianus hiſt. lib. 14. cap. 34; Corporales punitiones apud Græcos, de quibus Plutarchus in Theſeo ; apud Germanos fuſtigatio, incluſio, & animadverſio , de quibus Tacitus de Mor. German., apud Gallos tam Sacrorum interdictio , quam Corporalis punitio , de qua Cæſar de Bello Gall. lib. 6 , & Stephanus Forcatulus de vet. Gallor. Relig. ; apud Romanos in quemcumque Actio quælibet , de qua Dionyſius Halic. lib. 1, & Pomponius in Leg. 2. ff. *De Orig. Juris* .

Age vero ſolidioribus conficienda momentis res eſt , atque Jutiſdictionis ſpecies etiam iſta , Coercitiva nempe , ex Dei Verbo & Scripto , & Tradito validiſſime Eccleſiæ vindicanda . Atque initio nobis inter alia ex Matth. cap. 18. v. 17. locus occurrit ille, ubi de Homine immorigero hæc Chriſtus D. docuit , ut Fraternæ correptioni morem haud gerens demum Eccleſiæ deferatur : *Si autem Eccleſiam non audierit , ſit tibi ſicut Ethnicus , & Publicanus.* Obvia hinc fit, nihilque obſcura plane Eccleſiæ poteſtas tum errantes corripiendi , tum in errore pertinaces ſuo e conſortio ejiciendi : quod fieri abſque coactione nequire nemo probe non percipit . Atque ita profecto ex hoc loco flagitia pœnis coercendi poteſtatem Eccleſiæ adſtruere non dubitarunt Auctor Conſt. Apoſtol. lib. 2. cap. 11, S. Baſilius reſp. ad interrog. 26, S. Ambroſius apud Theodoretum hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 17, & S. Joh. Chryſoſtomus hom. 70. ad Pop. Antioch. Eccleſiæ vero nomine haud venire Decemviros illos , queis coram offenſor peccati veniam petere, juxta morem Judæis receptum, debebat, veluti dicere ſomniarunt Druſius , & Grotius in hunc loc. Critic. Sacr. To. 4. edit. Francof. p. 543, Vitringa in Archiſynag. p. 43 , ac Rhenferdius in diſſert. ad loca Hebræa Not. 10, ſed Eccleſiæ Præſides a Chriſto D. eo deſignatos vocabulo fuiſſe conſentiunt ipſimet Camero Crit. Sacr. cit. To. p. 557, Fechtius diſſert. de Clave lig., & ſolv. ſect. 1. §. 14. allegans Conf. Aug. Art. 7, Pfaffius Orig. Jur. Eccl. cap. 1. Art. 2. in Not. h. p. 20, & Beauſobrius in hunc loc. Obſervat. hiſt., Crit., & Philolog. To. 1. p. 60. Patrum hæc vero interpre-

tatio

tatio confirmatur magis ſeq. verſ. 18, quo de poteſtate Apoſtolis facta, converſo ad ipſos ſermone, Chriſtus D. hæc confeſtim ingerit: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram &c.*, cui alter congruit ſup. cap. 16. v. 19. locus, ubi ſpeciatim S. Petrum alloquens: *Tibi dabo Claves*, inquit, *Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram &c.* Mirum quot modis, quantoque conatu turbare iſta, quibus non unum ipſorum errorem convelli, non intueri nequeunt, Heterodoxi defatigentur. Atque imprimis, qui locum utrumque de Poteſtate remittendi peccata declarativa tantum, non etiam collativa, intelligi volunt, cujuſmodi ſunt Weigelius par. 2. Poſtill. Dom. *Quaſimodogeniti*, Stenckfeldius, Franckius, Dippelius, Roſenbachius, Volckmeyerus, Arnoldus &c., ex Socinianis Voelkelius in diſſolut. nodi Gordii p. 65, ex Calvinianis ipſe Calvinus Inſt. lib. 3. cap. 4, Witacherus Oper. Tom. 1. lib. 8. p. 205, Polanus To. 3. par. 2. q. 81, Mareſius Loco 16. Syſtem. p. 936, Urſinus To. 2. in Conſid. Commonef. Chytræi cap. 4. &c., ex Lutheranis Brendelius, Langius in Antibarbaro Orthodoxiæ par. 1. To. 2. ſect. 2. cap. 2, Peſarovius in diſput. ad Matth. 16, 19, Mullerus in diſput. 1. de Clavibus &c. §. 3. &c., ita nempe, ut Eccleſiæ poteſtatem abjudicent externam nedum infligendi pœnas, ſed etiam internam peccata in foro Pœnitentiæ remittendi, vel retinendi. Quo in errore ipſis aut prævivere, aut pares inde ſtetere, poneque adſtipulati ſunt Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 9, & lib. 2. cap. 7, Ligfootus præ omnibus in Horis Hebr. ad Matth. 16, 19, Dallæus de Auric. Confeſſ. lib. 1. cap. 5, Heideggerus ad Matth. 16, 19, Burmannus Exercit. Acad. par. 2. diſſert. 4. de Miniſtris Nov. Teſt., Vitringa de Synag. vet. lib. 3. par. 1. cap. 10. p. 754, ſeq., Van-Til in Comment. ad hunc Matth. loc., Baſnagius Hiſtor. Judæor. lib. 3. cap. 30. §. 14. edit. Hagæcom. 1716. p. 776, & lib. 6. cap. 5. §. 15. p. 101, ſeqq., qui in Edit. Pariſ. a Dupinio mutilatus eſt, Withbi, & Tindallus ad hunc loc., Hoadley in reſp. ad Harium, Buxtorfius in Lex. Talmud. p. 1419, & 2524, Hottingerus diſſert. de uſu Scrip. Hebr. in Nov. Teſt. §. 3. in Not., Hardtius in præf. ad Lutheri Comment. in S. Script. p. 30, Nutbertus, Limborchius Theolog. Chriſt. lib. 7. cap. 18. §. 26, Clericus in Not. Gallic. ad Matth. 18, 18, ubi tamen

locum etiam intelligi de inflictione morborum miraculosa, eorumque liberatione ab Apostolis peracta consentit, Joh. Carpzovius in Serm. Eccles., Thomasius in Vind. Jur. Majest. circa Sacra p. 168, seq., aliique apud Wolfium in Curis Philolog. To. 1. p. 256, seq, & Pfaffium Orig. Jur. Eccles. cap. 1. Art. 2. p. 12, seqq, qui Clavium potestatem Ecclesiæ factam de mera facultate docendi quid licitum, & quid illicitum, ulla absque altera parte aut influxus in peccatorum remissionem, aut specie jurisdictionis peccatoribus infligendi pœnas. Contra quos tamen ex Heterodoxis ipsis, ac præsertim ex Anglis Episcopalibus, ac Lutheranis Articulos potissimum Confes. August. 6. de Confes., & Smalcaldicum 7. de Clavibus objicientibus, diram instruxere pugnam, Hammondus de Potest. Clav. To. 2. Oper., Dodvvellus de Schism. Anglic., Barrovius Oper. Tom. 4. p. 47, Haris in serm., Sebast. Schmidtus in disput. Theol. Philolog. disput. 12. p. 711, seqq., Scherzerus in System. Theolog., Calovius de Pœnit. cap. 2. q. 4, Niemejerus de Discipl. Eccl. dissert. 1, Deutschmannus, Edzardus apud Pfaffium loc. cit., Fechtius dissert. de Clav., Krakevvizius dissert. de Excommun. Eccl., Olearius Observ. 55. in Matth. §. 6, seqq., Michael Heineccius dissert. de Absolut. Tympanicorum apud Græcos, Borsaccus de Clavib., Wernsdorfius in dissert. de Absolut. Ministri Eccl., Budeus Theol. Mor. par. 3. cap. 3. §. 63, seqq., Goetsius in Thesib. adv. Ligfoot §. 6, Wolfius loc. cit., Pfaffius Orig. Jur. Eccl. p. 18, seqq., Oertelius in Theolog. Æthiop. loco 17. p. 177, seqq., Waltherus in dissert. Theol., Acad. dissert. de Clave lig. ad Matth. 16, 19. &c., quibus nempe arcte persuasum est Potestate Clavium sive ligandi, & solvendi Ecclesiæ collata designari potestatem remittendi, ac retinendi peccata, Canones Ecclesiasticos constituendi de licito, & illicito, atque sceleſtos corripiendi, in scelere vero contumaces Ecclesiastico Cœtu abigendi, pœna quin etiam extraordinaria afficiendi. Quod probant Isajæ cap. 22. v. 22, & Apocalyp. cap. 3. v. 7, ubi sane Clavium nomine in Christo D. eam denotari potestatem ambiget nemo, inficiabiturque. Ex Johan. cap. 20. v. 23, ubi lucidissimis verbis a Christo D. peccata dimittendi, aut retinendi potestas Apostolis tradita legitur. Quorsum enim præmissa Spiritus S. infusio, Chri-

sti-

ſtiqueD. inſufflatio fuiſſet, niſi ut facultas Apoſtolis fieret peccata effective, ut inquiunt, aut remittendi, aut retinendi, & in Eccleſiam recipiendi, aut ab Eccleſia repellendi? Jam vero & horum ſenſu Eccleſiæ poteſtati nihil deficit, quo Coactiva recte perinde denominari nobis queat, idque conſequitur, ut pœnis nedum ſpiritualibus, extraordinariiſque, puta morborum inflictione, Satanæ diſcruciatione &c., ut ipſi permittunt, ſed pœnis etiam corporalibus, ordinariiſque in flagitiis obduratos plectere in Eccleſiæ poteſtate fuerit poſitum. Quæ ſane poteſtatis appendix multo patentior aperitur Lucæ cap. 22. v. 38, ubi Apoſtolorum, Chriſto D. ipſi probata, ſententia verbis illis expreſſa habetur: *Ecce duo Gladii hìc*. Sub horum enim eleganti ſpecie, diverſis aliis prætermiſſis expoſitionibus, duplicem exprimi Eccleſiæ poteſtatem, ſive poteſtatis ejuſdem duas partes, infligendi nempe pœnas tam ſpirituales, quam corporales, quas poſtremas tamen accipe citra pœnam capitis, & ſanguinis, intellectu percepit S. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 22. cap. 70, ubi cum Moyſe, poſt Ægyptium interfectum, Synagogæ facto Rectore S. Petrum, poſt amputatam Malco auriculam, Eccleſiæ Paſtorem conſtitutum comparat: quare vero S. Petrus, non Diſcipulorum alter, gladio uſus fuerit, rationem quærens Serm. 107: *Quia*, reſpondet, *ipſe accepit Regni Cælorum Claves, & ſolvendi, ligandique ipſe adeptus eſt poteſtatem*. Ubi vides eamdem, quæ duabus Clavibus deſignatur, duplici gladio referri poteſtatem S. Doctori perſuaſum eſſe: unde quam falſo Waltero diſſert. de Clav. lig. §. 4. p 471. dictum adparet Eccleſiæ poteſtatem a Chriſto D. Clavium utique ſchemate, non vero Gladii fuiſſe adumbratam, tam fruſtra Pfaffium in Orig. Jur. Eccl. diſſert. ad Johan. cap. 18. v. 36. §. 13. p. 463. cum Gerhardo Confeſ. Cath. lib. 2. art. 3. cap. 9. contendere ſermonem hìc eſſe de gladio materiali dumtaxat, neque locum ad poteſtatem Eccleſiæ deſignandam referri debere: miſeræ ſiquidem ejus interpretationi longe anteponendam eorum, qui de Poteſtate Eccleſiæ facta in S. Petro ejuſdem Capite hoc loci Chriſtum D. loquutum explicant, facile adquieſcet, qui hæretico prorſus fermento purus ſit, quales ſunt S. Bernardus de Conſid. lib. 4. cap. 3, & epiſt. 256. ad Eugenium III, S. Bonventura in 4. diſt. 24. art. 2.

q. 3, S. Antoninus par. 1. tit. 5. §. 3, & par. 3. tit. 3. cap. 2, & tit. 22. cap. 5. §. 8, Gregorius IX. in epist. ad Germanum Constantinopolit. apud Wadingum Annal. To. 2. p. 321, Bonifacius VIII. Extra. *Unam Sanctam*, & Leo X. in Concilio Lateranensi V. Sess. 11. Quorum interpretatio deinde probata quammaxime evasit Juris utriusque Doctoribus, Virisque Doctis. Alexandro Halensi par. 3. q. 33. memb. 2. art. 4. in resp., & q. 45. mem. 3. art. 2, Riccardo Mediavil. in 4. dist. 24. art. 5. q. 3. ad 5, Henrico Gand. Quodl. 6. q. 23, Paludano in 3. dist. 4°. q. 2. Concl. 3, Ægidio Rom. de Potest. Eccl. par. 1. cap. 3, & par. 3. cap. 1, Franc. Mayrono in Quodl. q. 11, & 4. Sent. dist. 19. q. 4, Petro Bertrando, sive Durando Meld. de Orig Jurisd., Joh. Baccono proleg. in 4. Sent. q. 11. art. 4, Dionysio Carthus. 2. dist. 44. q. 5, Franc. Ferrariensi lib. 4. contra Gentes cap. 76, Genebrardo in Psal. 46, & 122, Toleto in Luc. Annot. 89. cap. 1, Panormitano in Cap. *Novit* de Judic., quibus jungendi veteres alii Hugo Victor., Lyranus, Thomas Morus, Joh. Turrecremata, Sanderus, Catherinus, Joh. Andreas, Cajetanus, Hostiensis &c. apud Bosium de temp. Eccl. Monar. lib. 3 cap. 7.

Explicatior sed enim, quam desiderari hanc in rem queat, locus est alter S. Johannis cap. 21. v. 16, seq., ubi Ecclesiæ Princeps constituitur S. Petrus verbis illis: *Pasce Oves meas*, cuique loco conformis est ille, quo S. Petrus ipse epist. 1. cap. 5. v. 2. Episcopos singularibus præfectos Ecclesiis alloquitur: *Pascite, qui in vobis est, Gregem Dei*, ubi Græcus textus utrobique loco verbi *Pasce, & Pascite* habet Ποίμαινε, sive βόσκε, & ποιμάνατε: quo plane nomine, metaphora a Pastoribus ducta, Regimen quoad vim coactivam etiam designari, & quidem in Christo D. liquet ex Matth. cap. 2. v. 6, cap. 25. v. 32, Johan. cap. 10. v. 11, seqq., & Apocalyp. cap. 2. v. 27, cap 12. v. 5, & cap. 19. v. 15, ubi loco *Regat, & Reget* Græcus legit ποιμαινειν. Quo vicissim verbo Septuaginta Interpretes utuntur Psal. 2. v. 9, ubi pro *Reges*, Psal. 22. v. 1, ubi pro *Regit*, & Psal. 79. v. 1, ubi pro *Regis* habent ποίμαινε: qui perinde 1. Paralip. cap. 2. v. 3. loco *Pasces*, & Psal. 77. v. 71. loco *Pascere* idem verbum ποίμαινε usurpant. Atque ita profecto in Christo D. potestatem Coactivam etiam denotari observant S. Gre-

S. Gregorius Nazian. Orat. 19, & 36, Euſebius Demonſt. Evang. lib. 4. p. 105, S. Joh. Chryſoſtomus hom. 18. in Johan., S. Baſilius de Spiritu S. cap. 8, Theophylactus in Joh. cap. 10. &c. Ita perinde ad poteſtatem Coactivam in Paſtoribus, ſeu Epiſcopis deſignandam idem verbum ποιμαίνω, ſive βοσκω uſurpatum a LXX. videre licet Ezech. cap. 34, & Mich. cap. 5, ubi ſermo de Paſtoribus eſt. *Paſcere* rurſus pro *Regere* per translationem apud Hebræos etiam accipi patet ex Pſal. 2. v. 9, ubi loco *Reges* Hebraica lectio habet *Therehhm*, quod ſignificat *Paſcere*, ex Iſajæ cap. 42. v. 28, ubi loco *Paſtor* Textus Hebræus legit *Robhi*, quo nomine, non Paſtoris officium, ſed Regia poteſtas explicatur, & Mich. cap. 5. v. 2, ubi loco *Dominator* Hebræus verbum *Maſchal* uſurpat, quod eſt cum poteſtate dominari. Unde *Rectores* Hebræis veniunt *Parnas*, de quibus Paraphraſtes Chaldæus ad Jerem. cap. 34. v. 8, & Ezech. cap. 34. v. 23, Vitringa quoque de vet. Synagoga p. 622, & Wolfius in Curis Philolog. ad Acta Apoſt. cap. 20. v. 28. To. 2. p. 1311. Itaque de poteſtate Coactiva Epiſcoporum propria capienda etiam loca Act. cap. 20. v. 28, ubi pro *Regere* Græcus habet Ποιμαίνειν, 1. Corinth. cap. 9. v. 7, & Epheſ. cap. 4. v. 11. indicant S. Joh. Chryſoſtomus hom. 143, Theodoretus, & Theophylactus ad hæc loca. Ex quibus omnibus manifeſte liquet *Paſcere*, *Regere*, *Dominari* non raro Latinis, Græcis, & Hebræis reciprocari. Atque huic utique verbo *Paſco* hanc ineſſe vim, ut poteſtatem etiam Coactivam importet, certe viderunt Caſſiodorus Var. lib. 11. epiſt. 2. ad Johannem P. M., S. Gregorius M. Paſtor. Curæ par. 2. cap. 7, Alcuinus in 2. Petri cap. 5. apud S. Thomam in Catena, Johannes VIII. epiſt. 192. ad Michaelem Bulg., & epiſt. 199. ad Baſilium Imp., S. Gregorius VII. lib. 4. epiſt. 2. ad Herimannum Met., Innocentius III. ſerm. 1. in Dom. 2 poſt Paſcha, & ſerm. 1. de S. Silveſtro, Synodi Aquiſgranenſis an. 816. lib. 1. cap. 123, Meldenſis an. 845. in præf., Florentina in Decr. Union., & Colonienſis II. an. 1549. par. 6. de Jurid. Eccleſ. cap. 1. apud Harduinum To. 9. p. 2096, S. Laurentius Juſtin. de Regim. Prælat., S. Antoninus par. 1. tit. 5. cap. 4. §. 1, S. Thomas in 4. diſt. 18. q. 2. art. 1, Bertrandus Auguſt., ſive Durandus Meld. de Orig. Juriſd., Alexander Halens. par. 4. q. 21. mem. 2. art. 4.

art. 4, S. Bonaventura in 4. dist. 18. artic. 1. q. 3, Scotus ibid., Albertus, & Riccardus Mediavil. in 4. dist. 19. &c. Atque ita Pastorum etiam nomine veniunt passim Reges ipsi, ut apud Isajam cap. 44. Cyrus, 5. Reg. cap. 22. Achab, apud S. Cyrillum Alex. lib. 2. in Gen. Abel, & apud Homerum Iliad. 2. Agamenon. Comparandi hac de adpellatione Petrus Faber Semestr. lib. 3. cap. 17, & Lambertus Bos de Etymolog. Græc. p. 38. Nec illud obest, quod eo loci Johan. ult. semel verbum Ποίμαινε *Rege* legatur, bis vero dictum βόσκε *Pasce*, velut advertunt Erasmus ibid. Critic. Sacr. To. 4. p. 1854. edit. Francof., & Casaubonus Exercit. 16. in Baronium n. 133. p. 625, seq. Eòdem enim utrumque recidere verbum observant Valla, & Grotius in eumdem loc. Critic. Sacr. cit. To. p. 1855, & 1862. Ideo vero plus verbum βόσκειν, quam Ποίμαινειν a S. Johanne adhibitum fuisse post Theophylactum observat Maldonatus, ut significaret Episcopis Pastoralem regendi formam magis congruere, quam Regium fastum, ac Majestatem; quin tamen regendi cum potestate Coactiva denegari eisdem prærogativa inde possit. Facit & huc S. Pauli 1. Corinth. cap. 4. v. 21. comminatio Corinthiis intentata verbis istis: *Quid vultis? In Virga veniam ad vos &c.* Ubi vides Virgæ nomine, quæ & Pastoralis curæ insigne est, Coactivam infligendi pœnas etiam corporales potestatem exprimi, veluti persuasum habuere Clemens Alex. Pædag. lib. 1. cap. 7, Hilarus Diac., S. Joh. Chrysostomus, Theodoretus, Primasius, Theophylactus, Pachymeres &c. Vidit hæc sane Suicerus in Thesau. Eccles. To. 2. p. 898, seq., atque S. Paulo hoc loci memoratam Ῥάβδον *Virgam* pœnam denotare ipse non dubitat, adnotans Virgæ nomine venire Clementi Alex. *Imperium, & potestatem*; S. Joh. Chrysostomo in Psal. 110, & hom. 14. in hanc epist. *Pœnam, & castigationem*, ita etiam Theophylacto; Theodoreto *Castigatoriam actionem*; S. Basilio item in Psal. 45. *Contritionem*; S. Cyrillo Alex. quoque in Isajæ cap. 11. *Judicium*; Pachymeri *Correctricem Disciplinam*. Vidit & Vitringa in Archisynag. p. 390, & Wolfius in Curis Philolog. Crit. To. 3. p. 361, tumque sua, tumque suorum quoque sententia, quin Virgæ ab Apostolo heic adpellatione pœnam accipere oporteat, adfirmare non ambigunt. Interpretationem hancce confirmat illustris

ſtris alter S. Johannis locus Apocalyp. cap. 2. v. 26, ſeq: ubi de ſuprema Chriſto D. a Deo Patre collata poteſtate, quam ab eo perinde in Apoſtolorum Principem, ac Rom. Pontificem continua ſucceſſione transfuſam, ac inde participatam Epiſcopis credere par eſt, verba faciens: *Dabo*, inquit, *illi poteſtatem ſuper Gentes, & reget eas in Virga ferrea* &c. Quo loci *Virgæ ferreæ* nomine, non ſecus atque Pſal. 2. v. 9, & Apocalyp. iterum cap. 19. v. 15. tam Chriſti D., quam ipſius vice Rectorum Eccleſiæ in Chriſtifideles deſignari Imperium, Dominationem, Juriſdictionem, pœnaſque infligendi poteſtatem, haud dubitant Tichonius apud S. Auguſtinum, Hilarus Diac. in epiſt. ad Hebr. cap. 1. apud S. Ambroſium To. 5. p. 427. edit. Baſil. 1555, Vigilius Tapſ. lib. 5, V. Beda, Primaſius, S. Anſelmus, Riccardus Vict:, Rupertus, Anſpertus, Haymo, Dionyſius Carth., Lyranus &c. apud Boſium de temp. Eccl. Monar. lib. 3. cap. 15: quibus adſtipulari ex Proteſtantibus non hæſere Zegerus, Druſius, Grotius Critic. ſacr. To. 5. p. 1892, ſeqq., Moynius ad Varia Sacra p. 387, Camerarius in Notatione figur. nov. Teſtam. ad Matth. cap. 2. v. 6, Wokenius in Harm. vet., & nov. Teſt. par. 2. p. 250, ſeq., Wolfius in Curis Philolog., & Crit. To. 5. p. 468, ſeq.; atque jungendus Heinſius Exercit. ſacr. lib. 16. in epiſt. ad Hebr. cap. 7. p. 543, ubi Ῥάβδον *Virgam* Helleniſtis *Robur*, *ac Potentiam* venire adpoſite obſervat.

Jam ab his indigeſte, generatimque conglobatis deſcendendo propius ad Coactivæ poteſtatis ſpecies, duplex præſertim ejuſce caput diſtinguendum reperio, nempe cogendi 1. pœnis Spiritualibus, cogendi 2. pœnis Corporalibus. Atque quod ad prius attinet, principalem Spirituales inter pœnas locum obtinere Cenſuras, & Excommunicationem quammaxime, ignorat nemo, quamvis nonnemini de ejus origine quæſtionem movendi prurigo, quin etiam nonnemini vim ei auferendi perverſum obrepſerit ingenium. Qua in quæſtione in tres video diverſas ſcindi homines opiniones, quorum alii Excommunicationis uſum ex Paganiſmo derivare non erubuere, Andreas Tiraquellus To. 4. in tract. de Retractu lignag. §. 1. Gloſs. 9. §. 176, & 185, Leander Galganetus de Jur. publ. lib. 1. tit. 15. §. 1, Nicolaus Gravatius in Annot.

ad

ad Octaviani Vestrii Introd. lib. 2. cap. 4, Stephanus Forcatulus in Feud. Jura cap. 10. §. 14, Guillelmus Buddeus in Not. poster. ad Pandectas lib. 2. tit. de Pœnis, Erasmus Chiliad. 1. Cent. 2. n. 84, Melanchon par. 1. Art. Bavar. 10, & par. 2. tract. de pœnis tit. de Satif., Zuvinglius apud Seldenum de Syned. p. 299, Elias Schedius de Diis Germ. Syngr. 1. cap. 14, Bodinus de Repub. lib. 6. cap. 1. de Censura, Thomas Erastus in tract. de Excom., & Presbyterio, ac in Thesibus 75. thes. 10. totus eo incumbens, ut suadeat in sacris Litteris nec mandatum, nec exemplum extare, quo scelesti a Sacramentis submoveri jubeantur, errorem suum confirmans ex cap. 22: Gravaminum centum in Comitiis Norimberg. an. 1522. Oratori Pontificio exhibitis apud Goldastum Imp. Const. To. 1. p. 457, & auctoritate Sacerdotum per Sueviam circa an. 1245. apud Stumphium in Chron. Helvet. lib. 1. cap. 29. palam docentium Mortalium nemini potestatem factam Christianis spiritualia officia, Deique cultum interdicendi, Bullingerus, qui in epistolis cum ad Erastum, tum ad Dathenum Erasti adversarium, ipsius Erasti defensoreu, Encomiastemque se præstitit, Thomas Bilsonus de Gubern. Eccles. cap 4. &c., ad quos accedere Jannonum non depuduit, qui ex Bodino loc. cit. scripturire lib. 1. cap. ult. §. 6. non abstinuit Censuras infligendi morem in Ecclesiam descendisse, nec nisi devexiori sub æta. te, qua exterior induci Politia cœpit, ex veteribus Romanis Censoribus, morum exinde Magistris dictis, quibus solemne jus inerat ignominia, Censuraque notare criminum reos, in quos Judicibus mos inquirendi non erat: quo de munere, ac titulo privatis e Magistratibus translato ad ipsosmet Imperatores fuse Spanhemius in differt. de Præst., & usu Numis. p. 267, seqq. edit. Rom. 1664. Contra quos pugnant Baronius ad an. 57. n. 13, Spondanus de Cæmet. sacr. lib. 4. par. 1. cap. 2. §. 6, Germonius de Sacr. Immun. lib. 3. cap. 14, §. 35, Theophilus Raynaudus de Virt., & Vit. lib. 4. §. 302, & de Monitoriis par. 2. cap. 17. §. 6, Marinus Alterius de Censur. disp. 3. lib. 1. cap. 1, Covarruvias in Cap. *Alma Mater* de Excom., quin ex Protestantibus Theodorus Beza in tract. de vera Excom., & Christ., Presbyt., quo Erastum oppugnat, Jacobus Capellus ad Matth. 18. v. 17. Erastum, & Bilso-

Bilſonum refellens, exertoque contra eumdem Eraſtum calamo dimicantes Zacharias Urſinus Oper. To. 3. p. 803, Gaſpar Brochmandius in Syſtem. Theolog. To. 2. cap. 5. de Diſcip. Eccl., Guillelmus Apollonius, Georgius Gillepſius de Aaronis virga, Samuel Ruterfordius de Jure Divino Regim. Eccl., Samuel Baſnagius in diſſert. 3. de Excom. Chriſt. Annal. To. 2. p. 480, aliique, de quibus infra. Igitur alii ea potius in opinione verſantur, ut ad Judaicæ Synagogæ imitationem Excommunicationis ritum in Eccleſiam inductum exiſtiment, eumque quidem, ſicut inter Judæos non ex lege Moyſis derivatum, ſed inſtituti mere humani fuiſſe, ſic inter Chriſtianos, non ex Divina inſtitutione profectum, ſed ex puro, Judæis receptiſſimo, more tranſcriptum. Ita Polydorus Virgilius de Rer. invent. lib. 4. cap. 12, Seldenus, perpetuus ille, infeſtiſſimuſque poteſtatis Epiſcopalis hoſtis, de Syned. lib. 1. cap. 7, ſeqq., ubi fruſtraneo, ſibiquemet parum cohærente defatigatur conatu, ut inde, quod Apoſtoli ex Judæis prognati, Judaiciſque fuerint innutriti ritibus, Excommunicationem apud nos Judaicam mere propaginem eſſe conficiat: inſuper non ſecus ac apud Judæos, ſic apud Noſtrates Excommunicationis ferendæ Jus Imperatorum indulgentia fuiſſe adquiſitum ſubjungit; neque alterum a Judaiſmo primitivos apud Fideles effectum peperiſſe Excommunicationem, quam a Societate civili ſeparationem, non etiam a Sacrorum conſortio excluſionem induxiſſe; neque demum Clavium nomine, ſive ligandi, ſolvendique analogia deſignatam ab hac alteram fuiſſe Excommunicationis ferendæ poteſtatem. Ita etiam Grotius in Comment. ad Matth. cap. 18. v. 17, & Luc. cap. 6. v. 22, quo loci hac in diſciplinæ parte Chriſtianos ſequutos autumat Judæorum, ſeu Eſſenorum præſertim, exemplum, apud quos Excommunicatio ſola erat a Civili Societate ſeparatio, non etiam a Sacris; ac rurſus ſicut apud hos judicium penes paucos non erat, ſed apud Cœtum, qui non minus, quam ex centum, coaleſcere debebat, ita apud Chriſtianos veteres, nonniſi conſcia, & conſentiente Fratrum multitudine, morum judicia exerceri conſueviſſe. Neque hinc abfuere Limborchius Theolog. Chriſt. lib. 7. cap. 18. n. 12, ſeqq., Arminianique alii; Vitringa quoque veter. Synag. lib. 3. par. 1. cap. 20. totus eo incumbens,

ut Excommunicationem in Ecclesia Christiana ad Synagogarum imitationem introductam evinceret, ad Matth. cap. 18. v. 15, ad Rom. cap. 16. v. 17, ad 1. Corinth. cap. 5. v. 5, ad 2. Thessal. cap. 3. v. 14, ad 2. Johan. v. 10, & 3. ejusdem v. 10. provocare non veritus: quum hinc potius Excommunicationis Christianæ Divina institutio perspicua evadat, qua de re infra. Horum pariter vestigiis pone insistentes pedem in falso posuere Waltherus in Dissert. Theolog. Acad. dissert. de Clave ligan. §. 40. p. 499; Thomas Bruno in Observat. ad Can. 10. Apostol. Oper. Cotel. edit. Cler. To. 2. p. 193, seq. usum hunc mutuo a Judæis cepisse ptiscos ita Christianos contendens, ut reciproco inter se fœdere, juramento etiam firmato, jureque privato inde sibi vicissim indicto, non ita quidem ut ad Sacra privata, vel publica extensum vellent, sed ad Civilia negotia tantum, alter alteri Communitatis jura interdiceret; donec etiam sub Hadriano Imp., ut Sacris etiam se Christiani mutuo prohiberent, inductum putet, S. Justini nempe Apolog. 2. p. 97. aperto pressus, devictusque testimonio: quò etiam trahere Tertullianum Apolog. cap. 39, & Origenem adv. Celsum lib. 1. p. 4. inaniter nititur, &c. Contra quos faciunt, quæ passim ex Protestantibus ipsis ad Divinam Excommunicationis originem comprobandam congessere contra Seldenum Limborchius ipse parum sibi cohærens lib. 7. cap. 18. n. 30, seq. eorum se probare sententiam nequire fassus, qui juxta Excommunicationis Judaicæ morem, istiusmodi Censura Civilem dumtaxat interdici Societatem exputant, non etiam Sacræ Cœnæ participationem; aliamque subjungens esse Populi Judaici, aliamque Christiani rationem, & alium Legalis, alium Ecclesiasticæ disciplinæ ritum: Neque concipi sane posse, ut quis ab Ecclesia pronuntietur nihil cum Chtisti D. beneficiis posse habere commune, & tamen ad Sacramenta admittatur, & quorum familiaris convictus est interdictus, cum eo spiritualis permitti Communio queat; Bertramus de Polit. Jud. cap. 2, Beza de Presbyt. arg. 1. pro jure Divino Excommunicationis pugnans, Carpzovius ad Goodvvini Antiq. Sacr. Codic. lib. 5. cap. 2. §. 6. p. 559, Fechtius de Excom. Eccles. §. 4. p. 5, seqq., Kromayerus de Potest. Eccles. par. 1. sect. 2. art. 1. cap. 1. §. 11, seqq., Pfaffius Orig. Jur. Eccl. cap. 1. art. 2.

art.2. Not. PP. ſeq.p.65,ſeqq.,Wolfius in Curis Phil.To.3. ad 1. Corinth. cap.5. v. 5. p.367, ſeq. plures allegans, aliique, de quibus paullopoſt.Quorum a ſententia de DivinaExcommunicationis inſtitutione decedere religio quin etiam fuit Synodo Dordrectanæ an. 1619, in cujus Confeſ. Art. 32. olim hæc legebantur, Seldeno ipſo teſte de Syned. lib. 1. cap. 10. p.295, ſicut etiam habentur in edit. Feſti Hommii: *Ad id* (ad conſervandam ideſt Eccleſiaſticam unitatem) *imprimis neceſſaria eſt Excommunicatio ex præcepto Verbi Dei uſurpata, & aliæ illi adnexæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ Appendices*. Qui deinde Articulus ad hunc modum emendatus, mutatuſque eſt: *Ad id imprimis requiritur Excommunicatio, juxta Verbum Dei, cum reliquis ejus Appendicibus uſurpata*, ut integra maneret de Excommunicationis Divina origine ſententia; quam inepte pervertere ſtudet ibidem Seldenus, ita ut Divinam inſtitutionem ea mutatione excluſam velit. Huicce conformes etiam ſunt Confeſſiones Helvetica Art.18,Gallica Art.14, Bohemica Art.35, aliæque aliquot; juxta quas perinde a Calviniſtis ipſis anathemate damnati Hieremias Ferrerius, & Theophilus Brachetus a Chriſtifidelium Societate, Sanctorumque Communione abſciſſi leguntur in Collect.Synodorum a Joh.Aymone Craveta procurataTo.1. p.461, & To.2. p.686,ubi & hæc Synodis ſuis poteſtatis particula tribuitur. Ex Noſtratibus denique non defuere, qui de Excommunicationis origine, aut uſu non recte ſentirent: in quibus Morinus de ſacr. Pœnit. lib 6. cap.25,ſeq., quem abunde refellit Blancus, in ea opinione verſatus, ut arbitretur in Eccleſia olim a publicæ infligendæ Pœnitentiæ uſu diſtinctum minime fuiſſe uſum Cenſurarum, nec ab interiori diſcretum Eccleſiæ Forum exterius. Van-Eſpenius viciſſim Jur. Eccl. univ. par.3. tit. 11. cap. 6. n. 19. Excommunicationem recens eſſe inventum, ac per decem omnino Sæcula Eccleſiæ ignotum crocitat: quem ſplendide falli, & fallere oſtendit Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 2. cap. 1. n. 6. Excommunicationis item ferendæ jus non Divinum eſſe, ſed humanum docere videntur apud Seldenum p. 273. Dominicus Soto in 4. diſt. 22. q.1. art.1. §.13, Ferdinandus Velloſillus Lucenſis Epiſcopus To. 4. Oper. S. Joh. Chryſoſtomi ad quæſt. 15: qui tamen Excommunicationis formam quidem, effectumque in Evangelio

clare non exprimi docet, ſed excommunicandi poteſtatem jure Divino Eccleſiæ traditam explicite adfirmat; Sayrus Theſ Caſ. Conſc. lib. 1. cap. 4. §. 8, Suarez de Cenſ. diſput. 2. ſect. 1, & lib. de triplici verit. Theolog tract. 1. diſp. 21. ſect. 1, quorum tamen cauſſam aliis diſputandam, agendamque derelinquo. Alii, uti Godſcalcus Roſemundus in Confeſs. cap. 20, & Ayala Excommunicationes prorſus omnes e medio auferri vellent, quos abunde ſufflaminant Raynaudus Oper. To. 14. de Monit. par. 2. cap. 9. p. 514, Benedictus XIV. loc. cit. n. 5, quibus jungendi Marius Alterius de Excom. diſp. 1. lib. 1. cap. 6, Caſalius de Vet. Chriſt. Ritib. cap 22, Anronius Serpenſis in Chronolog. Euch. enar. 20, aliique, qui collato veluti pede pro Excommunicationis Divino jure pugnant.

Jam vero & ut ego de Cenſuris primum apud Ethnicos uſurpatis pauca loquar, Græcis generatim ſolemni in more poſitum, ut Peregrinos Sacris abigerent ſuis, Eleuſiniis quamma xime, teſtatur Ariſtoph. Scholiaſtes. Barbaros quoque, ut Perſas, & Medos, refert Iſocrates in Paneg. p. 30. edit. Ald. Unde Neronem in Græcia peregrinantem Sacris illis intereſſe non auſum tradit Svetonius cap. 34. Illud etiam legibus erat firmatum, ut graviori ἀτιμίας, ſeu infamiæ pœna inflicti, igne, & aqua interdicti, patrio jure, beneficioque privati intelligerentur, atque a Magiſtratu publico non modo, priſtinæque vitæ commercio arcerentur, ſed a Sacris etiam communibus, Templique aditu abigerentur. Hac itaque pœna affici conſueviſſe Maritos damnatam adulteram retinentes, Filioſque in Parentes male affectos liquet ex Demoſthene in Timocratem, & in Midiana, ex Andocide Orat. 1, ex Harpocratione in ἄτιμος, ex Platone Leg. lib. 9, ex Plutarcho in Solone, ex Libanio in Declam. pro Halirrothio. Par extendebatur pœna in Parricidas ex Oraculo Delphico, & Lege Thebana, teſte Oedipo apud Sophoclem; in Matricidas ex Lege Argiva, teſte Euripide in Oreſte; in Homicidas ex Lege Draconis, teſtibus Demoſthene contra Leptinem, & Theone in Paradigm.; in Adulteras, deſertoreſque Militiæ, teſtibus eodem Demoſthene Orat. in Neæram, & contra Timocratem &c.; Æſchine in Timocrat., & Cteſiphontem, Lyſia Orat. 5. contra Andocidem, & Orat. 12. con-

contra Agoratum, Antipho Orat. 12, Andocide Orat. 1, Herodoto lib. 7. &c., quam etiam ad pœnam reſpexiſſe videtur Euripides in Oreſte. Præterea Athenienſibus uſu priſco veniſſe, ut publica in Concione Præco Deos adverſos deprecaretur eis, qui contra Rempublicam dicendo, ſentiendoque deliquiſſent, ut ipſi nempe cum gente, domoque ſua exſecratione devoverentur, & a Diis everterentur, teſtes accedunt Demoſthenes de Ement. legat., ac Cicero de Offic. lib. 3, quo de more fuſius Pfeifferus Antiq. Græc. lib. 2. cap. 35. Generatim Athenis Regis Sacrorum officio ceſſiſſe Contumacibus interdicere, ne ad Myſteria appropinquarent, nec aliis moris patrii beneficiis ſe immiſcerent, obſervat Pollux Onomaſt. lib. 8. cap. 9. Sex Græciæ Urbes, ob violatam Numinum religionem, a Sacrorum Apollinis participatione fuiſſe ſummotas refert Herodotus in Clio. Non diſſimili ſenſu e Pythagorica Schola indiſciplinatos, ſceleſtoſque ejici, ejectoſque eo haberi conſueviſſe loco, quo vita defuncti, adeoque ut etiam veluti mortuis Cenotaphia erigerentur, memoriæ tradidit Jamblicus in vita Pythagoræ cap. 17 De quibus, aliiſque plurimis agunt Samuel Petitus in Legib. Atticis p. 472, & 557, Grotius in cap. 6. Lucæ v. 22. Critic. Sacr. To. 4. p. 1267, ſeq., Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 10. p. 77, ſeqq., Pfeifferus loc. cit., Thomas Bruno Obſerv. ad Can. 10. Apoſt. &c.

Quodpiam haud diſſimile de Taprobanæ, (hodie Coylani), Inſulæ Rege tradit Plinius hiſt. lib. 6. cap. 22, eum, ſiquid deliquiſſet, a Sacerdotibus tam commercio ſermonis interdici conſueviſſe, tum etiam Regno abdicari. Apud Cercetas, (Populos juxta Pontum, ſeu prope Caucaſum), in more poſitum, ut flagitiis dediti tam Sacris, quam etiam Civili abſtinerentur Societate, refert ex Stobæo ſerm. 165. Nicolaus Damaſcenus. Longo quidem, fateor, hæc intervallo diſtant a ratione Cenſurarum, quæ Chriſtianis uſu potiori venere: negari tamen nequit, quin harum ſimilitudinis aliquid præſeferrent, ad quam propius acceſſiſſe videtur ea damnationis ſpecies, qua olim apud Druidas Gallorum gentiles Sacerdotes obtinuiſſe memorat Cæſar de Bello Gall. lib. 6. cap. 4: *Si quis*, inquiens, *aut privatus, aut publicus eorum decreto non ſtetiſſet, Sacrificiis interdicunt: Quæ pœna apud illos*

illos erat graviſſima. Quia nempe ſic interdicti ſceleratorum ita numero habebantur, ut ab eis decederent omnes, & aditu, ſermoneque defugerent. Vide ſis & Antonium Goſſelinum hiſt. vet. Gallor. cap. 20. Eamdem veteres apud Germanos viguiſſe diſciplinam, juxta quam ignominioſo neque Sacris intereſſe, neque Concilium inire fas eſſet, teſtimonio eſt Tacitus de Mor. Germ. Compara & Philip. Cluverium Germ. illuſt. lib. 1. cap. 24, & Eliam Schedium de Diis Germ. lib. 2. cap. 9. Nihil hac vero aquæ, & ignis interdictione Romanis vetuſtius, & uſitatius, cujus ea vis erat, ut ſic interdictis tum communis vivendi ratio, tum Sacrorum communio denegaretur: de qua Appianus de bello Civ. lib. 1, & Paulus Juriſc. Sent. lib. 5. cap. 26; cuique demum deportationis pœna ſubrogata eſt L. 2. §. 1. ff. *De Pœnis*, & L. 3. *Ad Leg. Jul. peculatus*, ac Lactantius lib. 2. cap. 10. Videndi vero Franc. Hottomannus Obſerv. lib. 5. cap. 2, & Barn. Briſſonius Select. ex Jure Civ. lib. 3. cap. 5. Celebris etiam apud Romanos erat interdictionis formula illa apud Feſtum V. *Exeſto*, qua Lictor inclamare ſolebat: *Hoſtis, vinctus exeſto*, Sacris quibuſdam ſcilicet intereſſe vetabatur. Cenſuris præterea, qui ſuiſſent inuſti, officio, dignitateque motos confeſtim intelligi oportebat, uti patet ex Catone in Orat. de L. Veturio apud Feſtum, ex Cicerone de Divin. lib. 1. cap. 16, ex Aulo Gellio Noct. Attic. lib. 17. cap. 21, & Aſconio in Orat. contra C. Antonium. Cenſoriæ poteſtatis vi, qui ea pollerent, in cujuſque vitam, & mores inquirendi, & ab Equeſtri, ſeu etiam Senatorio removendi ordine pleno imperio præditos, ejuſque ideo Imperatores ipſos iviſſe percupidos, legere eſt apud Tacitum Annal. lib. 11, ac Dionem lib. 53: quam primum Cenſuram ſub nomine Præfecti morum admiſſam a Julio Cæſare referunt Cicero Famil. lib. 9. ep. 15, & Svetonius cap. 76. Effectum pariebant eumdem Diræ, exſecrationeſque Romanis olim receptiſſimæ, quibus Deos iratos flagitioſis optabant, de quibus fuſe Briſſonius de Formul. lib. 1. cap. 182, ſeqq. Pertinent & huc Dirarum formulæ diverſæ, adjurationeſque diverſas ob rationes a Romanis, a Græcis, a Barbaris adponi ſolitæ modo Legibus, ne quis eas violare auderet, apud Dionem Chryſoſt. diſſert. poſtr. p. 667, & Plutarchum in Solone, modo Statuis, ne-

nequis eas loco movere tentaret, apud Auctores rei Agrariæ p. 258, ſeq. edit. Goeſii, Philoſtratum in vita Herodis Attici p. 557. edit. Morelli, de quibus etiam Salmaſius ad hiſtor. Auguſtam, & ad Inſcript. Herodis p. 9, ſeq.; nunc Hoſtibus intentatæ, a quibus offenſio incumberet, apud Juſtinum hiſt. lib. 5, Plutarchum in Alcibiade, & in Craſſo, Feſtum V. *Sacer mons*, Dionyſium Halic. lib. 2, & 6, Livium Dec. 4. lib. 1. cap. 44, & lib. 10. cap. 5, Laertium in Diogene, & Ælianum Var. hiſt. lib. 3. cap. 29; nunc Sepulcris adfixæ, ne a quopiam eorum religio læderetur, de quibus, atque quidem ad Paganorum quod attinet Sepulcra, Grutherus in Theſ. Inſcript. p. 304. n. 1, & 816. n. 7, ac Menkenius in diſſert. de Diris Vet., junctis de Religione Sepulcrorum Principum legibus, ac Juriſconſultis Ulpiano L. 8. ff. *De Relig.*, Marciano lib. 7. *De Sepult. violat.*, & lib. 39. ff. *De Relig.*, & *Sumpt.*, Paulo L. 39. lib. 40. eod. tit., Gothofredo ad L. 39. ff. *De Relig.*, Guthero de Jure Manium lib. 3. cap. 1, & Heineccio Antiq. Rom. lib. 2. tit. 1. §. 4; quoad Sepulcra vero Chriſtianorum Baronius ad an. 1004. n. 11. Epitaphium referens Johannis Canaparii Romæ tumulati in Eccleſia SS. Bonifacii, & Alexii, Grutherus p. 1062. n. 1, Fabrettus Inſcrip. p. 10, Donius p. 529, Menkenius de Diris vet., Mabillonius Muſæi Ital. To. 1. p. 147, Aringhius Rom. ſubter. lib. 4. cap. 27, Gorius Symb. lit. Vol. 3. p. 227: unde jure, ac merito a Jacutio in Chriſt. Antiq. ſpecim. p. 41. vapulat Reineſius, quod Claſ. 20. n. 440. veteribus Chriſtianis vitio verterit ejuſmodi Dirarum uſum; multo vero magis cum ab eodem Jacutio p. 42, tum a Paciaudo de Sacr. Balneis cap. 16. p. 165. in Not. 2. refellitur Ecchardus inverecunde obgannire auſus Dirarum uſum non aliunde inductum, quam a Clericorum avaritia, qua ſupremas Tabulas, ac Donationes meliori firmare ſibi ratione neſciverint, quam diriſſimis adjectis imprecationibus. Tum Teſtamentis inſertæ, ſive ſupremis Tabulis, de quibus Marculfus in Formul. lib. 2. cap. 1, ſeqq., Strychius de Exſecrat. Teſtam., Lindenborgius in Form. 172, Mabillonius de re Diplom. lib. 2. cap. 8. §. ult.; tum Libris demum adpoſitæ, ne quidpiam ab aliquo detrimenti paterentur, ut eſt apud S. Johannem Evang. Apocalyp. cap. 22. v. 18, de qua Joh. Clericus

Art.

Art. Crit. par. 3. p. 243; apud Aristæam lib. de LXX. Interpr. p. 33. edit. Fabricii, de qua Eusebius Præp. Evang. lib. 8; apud S. Dionysium Corinth. in epist., cujus meminit Eusebius lib. 4. cap. 23. vers. Rust.; apud S. Irenæum lib. de Ogdoade, de quo idem Eusebius lib. 5. cap. 20, & S. Hieronymus in præf. ad Chron: Eusebii, apud Auctorem Recog. sub S. Clementis nomine, de qua Cotelerius PP. Apost. Tom. 1. p. 609, seq. edit. Clerici; apud Ruffinum in præfat. ad libros Origenis, de qua Scaliger; apud S. Gregorium Turon. ad calcem Hist.; apud Ælfricum in præf. capitum 24. Genes., de qua Warthonus in Auctuario ad Ussérii hist. Dogm. p. 386; apud Anastasium Sinaitam in Hodego, de qua Lambecius Bibl. Vindob. lib. 3. p. 165; apud Leofricum Exonien. Episcop. in Missali libro, de qua Hickesius in Catalogo libr. Septent.; apud S. Petrum Dam. lib. 1. epist. 12. ad Alexandrum II, ubi scribit usum Romæ obtinuisse, ut cunctis ferme Decretalibus paginis anathema subjungeretur; apud Julium Firmicum initio libri 7. Matheseos; apud Valentem Antiochenum lib. 4. Floridor., de qua Seldenus ad Marm. Oxon. p. 42, in proleg. ad lib. de Diis Syris cap. 3, & de Syned. lib. 2. cap. 10, aliosque plures sacros, & profanos, de quibus Erasmus epist. *Execrandi*, Fullerus in Catalogo Mss. Bibl. Paulinæ Lipsi. p. 441, seqq., Gutherus de vet. Jure Pontif. lib. 4. cap. 22, & de Jure Manium lib. 2. cap. 15, Fabricius Observat. Sacr. lib. 3. cap. 1. ad Apocalyp. cap. 22. v. 18, & Bibl. Græcæ Tom. 5. p. 74, seqq., Vandalæus de Orac. p. 673, seq., & de Aristea p. 193, seq., Pitiscus in Lex. V. *Devovere* Tom. 2. edit. Ven. p. 30, &c. Christianos denique ipsos, a Paganis olim inter facinorosos, impurosque reputatos, tam vitæ Socialis communione, quam communi Sacrorum consortio interdici solitos edisscimus ex Luciano in Pseudomante, ex Juliano in Edicto, quod inter epistolas n. 42. legitur, ex S. Gregorio Nazian. Orat. 3, seu Invect. 1. in Julian., ex Sozomeno lib. 5. cap. 17, & Nicephoro lib. 10. cap. 24.

Atqui Judæis antiquissimum, juxtaque frequentissimum, ac diversum fuisse, atque proprioris quidem Excommunicationis usum, fundatissima in Veteris Testamenti libris veritas est, cui refragari nemo recte queat. Ejus enim mentio, sive res ipsa nomine

mine importata, frequens occurrit, ut Num. cap. 16. v. 21, ſeqq., ubi Seditioſi, a quorum factione ſeparari Populus juſſus eſt, Cœlitus devoti diſtrictæ Excommunicationis terribilem in ſe retulerunt imaginem. Ut Deuter. cap. 27. v. 15, ſeqq., ubi non aliud ab Anathemate datur intelligi toties repetita in Legis tranſgreſſores maledictio. Ut Joſue cap. 6. n. 34, ubi ab Anathematis formulis parum, aut nihil differre videntur Exſecrationum verba, quibus Deo inobedientes feriuntur. Ut Eſdræ lib. 1. cap. 10. v. 8, & lib. 2. cap. 13. v. 25, ſeq., ubi a Judaico Cœtu abjectus diſtricti in ſe Anathematis ſtigma defert: atque huic loco hanc ineſſe vim vidit Joſephus Archæolog. lib. 11. cap. 5. Ut Machab. lib. 3. licet apocrypho cap. 2. v. 25, ubi Legis deſertores diris cunctis devoti communi uſu indiſtincte, ac conſuetudine abſcinduntur: quem in locum obſervat Grotius Crit. Sacr. Tom. 3. p. 2956. multis verbis deſcribi, quod Hebræis erat *Niddui* (ſeu verius *Cherem*, uti cenſet Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 12. p. 339.) Helleniſtis Ἀφορίζειν, ſive Ἀποσυνάγωγον ποιεῖν, nobis *Anathema*. Et certe Excommunicationis apud ſuos uſum jam inde ab ætate Barach, & Deboræ Jud. cap. 5. v. 23. repetunt Judæorum Magiſtri in Gemara Babylon. ad tit. *Moed Katon* cap. 3; quin ab ipſo Adamo e terreſtri Paradiſo expulſo Gen. cap. 3. v. 24. incipit Rabbi Jeremias Ben-Eliez in Gloſſ. Talmud ad tit. *Erubin* cap. 2. Cainum certe a Deo excommunicatum, eaque infami inſignitum nota fuiſſe, perſuaſum habet Vitringa Comment. in Iſaiæ cap. 53. n. 4. Tom. 2. p. 667. Eumdem dejectum a favore, & gratia Dei agnoſcunt Mercerus, & Druſius in Not. ad Gen. cap. 4. v. 14; quod eòdem recidit, ac a Dei rebus Sacris excluſum. Quocirca ludunt Calovius Geneſis locum interpretatus de expulſione, Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 11. p. 314, & Heideggerus hiſt. Patriarch. par. 1. Exercit. 5. §. 38. de maledictione Divina locum eumdem intelligi debere jubentes, non etiam de Excommunicatione: ſiquidem a Deo maledictus intelligi nequeat, quin idem a Deo abjectus ſit. Facit & huc frequentiſſima apud Judæos diſciplina, juxta quam ob quatuor ſupra viginti culparum ſpecies infligi Excommunicatio poterat, de quibus fuſe Judæorum Megalandrus ille Maimonides in tract. de Diſciplina legis, & in libro inſcripto

Sepher Reshith Chochma, ideſt *Portæ Pœnitentiæ* cap. 7. fol. 21. edit. Baſil. in 8. Sub ipſo Chriſti D. adventu graviſſimæ hujuſce pœnæ genus apud Judæos adhuc uſu perſeveraſſe adparet ex Lucæ cap. 6. v. 22 : quem ſane locum de vera Excommunicatione accipiendum conſentit etiam Grotius ibid., ac ex Johan. cap. 9. v. 22, & 34, cap. 12. v. 42, & cap. 16. v. 2. Ad hæc vitam ſceleris adeo puram egiſſe Eſſenos teſtis accedit Joſephus de Bello Jud. lib. 2. cap. 12, ut deprehenſos in peccatis ſua confeſtim depellerent a Communione. Quod ipſum ferme de iiſdem Eſſenis habet Porphyrius de Abſtin. animal. lib. 4, unde & ſua de eiſdem deſumpſit Euſebius Præpar. Evang. lib. 9. cap. 3. Sexcenta deinde ejuſmodi documenta ex Judæorum libris Karæis, & Talmudicis deſcripſit Seldenus de Jure Nat., & Gent. lib. 4. cap. 8, & de Syned. lib. 1. cap. 7, quæ perſequi omnia non opus eſt. Ex quibus adparet falſo Baſnagium hiſt. Jud. lib. 6. cap. 21. n. 2. adfirmaſſe Excommunicationis ritum apud Judæos cum Synedrio inductum, nec ante Machabæorum Epocham obtinuiſſe. Falſo quoque defendiſſe Seldenum de Syned. lib. 1. cap 7. p. 98, ſeq. non ante Captivitatis tempora Excommunicationis uſum Judæis fuiſſe receptum, qui tum demum invaleſcere cœperit, ubi primum in Captivitate poſiti, ob poteſtatis defectum, pœnis aliis Forenſibus ex ſuis facinoroſos cohibere fas non amplius, & facultas adfuit.

Tergeminas porro in ſpecies apud Judæos diſtingui Excommunicatio ſolebat, quarum 1. dicebatur *Niddui*, eraique ſeparatio, ſed abſque maledictione, ab aliorum conſortio ad quatuor cubitorum diſtantiam, triginta dierum ſpatio, intra quod non reſipiſcens eadem pœna ad 60, aut etiam ad 90. dies producta feriebatur : quod poſt tempus ad bonam ſe frugem adhuc non recipiens graviori afficiebatur Cenſura. Ad hanc reſpexiſſe videtur S. Paulus 2. Theſſal. cap. 3. v. 6. verbis illis : *Denuntiamus vobis, Fratres, ut ſubducatis vos ab omni Fratre &c.*; quæ ferme reſpondet Suſpenſioni in Eccleſia Catholica adhibitæ. Ejuſmodi vero Excommunicationis inferendæ diverſas cauſſas ex Maimonide, & *Schulchan Aruch* deſumptas fuſe perſequuntur Buxtorfius in Lexico Talmudico p. 1304, & Seldenus de Jure Nat., & Gent. lib. 4. cap. 8. Vocabatur 2. *Schammatha*, (etſi ab aliis ſecundo

hoc

hoc loco enumeretur *Chèrem*), eratque a Proſeuchis excluſio, & a Synagogis ejectio cum diris, exſecrationibuſque: qua perinde inflictus, capite ſuo multis erat minutus, & a conviviis, a conventibus, & a conſuetudine cujuslibet abſciſſus erat, nullique aſſidere permiſſus. Atque ad hanc prope ſpeciem pertinere ſane videntur Exciſionis comminationes, quæ paſſim habentur Geneſ. cap. 17. v. 14; Levit. cap. 17. v. 4, cap. 18. v. 28, ſeq., & cap. 28. v. 29; 1. Eſdræ cap. 10. v. 8; Johan. cap. 9. v. 28, & 34, ac 1. Corinth. cap. 5. v. 11. Ejuſmodi vero Exciſionis tres adferri ſolent a Judæis ſpecies, Corporis, Animæ, ac utriuſque, quarum una gravior ſit altera, quibus de agunt Sixtinus Amama in Antibarbaro Biblico, & Fagius in Not. ad Paraphraſim Chald. Exodi cap. 12. v. 15. Crit. Sacr. To. 1. p. 498. *Chèrem* 3. dicebatur, ab Helleniſtis *Anathema*, eratque ſeparatio a Synagoga, ſpe abſque regreſſus, cum diris, & exſecrationibus, tubis clangentibus, & atris tœdis accenſis ejaculata, qua in perverſitate obdurati, ac per dies adhuc 30. perſeverantes adficiebantur; adfecti diris cunctis devoti ſoli Divino judicio deſtinabantur, ut ab eo digniſſimas flagitiorum pœnas referrent, ac niſi reſipiſcerent tandem, æternis torquendi cruciatibus reſervabantur, quorumque poſt obitum tumulus ideo lapidibus in deteſtationem obrui conſuebat. Atque huc facere videntur Exſecrationes, quæ habentur frequentes Deuter. cap. 28. n. 17, ſeqq., Joſve cap. 6. v. 25, ſeq., Nehem. cap. 13. v. 25, 2. ad Timoth. cap. 4. v. 14, & 1. ad Corinth. cap. 16. v. 22: quo loci verbum Syriacum *Maranatha*, quo *Dominus venit* ſignificatur, graviſſimæ impiecationis eſt genus, qua ex Deo perditio in flagitiis obdurato intentatur, velut explicant ibid. Hilarus Diac., S. Joh. Chryſoſtomus, S. Hieronymus epiſt. 137, S. Auguſtinus epiſt. 178, Theodoretus, Sedulius, Theophylactus ibid. &c., ita quod S. Pauli ſenſu *Anathema Maranatha* idem ſit, atque *Devotus a ſpe Domini*, velut interpretatur Arabs, unde Arabicam eſſe vocem *Maranatha* veri viſum eſt ſimile Martinio in Etymologico, & Coquio in Excerptis Gemaræ Talmudicæ tract. de Synedrio cap. 1. §. 9. Not. 5. p. 149. Cujuſce ſpecimina etiam extant in Concilio Toletano III. Can. 18, in Conſtit. Alexandri II. apud Mabillonium Annal. Bened. To. 4. in Append. p. 755, inque Mo-

numentis aliis, de quibus Gloſſa in Can. 30. *Guiliſarius* 23. q.4, Aubertus Miræus To. 1. p. 8, Baronius ad an. 57. n. 172, Petrus de Marca in Append. Marcæ Hiſp. p. 970, 997, & 1065, Ducangius in Gloſſar., Calmetius Hiſt. Lotharing. To. 1. p. 262, & 340, Macri in Hierolex., Grotius item ad Luc. 6. v. 22, Bochartus in epiſt 3. ad Joh. Tapinum de hoc S. Pauli loco Oper. To. 2. p. 1036, Martinius in Lex., Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 8. p. 145, ſeqq. &c. Plura quoque de tribus his Excommunicationis apud Judæos ſpeciebus dabunt Buxtorfius ex Rabb. epiſt. Hebr. p. 55, ſeqq., Goodvvinus Antiq. Sacr. Cod. lib. 5 cap. 2, Carpzovius in Annot. ad eumdem p. 554. tres iſtas ſpecies confirmans teſtimoniis Eliæ Levitæ in *Tisbi*, Davidis de Pomis in Lexico, & Rabbi Gerſonis, Ligfoot Oper. To. 1. p. 890, Daſſovius Antiq. Hebraic. cap. 21. §. 11. p. 174. auctoritate item Maimonidis uſus; ex Noſtris Bartholocius Bibl. Rabbin. To. 3. p. 414, Cherubinus a S. Joſeph Bibl. Crit., Sacr. To. 3. p. 548, ſeqq., Zanolinus de Feſtis, & Sectis Jud. diſp. 1. cap 7. p. 87, & in Adnot. p. 179, aliique. Ab aliis attamen duæ ſpecies dumtaxat recenſentur, atque cum *Niddui* confunditur *Schammatà* ut a Leone Mutin. apud Baſnagium, ab ipſo Baſnagio hiſt. Jud. lib. 6. cap. 21. n. 8, a Coquio loco ſup. cit., ubi plurimis ex Maimonide, *Hilchoth Talmud Thorac* duobus capit. poſtr. Judaicum huncce ritum deſcribit, a Conſtantino l'Empereur in Annot. ad Kemp. Bertrami cap. 2. Crit. Sacr. To. 6. p. 750, a Seldeno de Jure Nat., & Gent. lib. 4 c. 8; & de Syned. lib. 1. cap. 7. p. 82. ab Hottingero in Not. ad Goodvvinum lib. 5. cap. 2, & a Vitringa de Synag. Vet. lib. 3. par. 1. cap. 9. p. 739. Hoc demum unico *Perinoiæ* nomine tres illæ Excommunicationis ſpecies Judæis deſignari ſub Juſtinianeo Sæculo cœpere, atque ita Auth. 146, ſive Novel. 140. edit. Lugd. de Περίνοιας occurrit mentio, & adnotarunt Ludovicus Charondas, & Haloander. Comparandus etiam Ducangius Gloſſ. To. 5. edit. Ven. p. 370.

Jam vero Excommunicandi cauſſæ apud Judæos viginti quatuor vulgo recenſeri ſolebant, de quibus fuſe Maimonides de Studio Legis cap. 6. §. 13. p. 36, ſeq., Joh. Cocquius in Excerptis Gemaræ tit. *Sanhedrim* p. 147, Buxtorfius filius in Lex. Chald. p. 1304, Seldenus de Jure N., & G. lib. 4. cap. 8. p. 529, ſeqq., Carpzo-

pzovius ad Goodv. Antiq. Sac. Cod. §. 2. p. 555, &c., quas omnes ad generales duas Pecuniam ideſt, & Epicureiſmum reſtringit Baſnagius diſſert. 2. de Excom. Judaica n.6. Annal. To.2. p.479. Excommunicatio ob Pecuniam irrogabatur, quum in judicium vocatus, & ad ſolutionem adjudicatus, ſolvere tamen detrectaſſet. Sub Excommunicatione vero ob Epicureiſmum delicta generatim comprehendebantur graviora quælibet aut in Legem ſacram, aut in bonos, receptoſque Mores, aut in Perſonas honore dignas patrata. Tribus autem modis inferri Excommunicatio ſolebat, vel ipſi reo præſenti illata, vel abſenti alicujus verbis denuntiata, vel ſchedula per apparitorem oblata. Excommunicationis porro Judaicæ effectum non Spiritualem utique fuiſſe, qua nempe a Sacrorum Communione, uſuque quiſpiam expelletetur, ſed mere Civilem, qua nempe Societatis jura dumtaxat eidem abdicatentur, pro viribus pugnant Seldenus de Jure N., & G. lib.4. cap. 8, ſeq. p. 534, ſeqq., de Syned. lib. 1. cap. 7. p. 83, 126, ſeqq., ac Samuel Baſnagius cit. diſſert. 2. Contra vero Baronius ad an 57. n. 12, Spondanus de Cœmet. Sac. lib.4. par. 1. cap. 2. §. 6, Germonius de Sacr. Immun. lib. 3, cap. 14, Sigonius de Repub. Hebr. lib. 2. cap. 8, Jacobus Baſnagius hiſt. Jud. lib. 6. cap. 21. n. 21. &c. fieri nequiviſſe rite obſervant, ut e Civili Societate quis excluderetur, quin etiam Sacra careret. Etenim in Domibus Agni Paſchalis eſio, & in Synagogis concutſus fiebat. Quì igitur fieri poterat, ut qui adeo in horrore habebantur, ad eſum Agni, & ad Synagogæ convenius admitterentur? Et certe quidem a Paſchatis celebratione arceri Judæorum Apoſtatas conſueviſſe ex Legis præſcripto Exodi cap. 12. v. 43. liquido patet ex Paraphraſi Chald. tam Onkeli, quam Jonathanis ad hunc Exodi locum, & ex Gemara Babyl. ad tit *Sabbath* cap. 9. fol. 87, ad tit. *Pesachim* cap. 9. fol. 96, & ad tit. *Jabimoth* cap. 6 fol. 62, veluti perſpexit Seldenus ipſe de Syned. lib 1. cap. 12. p. 332; confirmant & Jarchius in Gloſſa ad cit. loc Exodi, Lyranus ibid., & Rabbi Levi Ben-Gerſom obſervans Paſchati illi celeberrimo ſub Joſia Rege, de quo 2. Reg. cap. 23. v. 22, nullum interfuiſſe Apoſtatam Etſi vero non admodum invite detur Templi adyta Excommunicatis adhuc patuiſſe; ideoque non admodum exacte ad literam Johan. cap. 9. v. 22,

lo-

locum *Extra Synagogam* de Templo etiam accepisse videri possint S. Joh. Chrysostomus hom. 58. in Joh., Theophylactus, & Nonnus Panoplita in Paraphr. Johan., negari tamen nequit nec in Templo eamdem stationem Excommunicatis indultam, nec eamdem egrediendi patuisse viam: quod indicium est haud obscurum iis quidem pro Oratione privata Templi ingressum fuisse permissum, a publicis vero precationibus fuisse prohibitos; qua de re Rabbi Juda in lib. Musar. 95. 1. Crit. Sacr. To. 4. p. 1707. Quod etiam ex Publicano singullatim ad Templum precatum accedente Lucæ cap. 18. v. 10, seqq. augurari fas est. Deinde in Synagogas, rerum etiam Sacrarum causa, Judæis convenire solemne fuisse indubium est. At enim res est omnis extra dubitationis aleam constituta Excommunicaros e Synagoga expelli consuevisse: qua de expulsione explicitissima sunt Evangelii loca S. Lucæ cap. 6. v. 22, & S. Johannis cap. 9. v. 22, & 34, cap. 12. v. 42, ac cap. 16. v. 2; atque ita plane S. Johannis præcit. loc. cap. 9. de Excommunicatione accipere non hæserunt Erasmus, Drusius, Ludovicus Capellus Crit. Sacr. To. 4. p. 1704, seqq. Et Leo quidem Mutinensis apud Basnagium, qui Excommunicatione plectuntur, eosdem dubio procul e Synagogis expelli fide confimat sua. Contra Seldedenum vero de Jure N., & G. lib. 4. cap. 8. p. 540, & de Syned. lib. 1. cap. 7. p. 107, seqq., Ligfootum ad hunc loc., ac Basnagium cit. differt. 2, ea phrasi exclusionem dumtaxat a Societate Civili, Socialique consuetudine intelligentes, late pugnant, atque de ingressu quoque in Synagogas, ac Templum prohibito accipi debere propugnant Witsius in Miscell. To. 2. Exercit. 2. §. 11, seqq., Pfaffius in Orig. Jur. Eccl. p. 65, seqq., Vitringa de Synag. Vet. lib. 3. par. 1. cap. 10. p. 757, Wolfius in Curis Philolog., & Crit. To. 2. p. 904, & 949. alios pro hac laudans sententia. Accedit & illud, quod, ut superius observatum est obiter, Judæorum Megalandris, ac Magistris, queis hac in re certe non est, cur fides utique denegetur, antiquissima est Excommunicarionis origo, cujus usum alii ab Adamo, a Josue alii, alii a Barach, ab Esdra alii, universalius a Moyse, repetunt: quod indicium est liquidum illum Divinæ tributum institutioni Hebræis fuisse: Divina vero institutione separationem a Civili dumtaxat Societate, non etiam a Sa-

Sacra, inductam existimare nefas est: quandoquidem apud Deum peccati ratio potior habeatur, qua Dei O. M. offensa est, Deique amicitiam lædit, quam quod proximo sit offendiculum, Societatisque humanæ jura labefactet. Ad hæc in Synodo Nicæna II. Act. 4. ex S. Athanasio Serm. de Imagine D.N. Jesu Christi Berythi Oper. To. 2. p. 628. edit. Paris. apud Harduinum To. 4. p. 178. mentio fit Judæi e Synagoga expulsi, ob repertam ejus in Ædibus Christi D. imaginem: quam sane expulsionem a Synodo pro vera Excommunicationis specie acceptam liquet. Verum hacce de re diligentius inquirere nihil juvat, nihilque interest mea, qui ad Censuras Christiana in Ecclesia usu receptas propero. Quod antequam præsto, non committam, quin admoneam, fatearque Anathematis nomine persæpe designari in Scripturis Sacris, ac profanis Scriptoribus dirarum imprecationes, devotationes, pœnarum destinationes, consecrationes, maledictiones, abdicationes, bonorum confiscationes, interdictiones, cœdes, incendia, exitia, destructiones vel a Deo, vel ab Angelis, vel ab Hominibus inflictas: equibus triplex potissimum Anathematis genus distingui solet, 1. *Devotum Sacerdotibus*, illud nempe, quod Deo sacratum in usum Sacerdotum cedebat; 2. *Devotum Cæli*, quod videlicet aut immolabatur, si ejus genus immolatitii esset, sin minus, ita Sanctuario addicebatur, ut ad priorem regredi Dominum nequiret; 3. *Devotum ex Homine*, quum nempe quis a Synedrio capite damnatus, nullius intercessione redimi deinceps poterat, sed occidi omnino debebat: de quibus adeundi, si placet, Suidas, & Hesychius in Lex., Zonaras, & Balsamon ad Can. 3. Concilii sub Photio in Templo S. Sophiæ p. 263, Suicerus in Thes. Eccl. To. 1. p. 268, seq., Baronius ad an. 57. n. 169, Albaspinæus Observ. Eccles. lib. 2. cap. 4, Petavius in Miscell. Exercit. ad Julianum cap. 13, seqq., Salmasius ad Solinum, & ad Plinium p. 1089, Filesachus ad Vincentium Lirin., Ludovicus Capellus in tract. de Voto Jephte Crit. Sacr. To. 1. p. 2046, Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 7, Lindenbrogius ad Censorinum p. 18, seq., Bochartus in epist. 3. ad Tapinum Oper. To. 2. p. 1037, Carpzovius ad Goodv. lib. 5. cap. 2. §. 6. p. 557, Laur. Maffejus in Not. ad Sigonium de Repub. Hebr. lib. 4. cap. 17. n. 105, aliique: cum quibus attamen integrum stat, quod

quod Anathema persæpius etiam usu Judæis venerit ad designandam a Sacrorum commercio abscissionem.

Ad Censuras in Ecclesia Christiana inductas nunc accedendo, in Veteri Synagoga eas præfiguratas fuisse, aliqualemque earumdem præfulsisse speciem etsi ultro largiri videantur S. Cyprianus lib. 1. epist. 11. edir. Erasmi, 62. Pamel., 4. Felli, S. Gregorius Nyssen. Orat. de Castigat., S. Hieronymus in Cap. 1. ad Galat., & epist. 1. ad Heliod., S. Augustinus de Fide, & Oper. cap. 2., & in Num. lib. 4. cap 40, seq., ac S. Cyrillus Alex. in Joh. lib. 6. cap. 20, qua de re videndi Baronius ad an. 57. n. 11, seqq., & Morinus Exercit. Eccles. lib. 2; complura quin etiam e veteris Synagogæ disciplina mutuo petiisse, derivasse, fuisseque imitatam Ecclesiam Novi Testamenti negari rite nequeat, longum tamen, ac latum inter utramque intercedere discrimen, utriusque Disciplinam actu differre, atque de Censuris, loquendo, hasce potius, quam ad Judaicarum imitationem dicantur inductæ, paremque effectum pariant, Divinæ institutioni singulariter acceptas referri debere, apertissima cum S. Scripturæ, tum SS. Patrum testimonia demonstrant. Atque ut prætermittam longe nimis petita, minusque prope ad rem pertinentia loca Vet. Test., quibus Excommunicationum usus, ac vis in Novo Test. designata videri potest, veluti Isaiæ cap. 13. v. 12, & Apocalyp. cap. 12. v. 7, seq., unde ex Angelorum e Cælo depulsione quamdam Excommunicationis imaginem repetere placuit Honorio Augustod. in Gemma animæ lib. 3. cap. 78, Petro Blesensi Ser. 29, & Roberto Arboricensi de utroque gladio To. 2. Theor. 7; sive Gen. cap. 3. v. 23, ubi in Adami, & Evæ e Paradiso expulsione Anathematis similitudo aliqualis visa est S. Hieronymo in Oseam lib. 2. cap. 6, S. Augustino de Genesi ad litt. lib. 11. cap. 40, Honorio Aug. loc. cit., ex Rabbinis quoque Hieremiæ Ben-Eliezeri in Talm. Glos. ad tit. *Erubin* cap. 2. apud Buxtorfium in Lex. Chald., & Talm. p. 1306, & Abarbanieli in *Piruſh Tora* fol. 38; sive Gen. cap. 4. v. 14, ubi Cainum extra hominum commercium a Deo positum diri Anathematis insigne extitisse argumentum suspicati sunt Marius Alterius de Excom. disp. 1. lib. 1. cap. 6, Casalius de Rit. vet. Christ. cap. 22, Raynaudus de Monit. par. 2. cap. 9, quin etiam Lutherus ipse ad eum-

dem

dem loc., Beza de Excom. arg. 2, Vitringa in Iſai. cap. 53. n. 4. &c.; prætermiſſis quoque pleriſque locis aliis Num. 16, Deuter. 17, Joſue 7. &c., unde Divinam potius apud ſuos Excommunicationis originem Judæorum Magiſtri deſumere ſolent, qua de Germonius de Sacr. Immun. lib. 3. cap. 14, atque ad loca propius deveniendo Nov. Teſtam., Matth. cap. 5. v. 13. ſub figura Salis infatuati homines improbi foras mittendi denuntiantur: *Si Sal evanuerit, ad nihilum valet, niſi ut mittatur foras &c.* Quem plane locum de lapſis in hæreſim ab Eccleſia projectis interpretari non dubitavit S. Chromatius Aquil. Comment. in hunc loc. Bibl. PP. Pariſ. 1575. To. 8., an. inſeqq. To. 2, Colon. To. 4, & Lugd. To. 5. p. 976, non ſecus atque verſ. 29, ſeqq. ſub oculi, manus, pediſque ſcandalum inferentium, ideoque eruendi, abſcindendæ, projiciendique ſimilitudine flagitioſos, offendiculo fidelibus, Excommunicatione ab Eccleſia projectos, abſciſsos, evulſoſque jubet Origenes hom. 7. in Joſue prope finem. Inſignis eſt iterum ejuſdem S. Evangeliſtæ locus alter cap. 16. v. 19, quo ſub Clavis nomine, atque ligandi, ſolvendique poteſtate Cenſuras ferendi, latasque relaxandi, ſeu Eccleſiæ, in qua una ad ſalutem patet via, adyta claudendi, aperiendique, eidem in S. Petri, Apoſtolorumque perſona Eccleſiæ facta poteſtas apertiſſime deſignatur. Per Claves porro heic intelligendas fore Claves portæ Evangelicæ Gentibus aperiendæ imaginatus Joh. Ligfootus in Hor. Talm. ad hunc loc., cui ſententia parum abſuit Baſnagius Hiſt. Jud. lib. 6. cap. 5. §. 15. per Claves apud Judæos factam Magiſtris unam explicandæ Legis facultatem deſignari arbitratus, jure ſufflaminatur a Fabricio Salut. Luc. Evang. cap. 4. §. 2. p. 56, interpretatio ſiquidem iſta manifeſte cum a Chriſti D. aberret ſcopo, tum a S. Petri ſententia, cui Verborum illorum ſenſus iſte certe nunquam venit in mentem, extranea ſit, & exerrans. Atque per Claves poteſtatem inferri Eccleſiæ collatam, quod & patet ex Iſajæ cap. 22. v. 22, Apocalyp. cap. 3. v. 7, &c. fateri non detrectant Alexander Morus ad Iſaiæ cap. 53. p. 67, Vitringa in Iſaiæ item cap. 22. v. 20, Wolfius in Curis To. 1. p. 255, ſeq., quomodo Ethnicis Claves poteſtatis teſseram extitiſse multis docet Picinellus in Luminibus reflexis ad hunc loc.; Hebræis quoque per Claves pote-

ſtatem conferre ſolemne fuiſse advertit Urſinus Antiq. Hebr. pag. 172, ſeq. Ligare perinde, & ſolvere, ſicut apud Judæos olim , ſic & nunc apud Chriſtianos idem eſse , atque pronuntiare aliquid licitum eſse, aut illicitum dicere ſomniarunt Seldenus de Syned. lib. 2. cap. 9. p. 203 , ſeq. , Henricus Morus Oper. Theolog. p. 502 , Ligfootus in Horis Hebr. ad hunc locum, Limborchius Theol. Chriſt. lib. 7. cap. 18. §. 26 , aliique ſuperius notati . Sed enim hi haud idonei S. Scripturæ Interpretes reputari ſane debent , quin longiſſime præ ipſis , SS. Patribus auſcultandum tutius ſit , queis arcte perſuaſum fuit verbis illis Epiſcopalem deſignari poteſtatem animas illigandi , abſolvendique , veluti S. Gregorio Nyſs. Orat. in ægre ferentes reprehenſionem , S. Joh. Chryſoſtomo hom. 4. in epiſt. ad Hebr. , & lib. 3 de Sacerd. cap. 5 , S. Auguſtino tract. 50. in Joh. , & epiſt. 75 , aliiſque , de quibus infra : quoſve preſſo ſequi pede religio Proteſtantium doctioribus ipſis fuit , Hammondo , Barovio , Marckio , Schmidio , Calovio , Fechtio , Oleario, Buddeo , Wolfio , aliiſque ſuperius indicatis . Deinde Seldeno ipſo fatente p. 201 , ſeq. , harum vocum originario uſu apud Hebræos, Græcos, & Latinos, ligandi, indeque ſolvendi, inſtrumenta ſignificantur, quæ in Jure ad actus humanos translata obligationem deſignant , unde obligari tam res, quam perſonæ lege, pacto, voto, juramento, pignore, hypotheca &c. dicuntur; quibus perinde reſpondent ſolutiones , de queis explicitus in Pandectis eſt titulus . Quid igitur prohibet, quominus hunc juxta originarium ſenſum verba illa accipiantur de obligatione ex præcepto, vel ex pœna , Eccleſiaſtica poteſtate inducta , vel relaxata ? Explicatior eſt vero Matth. cap. 18. v. 17. ſententia, ubi ſons Eccleſiam audire detrectans Ethnici , & Publicani loco haberi decernitur . Cujus eſt ſimilis ille Deuter cap. 7. v. 3 , ſeq. locus , ubi Ethnicos evitari Judæi jubentur ; ille Eccleſiaſtici cap. 50. v. 27 , unde Gentiles ſummo habitos odio diſcimus ; ex ipſiſque Samaritani a Zorobabele , & Eſdra Excommunicatione perculſi apud Judæos ferantur ; qua de re Druſius , & Grotius ad eum loc. Eccleſ. , ac Beauſobrius ad Johan. cap. 4. v. 9 , unde Judæis Samaritanos inviſiſſimos accidiſſe adparet , & Matth. cap. 9. v. 11 , ubi Chriſto D. vitio a Phariſæis datum videmus, quod cum Publicanis ſocietatem iniret . Itaque

cum

cum Ethnini, tum Publicani, qui odio, & exſecrationi eſſe ſolerent, exemplo adlato, excommunicatos a Chriſtifidelibus evitandos ſimiliter, exſecrandoſque oſtendere Chriſtum D. voluiſſe docent SS. Hilarius, Hieronymus ibid., S. Gelaſius de Anath. &c. Quo loci Eccleſiæ nomine deſignatum Epiſcopum, juxta illud S. Cypriani epiſt. 69. edit. Pamel. *Scire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo*, ſtatim quæ ſequuntur, verba cum ampla poteſtate Apoſtolis facta ſuadent: *Quæcumque alligaveritis ſuper Terram &c.*, atque oſtendunt S. Thomas 22. q. 33. art. 3, Maldonatus in Luc. cap. 18. v. 8, Gonzaleſius in Cap. *Novit* de Judic. n. 4. &c. Eum non ergo rite ſenſum aſſequuti ſunt, aut qui illud *Dic Eccleſiæ* de Synedrio intelligi volunt, ut Eraſtus de Excom. th. 41, aut qui de Magiſtratu dictum, cui declarare reum, vel a reatu abſolutum incumbat, autumant, veluti Limborchius loc. cit. n. 27, aut qui de publice denuntiato, ſive denuntiato pleriſque generis promiſcui hominibus capi debere imaginantur, uti Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 9. p. 192, & de Jure N., & G. p. 178, Stillingfleetus in Irenico lib. 2. cap. 5. Oper. To. 2, Thomaſius apud Pfaffium in Orig. Jur. Eccl. p. 16, Bohemerus in diſſert. 3. de Confœderata Chriſt. diſciplina §. 7. p. 82, ſeqq., Rheuſerdius in diſſert. ad Loca Hebræa nov. Teſt. par. 3. Obſerv. p. 12, Beauſobrius in Obſervat. ad Matth. 18. v. 15, ſeqq., aliique apud Pfaffium loc. cit., aut qui demum illud de Eccleſiaſtico indiſcriminatim Cœtu capi volunt, veluti Schmidius in Faſcic. diſput. p. 732, Brecthius Exercit. de remiſſione fratris læſi ad Eccleſ., Marckius Exercit. 6, Vitringa de Synag. Vet. lib. 3. par 1. cap. 9, ſeq., Moynius ad Varia Sacra p. 46, Wolfius in Curis Phil. Crit. To. 1. p. 274, ſeq. &c. Non ſecus atque illud *Sit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus* ita peſſime interpretantur Eraſtus, Bilſonus, Seldenus, Limborchius &c., ut a Sacris expulſionem non importet, quatenus Publicanos e Templi aditu haud arceri ex Lucæ cap. 18. v. 10. ſubinferunt. Qua præpoſtera ſane in interpretatione nedum Patres, ſed adverſarios patiuntur ex ipſo Proteſtantium grege Munſterum, qui in Annot. ad Matth. 18. 15. Crit. Sacr. To. 4. edit. Francof. p. 536. de poteſtate expellendi ab Eccleſia locum accipit, accipiendumque ſimiliter exiſtimant Marckius,

Hammendus, Sebast. Schmidius, Mich. Heineccius, Calovius; aliique apud cit. Pfaffium, & Wolfium: quam sane interpretationem sequentia confirmant verba v. 18. *Quæcumque alligaveritis &c.* quibus Erastum, Bilsonum, Limborchium &c. dictum illud ad Synedrium politicum, vel ad Magistratum laicum referentes refellit Jacobus Capellus in Adden. ad Matth. loc. cit. Crit. Sacr. To. 4. p. 921, seq., ac referendum ad Senatum Eccles., sive ad Doctores Ecclesiæ contendit; quibusve certas quasdam a promiscuo Ecclesiæ Cœtu personas designari nulli dubitant Fechtius de Excomsect. 1. §. 14. p. 365, Pfaffius Orig. Jur. Eccl. cap. 1. art. 2. p. 19, seq. &c.; atque ita tandem integrum accipi Textum de Excommunicatione debere, sive de separatione ab Ecclesia, & hanc utique excommunicandi, sive a se separandi auctoritatem ei a Deo collatam credere, docereque non desinunt Montacutius Orig. Eccl. ad an. Christi 33. par. 2. §. 65. p. 214, seq., Beveregius in Not. ad Can. 10. Apostol. Cotel. PP. Apost. edit. Clerici To. 1. p. 465, Majus in Harmon. Evang. p. 994, & Kromayerus de Potest. Eccl. par. 1. sect. 2. art. 1. cap. 1. §. 11. p. 52, qui exinde potestatem Ecclesiæ Coactivam adstruit, ac Puffendorfium de Habitu Relig. §. 27, ejusque Commentatorem Kressium p. 381. Christi D. præceptum ad Fidelem tantum offensum, ita ut offendens ipsi sit deinceps instar Ethnici, & Publicani, referentes sufflaminat.

Ab Evangelicis his ad Apostolica me conferendo documenta, non minus explicita S. Pauli habetur de excommunicandi auctoritate Ecclesiæ a Christo D. collata 1. ad Corinth. cap. 5. v. 2, & ult. sententia, quo loci de nefario illo Corinthio loquens, qui se polluere incestu non fuerat veritus: *Et vos*, inquit, *inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit?* Quam sane periocham multis oppido persequutus hisce demum vers. ult. colophonem imponit: *Auferte malum ex vobis ipsis.* Quibus sane tollendi e medio, & auferendi verbis Excommunicationis actum exprimi agnovit ipsemet Grotius ibid. Crit. Sacr. To. 5. p. 66, ubi observat periphrasim illam καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε, *Et non magis luctum habuistis* adjuncti metonymiam esse: *Nam*, inquit, *quia Ecclesia, quum aliquem esset a suo consortio excluſura, lugentium sumebat habitum, eò factum*, ut

Luge-

Lugere *dicatur pro* Excommunicare. Atque ita πενθάσω interpretari Veteres 2. Corinth. 12. 21. oſtendit, nempe Auctorem Conſt. Apoſt. lib. 2. cap. 40, ſeq. edit. Cotel. To. 1. p. 252, ſeq. Tertullianum de Pudic. cap. 14, Origenem contra Celſum lib. 3, Synodum Epheſinam in Synod. ad Eccleſ. Conſtantinopolit. de Neſtorii depoſitione, & Theodoretum ſer. 12. adv. Græcos. Ac demum advertit ἐξαίρειν ἐκ μέσου idem eſſe ac *Ex Eccleſia excludere: quomodo loquitur S. Cyprianus*, de quo inferius. Eidem inhæſere interpretationi Samuel Baſnagius in diſſert. 3. de Excom. Chriſt. n. 3, Pfaffius de Orig. p. 65, ſeq., & Wolfius in Cur. T. 3. p. 378, a quibus exſufflantur Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 8. p. 149, Knatchbullus in hunc loc., & La Cene in Specimine novæ Verſionis p. 669. S. Pauli vetſiculum ult. ἐξαιρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν *Auferte malum ex vobis ipſis* ſic interpretantes, ut τὸν πονηρὸν *Malum*, non maſculinum ſit, ideoque non perſonam indicet, ſed neutrum, ac peccatum denotet; atque ita ex priſcis Codicibus legiſſe Theodoretum, Theophylactum, alioſque, contendentes, ac contra iſtos oſtenditur τὸν πονηρὸν *Malum illum*, legendum ibidem eſſe, ideſt hominem illum inceſtuoſum, tum ideo quod dubitari nequeat, quin S. Paulus ad Moyſis verba Deut. cap. 17, v. 7. reſpexerit, ubi de nefario homine interficiendo loquens ſic habet ſimiliter juxta verſ. LXX. καὶ ἐξαιρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν: *Ut auferas malum de medio tui*; tum inde quod totus eò Paulini ſermonis contextus collineet, ut ab ejus nefandis genus hominibus ſibi abſtinere, eoſque de ſui medio tollere Corinthii diſcerent. Ex quo ſequitur etiam falli cum Vitringa de Synag. Vet. lib. 3. par. 1 cap. 10. p. 757. Wolfium in Cur. cit. To. 3. p. 366, parumque ſibi conſtare, ut qui eo loci de Excommunicatione loqui Apoſtolum non ambigunt, Inctus vero nomine ibidem v. 2. non Excommunicationem venire, ſed animi dolorem autumant. Præterea Baſnagius cit. loc. præpoſteram interpretandi rationem exagitans, qua Eraſtus de Excom th. 59. Paulinum textum ſollicitare, ac pervertere non erubuit, ita nempe, ut eo loci S. Paulum, non de flagitioſo excommunicando, ſed de impetrando a Deo per jejunia, preces, luctumque publicum, ut flagitioſum ipſe auferret, loquutum intelligi velit, oſtendendum aſſumit

sumit eam prorsus a mente S. Pauli alienam esse, qui tam peregrinam certe phrasim *Auferte malum ex vobis* non adhibuisset, ut preces Deo fundentes juberet, ut improbum de medio ipse auferret. Quæ rursus S. Pauli mens ex vers. 11. clarius elucet, ubi cum flagitioso illo Fratre ne cibum quidem capi prohibet. Queis etiam verbis Eucharistiam, quæ tum temporis inter cœnandum sumi consuebat, excludi quoque ibid. recte concludit: *Neque Sacra*, inquiens, *Mensa nobis cum eo communis esse debet, qui a vulgata, & quotidiana repelli debet*. Sed hac de Paulina periocha, non secus atque de simili altera 2. ad Timoth. cap. 1. v. 20. rursus, ac fusius infra. Ex eodem interea se nobis offert Apostolo illustris locus alter item 1. Corinth. cap. 16. v. 22, cui affinis est Textus etiam ad Galat. cap. 1. v. 8: nam utrobique in eos Anathema jaculatur, qui aut D. Jesum non amet, aut Evangelium aliud annuntiet. Atque ita pro Anathemate utrobique accipiendam profecto ab Ecclesia abscissionem, post S. Athanasium q. 105. de Parab. S. Scrip. To. 2. p. 427, Hilarum Diac. in hunc loc., S. Augustinum epist. 178, S. Hieronymum heic, & epist. 137, S. Joh. Chrysostomum hom. 16. in epist. ad Rom., Theodoretum, Theophylactum &c. ibid. docent Zonaras, & Balsamon ad Can. 3. Synodi Constantinopolit. sub Photio, & in præf. ad Synod. Gangren., Vatablus, Erasmus, Drusius, Gualperius, Grotius Crit. Sacr. To. 5. p. 288, & 466, Heinsius Exercit. Sacr. lib. 7. cap. 3. p. 356, & cap. 15. p. 392, Suicerus Thes. Eccl. To. 1. p. 268, seq., & 604, Bochartus in epist. ad Joh. Tapinum de hoc S. Pauli loco Oper. To. 2. p. 1036, seqq., Marckius Exercit. 23, Gatacherus in Cinnio p. 83, Rennerus, & Weibenmajerus in dissert. insertis To. 2. Thes. Phil. Theolog. p. 578, & 582, Brokius in Schediasm. de Anath. Paulino, Dilherus dissert. To. 1: p. 309, Laur. Fabricius in Reliquiis Syris apud Crenium in Analect. p. 304, Pfeifferus in locis Exoticis nov. Test. p. 501, aliique apud Wolfium in Cur. To. 3. p. 566; præ his vero, ex Nostris Possinus in Spicilegio Evang. a Fabricio recuso Hamburg. 1712. p. 12, seq., Ludovicus de la Cerda in Adversariis p. 118, Angelus Caninius in loc. Hebr. nov. Test. cap. 6. &c. Quam perinde in sententiam ad Galat. cap. 5. v. 12, & 2. ad Thessal. cap. 3. v. 6, & 14. abscindi, & abstine-

ſtineri tam eos, qui turbas inter Chriſtifideles cierent, quam eos, qui ad Apoſtolicam diſciplinam vitam, moreſque non exigerent, exoptans, & præcipiens, quid aliud, rogo, quam ſignificatum volebat Apoſtolus flagitioſis cum hiſce ſocietatis tam Civilis, quam Sacræ commercium a Chriſtifidelibus abrumpi prorſus omne oportere? Quod non eſt aliud profecto, quam a S. Paulo Excommunicationis ſententia vel intentata, vel intorta. Atque ita plane locum priorem ad Galat. accipere neque dubitarunt Beza ibid., Eraſmus, Paræus, Dietericus Antiq. Bibl. nov. Teſt. par. 1 p. 132, Beauſobrius in Obſerv. Crit. To. 1. p. 462, & Pfaffius Orig. Jur. Eccl. p. 67, ſeq.; cui ideo jejuna, & inſipida, Apoſtolicaque gravitate indigna Grotii, Seldeni de Synod. lib. 1. cap. 8. p. 148, & Alexandri Mori p. 157, queis præiviſſe videntur Hilarus Diac., S. Joh. Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, S. Hieronymus, Theodoretus, & Theophylactus, interpretatio, qua Apoſtolo de genitalium abſciſſione ſermonem fuiſſe opinantur: quam etiam præpoſteram explodunt interpretationem Calovius ad hunc loc., Clericus in Not. ad Hammondum, Elſnerus p. 195, Wolfius To. 3. p. 771, ſeq. &c., qui duo poſteriores in eo quoque aberrant, quod eo loci Apoſtolum id unum putent voluiſſe Seductoribus illis occaſionem amputandam omnem: quæ plane occaſio meliori amputari ratione nequibat, quam eos Excommunicatione a Fidelium Cœtu tam Civili, quam Sacro procul abigendo. Poſteriorem vero ad Theſſal. locum ita accipi jubet Grotius, ut inobedientem hominem, ſi Presbyterium ibi fuiſſet, excommunicari præcepiſſet; quem ideo defugi interea, notarique voluerit, donec quid a ſe demum de ipſo fuerit ſtatutum, intelligerent. Ita nempe, quam nos Excommunicationem reapſe inflictam ab Apoſtolo eo loci dicimus, iſte potius infligendam eſt interpretatus. atque ita etiam cum Grotio Apoſtolum de Excommunicatione ferenda loquutum intelligunt Vitringa de Synag. Vet. lib. 3. par. 1. cap. 10. p. 755, & de Archiſynag. p. 323, ac Wolfius in Cur. To. 4. p. 402, qua de re non eſt, cur litem intendam. Hiſce porro S. Pauli haud alioquin obſcuris locis uberiorem adhuc lucem affundent S. Johan. epiſt. 2. v. 10. jubentis, ne cum eo Fideles ſocietatem inirent, qui doctrinæ a ſe traditæ non adquieſceret, & epiſt. 3.

v. 10.

v. 10. Diotrepi graviter indignantis, quod sibi adhærentes Christifideles Ecclesia ejicere auderet. Ita de Excommunicato defugiendo loquutum S. Evangelistam consentiunt Vitringa de Synag. Vet. p. 759, Pfaffius in Orig. Jur. p. 70, & Oertelius in Theolog. Æthiop. loco 17. de Potest. Clav. p. 177, proculque abs veroaberrat Wolfius in Cur. To. 5. p. 328, seq. opinatus non Civilem, & externam vel salutationem, vel consuetudinem, sed familiarem dumtaxat, talemque, quæ consensionem animi, & prolixam voluntatem præferat, heic prohiberi. Siquidem enim ad omnem cum Infidelis operibus malignis communionem amputandam, nullam cum ipso haberi consuetudinem permittit, inde liquet etiam Civilem, externamque communionem interdici. Et certe in Excommunicatos ita, ut heic præcipit S. Johannes, agi a Judæis consueviſſe cum Seldeno de Syned. lib. 1. cap. 7. obſervat ibidem Wolfius. Similem etiam Karæis hæſiſſe ſententiam, ut ab his traditæ doctrinæ non adhærens nec eſſet in cenſu Iſraelis, nec Fratris nomine adpellaretur, cum Triglandio in Diatriba de Secta Karæorum p. 176. advertit. Ethnicos inſuper eodem cum improbis hominibus tecto uti, eoſque alloquio dignari abhorruiſſe cum Elſnero ad hunc loc. adnotat. Totum id demum facto comprobaſſe ſuo S. Evangeliſta legitur apud S. Irenæum adv. Hæreſ. lib. 3. cap. 3, Euſebium hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 28, & lib. 4. cap. 14, ac Theodoretum Hæret. Fabul. lib. 2. cap. 3: balneum namque ad lavandum ingreſſus viſo intus Cerintho (Ebionem loco nominat S. Epiphanius Hær. 30. n. 24.) fugam illotus extemplo ab homine fidei infeſto arripuit. Quo de capite hiſtoriæ litem agitantes Vitringam, Rhenferdium, Langium, Arnoldum, Clericum, Lampium in Proleg. ad S. Joh. Evang. p. 67, ſeqq. &c. viden, ut egregie refellant Baronius ad an. 74. n. 8, ſeq., Pamelius in Not. ad Tertull. lib. de Præſcript., Maſſuetius ad cit. S. Irenæi locum, Petavius ad S. Epiphan. To. 2. p. 59, Picinellus in Luminibus reflexis p. 754, Grotius ad S. Joh. epiſt. 2. v. 10, Baſnagius Annal. Polit. Eccl. To. 1. ad an. 99. n. 3. p. 819, Cramerus in Arbore Hæret. cap. 3, Ittigius de Hæreſ. p. 58, Caveus hiſt. Litter. To. 1. in S. Joh., Danæus de Hæreſ., Hildebrandus de Hær., Walchius hiſt. Eccl. nov. Teſt. Sæculi I. cap. 4. §. 11. in Not., Frichius de Cura veter. circa Hæreſ., Waltherus diſ-

diſſert. Theol. Acad. p. 95, Ooederus de Scopo Evangelii S Johan. edit. Lipſ. 1732. p. 22, & ex Noſtris iterum Travaſa hiſt. Crit. Hæretic. To. 1. cap. 7, & Paciaudius de Sacr. Balneis cap. 1. edit. Rom. 1758. p. 16, ſeq.

Non ſum neſcius Evangelicos hos, Apoſtolicoſque Textus dictos accipiendos eſſe juxta morem Judæorum, cui innati, & innutriti Chriſtus D., ejuſque Diſcipuli fuerant, ideoque de ſimplici a Societate Civili ſeparatione, & excluſione contendere acriter eos, quos ea falſa opplevit opinio, ut ad Judæorum imitationem inductam Excommunicationis diſciplinam exiſtiment. Sed enim hi ſane idonei S. Scripturæ interpretes nequaquam æſtimandi ſunt, quin nobis audiendi SS. Eccleſiæ Patres ſint potius, (eorum tametſi interpretandi rationi, Joh. Piſcatoris in Schol. ad cap. 2. epiſt. ad Philip. temeritatem æmulatus, propriam anteferre pleroſque inter alios nuperrime præſumpſerit Fovulerus auctor diſſert. Theol. Crit. de Animæ Chriſti præexiſtentia ante Incarnationem p. 90, ſeq. edit. Lond. Gallice, quem viden, ut pro meritis, depectat Boernerus in diſſert. Sacris diſſert. 6. p. 138, ſeqq.), quibus longe plane altera interpretatio inſedit, quique de Excommunicatione docentes nos, quò propius ab Eccleſiæ origine aberant, eò potius, quid ea res eſſet, probiuſque intelligebant: Ab Auctore itaque Apoſtol. Canon. incipiendo, nihil in his frequentius *Ab Eccleſia abſciſſionis, ſegregationis, a Communione extiſionis, ejectionis &c.* occurrit, veluti liquet ex Canonibus verſ. Gentiani Herveti 5, 8, 9, 10, 12, 15, 23, 27, 28, 29, 30, 31, 35, 42, 44, 47, 50, 53, 55, 56, 57, 58, 61, 62, 63, 65, 68, 69, 70, 71, 75, & 83; queis plane nominibus Excommunicationem deſignari, quomodo in verſione Dionyſii Exigui ſub *Privationis a Communione* adpellatione clarius denotatur, nemo non videt. Atque hanc quidem Excommunicatione flagitioſos plectendi facultatem Epiſcopis expreſſe factam legere perinde eſt Can. 31. verſ. Herv. ſive Can. 33. edit. Dionyſ. Canoni vero 28. verſ. Herv., ſive 30, edit. Dion., quo Simoniace ordinatus a Communione exſcindi jubetur, affinem a S. Petro ſe accepiſſe proferendam in Simoniacos Excommunicationis ſententiam legitur S. Clemens in Uſſerii Bibl., & in Vet. Canon. Arab. Syntagmate Oxon. p. 237, Seldeno ipſo,

perpetuo alioquin Excommunicationis hoste infensissimo, teste de Syned. lib. 1. cap. 8. p. 151. Hinc priscis Christifidelibus Excommunicationem visam fuisse terribilem observare non desinunt ex Heterodoxis ipsis Cavæus de Christ. primit., & Stackhouse in Theolog. spec., & pract. To. 4. p. 524. Præfatis vero Apostol. Canonibus apprime conformes adparent Nicæni Can. 5, 15, & 16, nec non Antiocheni Can. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 13, 16, 17, 18, 20, 24, seq., quorum aliquos recensuit Gratianus Can. 5, & 7. *Siquis Episcopus* dist. 92, Can. 6. *Siquis* 11. q. 1, & Can. 23. *Episcopus* 12. q. 1. Jungendus Auctor Const. Apost. lib. 2. capp. 9, 16, 34, 39, & 43, ubi passim Excommunicationis meminit, excommunicandique potestatem e potestate Clavium repetere non dubitat. Graviori de altero ex eodem Scriptore desumpto testimonio rursus infra recurret sermo. Præterea vero, quæ de districto viceplus simplici ab Apostolis Excommunicationis in flagitiosos, devioque a fide, obedientiaque gladio exempla producta sunt, Aquilam genere Ponticum, post Baptismum Ethnicis superstitionibus adhuc inhærentem, ab Apostolis excommunicatum refert Jesusadus Hadathensis in Mesopotamia Episcopus apud Guidonem Michaelem La Jaye in præf. ad Biblia Heptaglotta: cui si fides minus adhibenda videatur, non est tamen, cur denegetur S. Epiphanio de Pond., & Mens. n. 15. referenti eum, velut ad salutem haud idoneum, ab Ecclesia ejectum: cui adstipulantur Michael Glycas Annal. par. 3, & Theodorus Metochites hist. Rom. p. 91. De potestate Episcoporum propria Censuras ferendi loquebantur proculdubio cum S. Ignatius Martyr, dum in epist. ad Philadelph. Episcopalem functionem adpellat Θεοῦ Πρεσβείαν *Dei legationem*, juxta dictum Apostoli 2. Corinth. 5. 20, tum Auctor vetus Eccl. Hier. sub S. Dionysii Areop. nomine, dum cap. 7. inter alias potestatis Ecclesiasticæ partes, quas Episcopis tribuit, hanc pariter designat hisce verbis: *Sic etiam segregandi vim habent Pontifices, ut Interpretes Divinæ justitiæ*. Accedit S. Justinus in Apolog. 2, ubi flagitiosos ab Eucharistiæ participatione abjectos adfirmans, de excommunicatis pari ratione dictum accipi debet. Quò vero propius vetustiorem Ecclesiæ attigit Tertullianus ætatem, eò validius æstimari ejus de Ecclesiasticæ Disciplinæ ipsi agnatæ capite

isto

iſto teſtimonium. At enim is Excommunicationem modo *Divinam Cenſuram* nominat, ut Apolog. cap. 39, unde intelligas eamdem, invento non humano, bene vero Divinæ inſtitutioni referri acceptam; modo vocat *Anathema*, uti Scorp. cap. 1, unde, quid ea demum rei præferat, detur cognoſci. Verbis aliis, ſed rem eamdem indicantibus, utitur de Idololat. cap. 11, ubi Laniſtam ab Eccleſia abjiciendum, & ad Uxor. lib. 2. cap. 3, ubi ſtupri reos a Fidelium communione abigendos docet, deſideratque. Quò perinde recidit, quod uſurpat paſſim, verbum relegandi in perpetuum diſcidium de Præſcrip. cap. 31, interdicendi ab Eccleſiæ ingreſſu adv. Marc. lib. 4. cap. 24, Eccleſiaſtica Communione depellendi de Monog. cap. 15, ab Eccleſiæ limine, tectoque ſubmovendi de Pudic. cap. 4, Sacramento benedictionis exauctorandi ibid. cap. 14. Atque ita abſolutionem demum ab Excommunicatione adpellat largiri poſtliminium Eccleſiaſticæ pacis ibid. cap. 15: quæ in loca adeundi Pamelius antiquitatis Eccleſ. diligens indagator, ac Baronius ad an. 57. n. 14. Mirum porro, quam ex Apolog. cap. 39. locus Grotii, & Seldeni torſerit ingenium, & quam viciſſim a duumviris hiſce ſiniſtrorſum intortus ſit, & inique ſollicitatus! Ille ſiquidem in Annot. ad Luc. cap. 6. v. 22. Crit. Sacr. To. 4. p. 1270. Tertulliani dictum ita accipi jubet, ut exinde apud Chriſtianos Veteres morum judicia, præſidente quidem Epiſcopo cum Senioribus, ſed conſcia pariter, ac conſentiente Fidelium multitudine, exerceri conſuevisſe omnino conſtare velit. Iſte vero de Jure N., & G. lib. 4. cap. 9. p. 541, & de Synod. lib. 1. cap. 7. p. 130. ita locum interpretatur, quaſi ibidem loquutus ſit, non de Sacris publicis, ſed juxta priſcos Judaiſmi mores, de privata dumtaxat familiaris convictus privatione. Verum quatenus abs veritate toto uterque aberret oſtio, una demonſtrabit Tertulliani integra lectio, ubi de Chriſtifidelium Sacris Cœtibus agens: *Ibidem*, inquit, *etiam exhortationes, caſtigationes, & Cenſura Divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu; ſummumque futuri Judicii præjudicium eſt, ſiquis ita deliquerit, ut a Communione Orationis, & Conventus, & omnis Sancti Commercii relegetur. Præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti:*

neque enim pretio ulla res Dei constat. Ubi vides contra Grotium Seniorum, qui præsidebant, nomine designatos profecto Episcopos, ut qui soli non pretio, sed electione ad hunc sacrum Præsidium apicem adscendunt; atque ab Episcopis proinde exhortationes, castigationes, & censuras proficisci, Judiciaque perinde magno cum pondere exerceri: qui plane actus exerceri a multitudine nequeunt. Et contra Seldenum audis Censuram vocari Divinam, idest ex Divina institutione derivatam, ac delinquentes ab Orationis Communione depelli. Ut erat vero Disciplinæ Ecclesiasticæ defensor acerrimus S. Cyprianus, sic etiam strenuum Excommunicationis assertorem se dedit, eam variis describens periphrasibus, ac pro verbo *Excommunicare* verba adsumendo *Non Communicare*, seu *Arcere a Communione* epist. 28, & 61, edit. Pamel., *Abstinere*, seu *de Ecclesia pellere* epist. 38, & 65, *Ejicere*, *ac Sacerdotum voce damnare* epist. 39, & 55, *Prohibere*, *seu depellere ab Ecclesia*, *& Communione cohibere* epist. 40, & 41. Comparandus Pamelius in Not. 10. ad epist. 38, ac Grotius etiam in Annot. ad præcit. S. Lucæ cap. 6. v. 22. Insignis est vero inter alia locus in epist. 62. edit. Pamel., 4. Felli ad Pomponium, ubi Excommunicationem gladii spiritualis nomine intligit, atque respiciens ad Deuter. 17. 12. legem, qua Sacerdotibus non obtemperantes interfici gladio jubebantur, in Evangelica lege *Spirituali* inquit, *gladio superbi*, *& contumaces necantur*, *dum Ecclesia ejiciuntur*. Qui præterea de Orat. Domin. ad petit. 4. edit. Felli p. 104, cur Ecclesiastica hæc censura frequentiori usu Excommunicatio nuncupari consueverit, inde factum indicat, veluti paullo superius auditum a S. Justino Apolog. 2. est, quod ea perculsi ab Eucharistiæ Communione potissimum arcerentur. Vetusta itidem erat istiusmodi Excommunicationis notio Origeni, qui hom. 14. in Levit., 7. in Josv., 2. in Judic., adv. Celsum lib. 3, & Philocaliæ cap. 18. ex potestate ligandi, & solvendi, qua de Matth. 16, 19, jus Excommunicatione ab Ecclesia expellendi repetere, Episcoporum id juris adfirmare, eoque contra fas abutentes reprehendere non dubitabat. Receptissima, cordique arcte insita veteribus Patribus, qui Canonicis epistolis procudendis operam impenderunt, Disciplinæ pars hæc erat, velut ea, quæ ad Canonum Ec-

Eccleſiaſticorum obſervantiam quammaxime conducebat. Qua intima ducti perſuaſione SS. Gregorius Neocæſ., Petrus Alex., Athanaſius, Gregorius Nyſs., Baſilius &c. Canonicas epiſtolas conſcribentes, eas paſſim Excommunicationis minis communire e re Eccleſiæ, Diſciplinæque Eccleſiaſticæ duxere. Cur Satanæ tradi a S. Paulo dicatur, qui ab Eccleſia ejicitur, luculenter explicans S. Hilarius in Pſal. 118, hanc reddit rationem, quod *Ubi Deus non eſt, illic Diaboli locus eſt. Ideoque, qui ab Eccleſiæ corpore reſpuuntur, quæ Chriſti eſt Corpus, tanquam peregrini, & alieni a Dei corpore, dominatu Diaboli traduntur*. Philotheo porro Conſtantinopolit. Patriarchæ Jur. Græco-Rom. par. 1. p. 288. excommunicandi poteſtatem negaſſe S. Joh. Chryſoſtomus viſus eſt, a quo ideo reprehenſus legitur Harmenopulus, quod in ſua Canonum Epitome non adnotaſſet, velut a Balſamone in præfat. ad Synod. Gangren. obſervatum eſt, ob illam S. Joh. Chryſoſtomi doctrinam Excommunicationi adverſam, Novellas Conſtantini Porphyrogennetæ, & Alexii Patriarchæ in Synodo an. 1026. editas, quibus Anathema in eos decernitur, qui perduellionis, defectionisque auctores fuiſſent, eorumque participes, & fautores, in deſuetudinem abjiſſe, effectu prorſus omni fruſtratas. Quo perinde fruſtrari, velut perſimiles, alias Emanuelis Comneni, & Palæologi quoque leges Anathematis uſum confirmantes arguit. Atque hæc quidem præpoſtera Philothei opinio mirum, quam adprime Seldeno de Syned. lib. 1. cap. 10. p. 268. arriſerit, qui revera S. Joh. Chryſoſtomo animum ab Excommunicatione prorſus alienum inſediſſe perſuadere conatur ipſius hom. 76. edit. Græco-Lat. To. 1. p. 905, ſive hom. 37. edit. Savilii To. 6. p. 439, confirmareque ſatagit hom. 18. in epiſt. 2. Corinth. cap. 8, hom. 4. in epiſt. ad Hebr., hom. 70. ad Popul. Antioch., Orat. de S. Babyla, alibique aliis. Sed enim non adeo Seldeno frons periit, ut videre, fateriqué nequiverit, eò demum totam S. Doctoris collineaſſe orationem, ut temerarium Excommunicationis uſum, aut tumultuarium utique redargueret, quo nempe Antiochenorum plerique in adverſæ partis fideles Paulino communicantes, in ipſumque odio perciti dira proferre non deſiſtebant, ſive quo impudentiſſimi aliqui extra ordinem legitimæ, Apoſtolicæque ſucceſ-

ceſſionis poſiti hanc infligendæ paſſim Excommunicationis partem, quæ dumtaxat Epiſcoporum eſt, ſibi temere ſumere, vendicareque non verebantur. Quæ ſane interpretandi ratio ex ſermonis contextu ſponte fluit, quo ait Apoſtolis quidem, eorumque velut ex aſſe Succeſſoribus Epiſcopis excommunicandi jus a Chriſto D. fuiſſe communicatum, illiſque denegatum viciſſim, qui eo haud eſſent charactere inſigniti: *Cur igitur*, inquiens, *dignitatem tantam aſſumis, quæ Apoſtolis tantum communicata, & iis, qui illorum ſunt idonei Succeſſores &c.* ? Ex quibus vides, ut Epiſcopis haud detracta excommunicandi poteſtas ſit, quin imo evidenter aſſerta! Sed & S. Doctorem confer in hom. 70. ad Popul. Antioch., ubi non niſi ex graviſſima quidem cauſſa Excommunicationem adhibendam Epiſcopis docet; ubi tamen opus fuerit, & ſeipſum ad eam adhibendam paratum oſtendit: *Nos quidem*, inquiens, *ne trahamur in neceſſitatem optamus; quod ſi venerimus, noſtrum implemus officium, vincula injicimus &c.* Adeundus etiam hom. 61. in cap. 18. Matth., hom. 5. in epiſt. 1. ad Timoth., hom. 15. in 1. ad Corinth., & hom. 4. in epiſt. ad Hebr., ac refertur Can. 31. *Nemo contemnat* 11. q. 3, ubi aperte docet Eccleſiam non audientes excommunicandos eſſe; nec non hom. 8. in Acta Apoſt., ubi Populo Conſtantinopolit. menſem dumtaxat unum præſtituit, quo elapſo, ſiquis vel ex conſuetudine in Juramentum temere erumperet, ab Eccleſiæ ingreſſu removendum ſe ſciret. Qua de re fuſius Ferdinandus Veloſillus in Advert. ad To. 4. ipſius Oper. ad quæſit. 15, Baronius ad an. 382. n. 50, ſeqq., Sixtus Sen. Bibl. lib. 6. Annot. 267, & Theophilus Raynaudus de Monit. Eccl. par. 2. cap. 8. §. 4. Quibus S. Doctorem rite capiendi modis, (ne de altero dicam, quo Dominicus Soto in 4. Sent. diſt. 22. q. 1. art. 1, & Auctores Notar. ad To. 5. Oper. edit. Savil. p. 708, To. 3. p. 802, ac Fronto Ducæus edit. Græco-Lat. To. 1. p. 132. Orationem illam de Anathemate S. Doctori abjudicandam excogitarunt), tertium addidit Seldenus ipſe, exiſtimans videlicet a S. Doctore teterrimum utique Dirarum uſum apud Chriſtianos aſperrime fuiſſe improbatum, Excommunicationis non etiam. Cur vero Philotheo doctrina Excommunicationi adverſa allibuerit adeo, ut eam S. Joh. Chryſoſtomo adſcribere tentarit, ea haud improbabilis

bilis Seldeno cauſſa viſa eſt, quod, Joh. Cantacuzeno Hiſt. lib. 4. capp. 37, & 47. referente, Calliſti, cujus ipſe locum occupaverat, ſibi infeſti diros, quos profundere non deſiſtebat, Anathematiſmos patienti jam ferre aure nequiret. Sed enim non eſt certe, cur hominis Palamæ erroribus a capite ad talos infecti, obquos impenſe laudatus a Joh. Cantacuzeno lib. 4. capp. 29, 32. 37, & 50. legitur: quæ ſane laudes ſuſpectæ admodum Seldeno eſſe debebant, veluti ex eodem Philothei pravo erga Palamæ errores affectu profectæ, infenſum in Excommunicationem animum moremur; quando pro illa totam ſtare retro Antiquitatem novimus. De Philotheo porro, ut ut pronum ad unionem cum Eccleſia Latina redintegrandam geſſiſſe animum videri potuerit Raynaldo ad an. 1367. n. 11, & Rayæo in Acoluthia Offic. Græci §. 3. n. 24, adeundi, ſi placet, Leo Allatius de libr. Eccl. Græc. diſſert. 2. p. 115, ſeqq., Spondanus ad an. 1362. n. 17, Labbeus in Chronolog. hiſt. par. 3. p. 229, Vagnerechius in Proleg. ad Pietatem Marian. Græcor. n. 28, & Cuperus hiſt. Chronol. Patriar. Conſtantinopolit. §. 121. Vetus eſt autem tam Hæreticorum, quam malorum hominum calumnia, & querela, ut Epiſcopis aut hujuſmodi jus Excommunicationem ferendi detrahant, aut enormi juris ejuſdem abuſui ejus uſum deputent. Queis os duriſſimum obſtruendi gratia, excommunicandi jus, non ab Epiſcoporum profectum arrogantia, ſed in Lege tam veteri, quam Nova Divinæ inniti inſtitutioni, ejuſque tam retinentiſſimam ſe jugiter Eccleſiam præſtare, quam Patres diſertos ſe prȩbere teſtes eleganter ajebat S. Gregorius Nyſſ. Orat. de Caſtigat. *Ne Excommunicationem arbitreris eſſe ab Epiſcoporum audacia: Paterna lex eſt, antiqua Eccleſiæ regula, quæ a Lege traxit originem, & in Gratia obtinuit.* Quibus exempla ſubnectit Excommunicationis vice plus ſimplici a S. Paulo in flagitioſos ejaculatæ. Qua perinde in ſententia de Epiſcopali Cenſuras infligendi poteſtate eidem pares ſtetiſſe Patres alii longe plures leguntur, S. Gregorius Nazian. de Moderat. in diſput., & Apolog. 1, ubi tamen omnia primum experienda remedia ante docet, quam tam gravis in meritos infligatur pœna; S. Ambroſius de Pœnit. lib. 1. cap. 14, & de Offic. lib. 2. cap. 27, ubi de Epiſcopi in hac parte officio tanquam Medici egregie more

diſ-

differit suo; S. Hieronymus, qui epist. 1, & 53. Censuram Ecclesiasticam gladii spiritualis, ac virgæ Apostolicæ nomine insignit, in Zach. cap. 5, in Ezech. capp. 17, & 34, ac Hierem. cap. 29. tam de prudentia Episcopali in ferendis Censuris, quam de pœnitentia ab iis agenda, qui Censuris forent inusti, fuse disputat; S. Augustinus, qui de Fide, & Oper. cap. 26, & epist. 54. de gravibus infligendi Excommunicationem cauſſis agit, ac de Corrept., & grat. lib. 1. cap. 15, nec non hom. 50. inter quinquaginta gravio. rem præ reliquis pœnam Excommunicationem vocat, eamque inferre ad Episcopale pettinere judicium adfirmat. Refertur etiam a Gratiano Can. 17. *Corripiantur* 24. q. 3; S. Cytillus in Joh. lib. 6. cap. 20, ubi Capitalium criminum reos ab Ecclesia pelli consue. visse testatur; S. Isidorus Peluſ. lib. 1. epist. 149, ubi officii Episcopalis pattes eleganter describens inter has ptocul dubio locum potestati facit infligendi Censutas; aliique, quos fusius petscqui non est opus.

Quamquam haud prætermittendum, quin obiter per antiquiores Ecclesiæ Synodos discurrendo, observetur nihil hac disciplina in Ecclesia antiquius, nihilque usitatius, quam Excommunicationis minis Decretorum observantiam urgere. Ejus specimina liquidissima suppeditabunt Synodi Eliberitana an. 304, ubi præter Canones passim, quibus certis delictis Communio deneganda sancitur, Canonibus speciatim 16, 20, 21, 34, 41, 49, 50, 52, 53, 54, 56, 61, 62, 67, 74, 78, & 79. Excommunicationis notio divetsis periphrasibus, atque verbis *Abstineri*, *ab Ecclesia abjici*, *a Communione arceri*, *alienari*, *anathematisari* &c. designata occurrit; Arelatensis I. an. 314, ubi Canones inter alios, quibus diversis nominibus denotati flagitiosi a Communione separari jubentur, veluti Can. 3, 4, 5, 11, 12, 14, &c., observatu dignus est Canon 7. in edit. Isid., sive 6. in vers. Sirmondi, unde liquet nihil utique fuisse, quo a distringenda in laicas Potestates dignitatis cujuslibet Censura ptisca Ecclesia prohiberetur; Ancyrana eod. anno, ubi Pœnitentiæ Canones passim abstinentiæ a Communione pœna communitos videre licet, atque inter hos ad Oblationes non admisos, de quibus Canon 5, cum tribus seqq., Excommunicationis speciem sustinuisse notat Pellus in Observat.

ad

ad S. Clementis epiſt. ad Corinth. n. 40; Neocæſareenſis eodem circiter an., ubi Can. 1, 2, & 5. pelli, abjici, expelli flagitiis quibuſdam inquinati jubentur. Inter alios vero illuſtres ſunt Nicæni Canon 5. verſ. Dionyſii, quo ab uno Epiſcopo Communione privati, ab alio recipi prohibentur, & Canon 16, quo Communione privari Clerici præcipiuntur, qui propria ab Eccleſia diſcederent. Jungendi Canones Arabici verſ. Ecchell., & Turr. 3, 6, 7, 9, 13, 16, 20, 21, 22, 24. &c. Euſtathianos extra Eccleſiam eſse definitum liquet a Synodo Gangrenſi, ſingulaſque definitiones eorum confodientes errores anathemate confirmatas. Excommunicationis ſententias ſuis adnexas Canonibus voluit Antiochena, ad eorumdem ideſt obſervantiam urgendam. Nihil etiam celebrius Sardicenſi contigit, quam ab editarum Diſciplinæ legum inobſervantia Excommunicationis metu inobedientes deterrere, velut adparet ex Can. 1, 2, 11, 14, 16, 18. &c. Hoc ipſum Carthaginenſi ſub Grato an. 348. propoſitum hæſit, quod *Perſuaſio interdum prudentes ſolet arcere a peccatis, dum imprudentes debet metus hujuſcemodi conſtringere*, veluti loquitur Can. 3, quo perinde atque Can. 14. Decretorum ſuorum tranſgreſſores, contemptoreſque Excommunicatione dignos pronuntiat, atque plectendos decernit. Redolet ejuſmodi regula undequaque Laodicena etiam, cui Can. 9, 29, 34, ſeqq. graviora quædam facinora Excommunicatione punienda viſa ſunt. Adeundi ad Can. 29. Zonaras p. 349, & Suicerus in Theſ. Eccl. Tom. 1. p. 270. De ſequioris ætatis Synodis non plura ſubtexam, nihil ſiquidem in hiſce frequentius occurrat, quam Excommunicationis fulmina in Eccleſ. legum tranſgreſſores intorta conſpicere. Comparandus interea Cl. Albaſpinæus Obſerv. Eccleſ. lib. 1. cap. 1. de Excom., ubi inter alia interdictam cum Excommunicato communem Orationem obſervat ex Can. Apoſt. 10, Laodicenæ 33, Antiochenæ 2, Carthaginenſis IV. Can. 73; Convivii conſuetudinem ex Can. 30, Arelatenſis II, Can. 15, 16, & 18. Toletanæ I, Can. 3. Venetæ, Can 8. Turonenſis I, Can. 3, 5, & 15. Aurelianenſis I, Can. 13. Ilerdenſis, Can. 4, & 14. Arvernenſis, Can. 15. Epaonenſis, Can. 39. Antiſiodorenſis &c. Nondum tamen manum a tabula retraham, niſi & illud nunc moneam e ſulco rationis eos prorſus re-

silire, qui Ecclesiæ hanc perduelles suo expellendi e gremio potestatis eripere particulam cogitant. Enim vero hoc etiam ab ipso Gentium jure, naturalisque rationis quodam veluti magisterio descendit, quo ignoret nemo, & legum transgressoribus pœnas irrogandas fore, ne frangantur impune, licentiaque peccandi deteriores fiant; & Societati cuilibet rite comparatæ facultatem ineesse eas ab se procul abjiciendi partes, quæ dedecori sint, ac detrimento. Sic recte arguit Basnagius ipse Samuel disert. 3. de Excom. Christ. n. 2: *Membrum putridum resecatur, ne pars sincera trahatur, serpente veneno; Sic Ovis morbida a Grege depellitur, ne omne pecus inficiat.* Moderamine quidem, ac mansuetudine in Regimine Ecclesiæ opus est, cujus Rectores se magis, quam Dominos, Pastores esse cognoscere oportet: Quid interea tamen, si Pastoribus admonentibus nec flagitiis dediti cedant, nec a fide devii ad frugem se recipiant? Quò tandem res Ecclesiæ redibunt? Impune ne, ac libere & grassari flagitia, & fidei convelli fundamenta linquentur, qua plane licentia tum demum & Legum Majestas dispereat, & Ecclesiæ unitas in frusta dissipetur? Ergo & a fide deflectentes, ne in Fidelium perniciem, Religionisque pestem evadant, ab Ecclesia, quæ Christi D. Corpus est, abscindere in eorum facultate esse positum oportet, qui rem Ecclesiæ gerunt, aguntque, e reque Ecclesiæ esse quoque debet ingratos filios, perditosque bonorum suorum, quibus in propriam, Fratrumque perniciem improbe abutuntur, exhæredes scribere. Quæ profecto agendi ratio & ad peccantium salutem, & ad Religionis incolumitatem optime comparata, nec absque delinquentium majori pernicie, nec absque Christianæ Reipublicæ subversione, aut reprehendi, aut reprobari debet, ac potest.

Nisi quia non desunt homines ingenio ita improbo comparati, ut manifesta nequidem se vinci ratione patiantur, insitoque humano generi Jure perdomari: cum queis proinde documentis aliis utendum est, alinsque genus experiunda monumenta, quæ eorum obstinatio, durities, & obstupor non obtundat, non obscuret. Ad diversas itaque ascendendo disciplinæ species, quæ ab Ecclesiæ exordio obtinere visæ sunt, severissimæ Excommunicationis species & illa erat, qua perpetuò a Sacramentorum per-

ce-

ceptione quorumdam atrociorum criminum rei arcebantur, de quibus expliciti ſunt Conciliorum Eliberitani plerique Canones 1, 2, 6, 8, 10. &c., Arelatenſis Can. 14, & 22, Neocæſareenſis Can. 2, Antiocheni Can. 5, &c., ſuſeque agunt Petavius, Morinus, Albaſpinæus, Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 17, & Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 10. cap. 1. n. 6. Erat & illa, qua in flagitia quædam relapſi ipſo facto inflicti intelligebantur, qua de clare loquuntur Synodi Eliberitana Can. 3, & 7, Turonenſis I. Can. 8, Venetica Can. 3, Aurelianenſis I. Can. 11, &c., differitque copioſe Morinus de Pœnit. lib. 5. cap. 27, ac duobus ſeqq. Et illa erat, qua Clericos olim gravi ſe crimine inquinantes confeſtim in foro conſcientiæ, Deoque coram in Suſpenſionem incidiſſe fide adfirmat ſua Auctor Operis de vita Contemplat., S. Proſpero Aquit., aut Juliano Pomerio viciſſim adſcripti, lib. 2. cap. 7, confirmantque Albaſpinæus Obſerv. Eccl. lib. 1. cap. 2, Suicerus in Theſ. Eccl. Tom. 1. p. 601, ſeq., & Benedictus XIV. loco præcit. Cum hiſce porro ſimilitudinem præſeferebant aliquam Purgationis diverſi Ritus, graduſque Ethnicis olim receptiſſimi, per quos tranſire oportebat, antequam ad Sacra admitterentur. Quinque itaque Purgationis gradus enumerat Theon Smyrnæus in Mathematicis cap. 1, atque primus in corporis ablutione reponebatur, 2. in Sacrorum traditione, ſeu explicatione, 3. in Inſpectione, 4. in Coronarum impoſitione, 5. tandem in Numini dedicatione, qua ipſi nempe carus fiebat: de quibus Iſmael Bulliadus in Not. ad Theonem, & Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 10. p. 274, ſeqq. Atqui propius huc faciunt priſci, diverſique ferendæ Excommunicationis Ritus, a quibus intelligas rem tam eſſe legitimo, quam longo, vetuſtoque uſu uſurpatam, in tutoque collocatam. Nam modo *A Sanctis Chriſti Evangeliis* immiſſum Anathema legitur in veteribus Inſcriptionibus, cujuſmodi titulus eſt Bonuſæ, & Mennæ e Suburana S. Agathæ Baſilica in Vatic. Muſeum translatus, quem Exercit. Philol. Sacris egregie illuſtravit Doctiſs. Jacutius, ad quarti interlabentis, incipientiſque quinti Sæculi ætatem referendum oſtendens p. 15, ſeq. Modo Anathema imprecari *A SS. CCCXVIII. Nicænis Patribus* liquet tum ex Ariminenſi Inſcriptione apud Muratorium Theſ. Inſcript. p. 1555. 2

Gervasonio Miscell. Venet. Tom. 5. p. 357, & a laudato Jacutio Exercit. 3. p. 57. illustrata, quam ad Sæculum VII, vel VIII, vel X. revocandam arguunt; tum ex veteri Tabula Montis Ulmi Firmanæ Diœcesis Oppidi reperta Christi an. 1186. signata, de qua Gregorius Placentinus de Siglis Vet. Græcorum p. 92, seqq., & Jacutius cit. Exerc. p. 58, seq.; tum ex Lapide Oxonienſi n. 33. p 36. apud Corsinium Fast. Attic. in Adden. p. 87, Placentinum de Siglis p. 41, & Jacutium p. 59; tum ex Diplomate Stephani III. ad Abbatem Nonantulanum, de quo Ughellus Ital. Sac. Tom. 2. p. 104. edit. vet.; tum ex Diplomate altero Pauli Constantinopolit. Patriarchæ an. 1380. apud Boldetum p. 475. Frequenter *De Auctoritate SS. Trinitatis, de Virtute B. Virginis, de Angelorum suffragiis, de S. Petri Apostolorum Principis vice, de SS. Apostolorum, & Prophetarum adjutoriis, de SS. Martyrum, Confessorum, ac Virginum meritis* &c., diriſque pleriſque adjunctis intortum Anathema legitur, ut in Pontificali Anglicano Monasterii Gemmeticensis ante annos 900. exarato, alteroque Cod. Mſ. ejusdem Cœnobii Sæculi XI, in quatuor Mſs. Codicibus Noviomensi, Regio, Vindocinensi annorum 600, & Vallisellensi, ac in Cod. Mſ. Monasterii Fiscanensis apud Martenium de Antiq. Eccl. Rit. Tom. 2. lib. 3. cap. 8. Aliquando *De Clavo, & Corona Domini* Excommunicatio conspicitur ejaculata, velut in Charta Hugonis Abb. S. Dionysii an. 1193, quam ex Tabulario ejusdem Monasterii exhibet Ducangius in Gloss. V. *Excommunicatio* Tom. 3. edit. Ven. 1738. p. 209. Passim denique Anathema cum maledictione, quæ super Dathan, & Abiron, aut Judam irruit, aut ex Psal. 108. desumpta, pronuntiatum habetur in Conciliis Turonensi an. 570. Can. 24, & Aragonensi an. 1062. in fine, in Codicibus etiam Mſs. Gemmeticensi, Noviomensi, S. Audoeni Rotomagensi annorum 600, ac Fiscanensi apud cit. Martenium. De multigenis porro Formulis aliis, queis olim infligi Excommunicatio solebat, non opus est plura disserere, sed adiri poterunt Synesius Ptolemaidis Antistes epist. 72, ubi ferendæ Censuræ formula usurpari nunc solita perspicitur, Synodi Turonensis cit. loco, & Landavensis apud Spelmannum Concil. Britan. p. 384, seqq., Canones etiam Theodori Cantuar. an. 670. cap. 31, Trecorensia Statuta an. 1371. apud

apud Martenium Anecd. Tom. 4. p. 1121, Burchardus Decr. lib. 11. cap. 2, Ivo par. 14. cap. 76, Gratianus Can. 106. *Debent* 1. q. 3, Theophilus Raynaudus de Monit. Eccl. par. 2. cap. 7. §. 4, Baluzius Capitul. Tom. 2 p. 663, ſeqq., Mabillonius Liturg. Gall. cap. 4. p. 783, Martenius in hiſt. Eccl. Meldenſis Anecd. Tom. 2. p. 173, ac de Antiq. Eccl. Ritib. Tom. 2. lib. 3. cap. 4, &c. Necdum vero Majoribus noſtris diverſæ Excommunicationis formulæ uſu frequentatæ, nec ignoratæ, neque prætermiſſæ erant diverſæ tum Cenſuratum ſpecies, veluti Degradationis, Suſpenſionis, Depoſitionis &c., de quibus liquidi ſunt Canones Synodi Eliberitanæ 20, & 51, Arelatenſis an. 314. Can. 13, & 21, Ancyranæ Can. 1, 9, 13, & 17, Neocæſareenſis Can. 1, Nicænæ Can. 2, 10, 17, & 18, Sardicenſis Can. 11, Carthaginenſis an. 348. Can. 2, 3. & 14, &c., atque mentio paſſim occurrit apud Tertullianum de Baptiſ. cap. 17, S. Cyprianum epiſt. 10, 65, & 66, ac S. Auguſtinum epiſt. 136, 137, 235, & 236, quos recenſet Baronius ad an. 57. n. 22; tum etiam ſpecies Excommunicationis, cujuſce ſex *A Celebratione*, *a Communicatione*, *a Cohabitatione*, *a Benedictione*, *a Colloquio*, *a Commeatu* memorantur in Concilio Vernenſi an. 755. cap. 9, in S. Patricii Decretis p. 26, & 32, in Canonibus Hiberniæ lib. 1 cap. 22, lib. 39. capp. 1, 4, 7, 8, & 11, ac lib. 44. cap. 32, a S. Iſidoro in Regula cap. 16, & a Carolo M. in Capitul. lib. 5. cap. 42, lib. 6. capp. 92, & 140, ac lib. 7. cap. 216. apud Ducangium cit. Tom. 3. p. 207. Celebris ea quoque apud S. Auguſtinum in ſerm. 357. habetur Excommunicationis diſtinctio in Medicinalem, & Mortalem, qua de fuſius Dupinius in tract. hiſt. de Excom., ac PP. Maurini in Addit. ad Ducangium cit. Tom. 3. p. 207, ſeq.

Qui ſe porro hiſce necdum frangi documentis ferunt, ex damnatorum exemplis ſaltem, quibus tota retro Antiquitas undique redundat Eccleſiaſtica, demum obmuteſcere diſcant. Prolixum nimis eſſet ſane, neque neceſsarium multa huc congerere, ſatius ideo habebo illuſtriora nonnulla indicare, quibus & metus vis major inſit, & Eccleſiæ auctoritas inſignior eluceat. Excommunicationis itaque vetuſtatem oſtendit Marci hæretici circa medium Sæculum II. hiſtoria, a quo deceptam Mulierem, ac dein bonam

ad

ad frugem regressam exomologesi, publica idest Pœnitentia, quæ Excommunicationem excipiebat, subjectam fuisse refert S. Irenæus adv. Hær. lib. 1. cap. 13. n. 5. edit. Massuetii, qui comparandus dissert. 3. art. 7. n. 75. A S. Victore P. M. ab Ecclesiastica Communione Quartadecimanos abscisos fuisse auctor est Eusebius hist. Eccl. lib. 5. cap. 25, qua de re fusius Vind. Tom. 3. Par. 2. Art. 6. §. 2. p. 640, seqq. De Paulo Samosateno ab Ecclesia abdicato postquam verba fecisset S. Alexander Alex. in epist. 3. ad Cognominem Constantinopolit. apud Theodoretum hist. Eccl. lib. 1. cap. 4, in Lucianum ejusdem perversi dogmatis sectatorem Excommunicationis sententiam a tribus successive Episcopis fuisse confirmatam subjungit. A S. Nicolao Myrensi dirum in Eustochium Asiæ Proconsularis Præfectum Anathematis telum intortum legitur in ejusdem Actis. Stylico S. Ambrosio petenti reddi sibi ab Altari jussu suo avulsum Cresconium, per multos dies pœnitentia, quæ Censuram excepisse plane videtur, satisfaciendum curasse refertur a Paulino in ejus vita. Gubernatorem quemdam Cappadociæ, a quo molestiam Lybiæ Ecclesia ferebat, Excommunicationis censura S. Athanasius cohibuit. Cujus hac de re Encyclicis acceptis S. Basilius Cappadociæ Metropolita epist. 47. respondit, ac ut refert etiam S. Cyrillus epist. 77, *Aversandum, & exsecrabilem illum aversabuntur omnes, ita ut nec aquæ, nec tecti communionem cum illo sint habituri*. Pari vero constantia, qua Præsulem decebat, Modestum Præfectum coercendum idem S. Basilius sibi proposuit. Illud etiam ingenti fortitudinis laudi S. Augustino vertitur, quod in Bonifacium Africæ Comitem, a quo flagitiosus quidam ab Ecclesiæ liminibus per vim abstractus fuerat, Excommunicationis sententiam intorquere non dubitavit: qua ille perculsus facti pœnitens veniam petiit, captivo dimisso. Quamvis autem Epistola 187. in Append. 6, qua totum id habetur, atque in vetustissimis optimæ alioqui notæ Codicibus S. Augustino tributa legitur, hodie ab emunctioris naris Criticis S. Doctori abjudicetur; negari tamen nequit, quin antiquissimi Scriptoris fœtus sit, reique gestæ indubium sit argumentum. Severianos Communione ab Euphranone Rhodio Episcopo privatos auctor est Prædestinatus Hær. 24. Anno 411. a Synesio Ptolemaidis

dis Antiſtite ſolemni ritu ab Eccleſiæ adytis, a Chriſti fidelium alloquio, conſortioque, a Sepulturæ Chriſtianæ honoribus, & a Sacrorum Myſteriorum participatione abſciſſos fuiſſe, abjectoſque Andronicum Beronicenſem Pentapoli in Ægypto Præfectum, Thoantem, Lampanianum, alioſque ob facinora in Chriſtianæ fidei profeſſores dire patrata diſcimus ex ipſius Epiſtolis 57, 58, 60, 67, 72, & 79. Videndus & Baronius ad an. 411. n. 53, ſeq. A Synodo Lugdunenſi an. 518. Stephanus quidam vir præpotens una cum Palladia, cujus inceſtuoſa utebatur conſuetudine, Sacris interdictus legitur; unaque admonitos de magnanimitate adverſus Magnatum non reſipiſcentium vexationes induenda liquet Epiſcopos Can. 1, 2, & 6. apud Harduinum Tom. 2. p. 1053, ſeq. Sed exemplorum hujuſce genus ſatis. Quandoquidem vero eò devenit Proteſtantium quorumdam, atque Seldeni quammaxime de Syned. lib. 1. cap. 10, dementia, ut excommunicandi jus ſibi met tribuiſſe Imperatores p. 219, ſeqq., ab Imperatoribus idem deinde jus Eccleſiæ fuiſſe tributum p. 226, ſeqq., tributumque Eccleſiæ jus demum iſtud coarctatum ab Imperatoribus fuiſſe dicere ſomniaverint. Ad hæc vero ab Eccleſia excommunicatos a Regibus rite abſolutos p. 246, ſeqq., nec abſque Regum licentia Regios rite excommunicari Miniſtros, atque nominatim Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Hungariæ Regum p. 248, ſeqq. effutire non deſinant, adeoque ut integrum in Poteſtate laica Cenſuras irritandi ponere jus neque dubitent p. 364: ea propter operæ pretium erit paucis ſaltem oſtendere, quam ab antiqua Eccleſiæ praxi abnormiter iniqua hæc Proteſtantium opinio abhorreat, exempliſque docere Principum dignitatem non uſque adeo ſuſpiciendam primitivam credidiſſe Eccleſiam, ut illos ita extra propriæ fines poteſtatis eſſe conſtitutos exiſtimaverit, ut in ipſos Excommunicationis pœnam, quum opus foret, extendere pepercerit, abſtinueritque.

Atque ad hanc quidem adſtruendam Diſciplinæ antiquitatem, exemplum cum Baronio in Paræneſi ad Rem p. Venet., & cum Bellarmino de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 7. non accerſam Philippi Imper., quem primum Chriſtiana fide imbutum ferunt Acta S. Pontii Martyris Cimellenſis, a S. Fabiano P. M. vero in die ſo-

solemni Paschatis ob ipsius peccata quædam publica Communione exclusum, nec eidem antea restitutum, quam pœnitentia, confessioneque publica eadem eluisset, ex aliorum traditione refert Eusebius hist. Eccl. lib. 6. cap. 25, cujus ideo dicto adhærere Baronio ad an. 246, Huetio Origen. lib. 1. cap. 3, Patri de la Faye in dissert. Gall. de Philippi Christ., Westenio ad Origenem contra Marc. in præf. p. 7, seqq., Stephano Moynio in Not. ad Varia Sacra p. 1106, seqq., aliisque religio fuit, dictumque confirmare testimoniis S. Hieronymi, Orosii lib. 7. cap. 13, Vincentii Lirin., & Scriptoris Actor. S. Pontii. Quibus etiam favere videntur Origenes, cujus extare ad Philippum Imp., & ad ipsius Conjugem Severam epistolas testatur Eusebius lib. 6. cap. 36; S. Joh. Chrysostomus, qui Orat. in Gent. de Philippo loqui visus est, dum Imperatorem, cujus nomen ignorabat, Regis cujusdam filium obsidem, violato Gentium jure, interfecisse refert, ac post facinus Dei Templum Antiochiæ ingredi volentem a S. Babyla repulsam tulisse, injecta in pectus ingredientis manu; ac Leontius, a quo similia de hacce S. Babylæ Imperatorem a Templi ingressu prohibentis fortitudine tradidit. Verumtamen, ultraquod Constantinum M. ex Imperatoribus primum audivisse, qui Christo D. nomen dederit, auctores sunt liquidi Lactantius Inst. Divin. lib. 1. in procem., Scriptor coevus vitæ S. Pacomii, S. Ambrosius Orat. in funere Theodosii, sive ser. 34, Sulpitius in hist. Sac., Theodoretus lib. 5. cap. 39, &c., Philippum utrumque, Patrem ideist, ac Filium Ludis Sæcularibus, superstitione plenis, in quibus suem, impurissimum animal, Severi Imp. exemplo, mactatam fuisse, constat, ac perinde Simulacrorum impiis Sacrificiis operam dedisse, & quidem an. 247. referunt Victor de Cæsaribus cap. 28, Zosimus lib. 2, Eusebius ipse in Chron., ostenduntque Nummi tres præsertim, quorum primum produxit Angelonius, secundum Spanhemius, tertium Mediobarbus; alii præterea, quos e Museo Emin. Alexandri Card. Albani protulere Blanchinius, Monelia &c., in quibus figura sacrificans ad Aram visitur, nomen vero legitur Philippi ludos Sæculares celebrantis, dum Tribunitiam IV. potestatem gereret, quod cit. an. 247. contigit, qui anno insq. Veronæ interfectus, una atque Filius Romæ, Eutropio teste. Adden-

dendus Nummus alter a Baſnagio in Muſeo Baronis de Hekeren conſpectus, in cujus antica ſtat Philippi caput cum radiis, in poſtica Jupiter dextera fulmen, ſiniſtra haſtam tenens cum inſcriptione: *Jovi Conſervatori*: qui Nummus cuſus eſt Philippo Conſule III, hoc eſt an. 248, eo ipſo nempe, quo mortem oppetiit. Poſtremo Apotheoſi Philippum utrumque poſt obitum a Senatu donatum auctor eſt Eutropius: ex quo fit manifeſtum de addicto ad fidem Philippo Ethnicis nihil ſuboluiſſe; quod fieri nequiviſſet, ſi vere Chriſtianum egiſſet: nam palam a Numinum Fanis, & Sacrificiis abſtinuiſſet, Eccleſiaſque vel Catechumeni, vel Fidelis nomine aut fuiſſet ingreſſus, aut frequentaſſet. Nulla ergo fides Scriptori Actorum S. Pontii, apud Baluzium Miſcell. Tom. 2. p. 133, ac Papebrochium Tom. 3. Maji ad diem 14, Philippum Chriſtiana fide imbutum referenti, dum celebraretur annus Urbis milleſimus, qui in eumdem an. 247. Æræ Chriſtianæ incidit. Nulla etiam fides Euſebio narranti Philippum an. 244. ſub Imperii initio Chriſto D. nomen dediſſe: quo ipſo anno Antiochiæ eumdem Imperatorem, peccatis confeſſione publica expiatis, a S. Babyla in Eccleſiam ad preces admiſſum fuiſſe perhibet, in Chron. vero ſcribit in Ludis ſæcularibus a Philippo celebratis mactatas victimas in Circo magno, & in Campo Martio Theatrica acta. Sed hoc de argumento plura dabunt Joſephus Scaliger ad Euſebii Chron. n. 2260, Pagius uterque ad an. 244. n. 5, ſeq., & 247. n. 6, ſeq., ac in Brev. hiſt. Crit. Tom. 1. in S. Fabiano, Samuel Baſnagius Annal. Polit. Eccl. Tom. 2. ad an. 244. n. 6, ſeqq., & in diſſert. hiſt. de Philippi Arabis, Alexandri Mameæ, Plinii Jun., & Annæi Senecæ jactato Chriſtianiſmo, Chriſtoph. Cellarius diſſert. Acad. p. 322, ſeqq., Fridericus Spanhemius Oper. Tom. 2. p. 400, ſeqq., Bened. Pictetus in diſſert. adverſus P. Fayum, Monelia, Mamachius &c. Neque magis Blondello de Primatu p. 435. ex fide Theodoreti lib. 3. cap. 12. adfirmanti ab Euzojo Antiocheno Eccleſia, ne Sacris intereſſet Myſteriis, tanquam indignum, prohibitum Julianum Apoſtatam, adſentiar. Siquidem de Juliano, nec Apoſtata utique, ſed Apoſtatæ avunculo, id unum eo loci tradit Theodoretus, velut advertit Baſnagius diſſert. 3. de Excom. Chriſt. n. 10, eum *Sa-*

cram Mensam perminxisse; quumque Euzojus id facinus prohibere vellet, colaphum ei inflixisse. Neque demum Ven. Baronio fidem obligabo meam ad an. 407. n. 23, seqq. fidei & ipsi confiso Nicephori lib. 13. cap. 34, Glycæ Annal. par. 4, & Codicis Veteris Card. Sirleti adfirmantium a S. Innocentio I, ob injurias S. Joh. Chrysostomo illatas, Arcadium, & Eudoxiam Ecclesiastica fuisse Communione interdictos. Nam Epistolas ad unam omnes quinque S. Innocentio tributas, queis integra hæc fabula texitur, pseudo epigraphis, ulla absque dubitatione, deputandas fore, otiosique longam post ætatem impostoris opus fuisse, nec ante sæculum VI, antea nempe quam famosa tribus de Capitulis quæstio exoriretur, confictum ostendit Doctiss. Coutantius in Append. ad Epist. Rom. Pontif. in monito prævio ad hasce S. Innocentii Epistolas p. 102, seqq.

Pseudonymis igitur hisce dimissis, germanum est utique Theodosii Senioris exemplum, quem a S. Ambrosio, ob patratam Thessalonicæ cædem, frustraque de pœnitentia agenda prius admonitum epist. 61. Class. 1, Ecclesiæ liminibus repulsum fuisse, nec ad pristinæ Communionis jura ante receptum, quam publica Ecclesiæ pœnitentia fecisset satis, testes sunt liquidi Paulinus in ejus vita, S. Augustinus de Civit. lib. 5. cap. 26, Ruffinus lib. 3. cap. 18, Sozomenus lib. 7. cap. 25, Theodoretus lib. 5. cap. 17, & Facundus Herm. lib. 12. cap. 3, a quibus dignis ideo laudum elogiis tam Principis Christiana obedientia, quam Præsulis Sacerdotalis magnanimitas mactatur. Atque perinde Crouzasii e Protestantium grege insignis in Logica sua refellitur temeritas, qua S. Ambrosio superbiæ, arrogantiæque vertere ausus est, quod Imperatori Ecclesiæ fores intercludere non fuerit veritus. Optimi hujus officii partes cum in S. Doctore vindicando, tum in Hæretico sychophanta castigando exequutus Cl. Muratorius ad an. 390. To. 2. par. 2. edit. Rom. 1752. p. 288, seq., viden, ut laudibus etiam celebretur a Doctiss. Cennio in Ephem. litter. Rom. an. 1745. art. 8. p. 64, seqq., & Catalano in præf. Crit. ad eosdem Annal. Tom. 1. p. 26, seqq. Huic affine de S. Hilaro Prædecessore suo fortitudinis argumentum, qua Anthemio Imp. Hæreticorum Sectis Conventicula celebrandi libertatem facienti restitit, interposi-

poſito juramento jubens, ut ab hiſce deinceps indulgentiis elargiendis religioſe abſtineret, in epiſt. ad Datd. Epiſcopos profert S. Gelaſius. Anaſtaſium Imp. Concilio Chalcedonenſi infenſiſſimum e Sacris Tabulis eximere Antiſtites plerique non extimuere, eique Anathema denuntiare Eccleſia Hieroſolymitana non abſtinuit. In Marcianum Imp. viciſſim egregium Chalcedonenſis Synodi defenſorem Anathema dixiſſe Abba Samuel Jacobitarum in Æthiopia Patriarcha legitur in Kalend. Æthiop. ad diem 26. Julii od. 4; non ſecus atque ſequiori ætate in Zadenghelum Æthiopiæ Imperat. Excommunicatio a Simeone Metropolita, & Abuna Petro Metropolita Alexandrino ideo intorta, quod animum ad fidem de duabus in Chriſto D. naturis, Payſio Tremonenſi perſuadente, inflexum, pronumque præſeferret, refertur a Jobo Ludolfo hiſt. Æthiop. lib. 3. cap. 10. §. 44, ſeq. Quibus junge prolatum longe poſt ab Alphonſo Mendeſio, legitima auctoritate defungente, in Prætorio Æthiopiæ Præfectum Anathema, de quo præcit. Ludolphus lib. 3. cap. 2. §. 121, & Tellezius lib. 4. cap. 2. p. 331, atque videndus, qui de receptiſſima, vetuſtiſſimaque apud Æthiopes diſciplina iſta fuſius agit, Oertelius in Theolog. Æthiop. loco 17. de Poteſt. Clavium p. 172, ſeqq. Ad Occidentis Reges reflectendo ſermonem, in tribus Landaviæ an. 560. in Anglia celebratis Synodis tres Angliæ Reges Excommunicatione plexos legere eſt apud Spelmannum Collect. Tom. 1, in prima nempe Mourium, ob homicidium patratum, violatumque pactum ſuper Altare S. Petri factum, nec ab ea ſolutum, niſi biennio, & amplius in oratione, jejunio, & eleemoſynis expenſo; in ſecunda Morcantium, ob Patrui ſui cædem, a qua demum, pœnitentia accepta, peractaque, abſolutus eſt; in tertia Guidnerthum, ob violentas, truceſque Fratri ſuo injectas manus, nec ante reſtitutum, quam aſperrimæ collum pœnitentiæ ſubjugaſſet. Frequentia hujuſmodi in Anglicana hiſtoria Diſciplinæ ſe offerunt ſpecimina, quibus de rurſus infra. Leonem Iſaurum Sacras in Icones attociter deſævientem cohibere adgreſſus S. Gregorius II, duabus graviſſimis epiſtolis, a Baronio ad an. 726. deſcriptis, ipſum ſuas ad preces a Deo Satanæ, niſi reſipiſceret, fore tradendum ſerio, diſtricteque admonuit. Lippis, atque tonſoribus decantantur Excom-

municationum diræ, quas effundere non hæserunt in Lotharium Gall. Regem, ob Theutbergæ repudium, S. Nicolaus I, & Hadrianus II, in Carolum Calvum, ob Regnum Ludovico Imp. usurpatum, idem Hadrianus, in Nomenojum Britanniæ Ducem, ob ingentia flagitia insigni cum tyrannide copulata, Synodus Parisiensis an. 849. in Balduinum Flandriæ Comitem ob raptum Judithæ Ethelrado Angl. Regi desponsatæ, Synodus Suessionensis an. 862: qua de re legenda S. Nicolai I. epistolæ 20. ad Carolum Calvum, & 21. ad Hermentrudem Regin., quibus utriusque erga Balduinum ad Apostolicam Sedem appulsi gratiam exoptat, cum queis tamen altera comparanda ejusdem Pontificis epistola ex Annalista Bertinianensi ad an. 862. exhibita ab Harduino Tom. 5. p. 569, qua Balduinum ab Excommunicatione se minime absolvisse tradit. Excommunicationis minas iterum in eumdem Balduinum, ob Ecclesiasticas res invasas, ac rebellionem in Carolum Simplicem Regem, a Synodo Remensi an. 892. intentatas refert Flodoardus lib. 4. cap. 4; qui & cap. 5, seq. a Fulcone Rem. intentatas similiter Carolo Simplici Anathematis minas, ob impurum cum Normannis Idololatriæ adhuc deditis initum fœdus, commemorat. In Angliam regrediendo, in septem Synodis Landaviæ circa an. 887. habitis Excommunicatione perculsi totidem Angl. Reges leguntur apud Spelmannum, Wilkinsium, & Harduinum Tom. 6. par. 1. p. 390, seqq., videlicet ob homicidium, & perjurium Teudur, & Clotri, ob incestum Gurcan, ob perjurium, & homicidium Hovel, & Conblus, ob Ecclesiasticam violatam immunitatem Loumarch, & Brochvil. In Landavensibus quatuor aliis an. 950, 955, 988, & 1056. ob sacrilegium Nougui, ac sex de ipsius familia homines, ob fratricidium Arthmail, & ob ingentia flagitia tota Regis Catgucauni familia diro leguntur Anathematis gladio confossi. Quod a cervicibus denique suis ut arcerent fulmen, lacrymis, precibus, eleemosynis, jejuniisque non pepercere. Edgaro Regi etiam ob sacrilegium a S. Dunstano Cant. Archiep. in Synodo an. 969. septennalem impositam pœnitentiam refert Osbernus apud Baronium ad an. 970. n. 6, seq., ubi videndus Pagius n. 9; & apud Harduinum p. 678; similemque Eduino Regi mulieroso ab eodem inflictam discimus ex Surio ad diem 19. Maji.

Maji. In Gallia rurſus a S. Germano Pariſ. Antiſtite Cenſura notatum Charibertum Regem, quod inceſtas cum Manoveſa Merofeldis ſorore nuptias contrahere non fuiſſet veritus, auctor eſt S. Gregorius Turon. hiſt. Franc. lib. 4. cap. 26. A Synodis item Engilenheimenſi, & Trevirenſi an. 948. Hugo Comes Regni Ludovici invaſor diſtricto Anathematis gladio inflixus eſt. Ejuſdem in Ludovicum Reg. perduellionis reus item Tetbaldus Comes in Synodo Laudunenſi eod. an. cenſura notatus eſt: quæ perinde Cenſura in Hugonem lata ab Agapeto II. in Romana Synodo an. ſeq. confirmata legitur. Ob res Eccleſiis ablatas, in Ragenoldum Comitem in Synodo apud S. Theodoricum in Territorio Remenſi an. 952, & in Iſuardum Comitem alterum in Synodo incerti loci in Burgundiæ finibus an. 955. Excommmunicationis ſententia, quæ in poſteriorem confirmata quoque fuit a Johanne XII, intorta habetur apud Flodoardum in Chron., & apud Harduinum eam ex Tabulis S. Symphoriani Auguſtod. a Chiffletio deſcriptam exhibentem p. 619. Junge S. Romualdum, a quo Othonem III. ob perjurium graviſſimis increpitum verbis, Imperioque ſe abdicare paratum graviſſimæ ſuppoſitum pœnitentiæ tradit in ejus vita S. Petrus Damiani.

Valde notabiles Diratum ſunt Fotmulæ cum Excommunicatione conjunctæ, quas nobis vetera Eccleſiarum ſuppeditant Monumenta, velut illam cum excluſione ab Angelorum conſortio, & traditione Satanæ, quæ habetur in S. Willebrodi Ultrajectini Teſtamento apud Aubertum Miræum, & Boſchartium diſſert. 131. de Primis Friſiæ Apoſtolis; cum lepra Giezi, ut in Charta Reoli Archiep. Remenſis apud Mabillonium Append. 2. Annal. Bened. To. 1. p. 702; cum Dathani, & Abironis exitu, ceu in Charta Fundationis Monaſterii S. Hippolythi apud Martenium Theſ. Anecd. To. 1. p. 76, & Monaſterii Ferretenſis p. 78, ac in Capitul. Reg. Franc. apud Baluzium To. 2. in Form. Excom. p. 676. Confer & Weſſelingium Probabilium cap. 27, ubi de Diris Judæis uſitatis uberrime differit. Notatu etiam digna occurrit Diratum formula, quæ Concilii Aragonenſis an. 1062. ſub Ranimiro Hiſpan. Rege concluſioni ſubjicitur, qua nempe Regi cuicumque, qui Regali, ac Pontificali decreto, quo eo in Concilio ſancitum fuerat, ut

Ara-

Aragonenſes impoſterum Epiſcopi ex Monachis S. Johannis Rupenſis eligerentur, derogare auſus fuerit, dira cuncta imprecantur, Dei Omnipotentis indignatio videlicet, Regalis dignitatis, ac poteſtatis amiſſio, a Chriſtianorum conſortio Separatio, ac cum Dathan, & Abiron, & Juda perennis in Infernum detruſio. Eam ex Hieronymo Blanca in Comment. rer. Aragon. deſcriptam exhibet Harduinus To. 6. par. 1. p. 1136, apud quem Coſſartius in Not. Concilium hoc ad an. 1034. transferendum exiſtimat. In re notiſſima non multus ero, ſatis arbitratus, ſuperque eorum ſplendidiſſima indicare nomina, in quos Apoſtolicus animadvertere gladius non abſtinuit. De Pontificibus porro, qui gladii utriuſque poteſtatem in Sæculares poteſtates exercuere, fuſe agit Card. Aragonius, incipiens a S. Felice II., qui Conſtatium damnavit, ac deſinit in Clemente VI, qui Dominum de Mediolano infenſiſſimum Eccleſiæ hoſtem diris cunctis devovit. Vulgavit eum Muratorius Rer. Ital. To. 3. p. 274, Excerpta vero nedum edita indicat Manſius Bibl. Latin. Fabricii To. 5. lib. 13. p. 126, ſeqq. Horum pleraque jam ſparſim perſequutus ſum, reliqua adhuc non pauca levi nunc brachio attingenda. Itaque ſevera Excommunicationis ſententia qua dejecti, qua deterriti ſunt Inveſtituras uſurpans Henricus IV. Germ. Rex, & S. Stanislai Poloni interfector Boleslaus Rex Polon. a S. Gregorio VII: quo a Pontifice in epiſt. ad Flandriæ Epiſcopos pari ſententia percuſſus, ob favorem Lamberto impenſum, Robertus Flandriæ Comes legitur; Philippus I. Franc. Rex, quod Berta dimiſſa, Bertradam ſuperinduxiſſet, ab Urbano II, & Paſchali II; Henricus V. Imp., quod ab Inveſtituris abſtinere nollet, a Calliſto II. S. Thomas Cant. lib. 1. epiſt. 136. ad Boſonem Card., & lib. 4. epiſt. 14. ad Alexandrum III. ab Eugenio III. Stephanum Angl. Regem Anathemate perculſum refert. Ob ingentia flagitia Fridericus I. ab Alexandro III, & ob inceſtas nuptias Alphonſus Galleciæ Rex a Cæleſtino III, a quo pari animadverſionis pœna affecti ſunt Leopoldus Auſtriæ Dux, quod Richardo Angl. Regi ab Expeditione Hieroſolymitana regredienti violentas injeciſſet manus, & Philippus II. Gall. Rex, quod Ingelburge repudiata, Mariam Ducis Moraviæ filiam duxiſſet Uxorem. Diri ſimiliter Anathematis telum intortum, aut intenten-

tentatum ſcimus ab Innocentio III. in Johannem Angliæ Regem ob injurias Monachis Cantuar. Eccleſiæ inlatas, ac in Angliæ Optimates ob rebellionem in eumdem Regem motam. A Gregorio IX. Conſt. *Si Nobilis* apud Martene Anecd. To. 1. Epiſcopo Cenomanenſi in mandatis eſt datum, ut Anathemate Britanniæ Ducem libertatis Eccleſiaſticæ violatorem feriret. Eodem a Pontifice, & ab Innocentio IV. in Fridericum II. Eccleſiam perſequentem, & a poſteriori in Conradum Imperium affectantem Apoſtolicus exertus eſt gladius. Imperii Electores de Conradino in augurando cogitantes, & Ecchelinus ab immanitate, & cædibus inferendis non deſiſtens Anathemate deterriti ſunt ab Alexandro IV. ſub qua perinde Cenſuræ pœna a Regno Siciliæ, Regioque etiam nomine Conradinus abſtinere a Clemente IV. mandatus eſt. Anathematis timore Imperii Electoribus de Imperatore eligendo ſollicitudinem ingeſſit B. Gregorius X. Petro Aragonio, ob invaſa Siciliæ jura, Anathema dicere Martinus IV. die 21. Mart. 1283. non abſtinuit. Ab Urbano V. judiciaria ſententia inuſtus Bernabò Mediol. Dux legitur apud Raynaldum ad an. 1362, ſeq. Petrus Crudelis item Caſtellæ Rex apud Froiſſardum, & Valſingamum ad an. 1366. Martinus V. & Michaelem Palæologum, quod a fœdere in Concilio Lugdunenſi ſancito, levi pro ingenio, reſiliiſſet, & Petrum Aragoniæ Regem, quod Siciliæ Regnum, contra Sedis Apoſtolicæ voluntatem, ſibi uſurpaſſet, Excommunicatione devinxit: cujus etiam minis intentatis Sanctium Caſtellæ Regis filium ab inceſtis nuptiis deterruit. Ladislao Hungariæ Regi pellicibus Cumanis in prædam fœde dedito, earumque pravam ob conſuetudinem fidei ſuſpicione graviter laboranti, ni reſipiſceret, bonamque ſe ad frugem reciperet, Apoſtolicum fulmen minitatus legitur Nicolaus IV: quod etiam diſtringere in Jacobum Aragonium a Siciliæ occupatione non deſiſtentem haud omiſit. Et in Ericum Daniæ Regem, quod Johannem Lundenſem Archiep. in vincula conjeciſſet, & in Philippum Pulcrum Regem Gall., quod Eccleſiaſticæ Juriſdictionis partem haud exiguam in proprium transcribere jus affectaret, Excommunicationis intorquere tela non diſtulit Bonifacius VIII. Intorſere & in Andronicum Imp. in Schiſmate obfirmatum Clemens V, & in Ludovicum Bavarum

Schiſ.

Schisma in Ecclesia conflantem Johannes XXII, & Clemens VI. Itaque a prisca ad sequiorem usque ætatem, severa ab hac exercenda in Principes etiam Censura, quoties e Christianæ re esset Reipublicæ, cessatum est nunquam. Atque ita suæ adversantibus electioni, aut etiam in se conspirationem ineuntibus Johannæ I. Siciliæ Reginæ, Carolo Dyrrachino, Ludovico Andegavensi, & Johanni Castellæ Regi Anathema inflixit Urbanus VI. Quamquam, quod ii Clementis VII. partes, Urbano derelicto, fuerint consectati, excusatione dignos facit turbatissimæ electionis dubietas, veluti diriſſimi, juxtaque diuturni Schismatis ostendit eventus. Cujusce Schismatis culpa deinde absque excusatione detentos Johannem Comitem Armeniacum, & Alphonsum Aragonium Censuris absterruit Martinus V. legitimis electus suffragiis. Ulrico, quod Friderico Imp. Ladislai Hungariæ Regis adhuc Pupilli tutelam eripuisset, iram Dei vindicem interminatus est Nicolaus V. A Pio II. Sigismundus Malatesta, & Homonymus Austriacus dira, quælibet experti sunt. Ita & Georgius Podiebrachius Bohemiæ Rex ab eodem Pio II, & a Paulo II.; Hercules Atestinus, aliique Florentinis opem ferentes a Sixto IV. Ita Ferdinando Neapolis Regi, quod vectigal Romanæ pendere detrectaret Ecclesiæ, ab Innocentio VIII; Ludovico XII. Regi Gall., quod Cardinalem Medicæum captivum detineret, ac Pisanæ adhæreret Pseudo-Synodo; Alphonso quoque Ferrariæ Duci, quod Gallis inique studeret, a Julio II. Sacris interdictum est. Judiciariam item severitatem, ob hæresis crimen, cum Henrico VIII. Angl. Rege Paulus III, cum Johanna Regina Navarræ Pius IV, cum Elizabetha prætensa Angliæ Regina S. Pius V; cum Henrico III. Navarræo, & cum homonymo ejus Patruele Condæo Principe Sixtus V; cum Henrico IV. Gregorius XIV, & Clemens VIII. adhibere non reformidarunt. Mitto longe plura, ne sim longior, ac præter opus Lectori fastidium inferam.

Hinc itaque liquido patet, quam falso Dupinus in Tract. hist. de Excom. adfirmarit Excommunicationis ortum, & usum Sæculi X. ætatem haud excedere: quam falso Cellotius de Hier. Eccl. lib. 5. capp. 17, ac 20. scripturierit irritum fore, quidquid a Pontifice contra Galliarum Reges, ac Regnum decerni contingeret,

geret, neque Reges ipſos Franc., vel ab Epiſcopis, vel ab ipſo Pontifice Cenſuris impeti poſſe, quem ideo redarguit, ac refellit Hallier de Hier. Eccl. lib. 4. ſect. ult. cap. 2. art. 2. p. 884, ſeqq. edit. Pariſ. 1656: quam falſo Arnaldus contenderit ex privilegio a ſpiritualibus etiam Eccleſiæ pœnis exemptos Reges; contra quem ideo epiſtola conſcripta, inſcriptaque *Gallus deluſus* pœnis certe Spiritualibus coerceri, punirique, pro Religionis bono, Principes Chriſtianos poſſe, Bernardus Deſirantius oſtendit: quam falſo Gaufridius in ſuprema Aquiſextiana Curia Advocatus Orat. die 21. April. 1716. habita adverſus Synodales Ordinationes Epiſcopi Maſſilienſis effutierit Regios Officiarios, propria obeuntes munia, nec ab Epiſcopis, nec imo a Pontifice Excommunicatione percelli poſſe: quam falſo Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 10. aſſeruerit excommunicandi jus Imperatores ſibi tribuiſſe; Imperatoribus id juris ab Eccleſia neque fuiſſe denegatum; ab Eccleſia quin etiam pro legitime abſolutis habitos, queis abſolutionis beneficium largiti Reges fuiſſent, Regumque Miniſtris, & Officialibus, Regum abſque licentia, inflictam ſententiam robore omni carere. Tanti enim vero Excommunicatio a Poteſtate etiam laica fieri olim conſuevit, ut ea irretiti intra annum, aut intra dies 40. interdum Eccleſiæ ſatisfacere, vel ab Epiſcopis abſolutionem impetrare cogerentur. Ita in Galliis ex S. Ludovici Regis Edicto an. 1228. relato a Ducangio in Not. ad Jonvillam, & in Gloſſario V. *Excommunicatio* To. 3. edit. Ven. 1738. p. 210, ſeq; ex altero ejuſdem Regis Edicto Pontiſaræ an. 1245. exarato; ex Statutis ejuſdem S. Regis lib. 1. capp. 121, & 123; ex veteri Conſuetudine Norman. cap. 21, ex Conciliis Triburienſi an. 895. Can. 3, Melodunenſi an. 1216. cap. 2, Narbonenſi an. 1227. cap. 1, Campiniacenſi an. 1238. cap. 18, Biterrenſi an. 1246. cap. 36, Copriniacenſi an. 1260. cap. 15, Lambethenſi an. inſeq. cap. *De Excommunicatis capiendis*, Burdegalenſi an. 1262. cap. 1, ſeq., Colonienſi an. 1266. cap. 38, Langeſienſi an. 1278. cap. 6, Audomarenſi an. inſeq. cap 1, Santonenſi an. 1282. cap. 2, Avenionenſi an. 1326. cap. 41, inſtaurato in Avenionenſi altero an. 1237, &c. In Anglia intra 40. dies Excommunicatus, niſi ſatisfeciſſet, a Poteſtate laica carceri mancipabatur, qua de re Bracthon de Ex-

cept. lib. 5. cap. 23. §. 3, seq., Fleta lib. 6. cap. 45. §. 2, & Rastallus V. *Excommengement*. Qui si post dictos 40. dies Barones latam in se sustinuissent Excommunicationem, eorum subditi fidelitatis juramento solvebantur, eorum Terra interdicto supponebatur, ac Feuda in superioris Domini jus transferebantur, quoad usque feciſſent Ecclesiæ satis. Ita in Chartis Angl. apud Guillelmum Prinæum de Libertat. Anglic. To. 2. p. 358 & 410, in Tabulario Episcop. Ambian. fol. 5, in Statutis Synodalibus an. 1287. cap. *De Sententiis* To. 2. Concil. Angl., in Synodis Lambethensi an. 1261. cap. *De Excom. capien.*, & Londinensi an. 1342. cap. 13, ac in Provinciali Ecclesiæ Cantuar. lib. 3. tit. 28, & lib. 5. tit. 17. Confer & Friderici I. Imp. legem apud Conradum Urspergen. an. 1187, & Hemereum in Augusta Viromand. Regesti p. 51. In Gallia rursus sub pœna carceris interdum ad petendam absolutionem compulsi a Judicibus Regiis excommunicati leguntur in Chron. Abbat. Castrensium cap. 19, & in Jonvilla p. 13. Durius imo aliquando cum Excommunicatis actum, qui Ecclesiæ facere satis haud festinabant, absolutionemque petere. Nam lapides eorum in Domos projiciebantur, ac feretrum deferebatur ante fores, quasi eorum funus curandum foret, aliaque factitabantur, quæ sustulit demum Synodus Avenionensis an. 1337. apud Baluzium in Collect. Concil. p. 352; quibus de adeundi Ducangius, sive PP. Maurini in Addit. loc. cit.

Tantum igitur abest, ut Principes aut sibimet hanc Excommunicationes infligendi potestatem arrogarent, aut ab inflictis se prorsus haberent immunes, ut imo ab Ecclesia inflictas observari tam e re quoque sua, quam religioni summopere duxerint. Frustra perinde, falsoque deterrimum hunc esse Excommunicationis abusum Ecclesia procul eliminandum persuadere adnituntur Thomas Erastus, Adamus Neuserus, Antonius Engelbrecthius, Gothofredus Arnoldus in figura Eccl. Ministri Spirit. p. 476, Christ. Thomasius, Gottl. Gerahr. Titius &c., quibus vel ex Protestantibus ipsis valide se se opposuere Beza, Brounius, Fechtius, Beerensprungius, Pfaffius, Oertelius &c. Atque in hanc utique de Ecclesiastica potestate ferendæ vel in Principes Excommunicationis persuasionem, jugemque praxim utramque, in Gallia præsertim,

Eccle-

Eccleſiaſticam, ac Civilem poteſtatem conſpiraſſe, eidem adſtipulatis Juris utriuſque Doctoribus, ex ejuſdem Eccleſiæ documentis manifeſtum evadit. Certe enim Galliarum Reges publicis Edictis, velut editis an. 1657. Art. 15, & an. 1695. Art. 30, & 34. id integrum, ſacratumque juſſere, ut Supremæ Curiæ, Regii Adminiſtri, Judices, Officiariique nullatenus Eccleſiaſticis ſe cauſſis immiſcerent, Eccleſiarumque juribus crearent invidiam. Clerus vero Gallicanus an. 1629. invicta animi conſtantia Edicto intercedere non dubitavit eodem anno edito, quo Eccleſiaſticis Regni Judicibus, ſub pœna addicendorum Fiſco bonorum, prohibebatur Eccleſiaſtica Cenſura in Judices, Regioſque Miniſtros, & Officiarios, ſuo defungentes munere, animadvertere. Siquidem etiam Vaſatenſis Antiſtes ſub Excommunicationis interminatione prohibuiſſet, ne ſuæ Diœceſis Judices Laici cauſſarum fidei, morum doctrinæ, Eccleſiaſticæque Diſciplinæ cognitionem in ſe transferres ſuſcipereque auderent; ii vero indignatione ferveſcentes ab Epiſcopi Mandato, tamquam ab Abuſu, adpellaſſent, horum adpellatio poſthabita eſt, atque Epiſcopi Mandatum ſacratioris Aulici Conſilii decreto confirmatum. In Aulico ſane Conſilio alio habito an. 1615. Sermone ad Regem converſo hæc Regi frugis plena monita Princeps præbuit: *Ergo Papa Paſtor eſt, veſtra autem Majeſtas, ſicut ceteri, Ovis. Non ambigendum eſt itaque Te hujus poteſtati eſſe ſubjectum: potens eſt enim Tibi ſalutem procurare, Teque extra Eccleſiam projicere; ſi id nempe peccata tua promeruerint. Excommunicatio iſtiuſmodi, ò Rex, juſta ex cauſſa, inflicta animam tuam Satanæ tradit: ab Eccleſiæ Communione ſejungit, a Cæleſti Regno abire exulem cogit.* Utinam tam vera, quam utilia Principibus, optime alioqui comparatis, conſilia, monitaque ſemper ſuggererentur! In eamdem plane loquebatur etiam ſententiam apud Cabaſſutium Jur. Can. Theor., & Prax. lib. 5. cap. 14. n. 12. Theveneus Pariſienſis Curiæ Advocatus in ſuis ad Regias Conſtitutiones Obſervationibus tit. de Juriſd. Eccleſ. art. 5: *Parlementa*, inquiens, *non poſſunt abſolvere, aut facere abſolvi ad cautelam: quia hæc poteſtas non competit, niſi illi, qui poteſt ſimpliciter abſolvere*, Cap. Solet., & de Sent. Excom. in 6. *Et Curia Laicorum nec abſolvere poteſt, nec ad abſolvendum delegare:*

idque ei prohibetur per Edictum Melodunense. Abusum nempe explodit, qui Gallicanas olim in Curias irrepserat, adprobatusque quin etiam Francisco I. Regi in Edicto an. 1539. Art. 6. fuerat, ut Clericus a Senatu ipso delegaretur pro Excommunicatis litigantibus ad cautelam absolvendis, ut præveniretur videlicet exceptio, qua litigantes Excommunicati a prosecutione caussarum submoverentur, velut observat Charondas in Cod. Henricæum lib. 1. tit. 15. ad cit. Art. 6. Prætensum hoc ipsum Gallicani Regni privilegium fieri nequivit, quin justos intra limites, tam Hincmari auctoritate, quam veritate ipsa cogente, cohiberet etiam Fevretus, Vir alioqui non sane multum Ecclesiæ concedere assuetus; sic enim de Abusu lib. 1. cap. 6. n. 10. scribit: *Id, quod dictum est, Officiarios Regios excommunicari non posse, propria obeuntes munia, scilicet Regia, haud tamen usurpantes aliena, scilicet Ecclesiastica. Namsi Judex Regius, vel Laicus causas Fidei, vel Ecclesiæ cognoscere præsumit, in præjudicium Juris Ecclesiastici, quare Regni Episcopi Jurisdictionem non habebunt illos coercendi sub pœna Excommunicationis? Sane æquum est, ut armis Spiritualibus se tutetur Ecclesia, sicut Corporalibus se tuentur Regna. Certe quum olim quidam Politici dicerent, Lotharium Regem, ob legitimæ Conjugis repudium, non posse a suis Episcopis excommunicari, illis respondit Hincmarus*: Hæc vox non est Catholici Christiani, sed Blasphemi, & spiritu Diabolico pleni. Quæ si pacate attendisset Jannonus, non adeo profecto desipuisset, ut Galliarum Regis Ministros, Officiariosque, a potestate Ecclesiastica facere pene immunes frustra adlaboraret.

Atque ex his facile dantur intelligi Leges Imperatorum, tanto adparatu a Seldeno conglomeratæ, quibus sibi excommunicandi jus adserere illi videntur: quales Gratiani, Valentiniani, & Theodosii adversus Hæreticos Cod. Theod. L. 6. lib. 16. tit. 5, LL. 10, 11, 13, 14, 40, & 54. Cod. Justin. tit. *De Hæret.* L. 4. Junctis Excerptis ex Johanne Antiocheno ab Henrico Valesio p. 804: quales Valentiniani, Theodosii, & Arcadii adversus Mulieres caput tondentes L. 27. Cod. Theod. lib. 16. tit. 2, & adv. Hæreticos L. 6. ibid. tit. 4, L. 4. tit. 7, L. 2. *De Episcop. Jud.*, L. 7. tit. 5. ibid., & in Cod. Justin. L. 3. tit *De Hæret.*, L. 3. *De Apo-*

Apoſtatis, LL. 3, 5, ſeq. tit. *De Sum. Trinit.*, & lib. 3, tit. *De Epiſcopis*. Junctis Harmenopulo ad fin. lib. 6, Photio in Nomocan. tit. 9. cap. 9, Attaliata in Synopſi tit. 3, & Baronio ad an. 404. n. 56, ſeq., 533. n. 9, ſeq., ac 546. n. 18: quales Juſtiniani Novel. 123. cap. 11, Leonis, ac Conſtantini tit. 9. §. 5: quales Caroli M. Capitul. lib. 5. cap. 42, & in Edicto apud Goldaſtum Conſt. Imp. To. 2. p. 1, & Conradi Imp. apud eumdem To. 1. p. 210: quales Receſvinthi in Hiſpania Regis Concil. Hiſp. p. 447, Ervigii p. 604, & Egicæ p. 741: quales Regum Poloniæ apud Jacobum Priluſium Statut. Polon. lib. 1. cap. 4, & Joh. Herbortium tit. *Spiritualia* fol. 253: quales Angliæ, & Scotiæ Regum Statut. 4, ſeq., Eduardi VI. cap. 4, Stat. 3. Jacobi cap. 5, Parlam. 3, Jacobi VI. cap. 45, & apud Matthæum Pariſium ad an. 1253. Scilicet ita a Laicis Excommunicationis latas ſententias executorias, applicatorias, ſeu abjuratorias, veluti loquuntur Pragmatici; eſſe: quibus innititur latis ab Epiſcopis Cenſuris ſe adhærere, ſuum eas ſortiri effectum ipſos velle, aut denium ſe deteſtari, inque peſſimis habere cum perſonas, tum doctrinas eo Cenſuræ genere ab Eccleſia protritas; veluti Laici plerique in Synodo Epheſina Act. 6 in Quartodecimanos Anathema pronuntiaſſe leguntur: qua de re fuſe Perronius in Replic. ad Regem Angl. lib. 1. diſp. 27, Baronius ad an. 528. n. 11, Spondanus de Cœmet. Sacr. lib. 4. par. 1. cap. 2. §. 5, aliique vulgo de Schola Theologi. Quibus legibus ita rite percepris, jam ſponte concidit quidquid de Jure excommunicandi ab Imperatoribus Eccleſiæ facto, deque Jure Excommunicatos abſolvendi Imperatorum proprio Seldenus ſubtexit. Ita etiam inter alia, queis hiſtoriam infarſit ſuam, commento deputandum illud eſt, quod de Euſebio Nicomedienſi, & Theogni Nicæno a Nicæna quidem Synodo damnatis, ſed a Conſtantino M. Excommunicatione abſolutos tradit Eutychius apud Seldenum p. 194. Etſi enim Eutychii dictum veritate niti daretur, nihil officit, quo minus dictum accipi commode queat ita, ut Duumviros illos aut a Nicæna Synodo injuſte damnatos Imperator exiſtimaverit, aut poſt damnationem ad frugem regreſſos reputans ſuo favore haud indignos habuerit, neque cum eis Sacrorum jungi conſortio detrectarit. Ita & inter alias, quibus, jus

præ-

præter, ac fas, Justinianus passim Ecclesiasticæ se immiscere Jurisdictioni non abstinuit, adnumeranda venit Novella 123. cap. 11. Collat. 9. tit. 15. apud Julianum Antecessorem cap. 442, quæ plane Lex Imperatoribus probata subinde evasisse videtur ex Basilicis lib. 3. tit. 1. § 20, ex Photii Nomoc. tit. 9. cap. 9, ex Ecloga Leonis, & Constantini tit. 9. §. 5, ac Michaele Attaliata in Synopsi Juris tit. 3, qua Excommunicatione plecti quispiam ante prohibetur, quam justa probata fuerit causa. Quamquam & is Legi huicce rectus, probusque subesse potest sensus, ut Sacrorum integritati Canonum ea dumtaxat lege consultum, prospectum que videri possit, ut ad eorum amussim infligi Censuras intenderit, exoptaritque; quibusque violatis siquis Excommunicatione fuisset irretitus, eum *A Majore Sacerdote* absolvi, Communionique restitui. En Legis verba: *Omnibus Episcopis, & Presbyteris*, (perperam id juris Presbyteris commune fit,) *interdicimus segregare aliquem a Sacra Communione, antequam causſa monstretur, propter quam Sanctæ Regulæ* (SS. Patrum, ac Synodorum, scilicet,) *hoc fieri jubent. Si quis autem præter hoc,* (contra præscriptum videlicet a Synodis, & a SS. Patribus,) *a Sancta Communione quemquam segregaverit, ille quidem, qui injuste a Communione segregatus est, solutus Excommunicatione a Majore Sacerdote* (a Metropolita nempe, vel a Patriarcha), *Sanctam mereatur Communionem. Qui vero aliquem a Sancta Communione*, (præter jus, ac fas videlicet, ac præscriptum Canonum), *segregare præsumpserit, a Sacerdote suo, sub quo constitutus est, separabitur a Communione &c.* Quæ profecto qui probe tenet, facile perspicit inde parum, nihilque Ecclesiasticæ in hac parte vulneris, injuriæque potestati inferri. Nec ab hac altera, nec amplior vis inest Legibus Imperialibus aliis, quas eo loci p. 244, seq. conglomerat Seldenus ad suadendum, excommunicandi Jus Ecclesiæ coarctari quam licite, tam legitime a Principibus posse: veluti Caroli M. Capitul. lib, 1. cap. 142; & lib. 5. cap. 42; Ludovici Pii Capit. 3. capp. 23, & 35; Caroli Calvi Capitul. in Villa Sparnaco editis an. 847. cap. 4; Ludovici II. Germ., Caroli II. Gall. Regum, Ludovici Imp., Lotharii Regis Lotharingiæ, & Caroli Burgundiæ Regis in Conventu Confluentino an. 860. art. 6: prætermissis iis, quæ a Pro-

a Proteſtantibus edita deinde Principibus ſunt. Nam Franc. Regum Capitularia aut ex Sacris Conciliorum Canonibus excerpta, aut Epiſcoporum interveniente conſenſu edita, Sacrarum potius, quam Sæcularium Legum loco habenda abunde, opinor, alibi me demonſtrare memini, idque pro cunctis liquido demonſtrat, quod Caroli M. juſſu, Remedius, aliis Remigius, Curienſis in Rhætia Epiſcopus Canones Eccleſiaſticos ex Pontificum epiſtolis excerpere curaverit, quos editos videre licet a Goldaſto Rer. Alemanic. To. 2. par. 1. p. 121. Deinde eò dumtaxat, uti legenti adparebit, præfata Capitularia collineant, ut juxta expliciti ſſimas Synodorum ſanctiones id ſuadeant, & ſtatuant, ne gravi abſque cauſſa, nec magna abſque circumſpectione, nec niſi ante debita admonitione, & correptione adhibita, Excommunicatio feratur: qua de moderatione diſertiſſimi habentur Conciliorum Canones, Aurelianenſis V. an. 549. Can. 2, Arvernenſis II. eod. an. Can. 2. relatus a Gratiano Can. 42. *Nullus Sacerdotum* 11. q. 3, Meldenſis an. 845. Can. 56, Wormatienſis an. 868. Can. 14, Colonienſis an. 1536. par. 13. cap. 5, Moguntini an. 1549. cap. 103, &c. Quibus jungendi S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 34. excommunicari ob privatam injuriam prohibens, S. Gregorius VII. lib. 2. epiſt. 6. excommunicari Bohemiæ Ducem, ſe inſcio, interdicens, neque prius ſe defendentem auditum lib. 9. epiſt. 15, Innocentius IV. Cap. 9. *Conſtitutionem* de Sent. Excom. in 6. trinam debere præcedere monitionem docens, & mandans, ac Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 10. cap. 1, ſeq. de his luſe diſſerens. Regum utique, ac Principum ſingulare illud fertur privilegium, ut ſicui communicent excommunicato, is extemplo Eccleſiaſticæ reſtitutus Communioni intelligatur. Id ex Capitularibus Regum Franc. refert Ivo epiſt. 62, & 171, videndique S. Gregorius Turon. hiſt. lib. 5. cap. 19, & lib. 7. cap. 7, ac Pithœus in Probat. libert. Eccl. Gallic. p. 26. Idem extat in Concilio Toletano XII. an. 680. Can. 3, ubi videndus Garſias Loaiſa in Not., ac in Toletano XIII. Can. 9, & 12. Idem in more apud Anglos viguiſſe ex S. Anſelmi Cantuar. lib. 3. epiſt. 90. obſervat Juretus in Not. ad Ivonis epiſt. 62. At privilegium ejuſmodi indulgentiæ, quam erga Principes adhibere Eccleſiæ opportunum accidit, acceptum referri debere ea-

eadem ipsa documenta, quibus innititur, nos edocent. In Capitularibus enim Regum Franc. potiores habuisse partes aut Ecclesiasticos Canones, aut Episcopalem auctoritatem liquido constat. Cæteroquin enim idem ipse Ivo epist. 46. Philippum I. Gal. Regem ab Urbano II. rite Censuris irretitum advertit. A Conciliis vero Toletanis privilegium illud non tam vindicatum, quam primo Hisp. Regibus collatum exputare fas, ac pronum est: non secus atque cum Regibus Angliæ pari devotionis officio Anglicanam defunctam Ecclesiam. Quæ demum tanto Seldenus conatu p. 240, seqq. congerit absque delectu ex Petro Pithœo de Libert. Eccl. Gall. To. 2. cap. 5, seqq., ex Hieronymo Cevallos in Tract. de Cognitione per viam violentiæ in Causis Eccel. &c., ex Bobadilla de Polit. lib. 2. cap. 18. §. 62, ex Francisco Salgado de Regia protect. par. 1. cap. 2, §. 1, seqq., ex Alphonso de Azevedo in Reg. Constit. lib. 8. tit. 5, ex Jacobo Priluso Stat. Polon. lib. 1. cap. 4, ex Joh. Herbortio tit. *Spiritualia* fol. 255, ex Eadmero hist. Novor. lib. 1. p. 6, ex Joh. Satisberiensi epist. 159, ex Lindvvod in Const. Provincial. tit. de Foro compet. cap. 1, ex Statutis Cleri Angl. cap. 7, ex Fleta lib. 6. cap. 37, seq., ex Branthonio lib. 5. tit. de Except. cap. 23. §. 1, ex Thorntonio lib. 7. cap. 10, ex Statutis 25. Henrici VIII. cap. 19, & stat. 26. cap. 1, ex Cockio par. 5. fol. 51, & par. 8. fol. 69, ex Stat. 1. Elizabethæ cap. 1, ex aliisque hujusce genus Protestantium factis, scriptis, decretisque, ad suadendum praxi generatim in Gallia, Hispania, Polonia, Hungaria, Germania, Anglia &c. receptissima tam injuste excommunicatis ad Regiam confugere protectionem licere, quam Regibus ejusmodi Excommunicationes abolere, atque Ecclesiasticam potestatem intra æqui, justique confines in Censuris ferendis cohibere fas esse; nefasque vicissim Regum absque licentia Regios in Ministros, atque Officiarios Censuris animadvertere. Quam enim falsum esse illud prius de facultate cum Excommunicatorum Regium adeundi Tribunal, tum Regum eisdem impertiendi favorem, satis, superque demonstratum est: idque modo unum adjungam, quod Statutum sub Henrico VIII. de Censurarum judicio Laicis Judicibus demandando abrogatum sub Maria Regina, neque sub Elizabetha instauratum, sed imo ab Episcopis bis, ac ter an. 1571, 1584,

1584, & 1589. reformatum fuiſſe refertur in Actis Collationis Hamptotricurienſis an. 1603. die 14. Jan. apud Chauffepiè in Diction. Hiſt. Crit. *in Reinoldo* To. 4. p. 81, ſeq. Not. B; tam poſterius iſtud de invaliditate Cenſuræ, Regum abſque conſenſu, in Regios Officiarios latæ, ſi veritate tamen undique innititur, quod alii verius inficias eunt, in Apoſtolicis indultis fundamentum habere certum eſt, ac conſtans. Atque ita plane Philippus VI. Gall. Rex olim in litteris an. 1335. apud de Lauriere Ordinat. Reg. Franc. To. 2. p. 183. diſerte adfirmavit a pleriſque Rom. Pontificibus ſingulari privilegio Franc. Regibus indultum fuiſſe: *Ut nullus in Terra Regia Excommunicationis, vel Interdicti ſententias proferat, abſque mandato Sedis Apoſtolicæ*. Quod tamen privilegium haud Gallis omnibus ſapere obſervant PP. Maurini in Addit. ad Gloſſar. Ducangii edit. Ven. To. 3. p. 208. Huicce perquamſimile privilegium, ut nempe, Pontifice M., ejuſque a Latere Legato exceptis, a nullo Excommunicationis feriri gladio quirent, conceſſum fuiſſe, Bohemiæ Regibus augurari fas eſt ex S. Gregorio VII. lib. 2. epiſt. 6. ad Geboardum Pragen. Antiſt.; Regibus Scotiæ liquet ex Clemente III. Conſt. *Cum Univerſi* an. 1188, alteraque ſimiliter incipiente Cæleſtini III. an. 1192; Armeniæ Regi ex Innocentio III; S. Ludovico Regi Franc. de Regno, abſque ſpeciali Pontificis mandato, generali Interdicto haud ſupponendo, ex Innocentio IV. epiſt. 18; Henrico Hugonis Filio Ruthenenſi Comiti ex Clemente IV. Conſt. *Intendentes* an. 1268; & Angliæ Regibus ex Clemente V. Conſt. *Tuæ Devotionis* an. 1309. Facit huc etiam ſingulare privilegium aliud, quo Apoſtolicæ Sedis vices ſuis in Regnis obeundæ demandatæ feruntur S. Eduardo Angliæ Regi a Nicolao II, Rogerio Calabriæ, ac Siciliæ Comiti ab Urbano II, & Uladislao Poloniæ Regi a Martino V: quo peræximio ſane ex privilegio & illud conſequitur tam hoſce Reges, quam horum Regna, niſi a Pontifice M., aut ſpeciali Pontificis M. facultate, Cenſuris, & Interdictis legitime ſupponi nequire. Sed de his jam nimis.

Ad 2. modo propoſitæ quæſtionis properando caput, ex eadem Poteſtate ligandi, atque ſolvendi deſcendere Poteſtatem quoque pœnas infligendi corporales operæ pretium eſt demon-

ſtrare. Atque principio quidem ſi Ethnicorum Sacerdotibus, ſi veteri Hebræorum Synagogæ in Legum tranſgreſſores corporales decernere pœnas fas fuit, non eſt profecto, cur Eccleſiæ Catholicæ par denegetur facultas. Jam vero apud Romanos Pontificis M. quammaxime, tanquam Sacrorum Judici, mulctæ dictionem, quam Magiſtratibus publica Juriſdictione defungentibus competiiſſe ex Ulpiano præſertim L. 131. *Aliud eſt fraus* ff. *De Verb. Signif.*, & L. 2. in fin. ff. *De Jud.* oſtendit Briſſonius Select. ex Jure Civili Antiquit. lib 3. cap. 4, Pontificis M., inquam, propriam fuiſſe ex Livio lib. 37. cap. 51, & lib. 40. cap. 42, ac ex Ciceróne Philip. II. cap. 8. probat ibid. in Not. Albertus Dieterius Trekellius edit. Lugd. Batav. 1749. p. 68. Apud Judæos vero, præterquam a Samuele Agag 1. Reg. 15, 33, ab Elia Pſeudo Prophetæ Baal 3. Reg. 18, 41, & Quinquagenarii Ochoſiæ 4. Reg. 1, 12, ab Elizeo Pueri irriſores 4. Reg. 2, 24, a Jojada Athalia 4. Reg. 11, 15, & 2. Paralip. 23, 14. &c. corporalibus affecti pœnis leguntur, apud Judæos, inquam, antequam in flagitioſos poſtrema animadverteretur Excommunicationis ſpecie, ut quoquo ii modo ad pœnitentiam, mentemque provocarentur, flagris cædi conſueviſſe obſervant Vitringa lib. 1. cap. 20. p. 775, & Seldenus de Syned. lib. 1. cap. 7. p. 106. Quò pertinere videtur illud Chriſti D. Matth. cap. 10. v. 17. ad Diſcipulos ſuos loquentis: *In Synagogis ſuis flagellabunt vos &c.* Quem profecto locum ſollicitans, in dubiumque revocans Beza dignis vapulat a Baſnagio hiſt. Jud. lib. 6. cap. 21. n. 16, ejuſdem loci veritatem confirmante ex S. Paulo, qui Act. 9. Sacerdotum juſſu ad cædendos undique, & in vincula conjiciendos Diſcipulos Chriſti D. conquirebat, quique 2. Corinth. cap. 11. v. 24, ſeq. ſe quinque vicibus flagris cæſum, quin & ter virgis flagellatum, atque lapidibus impetitum teſtatur; ex Maimonide quoque de Studio Legis cap. 7. p. 38, qui ejuſmodi apud gentiles ſuos obtinuiſſe ritum flagris reos cædendi ad Sacerdotum nutum locuples teſtis accedit. Atque reos inter alios, qui aut falſum protuliſſent teſtimonium, aut ſoli ad teſtimonium proferendum acceſſiſſent, Pontificis juſſu loris concidi ſolitos traditur in *Peſachim* cap. 10, & a Maimonide in *Hilch Eduth* cap. 20, & in *Hilch. Toben* cap. 5. Quæ præter flagitia, plurimas alias ob cul-

culpas Pontificis imperio vapulare reos conſueviſſe liquet ex Talmud tit. *Maccoth* cap. 3, ex Gloſſa *Caph Nachath*, ac videndus ibid. in Not. Joh. Cocquius p. 122, ſeqq. Præterea apud Judæos peccatorum confeſſioni, de qua Levit. 26, 40, & Num. 5, 6, ſeqq., caſtigationes, & flagellationes accedere conſueviſſe adfirmat Jacob Ben-Asher in tract. *Orach Chajim* §. 607; atque ita quidem, ut peccatis gravioribus imponerentur pœnæ corporales ad plures etiam annos ſubeundæ, docent Judæorum Magiſtri plerique, Maimonides in Talmud tit. *Thora* cap. 6, ſeq., & Rabbi Samuel in *Sepher Chaſidim* §. 167, ac *Reshit Chocma* minor in *Shaar Hatheſuba* cap. 7. apud Buxtorfium in Synag. cap. 34, & Seldenum de Syned. lib. 1. cap. 7. p. 135. Cur vero demum e putidis hiſce Rabbinorum lacunis documenta hauriam, ubi limpidos in promptu habeo S. Scripturæ fontes cum Deut. cap. 25. v. 2, ſeq., quo flagitioſis plagas imponi præcipitur, imponendique præſcribitur modus, tum Pſal. 108. v. 6, ſeqq., quo juxta Propheticam phraſim, præter ſeparationem a Sacrorum conſortio, ac Satanæ traditionem, peccator diris omnibus, pœniſque corporalibus agitur. Quò certe facit etiam illud Chriſti D., a quo vendentes, & ementes in Templo flagellis cæſi leguntur Johan. 2, 14, ſeq., & S. Pauli 2. Corinth. 11, 23, qui carceribus, & plagis a Judæis affectum ſe memorat. Sed & S. Epiphanius Judæum quemdam ideo, quod Chriſto D. nomen dare voluiſſet, flagris in Synagoga conciſum refert; & apud Euſebium citatur liber imperante Commodo adverſus Montaniſtas elucubratus, ubi legitur eorum gregis neminem in Judæorum Synagogis flagellatum fuiſſe. Synedrio quin, ac Synagogæ fas nedum fuiſſe Legis tranſgreſſores ad flagella damnare, ſed imo Jus vitæ, & necis exiſtimant Huetius in Not. ad Origen. To. 2. p. 29, Ligfoot in Evang., & Lamy Concord. Evang. Appar. Chron. par. 2. cap. 3. §. 4. To. 2: quod probant facto S. Stephani lapidibus obruti, ac S. Jacobi fuſte interfecti. Quamquam id neget Baſnagius hiſt. Jud. lib. 6. cap. 2. n. 6. facto Chriſti D., quem neci tradere ſibi nefas eſſe faſſi Sacerdotes leguntur Joh. 18, 31, reſpondens n. 8, ſeq. SS. Stephani, & Jacobi necem, non Synedrii decreto, ſed furentis multitudinis conſpirationi eſſe adſcribendam. Huc facit etiam Satellitii tam apud Ethnicos, quam apud Hebræos mentio

Sacerdotum usui destinati, atque loris, flagrisque armati ad flagitiosorum vindictam ex Sacerdotum nutu capiendam, de quo dictum abunde, opinor, sup. Art. 4.

Non opus est tamen e veteri Synagoga documenta, & exempla mutuare, ac derivare, ubi liquida nobis ex Evangelio, Scriptisque Apostolicis tot suppetunt argumenta, quibus Christi D., Apostolorumque facto, dictoque & hanc Ecclesiæ pœnas infligendi corporales potestatis factam docemur particulam fuisse. Enim vero a Christo D. facto de funiculis flagello vendentes, ementesque Templo expulsos ex S. Joh. 2, 14, seq. mox memorabam. Sub Potestatis quoque ligandi, atque solvendi specie S. Petro factæ, Apostolisque, designatam fuisse potestatem facinorosos spiritualibus nedum plectendi, sed corporalibus insuper pœnis, sive Excommunicationis pœnam spiritualem esse non modo, sed corporalem etiam complecti, exinde patet, quod Matth. cap. 5. v. 29, seq. sub oculi, manus, ac pedis similitudine ab Ecclesiæ corpore erui, abscindi, & projici facinorosi jubentur: quam juxta sententiam excommunicati Christifidelium Communione, atque consortio tam Civili, quam Sacro separari solent. Atque ita locum hunc de Excommunicatione interpretari non dubitarunt Origenes hom. 7. in Iosve sub fin., & S. Innocentius I. in epist. ad Episcopos Concilii Milevit. inter Augustin. 93, edit. Concil. 25, Cout. 30. n. 6. Quò etiam facere locum ad Galat. cap. 5. v. 12, ubi abscindi factiosi absolute jubentur, juxta interpretationem Bezæ, & Seldeni superius admonebam. Huic etiam interpretationi suffragantur S. Cyprianus epist. 62, S. Ambrosius lib. de Elia cap. 22, S. Hieronymus epist. 1. ad Nepotianum, Auctor libri de Vita contempl. sub nomine S. Prosperi lib. 2. cap. 7, a quibus passim sub abscissionis, ejectionis, & sectionis nomine Excommunicatio exprimi solet. Singularem itaque Apostolis a Christo D. potestatem factam impios cum morbis, tum morte damnandi liquet Act. cap. 5. v. 5; ubi S. Petrus Ananiam, & Saphiram oris gladio interfeciisse legitur, veluti locum de prodigiosa Apostolis potestate facta intelligendum consentit Grotius, & Act. cap. 13. v. 11, ubi S. Paulus Elymam Magum cæcitate percussit, veluti de potestate corporales etiam infligendi pœnas & locum hunc interpretatur Tertul-

tullianus de Pudic. cap. 14. Poteſtatem hanc iterum a S. Paulo Virgæ nomine deſignatam 1. Corinth. cap. 4. v. 21. intellexit S. Auguſtinus lib. 3. contra Epiſt. Parmen. cap. 1: *Jam hic*, inquiens, *apparet eum loqui de vindicta, ad cujus ſignificationem virgam nominavit*. Deſignatam item a S. Johanne Evang. Apocalyp. cap. 2. v. 27. ſic accepit idem S. Doctor hom. 2. in hunc loc. *Virgam*, ajens, *ferream dixit Johannes propter juſtitiam, & propter rigorem, quum Virga corrigantur boni, mali vero confringantur*. Paullo ſuperius vero dixerat a Chriſto D. hanc accepiſſe Eccleſiam poteſtatem: qua rurſus de poteſtate expreſſius loquitur S. Paulus 2. ad Corinth. cap. 10. v. 8, ſeqq., & cap. 13. v. 2, & 10. An porro ad Spiritualem infligendi pœnas dumtaxat ſpirituales, an ad Corporales etiam inferendi pertineat inſignis S. Pauli locus alter tam in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 5. v. 5, ſeqq., quam in Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 1. v. 20, ubi Satanæ traditi leguntur Inceſtuoſus Corinthius, ac Hymenæus, & Alexander, lis eſt inter Doctos. Eum locum proprie ad Excommunicationem ſpectare, quatenus effectum ad cauſſam, Deo ita diſponente ad juſtum Excommunicationis metum incutiendum, viſum eſt Tertulliano de Pudicit. capp. 14, Origeni hom. 5. in Jud., S. Hilario in Pſal. 59. n. 3, & 118. tit. 16: n. 5, S. Ambroſio de Pœnit. lib. 1. capp. 12, & 13, S. Joh. Chryſoſtomo hom. 15. in hanc epiſt., S. Hieronymo Apolog. adv. Ruff., in Iſajæ capp. 14, & 19, & in Ezech. cap. 17, S. Paciano epiſt. 3. ad Sympron., S. Auguſtino adv. Parmen. lib. 3. cap. 1, & lib. de Fide, & Oper. cap. 26, S. Leoni M. epiſt. 89. cap. 7, Theodoreto, Primaſio, Sedulio, Theophylacto, Haymoni, Anſelmo in 1. Timoth. 1, Eſtio in hunc loc., Franc. Mayrono in 4. Sent. diſt. 19. q. 3, Baronio ad an. 57. n. 11: ad quos ſuffragio quoque accedere ſuo non hæſere Calvinus ipſe, Beza, Petrus Martyr, apud Petavium de Eccl. Hier. lib. 3. cap. 11, Eraſmus in hunc loc. Crit. Sacr. To. 5. p. 63, aliique. Eam contra Satanæ traditionem ad Excommunicationem ſpectaſſe negant Petrus Molinæus in Vate lib. 1. cap. 11, ſive de Præcognit. futur., Ludovicus Capellus in Joh. cap. 9. v. 22, Ligfootus adhunc loc., Vitringa de Vet. Synag. lib. 3. par. 1. cap. 10. p. 757, Joh. Crojus Obſerv. Sacr., & hiſt. ad Rom. cap. 9. v. 3. apud Seldenum de Synod. lib. 2. cap. 8. p. 150, Bochartus in epiſt.

epist. ad Joh. Tapinum Oper. To. 2. p. 1023, Samuel Basnagius dissert. 1. de tradit. flagitiosi Diabolo n. 2. Annal. To. 2. p. 475; & Calovius in Bibliis illustratis ad hunc loc., quin tamen inficias ire ausi sint exinde Apostolicæ potestatis infligendi scelestis pœnas etiam corporales præclarum specimen patere, ac dum Satanæ peccatores traduntur, potestatem deferri cruciandi corpora. Thomæ Erasto Thesi 59. ea vicissim Satanæ traditio idem est, ac traditio in occisionem, & damnationem. Sed manifeste repugnat interpretatio hæc verbis seqq. *Ut Spiritus servetur in die Domini*; illisque item 1. Timoth. 1. *Ut discant non blasphemare*: quæ plane in homine a Dæmone interfecto, atque damnato locum habere nequeunt. Limborchio Theolog. Christ. lib. 7. cap. 18. n. 28. Incestuosus ille correptioni dumtaxat subjectus, non etiam Censuræ graviori, visus est. Sed is secummet pugnat, ut cui ibidem ea Satanæ traditio ad torquendum in corpore morbo, vel incommodo alio intelligenda videtut. Pugnat deide cum Apostolico textu, qui explicitissime de pœna longe graviori loquitur. Paulinum itaque locum de Excommunicatione corporali cum pœna conjuncta capiendum non dubitant ex Protestantibus Ovvenus in Otiis Theolog. p. 457, seqq. Ligfootum refellens; Marckius in Sylloge dissert. super loca Vet., & Nov. Test. Exerc. 19, ubi Molinæum oppugnat; Fechtius de Excom. Eccl. §. 81, seqq., locoque, cum quo confert Matth. 5, 29, Act. 7, 34, & 12, 11, vim, & coactionem inesse adversus Arminianos Grotium, Episcopium, Limborchium, Arnoldum &c. ostendit; Jagerus in Syst. dogm. Polem. lib. 4. p. 206; Caldervood in Alt. Damas. p. 182; Kromayerus de Potest. Eccl. §. 13. p. 55; Pfaffius in Orig. Jur. Eccl. cap. 1. art. 2. Not. PP. seqq. p. 65, seqq., ubi Seldenum de Syned. lib. 1. cap. 8. p. 148. 10. *Improbum* non pro Masculino, sed pro Neutro accipi contendentem jure sufflaminat, siquidem Textus liquido de homine Incestuoso loquatur; corrigit etiam Bohemerum, qui Jur. Eccl. dissert. 3. de Confœderata Christ. Disciplina §. 37. hanc excommunicationem Civilem esse autumat, seu exclusionem a Civili societate: siquidem si pœna hæc fuisset tantum Civilis, S. Paulus eam infligens in Jura Magistratus Civilis involasset. Confer & Witsium in Meletematibus Leidens. p. 93, seqq., & Wolfium in Cu-

Curis Philolog. Crit. To 3. p. 367, ſeq. Sed enim interpretationem hancce magis, quam Proteſtantibus hiſce, SS. Eccleſiæ Patribus paullo ſuperius memoratis referre acceptam nobis eſt plane ſacrum, quibus uterque Apoſtoli locus de Excommunicatione utique, atque de extraordinaria quoque pœna eorum temporum propria, qua revera Satanæ variis excarnificandus, vexanduſque modis, aut morbis Excommunicatus dederetur; intellectus eſt: qua de intelligentia fuſius Albaſpinæus Obſerv. Eccl. lib. 1. cap. 1, ſeqq., Hallier de Eccl. Hier. lib. 4. Sect. 2. cap. 1. art. 9. §. 3, Petavius de Hier. Eccl. lib. 3. cap. 11, Cornelius a Lap., & Tirinus in 1. Corinth. 5, &c. Singularis porro hujuſmodi poteſtatis, Apoſtolis deinde factæ, Dæmoni cruciandos tradendi flagitioſos ſpecimen aliquod in veteri Synagoga præextitiſſe indicare videtur Propheta Regius Pſal. 77. v. 49. *Immiſſiones per Angelos malos* memorans, ob quas apud Judæos extra Synagogam factos miſerabili tandem conſumptos morte tradit Joſephus de Bello Jud. lib. 2. cap. 7. In Evangelica vero lege Apoſtolis collata poteſtas iſta videtur Marci cap. 16. v. 17. cum poteſtate viciſſim Dæmones ejiciendi, ut obſervat S. Thomas ibid. Eamdem poſt Apoſtolos poteſtatem in Eccleſia longo perduraſſe tempore plurimis docemur exemplis, quorum nonnulla collegit citat. §. 3. Franc. Hallier, ut illud, quod in vita S. Ambroſii refert Paulinus, de Stiliconis ſervo Anathemate perculſo, ſtatimque ab immundo Spiritu in fruſta diſcerpto; illud, quod lib. de Schiſm. Urſicini tradit Marcellinus, de Zoſimo Neapolitanæ Eccleſiæ pervaſore a Maximo legitimo Epiſcopo excommunicato gravi linguæ impedimento ſtatim correpto; illud de Dioſcoro a Chalcedonenſi Concilio damnato infeliciſſime in exſilio mortalitatem expleto; de Cariſio Clerico a Gennadio Patriarcha Cenſura irretito die ſequenti defuncto, teſte Theodoro Lect. lib. 1. Collectan.; de Nantino Engoliſmenſi Comite ab Hernelio Epiſcopo excommunicato mala paullo poſt morte percuſſo, referente S. Gregorio Turon. hiſt. lib. 5. cap. 36; de Sacrilegis Excommunicatis a S. Maclovio diverſis extemplo morborum generibus affectis, teſte Sigeberto in ejus vita apud Surium die 25. Novemb.; de Laico quodam Anathemate innodato a Pio Apſarenſi Præſule, ac repente fulmine

ictо,

icte, ſcribente S. Petro Dam. epiſt. 2; de aliiſque apud Græcos Excommunicatis, ac poſt obitum ad modum tympani inflatis, auctore Manuele Malaxo in vita Maximi Patriarchæ: quos ob morbos ſane, morteſque illatas *Carnifices Reipublicæ Chriſtianæ* dici Cacodæmones antiquis Eccleſiæ Patribus ſolebant, ab Origene lib. 7. contra Celſum in fin., & lib. 8, a S. Baſilio, a S. Hieronymo in Joel. cap. 2, a S. Auguſtino, a S. Joh. Chryſoſtomo Ser. 17. &c., legendique, ſi placet, Martinus del Rio de Magia lib. 3. par. 1. q. 7, Petrus Tireus de Dæmon. par. 2. cap. 30, Serrarius in Tobiæ cap. 6. q. 20, ubi plura de excommunicatis a Dæmone variemode divexatis exempla.

Ut ut hæc vero de poteſtate hac extraordinaria tradendi Satanæ, Eccleſiæ olim uſitata, ſe habeant, ordinariam ſane cum facultate Cenſuras infligendi, pœnas afflictivas inſuper irrogandi poteſtatem Eccleſiæ factam principio ſuadet ipſummet Epiſcopis inditum nomen, officiumque demandatum. Enim vero *Epiſcopi* nomen apud Ariſtophanem de Avibus, ejuſque Scholiaſtem eis aptatur, qui ad regendas Urbes mitti conſuebant, quos Lacedæmones *Armoſtas*, Athenienſes vero *Epiſcopos* nuncupare ſolebant, teſte Suida V. Ἐπίσκοπος. Apud Latinos ii, qui Pani, ſeu Annonæ præerant, Epiſcopi denominati leguntur L. ult. §. 6. ff. *De Muner.*, *& honor.*, cujuſmodi forſitan ille fuit Eucherius, cujus mentio occurrit in veteri Inſcriptione apud Joſredum in Not. Urbis Nicienſis p. 6. Pro Agonum Præfecto, Curatore, Provinciæ Conſtitutore, Imperatore, Inſpectore &c. uſurpat Julius Pollux Onom. lib. 8. cap. 8. Ab Heſychio Ἐπίσκοπη exponitur Οὐκδίκησις *Ultio*, & a Syneſio Ἐπίσκοπη Θεοῦ *Dei Animadverſio*. Alio nomine *Curam gerens* dicitur a Suida, & *Superintendens* a ſequioris ætatis Scriptoribus, S. Auguſtino de Civit. lib. 19. cap. 19, S. Hieronymo epiſt. 85, Eugenio II. in Synodo Romana Can. 3, & 26, S. Nicolao I. epiſt. 12. in Append., Alcuino de Offic. §. de Conſuet. Cleric., Rabano de Inſtit. Cler. lib. 1. cap. 5, Amalario de Offic. Miſſæ, S. Bernardo de Conſid. lib. 2. cap. 6, aliiſque apud Duchangium V. *Epiſcopus*. Juxta hæc itaque *Principatum* ab Epiſcopo in Eccleſia teneri paſſim docent S. Ignatius in epiſt. ad Trall., & ad Smyrn., Auctor Conſtit. Apoſt. lib. 2. cap. 26, S. Irenæus

næus adv. Hær. lib. 4. cap. 44, & S. Justinus Apolog. 2. προεστῶτας eos adpellans. *Præsidentes Tertullianus* prædicare vice plus simplici non ambegit Apolog. cap. 39, de Coron. Mil. cap. 3, & ad Uxor. lib. 1. cap. 7. S. Cyprianus epist. 55, 65, 69. &c. *Præpositos, & Principes*: quo pariter vocabulo Episcopale designari officium alii passim admonent Patres. *Magistratum* in Ecclesia geri ab Episcopo ideo rite dixit Origenes contra Celsum lib. 3. n. 30, qui & homil. 21. in Num., ac hom. 11. in Exod *Principatu* item Episcopum in Ecclesia defungi scribit. Hoc ipso *Principatus* nomine Episcopi officium rite denotari observant S. Hilarius in Psal. 67, S. Basilius in Isajæ cap. 13, S. Hieronymus in Psal. 2, Arnobius in Psal. 132, S. Augustinus in Psal. 44, & de Civit. lib. 19, cap. 14, S. Cyrillus Alex. in Habac. cap. 1. *Magistratum* item ab se administrari scripsit S. Gregorius Nazian. Orat. 17, quem *Incruentum* adpellat epist. 46; Episcopo insuper ἐξουσίαν καὶ δυναστείαν *Coercitivam*, ac veluti *Regiam* tribuens potestatem Orat. 20. Cui par in sententia S. Joh. Chrysostomus eodem *Magistratus* titulo Episcopalem inscribere dignitatem haud dubitavit, quem *Spiritualem* nuncupat hom. 3. in epist. ad Colos. Quis vero, rogo, obstipus adeo, obstupiduſque, qui ignoret Magistratus, ac Principatus juris esse pœnis etiàm corporalibus Legum transgressores adficere, idque propterea juris in Episcopos quoque fuisse transfusum inficietur? Tam igitur Divina institutione, juxta SS. Patrum interpretationem, quam Jure naturali Hominum insito menti efficitur, ut quemadmodum Filii a Parentibus, a Dominis Servi, Discipuli a Præceptoribus, a Magistratibus subditi, sic ab Episcopis Christifideles in culpam lapsi pœnis corporalibus plecti, emendarique queant: qua proinde de potestate loquens S. Augustinus in Psal. 102: *Quid ergo*, inquit, *dormiet Disciplina? Auferetur omnis correptio? Non auferetur. Quid enim de luxurioso filio facturus es? Non castigabis? Non verberabis? Servum & ipsum tuum: si male viventem videris, non pœna aliqua, non verberibus refrænabis? Fiat hoc, fiat: admittit Deus, imo reprehendit, si non fiat; sed animo dilectionis fac, non animo ultionis.* Jam vero Episcopi muneri, ac nomini conformis erat Veteris Ecclesiæ praxis, juxta quam Diaconi, Subdiaconi, inferioresque Clerici alii

ad fores Ecclesiæ stare consueverant Episcopi jussa executuri, eos. que admissuri, vicissimque rejecturi, quos ipse designasset, veluti locupletes accedunt testes Auctor Const. Apost. lib. 2. cap. 57, & lib. 8. cap. 11, Scriptor Eccl. Hier. sub S. Dionysii Areop. nomine cap. 5, juncto S. Maximo ibid. in Schol., S. Hieronymus epist. 3. ad Heliod., S. Augustinus Confes. lib. 6. cap. 2, & lib. de Pastoribus cap. 13, ac Patres Concilii Carthaginensis IV. Can. 8. Quò etiam pertinet Disciplinæ caput illud, juxta quod Peregrini, absque Episcopi Commendatitiis, litterisque Communicatoriis, ab Ecclesia arcebantur: de quo Canones Apost. 9. alias 12, Constit. Apost. lib. 2. cap. 58, Carthaginensis I. Can. 7, Arelatensis I. Can. 9, aliique. Ast non unum istud Ecclesiasticæ Disciplinæ caput erat, quo constat jussos olim, vi corporali, prout opus fuisset, etiam adhibita, Christi D. exemplo flagellis e Templo vendentes, & ementes expellentis, ut observavit Ivo Carnot. in Serm. Synodico de Excellentia Sac. Ordinat., Ostiarios a Templorum ingressu Infideles, ac Baptismo nondum initiatos prohibere: nam & illud accedit illustre, quo scimus veteri Ecclesiæ in more positum abstinentiis, flagellis, jejuniis, eleemosynis, ejusque genus castigationibus, aliisque carnis afflictationibus pœnitentes adficere. Ideo mandatos olim, qui publicæ addicti pœnitentiæ fuissent, ut præ Templi foribus orarent, nec intra Templi sepia ingrederentur, ingressi vero foras expellerentur; ibique veste indúti lugubri, cinere, ac cilicio sordidati starent, orarent, flerent. Cujus quidem Disciplinæ mentionem ingerunt passim S. Gregorius Neocæsar. in epist. Can. Can. ult., S. Basilius in epist. Canon. ad Amphilochium Can. 56, S. Joh. Chrysostomus hom. 17. in Matth.; ex Latinis vero Tertullianus de Pudic. cap. 4, S. Ambrosius de Pœnit. lib. 2. cap. 10, & S. Hieronymus epist. 30. ad Oceanum. Quò præclare facit etiam S. Paulini Forojul. Paræ-netica ad Felicem Urgellit., qua ipsum ad pœnitentiam agendam provocat, agendæque modum, tempusque præfinit apud Harduinum To. 4. p. 910. Mandatos item olim a Templo, ante Sacrificii oblationem, expelli eos, qui in 1, 2, & 3. Pœnitentiæ statione adhuc detinerentur, neque dum ad 4, Consistentiæ scilicet, gradum admissi fuissent, ideſt Flentes, Audientes, & Substratos,

liquet

liquet ex Conciliis Laodicæno Can. 19, Agathenſi Can. 60, Epaonenſi Can. 29, ex Sozomeno hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 16, & S. Joh. Chryſoſtomo hom. 3. in Epiſt. ad Epheſ.

Propius atqui facit huc vetus illa in Eccleſia diſciplina, juxta quam Chriſtiani a gerendo Magiſtratu, Civilique Præfectura ſubmovebantur. Ita namque in Concilio Eliberitano, cujus tam veritas, quam vera Epocha nobis in aperto poſita eſt alibi, Can. 56. cautum habetur: *Magiſtratum uno anno, quo agit Duumviratum, prohibendum placuit, ut ſe ab Eccleſia cohibeat.* Ex quo vides Chriſtiano viro aut Magiſtratus officio, aut Eccleſiæ liminibus abſtinendum fuiſſe. Quæ tamen Diſciplina poſtmodum immutata, paullulum eſt a Concilio Arelatenſi I. Can. 7, atque ita quidem, ut Magiſtratum impoſterum gerere Chriſtianis fas eſſet, ea tamen adjecta lege, ut litteras Communicatorias ab Epiſcopo accipere tenerentur, ejuſque regimini obnoxii eſſent: contra quam Diſciplinæ regulam agentes, tum demum Eccleſiæ aditu arcerentur: *De Præſidibus, qui Fideles ad Præſidatum proſiliunt, placuit, ut quum promoti fuerint, litteras accipiant Eccleſiaſticas Communicatorias: ita tamen, ut in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur: & quum cæperint contra Diſciplinam agere, tum demum a Communione excludantur. Similiter & de his, qui Rempublicam agere volunt.* Indulgentia hæc tamen haud ad eos extendebatur, quos flagitiis implicitos publicæ per gradus ante pœnitentiæ tranſire oportebat, quam iis per Eccleſiam fas eſſet ad publicæ Reipublicæ munia adſpirare. Veterem hanc enim viguiſſe Diſciplinam, ut cujuslibet claſſis Pœnitentes, uſque dum pœnitentiæ ſpatium percurriſſent omne, omninoque gradibus defuncti fuiſſent, Sacris nedum interdicerentur, ſed Civilibus etiam abſtinere deberent, liquido nobis, locupletique documento, argumentoque ſunt imprimis ex Pontificibus S. Siricius in epiſt. Decret. ad Himerium Tarac. cap. 5, S. Leo M. in epiſt. 92; edit. Quesn. 2, Baller. 167. ad Ruſticum Narbon. cap. 12. apud Gratianum Can. 3. *Contrarium* de Pœnit. diſt. 5, & S. Nicolaus I. in epiſt. 19. ad Rodulphum Bituric. cap. 43 ex Conciliis quoque Nicænum Can. 12. verſ. Dionyſii, Arelatenſe II. an. 452. Can. 25, relato Can. 50. *Hi, qui* diſt. 69, Aurelianenſe III. an. 538. Can. 25,

Toletanum IV. an. 633. Cap. 55, Toletanum VI. an. 638. Cap. 7, Toletanum XII. an. 681. Can. 2, & Toletanum XIII. an. 683. Can. 10: quibus Pœnitentiæ legibus semel addicti a Militiæ sive Paludatæ, sive Togatæ functionibus prohibebantur. Non me fugit a Doctiss. Berardi in suo Gratiano Emend. par. 1. cap. 7. ad Can. 4, de Pœnit. dist. 5, & par. 2. cap. 35. p. 230, seq. Disciplinæ hujusmodi eam adduci causſam, quod ad Militiam admitti Christiani, nisi abdicata fide, Ecclesiæque Communione, vix, ac ne vix quidem consuescerent. Verumtamen etsi a Concilii Nicæni tempore ad ætatem usque fere S. Siricii, ob Edicta sive Licinii Imp., sive Juliani Apostatæ, quibus Christianæ Religionis professores dignitatibus, & officiis Civilibus interdicebantur, locum habere ea causſa potuerit, ideſt usque ad Sæculum IV, non ita tamen usque ad Sæculum Ecclesiæ VIII. trahi commode potuit. Aliam igitur Disciplinæ istiusmodi causſam proferunt Concilia Arelatense II. Can. 21, Andegavense an. 455. Can. 5, Turonense I. an. 461. Can. 8, Venetieum an. 465. Can. 3, Aurelianense I. an. 511. Can. 11, relato Can. 5. *De His* de Pœnit. dist. 5. Epaonense an. 517. Can. 23, Barcinonense an. 540. Can. 7, Toletanum III. an. 589. cap. 11, Barcinonense alterum an. 599. Can. 4, Caroli M. Capitulare Aquisgranense an. 789. Capitul. lib. 1. cap. 79, Cabilonense II. an. 813. Can. 35, Wormatiense an. 868. Can. 26. &c., nempe tum quod occasione Militiæ in peccata prolabi Pœnitentibus pronum esſet; tum quod cum Pœnitentis officio Sæculi dignitates, ac munera non bene cohærerent; tum quod a lugubri Pœnitentiæ professione abesſe omnino oporteret, quidquid licentiæ, vel oblectamenti vel leve specimen obtenderet. Qua pariter in sententia fuere Synodi Toletana XIII. cap. 10, Regiaticina an. 850. cap. 9, Isaac Lingonienſis Can. tit. 1. capp. 32, & 36, quæ mutuavit ex Capitul. lib. 7. capp. 44, & 143, & Herardus Turon. capp. 26, ac 120, ex Julio Paulo Sent. lib. 1. cap. 23. Id adeo verum, ut cuicumque manus imposita in pœnitentiæ signum fuiſſet, is extemplo gradu honoris omni excisus haberetur, adeoque ut, referente S. Optato Milev. lib. 1, & 2. contra Parmen. Catholicos plerosque Episcopos, quos manuum impositione pœnitentiæ adjecerat Donatus a Casisnigris, hoc ritu, modoque

doque proprio dejecerit loco. Quamvis pœnitentiæ Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ſubjicere vetitum eſſet, veluti liquet ex Conciliis Romano ſub S. Melchiade an. 313, & Carthaginenſi V. Can. 11, ex S. Leone M. epiſt. 90. vet. edit., ex Capitul. Regum Franc. lib. 5. cap. 66: de quibus adeundi Burchardus lib. 9. cap. 72, Ivo par. 15. cap. 66, & Morinus de Pœnit. lib. 5. cap. 4. Et certe non ob eam cauſſam, ſed ob id unum, quod juxta Diſciplinæ leges, pœnitentiæ ſemel addictus a negotiis Sæcularibus abſtinere cogeretur, Vamba Gothorum Rex in Concilio Toletano XII. Regno ſemet abdicavit, adnotante Morino de Pœnit. lib. 5. cap. 7. Eidem cauſſæ deputandam etiam Ludovici Pii abdicationem oſtendit Blancus de Poteſt., & Polit. Eccl. To. 1. lib. 3. §. 3. Angliæ quoque Rex Teudur a Gurvano Epiſcopo, ob fratricidium, ac perjurium, excommunicatus, ut ſemet ab hoc vinculo liberaret, pœnitentiæ collum libens ſubjugavit: at Epiſcopus ex Synodi Landavenſis an. 887. ſententia, ne Regnum Principe careret, Regni abdicationem in eleemoſynas, orationes, ac jejunia commutavit. Diſciplinæ huicce conformis, eademque de cauſſa, lex in Eccleſia obtinuit a Sæculo VIII., ad Sæculum XI, de certi nempe generis atrocioribus flagitiis ejus genus infligenda pœnitentia, ut qui ei fuiſſent addicti, ab omni ſæculari officio, negotioque abdicarentur. Atque ita decretum habetur in Conciliis apud Theodonis Villam an. circiter 821. Can. 4, Wormatienſi an. 868. Can. 26, Moguntino an. 888. cap. 16, & Triburienſi an. 895. Can. 5, & 55; in Capitul. Reg. Franc. lib. 6. cap. 306, & lib. 7. cap. 331, in Pœnit. Romano tit. 1. capp. 1, 11, 21, & 34, ac tit. 2. cap. 7; & apud Burchardum lib. 5. cap. 5, lib. 12. cap. 21, & lib. 17. cap. 8; Ivonem par. 10. cap. 134, & par. 12. cap. 78, ac Morinum de Pœnit. lib. 5. cap. 21. n. 7, 13, ſeq. Hinc Sæculo XI. Germaniæ Epiſcopi, & Principes Henricum IV. Apoſtolicæ deferentes Sedi, iot, ac tantis eum laborare flagitiis apud Lambertum Schafnaburg. ad an. 1073. adfirmarunt: *Quæ ſi ſecundum Eccleſiaſticas leges judicarentur, & Conjugium, & Militiæ cingulum, & omnem prorſus Sæculi uſum, quanto magis Regnum, abdicare conferetur.* Ejuſmodi vero Diſciplinæ rationem etiamnum aliquam cum Excommunicatis ab Eccleſia religioſe obſervari conſtat ex

Jure

Jure Canonico Can. 37. *Quicumque* ex S. Gelasio, & Can. 103. *Quoniam* ex S. Gregorio VII. 11. q. 3; Cap. 2. *A Nobis* Decret. lib. 2. tit. 25. *De Except.* ex Innocentio III; Cap. 1. *Pia* in 6. lib. 2. tit. 12. *De Except.* ex Innocentio IV, & Cap. 8. *Decernimus* ibid. lib. 5 tit. 11. *De Sent. Excom.* ex Alexandro IV, junctis Concordantiis, ubi liquet Excommunicatos a Communione nedum Ecclesiastica, sed a Forensi, sed a Politica etiam arceri. Junge demum usitatum, Divino e jure manantem, derivatumque, morem, juxta quem pro expiatione peccatorum cujuslibet genus peccatoribus Corporales etiam pœnæ, Jejunia, puta, flagellationes, pecuniarum erogationes &c. a Confessariis imponi, religiose ab ipsis Pœnitentibus explendæ, tam legitime queunt, quam jugiter consueverunt. Exinde patet in errorem prolapsum doctiss. alioqui Morinum, dum lib. 6. de Pœnit. cap. 25, seq. docendum adsumpsit a publicæ antiquitus Pœnitentiæ usu distinctum minime fuisse usum Censurarum, nec ab interiori discretum Forum exterius. Quam enim istiusmodi opinio a veteri Ecclesiæ Disciplina abhorreat, ab ipsa quoque Apostolorum Praxi, queis haud infrequens Censurarum usus obtigit, eadem discordet, ipsique Divino quin etiam Juri ab exordio frequentato aperte adversetur, ex dictis abunde manifestum evadit. Deinde secummet adversa Vir doctus fronte pugnat, dum lib. 2. cap. 6. docet olim Christifideles ad peccata commissa vel privatim, vel palam confitenda, adactos fuisse metu, ne eadem peccata deferrentur Episcopo, ac propterea graviori subjacerent pœnæ. Quæ enim, amabo, gravior alia hæc erat pœna, nisi Censura? Sed hæc obiter.

In lineam nunc reflectendo, veteris hujus, ac novæ Disciplinæ, juxta quam Episcopis in flagitiosos pœnis etiam Corporalibus animadvertere fas, jusque semper fuisse dicebamus, liquidi testes, locupletesque adstipulantur SS. Ecclesiæ Patres, Scriptoresque Ecclesiastici. Atque Constit. Apostol. imprimis Auctor lib. 2. capp. 37, & 47. perpetuus est in asserenda Episcopis afflictivas pœnas reis infligendi potestate, & capp. 48, & 49. in adstruendo pariter Episcopis Foro exteriori, pœnarumque legibus præscribendis. A S. Amphiano Martyre plagis affectum Hieroclem Alexandriæ Prætorem, sive Augustalem Præfectum teste S. Epi-

S. Epiphanio hær. 68, quique Diocletiano motæ in Christianos tempestatis auctor extitit, teste Lactantio de Mortib. Persecut. cap. 16, ab eo Dei leges, ac naturæ infringi, ægre, indigneque ferente, refert lib. adv. ipsum Eusebius. Origenem a Demettio Alex. Synodali Decreto *de Ecclesia pulsum*, quæ pœna est Spiritualis, *& de Civitate fugatum*, quæ Corporalis pœna species est, auctor est Photius Cod. 11, refertque ex Theophilo Alex. Gennadius de Viris Illust. Sed & idem Origenes hom. 9. in Jerem. de separatione Civili, cui subjacet Excommunicatus, ita loquitur, ut eam pro mere Spirituali non habuerit, uti revera Corporalis magis sit, utpote quæ a congressibus, a conviviis, a colloquiis, aliisque Societatis humanæ officiis sejungit. Familiare quoque olim Episcopis fuisse, quomodo Parentibus, Artiumque Magistris jugiter extitit, peccantes verberationibus emendare, scribit diserte S. Augustinus in epist. 159, nunc 133. ad Marcellinum Tribunum: *Virgarum*, inquiens, *verberibus, qui modus Coercitionis & a Magistris liberalium Artium, & ab ipsis Parentibus, & sæpe etiam in Judiciis solet ab Episcopis adhiberi &c.* Refertur a Gratiano Can. 2. *Circumcelliones* 23. q. 5. Ne vero putaretur hanc sibi potestatem Episcopos perperam arrogasse, eamdem fundamentum in Evangelio habere Matth. 18. v. 17. docet lib. 1. contra Adversarium Legis, & Prophet. cap. 17. idem S. Doctor, eamque sæpius Episcopis cum refractariis usui esse oportere lib. de Fide, & Oper. cap. 5. decernit. Confer eumdem in Epist. ad Macedonium apud Gratianum Can. 1. *Si Res* 14. q. 6, ubi cruciatibus, molestiisque corporalibus furem ad ablata restituenda compellendum admonet. Præter gradus amissionem, exilii quoque pœna in Synodo ad Quercum affectum S. Joh. Chrysostomum auctor est Palladius in Dialog. Conjuratis, sive Calumniatoribus Episcoporum tam exilii pœna, quam bonorum privatio decreta, & quidem juxta SS. Patrum Statuta, in Synodo Romana V. a S. Symmacho legitur, ac refertur a Gratiano Can. 3. *Accusatoribus* 3. q. 5. A S. Cyrillo Alex. Judæos, persecutionem in Christianos passim commoventes, Urbe expulsos, Proseuchas eisdem ademptas, eorumque bona publicata, diripiendaque Populo exposita refert Socrates lib. 7. cap. 14. Qua de re iterum paullo infra.

ra. S. Cæsarius Arelat., ut habet in ejus vita Cyprianus ipsius Discipulus apud Surium die 17. Augusti, id cautum volebat, ne qui jussu suo pro culpa flagellandus esset, amplius 39. ictibus feriretur; ita tamen, ut qui gravi expiandus flagitio esset, permitteret, ut post dies paucos iterum vapularet. Januario Calaritano a S. Gregorio M. lib. 9. epist. 65, alias lib. 7. epist. 67. mandatum liquet, ut residuos Sardiniæ Idololatras, fortilegos, & nefarios hujusce genus homines insectari non desineret, carcere, & pœnitentia, si ingenui essent, eos puniret, flagellis etiam, si Servi. Antemio Subdiacono in mandatis ab eodem S. Pontifice datum lib. 11. epist. 71, alias lib. 9. epist. 66. legitur, ut Paschasio Episcopo instaret, quatenus Hilarium Subdiaconum fratrum calumniatorem gradu dimoveret, flagellis cæderet, exulare juberet: *Subdiaconatus privet officio, atque verberibus publice castigatum faciat in exsilium deportari.* Refertur Cap. 1. *Cum fortius* Decret. lib. 5. tit. 2. *De Calumniat.* Similem, ac strenuam infandi cujusdam Presbyteri facinorum exercere vindictam, atque illum actutum corripere, inque tetrum contrudere carcerem alter ejus Nuntius jussus legitur lib. 8. epist. 5. Diaconum etiam, & Subdiaconum ejusdem criminis reos, illum quidem gradu dejici, hunc præterea verberibus castigari ab eodem S. Gregorio jussos refert Johannes Diac. lib. 4. cap. 31. Atque hæc quidem in Clericos exerta vindicta, quæ adhuc confirmata adparet ex lib. 4. epist. 27. ad Januarium Calarit., & lib. 10. epist. 4. ad Savinum Subdiac. Laicis quoque pecuniaria imposita pœna liquet lib. 4. epist. 26. ad eumdem Januarium; inque bonorum Ecclesiasticorum deprædatores nunc mulctæ pecuniariæ, nunc publicæ fustigationes etiam decretæ leguntur in epist. 31. ad S. Augustinum Regesti lib. 12. Sed enim illustrior habetur S. Gregorii mens in epist 10. lib. 11, nunc epist. 8. lib. 13. indict. 6. ad Senatorem Abbat., qua privilegii exemptionis Xenodochio cuidam indulti infractores dominio etiam temporali mulctantur. Pseudoepigraphis hanc porro adcensendam Epistolam, post Maimburgum pugnat Launojus epist. ad Mich. Girardum, & ad Joh. Rolandum, pro ingenio nempe præpostero lacessendi, quæcumque ad amplissimam Rom. Pontificis confirmandam auctoritatem quoquomodo conferant.

Con-

Contra vero legitimam proculdubio propugnant PP. Maurini in Not. ad epiſt. 8. lib. 13. Oper. To. 2, Charlaſius de Libert. Eccl. Gall. To. 2. lib. 7. cap. 6, Blancus de Poteſtat., & Polit. Eccl. To. 1. lib. 2. §. 11, &c. Atque profecto, quominus pſeudonymis Gregoriana hæc epiſtola adnumeretur, graviſſimo eſſe argumento S. Gregori VII, eam laudantis lib. 8. epiſt. 21. ad Herimannum Meten., auctoritatem fateri cogimur. Prohibent deinde ejuſdem S. Gregorii M. epiſtolæ aliæ germanæ 9, & 10. lib. 13, alias 11, & 12. lib. 11. ad Talaſſam Abbatiſſam, & Luponem Abbatem, in quibus formula haud abſimili uſus legitur duo privilegia concedens ad preces Brunechildis Franc. Reginæ, & Theodorici Regis ejuſdem Reginæ Nepotis Monaſterio S. Mariæ, & Eccleſiæ S. Martini Auguſtodunenſis. Ejuſmodi præterea Epiſtolæ una cum clauſulis illis minarum in Principes ipſos, qui privilegia illa infringere auſi fuiſſent, extant in Codicibus omnibus ſive Mſs. optimæ notæ, ſive editis, Anglicanis, Gallicis, Italis &c. Referuntur etiam in vita S. Hugonis Monachi Auguſtod. Sæculo X. conſcripta apud Ducheſnium Script. Rer. Franc. To. 3, nec non in Monum. Eccl. Gallic. ab eodem Ducheſnio hiſt. Franc. To. 1, & a Sirmondo Concil. Gall. To. 1. Proxime huc facit, quod de Fulcone Remenſi Archiep. tradit Flodoardus lib. 4. cap. 5, ab eo nempe graviſſima epiſtola an. 898. Carolum Simplicem objurgatum, interminataque tum Excommunicatione, tum ab eo ſeceſſione, deterritum a fœdere, quod impie cum Normannis Idololatriæ tum adhuc deditis pepigerat. Quas equidem Fulconis minas fruſtra mollire, elevareque ſtuduit Boſſuetius Defenſ. Decl. par. 2. lib. 6. cap. 25. eo momento, quod hæ a Fulcone non qua Epiſcopo, ſed qua ex Optimatibus uno profectæ cenſendæ ſint: ſiquidem liquido conſtet una ex Religionis cauſſa ita Fulconem egiſſe. Præpoſtere deinde agit Boſſuetius dum id Epiſcopo detrahit juris, quod privato ſubdito tribuere haud difficilis eſt. Par vero de poteſtate Eccleſiæ pœnas infligendi etiam corporales ſententia hæſit profecto Ivoni Carnot. epiſt. 186. ad Epiſcop. Aurelianenſem, S. Anſelmo Cantuar. lib. 3. epiſt. 109. ad Regem Angl., Petro Bleſenſi epiſt. 145, ſeq. Eleonoræ Angl. Reginæ nomine ad Cæleſtinum III, Petro Bertrando in diſput. adv. Petrum Cunerium &c.

Præ quibus tamen loco potiori, qui cum ſibi, tum paſſim Epiſcopis poteſtatis hanc vindicant particulam habendi profecto ſunt Rom. ipſi Pontifices, Paſchalis II. apud Lucium II, ipſe Lucius in epiſt. 8. ad Viſeliacenſem Abbat., Alexander III. Cap. 1. *Gravis* Decret. lib. 3. tit. 16. *De Depoſito*, Innocentius III. Cap. 35. *Ut famæ* lib. 5. tit. 39. *De Sent. Excom.*, & Cap. 27. *Novimus De Verbor. Signif.*, Honorius III. Cap. 18. *Dilectus* lib. 1. tit. 31. *De Offic. Ord.*, B. Gregorius X, & Clemens V. apud Raynaldum ad annos 1273. num. 42, ſeq., ac 1311. num. 53, ac Bonifacius VIII. Cap. 3. *Quamvis* in 6. lib. 5. tit. 9. *De Pœnis*, & Cap. 7. *Cum Epiſcopus* lib. 1. tit. 16. *De Officio Ordin.*, ubi Epiſcopo perſonas Eccleſiaſticas capiendi, & Carceri deputandi jus integrum adſcrit. Quam ſane Decretalem in Gallia haud fuiſſe receptam falſo jactat Jannonus: ſiquidem ibidem pro delictis Clericorum puniendis Epiſcopis Carcerum uſum, hanc juxta Decretalem, haud fuiſſe denegatum ſcribit Ludovicus Hericourt de Legib. Eccleſ. Franc., quo a jure Laicos, ſpeciali Pontificum indulgentia, exemptos fuiſſe obſervat Reinfeſtuel Jur. Can. lib. 2. tit. 2. §. 10. n. 236. Confer Felinum in Cap. 13. *Irrefragabili* de Offic. Jud. Ordin., Hoſtienſem in Cap. 13. *Ut Clericorum* de Vita, & honeſt. Cler., Panormitanum in Cap. 3. *Licet* de Pœnis, Covarruviam Var. Reſol. lib. 2. cap. 9. n. 9. docentes a Judice Eccleſiaſtico delicta quædam pecuniaria mulcta puniri tam licite poſſe, quam aliquando expedire, & Gonzaleſium in Jur. Can. lib. 5. tit. 2. *De Calumniat.* cap. 1. n. 13, ſeqq., ubi documentis multis ex Synodis, ex Patribus, & Scriptoribus oſtendit Eccleſiæ tam priſco, quam perpetuo Corporales inter pœnas uſu flagellationes veniſſe. Cujuſce veteris Diſciplinæ veſtigia deprehendere adhuc licet in Ordine abſolutionis ab Excommunicatione, quo in Pontificali Romano ſub quolibet Pſalmi *Miſerere* verſiculo abſolvendus virga inter ſpatulas verberari præcipitur. Videndus & Boilau doctiſs. Sorbonicus in hiſt. Flagellant.

Ad hancce porro veterem in Eccleſia praxim Corporalibus facinoroſos adficiendi pœnis comprobandam, uberiorique locandam in lumine concurrunt præterea antiquiſſimæ Excommunicationis formulæ apud Martenium de Antiq. Eccl. Ritib. To. 2. lib.

3.

3. cap. 4. Diræ nempe ex Pſal. 108. potiſſimum in Excommunicatos, eorumque Domos, Agros, Bona, Corpora &c. repetitæ leguntur in Pontificali Anglicano, & in antiquis Codicibus Mſs. Gemmeticenſi, Noviomenſi, Regio, Vindocinenſi, & Vallicellenſi Leonis Papæ varias Excommunicationis formulas referentibus, in eiſdem Codicibus item editis a Baluzio, ac in Cod. S. Audoeni Rotomagenſis, ac Monaſterii Fiſcanenſis. Ad quas ea quoque revocanda Excommunicationis formula, cum pœnarum corporalium minis concepta, & in Concilio Aragonenſi ſub Ranimiro Hiſp. Rege lata, de qua paullo ſuperius. Pœnas inter has corporales vindicandis delictis qua interminatas, qua inflictas locum profecto habebat pœna Carceris, quo punire Clericos præſertim veteri, frequentique uſu Eccleſiæ venerat. Liquida de eo ſuppetunt documenta ex Libello Baſilii Diaconi ad Theodoſium, & Valentinianum Imp. Concilii Epheſini par. 1. cap. 30. inſerto; ex L. 30. Cod. Theod. *De Hæreticis*, & L. *Cuncti* Cod. Juſtin. eod. tit., ubi Lex ideo lata ab Arcadio, & Honorio an. 396. recenſetur; ex Novella 79. Juſtin. cap. 3. & Capitul. lib. 5. cap. 225. Proprio Carcerum nomine deſignantur a S. Gregorio II. in epiſt. 2. ad Leonem Iſaurum; ab Alexandro III. in epiſt. ad Rotrodum Archiep. Rotomag.; a Concilio Colonienſi an. 1260. Can. 1, & a Lambethenſi an. 1261. cap. de Excom. capien. Qua de re Anton. Auguſtinus ad Novel. 79. *Decanicæ* adpellantur Juliano Anteceſſori Conſt. 73, & 266, ac Juſtiniano cit. Novel. 79. *Cancellos* exponit Balſamon in Nomocan. tit. 9. cap. 1. *Catenas* legit Carolus M. in cit. Capitul. lib. 5. cap. 225. *Decaneta* dicuntur Leg. 30. Cod. Theod. lib. 16. tit. *De Hæret.*, & Novel 70. Cod. Juſtin. *Diaconica, & Decanica* indiſcriminatim habet Gloſſarium ad Juliani Anteceſſ. verſionem Conſtitutionum; cujuſce Gloſſarii auctor fertur Franciſcus Pithœus: qua de re fuſius Cironius Obſervat. lib. 2. cap. 51, Johannes Acoſta in Cap. 4. Extravag. *De Judiciis*, Filefacus in Cap. 1. *De Offic. Ordin.* §. 16, Gothofredus in cit. L. 30. Cod. Theod. *De Hæret.*, Ducangius in Deſcriptione Ædis S. Sophiæ poſt Silentiarium cap. 84, Binghamus quoque Orig. Eccleſ. lib. 8. cap. 7. §. 9, ac nuper Blancus de Polit., & poteſt. Eccl. To. 4. lib. 2. cap. 4. §. 9. Juxta hæc ideo Eccleſiæ Fiſcum haud dene-

gandum fore docent Gloſſa in Cap. 5. *Quia diverſitatem, De Conceſſ. Præben.*, Felinus in Cap. 13. *Irrefragabili, De Offic. Jud. Ordin.* §. 1., Barboſa in Cap. 1. *Ex Epiſtolæ, De Probationibus* n. 61, Repertorium Inquiſit. V. *Confiſcatio*, Hoſtienſis in Cap. 2. *Nolentes De Hæret.*, Joh Bernardus in Pract. Crimin. capp 124, & 134. Covarruvias var. Reſol. lib. 2. cap. 9. n. 11, aliique longe plures Juriſperiti apud ipſum.

Ad hæc Poteſtatis Eccleſiaſticæ quoad pœnas infligendas Corporales argumento præterea, documentoque ſunt, qui præſidio ipſimet frequenti erant, Parabolani. De horum porro nomenclatione non una Eruditorum opinio eſt. Sic dictos fuiſſe Medicos, indeque nomen ſumpſiſſe, quod multas effundere Παραβολας familiare ipſis ſit, ſive loquaciores ſint, conjecit Accurſius, & notat Vocabularium Vetus apud Martinium. Quam opinionem riſu, & cachinnis excipiunt Bleynius Inſt. lib. 1. p. 7, & Gothofredus, de quo infra. Plebejos fuiſſe, ac proletarii generis, qui famulitio Eccleſiarum, vel Hoſpitalium, Xenonumque deputari eſſent, & quaſi glebæ adſcriptitii, ſic denominati a παρα præpoſitione *Ab*, & βωλος *Gleba*, ut ſicut illis ab Agrorum cultura recedere non licebat, ita nec his ab Ægrorum ſervitio, autumant Alciatus Diſpunctionum lib. 4. cap. 9, & Rhodiginus Antiq. lect. lib. 29. cap. 2, queis adnuit Pitiſcus in Lexico. Verius tamen *Parabolanos* a Παράβολος, qui temere cui vis periculo caput objicit, ideſt *Audax*, ſive a Παραβαλόμενος, qui audaciter periculum quodlibet trajicit, & contemnit, denominatos, qui ad curanda debilium ægra corpora deputari ſolebant, veluti loquitur LL. 17, & 18. Cod. *de Epiſcop.*, & *Cler.* Juſtinianus, quod neglecto prorſus omni periculo, ac propriæ ſalutis immemores, ægrorum curationi ſe ſe ultro exponerent, unde *Paraboli* Socrati lib. 7. cap. 22, & Caſſiodoro; *Parabolarii* Firmico Matheſeos lib. 8, & Claudiano in Manlii Conſulatum v. 292; *Parabalomeni*, & *Parabaleſthæ* Heſychio, Julio Polluci Onom. lib. 3. cap. 28, Maximo Tyrio diſſert. 2. p. 13. edit. Heinſ., Suidæ, & in Gloſſa Philoxeni, quin & S. Paulo ad Philip. cap. 2. v. ult., unde & *Beſtiarii* Julio Frontino dicti, conſentiunt Cujacius ad Novel. 3,

Ba-

Baronius ad an. 416. n. 33, Salmaſius de modo Uſar. cap. 5, Voſſius Lex. Etymolog. in *Parabola*, Bullengerus de Venat. circ. cap. 31, Turnebus Adverſar. lib. 13. cap. 23, Jacobus Gothofredus ad L. 42. Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. *De Epiſcop., & Cler.*, Ducangius V. *Parabolani*, neque diſſentit Pitiſcus To. 3. p. 30. Atque hos quidem fuiſſe primum non generis proletarii, ſed inferioris Ordinis Clericos, qui propriæ Eccleſiæ officiis etſi minime deputarentur, ab Epiſcopis attamen adlegi ſolebant, Epiſcoporumque imperio ſuberant, haud obſcure liquet ex Theodoſii Jun. LL. 42, & 43. *Quia inter*, & *Parabalani* lib. 16. Cod. Theod. tit. 2. *De Epiſcopis*, *Eccleſ.*, & *Cler.*, quibus eos deinceps non ex divitibus, ſed ex pauperibus allegendos jubet, Clericos etiam vocat explicite, nihilque cum publicis Actis permittit habere commune, neque ad Curiam accedere, neque ſexcentorum excedere numerum, eiſque demum in omnibus præeſſe Alexandrinum Epiſcopum præcipit: qua de re Baronius ad cit. an. n. 38, Pagius ibid. n. 21, & Stephanus Valentinus de Poteſt. coact. Rom. Pontif. cap. 9. n. 13. Hos igitur præſto Epiſcopis fuiſſe ad propulſandas injurias, armiſque ad pericula ab Eccleſiis ſubmovenda non carniſſe, ac præſentiſſimo adfuiſſe auxilio, arguere licet ex facto S. Cyrilli Alex., cui tam adverſus Judæos paſſim in Chriſtianos Plebem commoventes, quam adverſus Oreſtem Ægypti Præfectum ipſi S. Patriarchæ infeſtum opem, ſuppetiaſque Parabolanos tuliſſe documento ſunt præcit. LL. 42, & 43, a Theodoſio ad Parabolanos ideo compeſcendos latæ, uti Baronio ſic adfirmanti Gothofredus ipſe conſenſit. Ex quibus ſequitur falſo poſt Socratem lib. 7. cap. 14. adfirmaſſe Sozomenum, ex odio nempe, quo in Theophilum S. Cyrilli avunculum deflagrabat, quove S. Cyrillo invidiam apud homines conflandi occaſionem quærebat, qua de re a S. Gregorio M. lib. 6. epiſt. 31. coarguitur, falſo, inquam, adfirmaſſe a Monachis nimium quantum S. Cyrillo ſtudentibus eam adverſus Oreſtem commotam fuiſſe tempeſtatem. Parabolanos autem parum a Defenſoribus Eccleſiæ diverſos officio fuiſſe arguere ex facto ipſo fas eſt. Fas nempe tum Parabolanis erat Epiſcopi injurias armis depellere: fas deinde Eccleſiæ Defenſoribus adceſſit in ejus defenſionem arma capeſſere, ac vindictam in hoſtes exercere.

Quem-

Quemadmodum igitur Civitatum olim Defensores constitui solebant, quos a Græcis *Syndicos* adpellatos notat Arcadius L. 2. Cod. *De Defensor. Civit.*, dictos vero *Agoreos* in Asia testantur S. Joh. Chrysostomus, & Oecumenius in Acta Apost. cap. 20: quos Tribunis Plebis similes, atque ideo Plebis etiam Defensores vocatos L. 4. Cod. *De Offic. Jurisd. Alex.* advertit Cujacius Observat lib. 3. cap. 14; quin imo Præsidum vice defungi in Urbibus mandabantur Novella 8. cap. 4; quibusve specialius Plebem ipsam, universamque Civitatem ab injuriis, oneribusque defendere officio cedebat, atque ex Nobilioribus Urbis, Ditioribusque adlegi consuebant, ac dignitate post Duumviros primos incedere solemne erat, LL. 2, seqq. Cod. *De Defens. Civit.*, L. 2. Cod. De *Annal. Except.*, L. 1. §. *Tutores* ff. *Quorum adpell. sit*, L. 1. §. 1. ff. De *Muner.*, *& honor.*, Novell. 15, junctis Hermogene L. *Numerum.* §. 1. *Personalia* ff. De *Mun.*, *& honor.*, Lampridio in Alexandro, Pancirolo de Magistr. Municip. cap. 9, Bullengero de Imper. Rom. lib. 7. cap. 12, Buddeo in Pandect. p. 243, aliisque: ac videndi præterea, qui de his fusius agunt, Desiderius Cadurcensis Episcopus epist. 16, Marculfus Form. lib. 2. cap. 27, Formulæ Veter. cap. 53, seq., Leges Wisigoth. lib. 2. tit. 1. §. 26, & lib. 12. tit. 1. §. 2, Theodoricus Rex Edicti cap. 53, Carolus M. Capitul. lib. 5. cap. 234, Symmachus lib. 1. epist. 65, & lib. 9. epist. 35, Severus Episcopus apud Baronium ad an. 418. n. 41, & Juretus ad Symmachi lib. 9. cit. epist. 35. Ita pervetustus in Ecclesia mos est Defensores pro Ecclesia constituendi, atque ex ordine quidem Ecclesiastico adlectos, queis esset pro officio ab Ecclesiis repellere injurias, hostium impetus frangere, ac si essent impares, Judicum laicorum opem, suppetiasque accersere. Quod totum liquet ex Conciliis Carthaginensi V. an. 401. Can. 9, Milevitano II. Can. 16, Africano capp. 42, & 64, in Cod. Can. Afric. Eccl. Can. 75, & 97, juncto Balsamone To. 1. Pandect. Beveregii p. 612, Constantinopolitano sub Menna Act. 2, Mopsvesteno in Generali V. Collat. 5, Constantinopolitano III. gener. VI. Act. 8, & 10, Nicæno II. gen. VII. Act. 4, Constantinopolit. IV. gener. VIII. Act. 2, Romano sub Eugenio II. Can. 20, Moguntino an. 813. Can. 50, Duziacensi I. edit. Cellot. p. 225; ex L. 38. Cod. Theod. lib. 16. tit. 2.

tit. 2. De *Epiſcop.*, *Eccl.*, *& Cler.*, & L. 7. *De Denunciat.* Cod. eod. lib. 2. tit. 4, juncto ibid. Gothofredo; ex S. Zoſimo epiſt. 9. edit. Cout., S. Hormiſda epiſt. 25, S. Gregorio M. Dialog. lib. 1. cap. 10, lib. 1. epiſt. 25, ſeq., lib. 2. ind. 11. epiſt. 54, lib. 7. ind. 1. epiſt. 4, ind. 2. epiſt 39, & lib. 12. epiſt. 30, Stephano III. epiſt. 3. Cod. Carol., S. Nicolao I. epiſt. ad Trevir. Antiſt. relato Can. 2. *Auctoritatem* 15. q. 6, (de cujus veritate tamen dubitant Ciacconius, Ant. Auguſtinus, & Bérardi,) Urbano II. epiſt. 17. edit. Hard. ad Lucium relato Can. 8. *Salvator* 1. q. 3; ex Poſſidio in vita S. Auguſtini cap. 12, Caſſiodoro Var. lib. 2. cap. 3, lib. 3. cap. 45, & lib. 9. epiſt. 15, S. Gregorio Turon. de Vit. PP. in vita S. Galli cap. 6, Auctore vitæ S. Johannis Eleemoſyn. cap. 5, Vitæ S. Aldrici Cenom. cap. 8, & Vitæ S. Emerani apud Caniſium; ex Teſtamento Widradi Abbat. Flaviniac. ſub finem, & Teſtamento Hadoindi Epiſcopi Cenom. apud Baronium ad an. 652, & Briſsonium de Form. lib. 7. cap. 161; ex Actis Murenſis Monaſterii p. 4; ex Monacho Sangallenſi lib. 2. cap. 15. apud Ducheſnium To. 2. p. 127, Aimoino hiſt. Franc. lib. 4. cap. 34, Hariulpho lib. 4. cap. 12, Dudone de Actis Norman. pag. 96, & 104, Ademaro p. 171, Udalrico in præf. lib. 1. Conſuet. Clun., Beslio in Epiſcop. Pictavien. p. 17, ſeq., Miræo in Donat. Belg. lib. 2. cap. 52, Juſtello in hiſt. Arvern. p. 19, Hemereo in Auguſta Viromand. p. 96, &c., ex L. 19. Cod. De *Epiſcop. Aud.*, Novel. 36. cap. 7, L. 4. Cod. *De Defenſ. Civit.*; ex Capitul. Caroli M. lib. 5. capp. 2, 31, 40, & 234, lib. 7. cap. 308, Caroli Calvi tit. 40. cap. 2, Leg. Bajoar. tit. 1. cap. 1, aliiſque plurimis apud Ducangium VV. *Advocatus*, *& Defenſor.* Comparandus & Muratorius Antiq. Ital. diſſert. 72, ſeq.

Atque Defenſores quidem hos, apud Græcos ἔκδικος, ſive προστάτης, modo ex Presbyteris, veluti liquet ex Conciliis Epheſino Act. 5, & Conſtantinopolitano ſub Flaviano Act. 2, modo ex infima Clericorum claſſe delectos, veluti conſtat ex S. Epiphanio Hær. 72. n. 8, 11, ſeq., Eccleſiæ nedum, Pauperumque cauſsas, curamque egiſse, ſed imo flagitioſis, vi quoque adhibita, prout opus afforet, compeſcendis, officio conſtitutos fuiſse diſcimus ex Synodis Chalcedonenſi Act. 1, & Can. 23, Milevitana II. Can. 16,

Can. 16, Carthaginensi V. Can. 9, & ex S Innocentio I. in epist. ad Laurentium Senienſem, ubi Defensores Ecclesiæ Hæreticis procul expellendis incubuisse leguntur. In Occidente ex Laicis ad id muneris adsumptos etiam aliquando docemur a S. Zosimo epist. 9. edit. Cout., quos ad Clericatus ordinem adscendere indulget. Deinde vero a S. Gelasio, ac deinceps inter Clericos minores adlegi Defensores cœpisse documenta, quæ adhuc superſunt, nos dubitare non sinunt. Ubi se hostibus obsistendo impares agnoscerent, officio Defensoribus cedebat a Judice publico auxilium petere; quod ex præfat. Conciliis Milevitano, & Carthaginensi patet, atque ex Possidio in vita S. Augustini cap. 12. Apud Græcos Defensorum auctoritatem ad reprimendos Publicorum Exactores, ne plusquam par esset, exigerent, & ad opem iis ferendam, qui de libertate periclitarentur, aut ad Ecclesiam confugisent, recte observat Balsamon Jur. Orient. To. 1. p. 456, & in Can. 78. Cod. Eccl. Afric. Defensoribus adnumerandi denique Advocati, ac Vicedomini, atque ii quidem e Nobiliori Reipublicæ Statu delecti, adeoque ut isto Religionis officio erga Ecclesias, ac Monasteria defungi Comites, Duces, Regesque tam non dedignarentur, quam delectarentur quammaxime: quorum officium in Ecclesiarum, ac Monasteriorum juribus, vi, armisque, in tuto ponendis, injuriisque propulsandis constatse certum est: de quibus fuse, doctèque, more suo, Thomassinus Vet., & nov. Discip. par. 1. lib. 2. cap. 98, seq., & par. 3. lib. 2. cap. 55, & Ducangius V. *Advocati*. Qui, paullatim siquidem potestate abuti sua cœpisent, plurium deinde tam Conciliorum decretis aut sublati, aut cohibiti sunt, veluti a Remensi an. 1148. Can 6, a Lateranensi IV sub Innocentio III. Can. 45, ab Arelatensi an. 1274. cap. 24. &c., quam Regum etiam sanctionibus, quibus de Ducangius Gloss, To. 1. edit. Ven. p. 174. Jam vero Defensores inter hos, Advocatosque illustriores proculdubio habiti sunt ii, queis Ecclesiæ Romanæ defensio imprimis demandata erat; quorumve nomen, ac munus, rei velut jampridem obtinentis, omnium primus exposuit S. Innocentius I. epist. 41. edit. Cout. ad Laurentium Senien. Episcopum. Ad Ecclesiam Urbis a Schismaticis occupatam S. Damaso recuperandam Defensori suppetias præstare Urbis Præfectus a Valentinia-

niano Imp. juſsus legitur. Defenſori ſuo Acacii Conſtantinopolit., & Petri Alex. damnationem a S. Felice III. P. M. demandatam refert Anaſtaſius Bibl., ac diſcimus ex ipſius epiſt. 8. ad Acacium edit. Hard., & Synodica ad Cler., & Monachos Orient. Ubi Defenſorum munere defungi Rom. Eccleſiæ Subdiaconos conſuevisse, eiſque vel Patrimonia adminiſtranda, vel Legationes obeundæ, vel de rebus, perſoniſque Eccleſiaſticis judicia definienda committi obſervat Dandinus Altaſerra, junctis Can. 1. *Valde neceſſarium* diſt. 94, Can. 39. *Pervenit* 11. q. 1, Can. 18. *Probinum*, & Can. 20. *De Præſentium* 16. q. 1, videlicet ex S. Gregorio M. lib. 1. epiſt. 1. ad Siciliæ Epiſcopos, & lib. 9. epiſt. 32. ad Romanum, ac Pelagio epiſt. (pſeudoepigrapha) ad Paulinum Solitar., & ad Antoninam Patriciam. Patrimoniorum Eccleſiæ Romanæ curam potiſſimum Defenſoribus a S. Gregorio M. frequentiſſime commendata legitur paſſim lib. 1. epiſt. 2, ſeq., lib. 3. epiſt. 45, lib. 7. ind. 1. epiſt. 17, ind. 2. epiſt. 24, lib. 8. epiſt. 39, lib. 11. epiſt. 22, &c.; Pauperum etiam lib. 4. epiſt. 25, lib. 7 epiſt. 17, & 66, lib. 9 epiſt. 15, & 33, lib. 11. epiſt. 21, &c.; Pontificiorum quoque Mandatorum executio lib. 3. epiſt. 45, lib. 7. ind. 2. epiſt. 17, lib. 8. epiſt 39, &c. Præter has vero officii partes, Defenſoribus impoſita habetur de rebus Monaſteriorum vindicandis lib. 4. epiſt. 4; de Virginibus Deo ſacris in propoſito detinendis lib. 7. epiſt. 10; de Matronis a Potentum vi defendendis lib. 7. epiſt. 84; de Inobedientium pertinacia frangenda lib. 7. epiſt. 106; de Epiſcopis in ordine cohibendis lib. 8. epiſt. 1, & 11; de Epiſcoporum ſollicitanda electione lib. 9. epiſt. 74; de Epiſcopis in gradum redintegrandis, teſte Johanne Diac. lib. 2. cap. 53, &c. Qua de re conferendus Ordo Roman. a Caſsandro editus, ac Petrus Urbevetanus in S. Damaſi Adnotat. Horum deinde numerum Romæ ad ſeptem adauxit idem S. Gregorius M., eoſdemque ſeptem aſſignavit Urbis Regionibus, ipſomet teſte lib. 7. ind. 1. epiſt. 17: unde *Regionarii* dicuntur in Ordine Rom., & a S. Paulo I. epiſt. 22. Cod. Carol., a Stephano III. epiſt. 3, & a Johanne Diacono lib. 2. cap. 20: qua de nomenclatione legendi Anaſtaſius in Conſtantino n. 171, in S. Gregorio III. n. 193, in Hadriano I. n 293, 297, ſeq., & 306. To. 1. edit. Blanchinii, & Morinus de Sacr. Ordin. par. 3.

Exercit. 16. cap. 6, ac duobus seqq. Illustris id munii postmodum, quò potentiores ingruentes quotidie adversus hostes, & persecutores haberent, Principibus, Regibus, ac Imperatoribus adtributum a Pontificibus est. Quo perinde nomine, ac munere tam gloriati, quam egregie defuncti legantur Pippinus in veteri Membrana apud Baronium ad an. 761. n. 18, Carolus M. in ipsius vita, Henricus II apud Ditmarum lib. 6, Conradus apud Brouverum Antiq Fuldens. lib. 3. cap. 17, Fridericus I. apud Radevicum &c. Nobiliori denique nomine Patricii donari cœpere, qui Rom. Ecclesiæ Advocatos, Defensoresque egere: quo de argumento fusius Art. sup. 4. p. 403, seqq. Jungendi Paciarii, quos cum potestate corporales etiam infligendi pœnas ab Ecclesia aliquando constitutos constat. Nempe Episcopis primum *Justitiam faciendi*, pœnis idest animadvertendi temporalibus etiam in eos, qui publicam turbarent pacem, sparta fuerat demandata a Synodis Juliobonensi apud Ordericum Vitalem hist. Eccl. lib 5. ad an. 1080, a Monspelliensi an. 1214, a Tolosana an. 1229, &c., sed eis huicce persæpe muneri imparibus suffecti hoc *Paciarii* nomine sunt Viri potentes, quales Latinus Ord. Præd. Cardinalis a Nicolao IV. apud Villanium lib. 7. cap. 56, Vesianus Ord. Min. Archiep. Capuan. apud Wadingum Annal. To. 8. edit. nov. p. 411., Petrus Card. S. Mariæ Novæ apud Raynaldum ad an. 1296. n. 1; ex Laicis vero Principibus, Carolus Andegavensis a Clemente IV. apud Raynaldum ad an. 1267. n. 5, seqq., & Patrem Lazeri Miscell. Collcg. Rom. To. 2. p. 1, seqq., ac iterum a B. Gregorio X. apud Ughellum To. 3. edit. nov. p. 442, & Carolus Valesius a Bonifacio VIII. apud Villanium lib. 8. capp. 42, & 48: quibus plane facta, cum dignitatis collatione, potestas corporalibus animadvertendi pœnis in Pacis turbatores ex Pontificiis liquet litteris: quibus jungendæ aliæ ejusdem Clementis IV. ad Regem Castellæ apud Martenium Anecd. To. 2. p. 499, B. Gregorii X. ad eumdem Regem apud Raynaldum ad an. 1272. n. 37, seq., & Johannis XXII. in Processu 2. adv. Ludovicum Bavar. apud cit. Martenium p. 650: qua de re fusius præcit. doctiss. P. Lazeri in præfat. ad Epist. Pontif. Rom. To. 2. Miscell. p. xvi, seqq.

Longa post diverticula in lineam modo me recipiendo, propius

piuſque ad rem, qua de agitur, adpropinquando; ex Conciliis potiſſimum hæc tam vetus, quam nova in Eccleſia Diſciplina diverſis pœnarum etiam Corporalium generibus animadvertendi tam in Clericos, quam in Laicos, argumentum, documentumque accipit, præberque. Inſigne primum eſt illud, quod tam ex Conciliis Eliberitano Can. 56, & Arelatenſi I. Can. 7. de interdicto Chriſtianis Magiſtratus officio, quam ex Nicæno Can. 12. verſ. Dionyſii, Andegavenſi Can. 5, Arelatenſi II. Can. 25, Aurelianenſi III. Can. 25, Toletano IV. cap. 55, Toletano VI. cap. 7, aliiſque ſuperius indicatis, de prohibita Lapſis Militia, ſive Paludata, ſive Togata; quæ repetere modo non juvat. Atque ideo hinc progrediendo, a Carthaginenſi V. an *399*, aut inſeq. Can. 2. apud Gratianum Can. 3. *Siquis* 21. q. 5. Clericos pro culpis propriis ab Epiſcopis condemnatos, *Interpoſita pœna damni, pecuniæ, atque honoris*, defendere quilibet cujuſque dignitatis, ac conditionis diſtricte prohibetur. Minores Clericos (Majores namque, gradus ob reverentiam, ab ejuſmodi pœna cum infamia conjuncta ibant immunes) criminum conſcios verberibus ab Epiſcopis addici conſueviſſe diſcimus ex Agathenſi an 506. Can. 34, & 41, relato Can. 25. *Non liceat* diſt. 86, a Turonenſi II. an 567. Can. 20, & Narbonenſi an. 589. Can. 12. Et Bracarenſe III. an. 675. cap. 7. a verberibus Presbyteros, Abbates, & Levitas eximens, gravioribus exceptis flagitiis, exiſtimavit plane cum & illos, ob graviora facinora, tum & Clericos inferioris gradus, ob minores culpas flagris adfici poſſe. Clericis alios Clericos Civili coram Judice conveni entibus aut Carcer, ſi ſuperiores, aut verberatio, ſi inferiores, a Matiſconenſi I. an. 581. Can. 8. decernitur. A Matiſconenſi II. an. 585. Can. 1. circa Dominicæ diei obſervantiam ſancitum habetur, ut eam violantes, ſiquidem Cauſidici, irreparabiliter cauſſas amitterent, ſi Ruſtici, & Servi, gravioribus fuſtium ictibus verberarentur. Simili Decreto ejuſdem diei religioſæ obſervantiæ conſultum eſt a Narbonenſi an. 589. Can. 4, ut nempe, ſi liberæ ſortis eſſent, inobſervantes mulctam publico ſolverent Judici, ſin vero ſervilis, centenis excipierentur verberibus. Flagellatione item publica Sortilegos puniri, ac pecunia eroganda pauperibus vanitie Can. 14. ſancitur. Qui vero eos conſuluerint, in

ſex auri uncias, Civitatis Comiti inferendas, plecti jubentur. In Clericos item deſides, officioque deficientes ſuo, ſiquidem Subdiaconos, ſtipendii privatione, in inferiores vero flagris deſæviendum Can. 13. indicitur. A Toletano III. an. 589. Can. 5, (junctoetiam Can. 16.) ab Hiſpalenſi I. an. 590. circiter Can. 3, & a Toletano IV. an. 633. Can. 43, (ubi & Can. 75, in Toletano V. Can. 7. inſtaurato, Suintilla Rex, Theodora Regina, & Rechimirus in Regni conſortium adſcitus diris ſæve devoti, Regnoque mulctati leguntur, facultatibus item Geilanes una cum Conjuge exſpoliatus, juncto Toletani VI. cap. 17, quo decernitur, ne Rex ante Solium conſcendat, quam de Religione tuenda ſponderet, ac niſi genere Gothus eſſet, moribuſque dignus,) Mulierculæ Clericis inſervientes, e queis obliquiores ſuboriri quirent ſuſpiciones, niſi quamprimum e domibus ſubmotæ fuiſſent, mox venundari ab Epiſcopis, ipſarumque pretium in pauperes erogandum, mox in Monaſterium ad pœnitentiam agendam detrudi præcipiuntur. Eiſdem quin etiam Mulierculis, quarum impudicitiæ Clericis inſidietur, exitioque ſit, exſilium ab Epiſcopis indici ab Aurelianenſi IV. an. 541. Can. 29 jubetur. Clericorum majorum filii, poſt Ordinationem ſuſcepti, in Toletano IX. an. 655. Can. 10. ſpurii nedum, ac ſucceſſionis exortes declarati ſunt, ſed Eccleſiæ in Servos mancipantur. Flagellatio, Carcer, exſilium detractoribus Epiſcoporum tam Laicis haud ingenuis, quam Clericis inferioribus indicuntur ab Emeritenſi an. 666. cap. 17; exſilium quin etiam ipſis Epiſcopis adulterio, ſtupro, aut homicidio coinquinatis a Toletano XI. an. 675. cap. 5, ſeq.; ubi & Can. 11. in Infideles ipſos erga Euchariſtiam injurioſos verberationis, & exſilii pœna ſtatuta legitur. Quæ exſilii pœna rurſus a Bracarenſi III. cap. 7, relato Can. 8. *Cum Beatus* diſt. 45, in Epiſcopos inſtaurata eſt, qui præſcriptum Clericos flagellandi modum prætergreſſi fuiſſent. Verberibus denuo, carcere, exſilio Idololatriæ dediti, eoſque a delictis abducere, ulciſcique Domini negligentes a Toletano XII. an. 681. cap. 11. damnantur. Flagellis iterum, calvitio, & exſilio ab infando cohibendos flagitio tam Clericos, quam Laicos ſibi ſtatuit Toletanum XVI. an. 693. cap. 3; inſtaurata cap. 2. in Idolorum cultores eadem, quæ in Toletana XII. cap. 2. ſan-

ſancita fuerat, pœna; Judices præterea in extirpandis Idololatriæ reliquiis deſides officio interdicens; mulcta item pecuniaria, decalvationis, & flagellationis pœna in eos indicta, qui Judicibus hoc in obeundo munere obſiſtere auſi fuiſſent. In Patriæ, Regiſque perniciem conſpirantibus denique tam bonorum exſpoliatio, quam perpetuum in exſilium deportatio Can. 9. inflicta eſt. Viciſſim cap. 1. Judæis ad fidem converſis ingenuitate, ac vectigalium immunitate donatis. Qui contra in Chriſtum perduelles a Toletano XVII. an. 694. cap. 8. perpetuæ mancipantur ſervituti, ipſorum bonis publicatis. In Germanico an. 742. ſub S Bonifacio Mogunt. Can. 6. Clericis, Monachis, ac Virginibus Deo Sacris, qui ſe carnis libidine contaminaſſent, arctum in pane, & aqua jejunium, carceris per unum, aut duos annos incluſio, repetita flagellatio, capitiſque detonſio, in ignominiæ ſignum, indicta legitur. Ad pœnas corporales plane deſperatis, ac perditis inferendas tam a Reipublicæ Adminiſtris, quam ab ipſis Regibus operam Epiſcopis præſtandam imperant Francofordienſe an. 794. Can. 4, 5, & 7, Altinenſe an. 802. ſub S. Paulino Aquilejen. in Synodica ad Carolum M., Arelatenſe VI. an. 813. Can. 13, Moguntinum eod. an. Can. 8, & Meldenſe an 845. Can. 71, & 79: quibus cohærent Caroli M. Capitul. lib. 5. cap. 114, & Addit. lib 3. cap. 64, Sueſſionenſe II. an. 853. Can. 12, Cariſiacenſe an. 858. cap. 12, & Triburienſe an. 895. Can. 3. Judices, Centenarios, Tribunos, ſi mali fuerint, ab officio amoveri; Vicedominos vero, Præpoſitos, & Advocatos probos eligi præcipit Moguntinum an. 813. Can. 50. A Theodonvillano an. 821. circiter Can. 1, ſeqq. percuſſoribus Clericorum pecuniaria quoque pœna, major, minorque pro Sacrilegii qualitate, Epiſcopo perſolvenda, imponitur. Hoſce vero Canones Triburiæ paullo poſt decreto edito adprobavit Ludovicus Pius. In Regem conſpirantes ab Aquiſgranenſi II. an. 836. Can. 12. ab univerſo gradu anathematisati leguntur: qua loquendi formula non ſola Excommunicatione, ſed exautoriſatione plectendos inſuper perduelles Laicos aperte ſignificatur. Ad effrænem prædonum rapacitatem refrænandam, Eccleſiis ablata in duplum, aut triplum, aut quadruplum reſtitui juſſit Tullenſe II. anno 860. Can. 1. Laicos, qui ad Patriæ, aut Regis hoſtes deficerent,

rent, Sacrorum justitio non modo adfecit, sed facultatibus etiam, gradibusque omnino exuit Wormatiense an. 868. Can. 43. In Pontigonensi, ac Ticinensi an. 876. Can. 3. Ecclesiæ Romanæ bona invadentibus, præter rerum ablatarum restitutionem, gravis pro culpa persolvenda mulcta imposita habetur. Quod ad Monachos respicit, ea receptissima erat Disciplina, ut jejuniis nedum; sed verberibus, sed carceribus flagitiosi castigarentur: cujusce sane Disciplinæ locupleti documento accedunt Concilia Aquisgranense an. 816. cap. 135, & Moguntinum an. 813. cap. 45, Capitularia item Regum Franc. lib. 5. capp. 99, ac 316, Regula S. Aureliani cap. 41, & S. Romualdi apud Surium ad diem 19. Jun. cap. 13. Carceribus vero æquiparanda detrusio olim in Monasteria ad pœnitentiam agendam in fletu, & vigiliis, in precibus, & jejuniis, in cinere, & cilicio: quo de pœnæ genere S. Siricius apud Anastasium Bibl., S. Gregorius M. lib. 1. epist. 42, lib. 2. ind. 11. epist. 27, 42, & 49, ac lib. 3. epist 9, Stephanus II. in resp. capp. 10., & 13, ac Innocentius III. Cap. 5. *Tuæ discretionis* Decret. lib. 5. tit. 36. *De Pœnis*; Concilia item Cabilonense II. an. 813. cap. 40, & Sarisberiense an. 1217. cap. 93 S. Gregorius Turon. quoque hist. Franc. lib. 5. cap. 49, Ludovici Pii vitæ Scriptor, S. Isidorus Hispal. de Script. Eccl. in Victore Tunon., Justinianus Novel. 123, cap. 44, Leges Wisigoth. lib. 5. tit. 5 § 1, Carolus M. Capitul. lib. 6. cap. 98; adeundique Petrus Faber Semest. lib. 3. cap. 21. p. 335, Morinus de Pœnit. lib. 5. cap. 15, Ducangius in Glossar. To. 4. edit. Ven. 1739. p. 846, &c. Huic haud disparem erga Clericos flagitiis implicitos disciplinam, ut nempe pro culparum qualitate, plus, minusque ab Ecclesiæ Defensoribus flagris afficerentur, apud Græcos quoque obtinuisse, quin etiam ad Laicos eamdem pœnam verberationis protensam fuisse passim tradit Balsamon ad Can. 9. Synodi Constantinopolit. Usu præterea antiquissimo ad Clericorum flagitia non modo, sed etiam Laicorum, quorum cognitio ad Ecclesiam pertineret, vindicanda Græcis Episcopis venisse auctor accedit locuples Leo Augustus in Orat. de vita S. Joh. Chrysostomi apud Baronium ad an. 401. n. 60: quo loci refert a S. Antistite Laicum quemdam Viduæ cujusdam Alexandrinæ Miserabilis bona detinentem in carcerem fuisse

fuiſſe detruſum, neque Imperatricis Eudoxiæ precibus ad eum dimittendum inflecti ſe paſſum. Potiſſimum apud Æthiopes a priſca ad ſequiorem adhuc ætatem hanc ſeverioris viguiſſe Diſciplinæ ſpeciem, ut delinquentes cujuſque gradus, conditioniſque publicis ab Epiſcopis adficiantur pœnis, ac flagellis quammaxime refert Jobus Ludolphus hiſt. Æthiop. lib 3. cap. 6, ex ipſoque Oertellius in Theolog. Æthiop. loco 17. de Poteſt. Clav. p. 168, ſeq. In Occidentem reflectendo, longius, ac forte plus, quam par fuiſſet, poteſtatem legitur portendiſſe ſuam Concilium Grateleanum in Anglia an. 929, dum Capp. 3, 4, ſeqq. tum unicam in toto Regno Monetæ ſpeciem eſſe jubet; tum certis dumtaxat in locis eam cudi vult; tum Monetarum adulteratoribus manum amputari, non ſecus ac capitis pœna Sagas, Incendiarioſque mulctari permittit. Junctis capp. 6, 7, ſeq., ubi in Dominicæ diei violatores, falſarios, refractarioſque mulcta præterea majori, minorique pecuniaria deſævit. Quæ tamen, qua parte ſaltem pœnam reſpiciunt ſanguinis, a Laica magis profecta crediderim Poteſtate. Certum eſt tamen a Landavenſi an. 955, in cauſsa Diaconi cujuſdam in Eccleſia interfecti, hac in occiſores pœna fuiſſe animadverſum: ut eorum nempe ſinguli ſubſtantiam omnem, agroſque ſuos, atque ſeptem inſuper argenti libras Eccleſiæ redderent, quæ maculata fuerat; atque demum, ut hanc ipſe pœnam urgeret, Nogui Regem juramenti religione fuiſſe obſtrictum. Pecuniarias, ſimileſque pœnas corporales Laicis perſonis ab Eccleſia paſſim inflictas legimus in ſequioris ævi Synodis. In Ænhamenſi in Anglia an. 1009. cap. 31, quo mulctæ pecuniariæ delictis impoſitæ, Eccleſiæque pendendæ decernuntur, & cap. 32, quo Potentiores graviori plectendi mulcta declarantur. In Cojacenſi in Hiſpania an. 1050. Can. 12, quo diſtricte cavetur, ne rei ad Eccleſiam confugientes inde vi abſtrahantur, niſi vitæ, membrorumque data ſecuritate, ſub Anathematis pœna, milleque Solidorum puriſſimi argenti Epiſcopo ſolvendorum. In Romana an. 1051. ſub S. Leone IX, a quo ſancitum, ut quæ fœminæ Presbyteris copulatæ fuiſſent, ſervitute damnatæ, Epiſcopio loci addictæ manerent, refert S. Petrus Dam. in Synod. diſcept. In Londinenſi 1102. ſub S. Anſelmo Cant. Can. 28, quo nefariæ, nec nominandæ

dæ libidini dediti Laici Civili quacumque dignitate in toto, quo late patet, Angliæ Regno ſpoliantur. In Londinenſi altera an. 1108. Can. 10, quo tam Clericorum, qui deſponſam Deo continentiam inquinaſsent, quam Concubinarum, quæ in flagitiis eis deſerviſsent, res omnes Epiſcopis addictæ ſunt. In Altera quoque an. 1227. Can. 7, quo in Concubinas Presbyterorum eadem perinde, quæ a S. Leone IX. pridem decreta fuerat, pœna inſtaurata legitur. In Lambethenſi an. 1261. cap. ult., quo atrociora Clericorum facinora, quæ, Civiles, juxta leges, capitali expianda pœna eſsent, perpetuo Epiſcopis vindicanda carcere demandantur. In Viennenſi in Auſtria an. 1267. cap. 17, quo in Judæum cum Chriſtiana muliere cocuntem diſtrictus carcer decernitur, quoadusque decem argenti marcas pro emendatione ſolverit, Chriſtianæ vero per Urbem fuſtigatio, indeque expulſio indicitur. Sed enim in Hæreticos potiſſimum corporales pœnas, honorumque præſertim ſpoliationes, atque bonorum confiſcationes paſſim a Conciliis decretas legere præſtat, velut a Turonenſi an. 1055. Can. 4, a Lateranenſi III. an. 1179. Can. 24, & 27, a Montilienſi an. 1209, a Santægidiano an inſeq., a Vaurenſi 1213, a Monſpelienſi 1214, a Lateranenſi IV. 1215. Can. 3, a Bituricenſi 1225, a Valentino 1248. Cap. 2, ab Audomarenſi 1279; a Vaurenſi altero 1368, &c. Ad hæc in Conſtantienſi Seſſ. 14. a Concilio ſecedere, aut ei moleſtiam inferri, ſub dignitatis, officiique, Imperialis etſi, Regaliſque, pœna interdictum legitur. Seſſ. 15. ſub pœna Carceris duorum menſium prohibitus item quiſque, Regalis etiam, aut Imperialis dignitatis, ſeſſionem perturbare. Seſſ. 17. ſub privationis officii, dignitatiſque pœna impediri Sigiſmundi Imp. Aragonica profectio inhibita. Seſſ. 20. Fridericus Auſtriacus ſub pœna privationis Feudorum prohibitus Johanni XXII. ſuppetias ferre. Seſſ. 28. eadem pœna decreta in eumdem Ducem, quod bona Tridentinæ Eccleſiæ occupaſſet. Seſſ. 37. Petro de Luna obedientia ſub bonorum privatione, Regalium etiam, intercepta. Seſſ. 39. ſub gradus cujuſque privatione impedimentum Pontificiæ adponi electioni interdictum: ſub qua demum pœna Clericis onera imponi, Pontificis M. abſque facultate, prohibita. In Lateranenſi V. Seſſ. 9. a Leone X. Conſt. *Supernæ* Blaſphe-

phemi mulcta pecuniaria, carcereque damnati ſunt. In Tridentino denique Seſſ. 23. de Refor. cap. 1, Seſs. 24. cap. 9, & Seſs. 25. de Refor. capp. 3, & 14. tam Clericis, quam Laicis a Judicibus Eccleſiaſticis pecuniarias infligi pœnas, prout opus foret, poſſe decretum habetur, ita tamen ut hæ mulctæ locis, aut operibus piis adplicentur, juxta nempe ſententiam Alexandri III. in Cap. 6. *Licet* Decret. lib. 1. tit. 38. *De Pœnitent.*, & Innocentii III. in Cap. 13. *Irrefragabili* lib. 1. tit. 3. *De Offic. Jud Ordin* Quam perinde ſaluberrimam Tridentinæ Synodi ſanctionem de pecuniariis mulctis in opera Pia erogandis, non in proprium Judicis Eccleſiaſtici uſum transfundendis, ad omnem procul avaritiæ ſuſpicionem, anſamque avertendam, & pridem Synodus Colonienſis I. an. 1536. par. 13. *De Juriſd.* cap. 8. ſummopere probavit, cuique ſe attemperavit Synodus Conſentina an. 1579. Seſs. 5. apud Manſium Suppl. To. 5. p. 1156, & integram juſſit S. Congregatio Concilii Trid. interpres apud Fagnanum ad lib. 1. Decret. par. 2. p. 476. Junge ejuſdem Concilii Trid. Seſs. de Refor. cap. 19. Decretum, quo Domini Temporales locum ad Duellum concedentes temporali etiam dominio Civitatis, aut Caſtri, ubi Duellum fuiſſet commiſsum, pœna Excommunicationis adjuncta, privantur. Quod ſane Decretum ſollicitantes, intorqueteſque Natalem, & Boſsuetium viden, ut Doctiſs. Roncalia, & Blancus exſufflent, atque refellant! Sub certis præterea corporalibus pœnis Decreta frequenter de Treuga, ſeu Pace, qua Principibus, qua Populis, ſtato tempore, ac loco, ſervanda a Synodis vice plus ſimplici edita liquet, velut a Bituricenſi an. 1031, a Lemovicenſi II. eod. an. 4, a Pictavienſi 1036, a Narbonenſi 1054, a Santægidiana 1056, ab Helenenſi 1065, a Claromontana 1077, a Rotomagenſi 1096. ab Audomarenſi 1099, a Valentina 1248: qua de re Glaber Rodulphus hiſt. lib. 4. cap. 5, Petrus de Marca in Not. ad Synod. Clarom. Can. 1, & M. Antonius Dominici in diſsert. de Treuga, & pace. In pravarum opinionum ſectatores perinde, eorumque fautores, atque pertinaces Clavium Eccleſiæ contemptores corporalibus pœnis, graduum, puta, officiorumque privatione, mulctis pecuniariis, bonorum, ac poſſeſſionum confiſcatione & exſpoliatione, perſonarum etiam captione, venditione, aut depor-

tatione, exſilii, verberationis, igniſque, aliarumque hujuſce genus pœnarum inflictionibus frequenter ab Eccleſiaſtica Poteſtate animadverſum diſcimus ex Conciliis Aurelianenſi an. 1017, Narbonenſi 1227, Toloſano 1229, Biterrenſi 1233, Arelatenſi 1234, Campiniacenſi 1238, Biterrenſi altero 1246, Valentino 1248, Inſulano 1251, Albienſi 1254, Burdegalenſi 1255, & Oxonienſi 1408. ſub Thoma Arundelio Can. 4, quo Relapſorum in hæreſim bona proſcribi, occupariique mandantur. Adjungenda Mediolanenſe I. an. 1565. Conſt. par. 2. cap. 34, Ravennatenſe an. 1568. cap. 2. de Foro Epiſcopi apud Manſium Suppl. To. 5. p. 797, Neapolitanum an. 1576. cap. 21. de Epiſcopi Foro, & Carcere ibid. p. 1018, & Mediolanenſe V. an. 1579. Conſt. par. 3. cap. 11. de Foro Epiſcopi, & Carcere. Juxta hæc in Jure Canonico paſſim mulctæ pecuniariæ delictis quibuſdam ab Eccleſia impoſitæ Piis cauſſis impendendæ præſcribuntur Can. 55. *Statuimus* 16. q. 1. ex Anaſtaſio II. P.M.; Can. 21. *Quiſquis* 17. q. 4. ex Johanne VIII; Can. 22. *Siquis deinceps* 17. q. 4. ex Alexandro II.; Can. 35. *Si vos* 23. q. 5. ex S. Auguſtino lib. de Unit. Eccl. cap. 20; Cap. 18. *Dilectus* ex Honorio III. *De Offic. Jud. Ordin.*; Cap. 14. *Poſtulaſti*, & Cap. 16. *Cum ſit nimis* §. final. ex Innocentio III. *De Judæis*; Cap. 13. *Ad audientiam* ex eodem Innocentio *De Præſcript.*; Cap. 7. *Olim* ex Honorio III. *De Injuriis*; Cap. 5. *In Archiepiſcopatu* ex Alexandro III. *De Raptoribus*; & Cap. 7. *Venerabilibus* §. *Denique* ex Bonifacio VIII. in 6. *De Sent. Excom.* Et adſtipulantur Juriſconſulſulti, Salgadus ipſemet de Protect. Regia par. 2. cap. 4, Solorzanus de Jure Indiar. To. 2. lib. 3. cap. 7. n. 76, Cevallos To. 4. q. 897, Felinus in Cap. *Irrefragabili* De Offic. Jud. Ord., Hoſtienſis in Cap. *Ut Clericorum* de Vita, & honeſt. Cler., Abbas in Cap. *Licet* De Pœnis, Covarruvias Var. lib. 2. cap. 9. n. 9, alique longe plures, quibus conſentit ipſemet Vandalinus in Expoſit. Theolog. Theſ. de triplici Hier. Eccl. cap. 12. p. 323, videnduſque Mabillonius de Re Diplom. lib. 2. cap. 8.

Non ibo quidem inficias ampliſſimæ in hac parte Eccleſiaſticæ Juriſdictioni plurimum devexiori ſub ætate, Eccleſia dolente, ac vel adſentiente, vel tolerante, fuiſſe detractum; nec imo fatebor difficilis rerum inevitabilibus, ac temporum vicibus factum, ut

ut detraheretur; quin etiam in cauſsa non defuiſse Judicum Eccleſiaſticorum aliquando partium ſtudium, aliquando percupidam avaritiam, ut fieret. In id tamen unum interea me incubuiſse profiteor, ut quid antiqui Eccleſiæ juris eſset, in medium proferrem: ut inde demum videant, quam parum in veteri ſint Politia verſati, quam turpi veteris Diſciplinæ laborent ignorantia, & quam iniquo, præpoſteroque deſudent ingenio nuperis ex Politicis haud pauci, qui ad hanc Juriſdictionis particulam Eccleſiæ eripiendam tanto ſe conatu, nervoque conferunt toto. Quo profecto errore prave detinentur Carolus Loyſæus Des Seign. cap. 15. n. 4. Spirituali poteſtati rebus in hiſce Civilibus Laicam ſe rite opponere docens; Territorio, & Fiſco Eccleſiam carere, ideoque poteſtate coporales infligendi pœnas; ac n. 10. Eccleſiæ Paſtores Epiſcopos eſse, non Dominos, ac proprietarios: quæ ipſiſſima eſt querela ad ravim uſque a Proteſtantibus repetita; Franciſcus Duarenus de Sacris Eccl. Miniſtris lib. 1. cap. 4. ſcribens ante Eugenium II, a quo primum inſtitutos Carceres, & Vincula ad coercendos Clericos excogitata ſubjungit, corporalem vim nullam reis ab Eccleſia adhiberi conſueviſſe. Itaque Sacerdotibus jus Gladii non competere, quos Gentium Regum more dominari Chriſtus D. noluit; ſe Sacerdotes eſſe, non Dominos S. Hieronymus in epiſt. ad Nepotian. Can. 7. *Eſto* diſt. 95. monitos voluit; non Dominos, ſed Patres dici maluit Juſtinianus Novel. 81. Ideoque Epiſcopos non habere Territorium, neque prehendendi, ſummovendique facultatem L. *Pupillus* §. *Territorium* de Verbor. Signif., Magiſtratibus quibuſdam Romanis haud diſſimiles, qui apud Aulum Gellium lib. 12. Vocationem habebant, non prehenſionem; Petrus Jannonus lib. 2. cap. ult. Excommunicandi poteſtatem quidem Eccleſiæ tribuens, Coactivam tamen abnegans, illam Clavium eſſe, hanc Gladii, Principibus hanc, Eccleſiæ illam competere pugnans; §. 3. hanc eſſe Patrum ſententiam S. Joh. Chryſoſtomi hom. 33. in 1. Timoth., Lactantii lib. 5, Caſſiodori lib. 2. epiſt. 27, & S. Bernardi de Conſid. lib. 1: *Non eſt nobis*, inquientis, *data talis poteſtas, ut auctoritate ſententiæ cohibeamus homines a delictis*; toto illo tempore, quod ad Juſtinianum uſque interfluxit, Eccleſiam poteſtate caruiſſe pœnas infligendi corpo-

rales, neque Carceres habuisse ante Eugenii I. ætatem, teste Volaterrano lib. 22. Quas igitur nunc Jurisdictionis partes obtinet Ecclesia, eas Principum beneficio obtinere; ac lib. 5. cap. ult. §. 1. a Carolo M. Pontifici Rom. primum jus Carceris, ac Territorii fuisse permissum ex Richerio in Apolog. Gersonii par. 3. Axiom. 36. adserens: cujus exemplo deinde idem ad Episcopos jus fuerit ab aliis Principibus ampliatum; Joh. Petrus Gibert in Proleg. ad Jus Canon. tit. 8, sect. 1. parum hinc absens, atque Pontificum, Conciliorumque hujusce genus decreta pia dumtaxat fuisse proposita existimans, quæ effectum obtinere nequiverint, nisi a Principibus auctoritas eisdem impartiretur; pleraque quin etiam adversus Judæos prolata defectu auctoritatis, qua nulla pollet in eos Ecclesia, frustranea fuisse subjungens, nisi Principum auctoritate robur accepissent: hancque supremæ Curiæ Parisiensis explicitam esse sententiam an. 1288, quam refert Pithœus inter Probat. libert. Eccl. Gallic. cap. 36. n. 9. p. 1370; corporales itaque pœnas flagitiosis infligere ad unum Principis jus pertinere concludens: quod Friderici II. an. 1225. edita Lege adverſ. Excom. & Hæret. ad calcem Corporis Juris edit. Vitr. pag. 579, Ludovici VIII. in Concilio Apamiensi an. 1226. evulgata, cujus mentio in Narbonensi an. insequ. Can. 1. occurrit, & S. Ludovici IX. Const. an. 1228. adv. Hæreticos, & Excom. adornata confirmat. Mitto Pseudo-Politicos alios longe plures, quorum dicteria eòdem recidunt, eodemque concidunt modo.

Sed enim sic agere vel serio, vel etiam dicis unius caussa, quid est aliud, obsecro, quam toti retro velle Antiquitati se iniquum præbere, aut lusum facere, aut eidem acceptissimæ jugiter Disciplinæ se prorsus ignarum, ac perinde ingenii inopem ostendere? Enim vero Ecclesiæ Territorium, ac Forum æque competere in evidenti positum est, deque utroque loquuntur passim explicitissime Decretales. In Decretalium vero libris capita omnia Ecclesiasticæ Jurisdictionis consignata usu receptissimo ubique Gentium, atque in Galliis etiam certissime obtinuisse constanter adfirmat ejus rei callentissimus Thomassinus Vet., & Nov. Discipl. par. 2. lib. 3. cap. 110. n. 6. Juxta Christi D. jussionem Lucæ 22, S. Pauli 2. Corinth. 1, & S. Petri 1, 5. monita, Patrum uti-

utique ſententia eſt ab Eccleſiaſtico Magiſtratu impotentem dominatum, ac ſeveritatem deſpoticam abeſſe debere, qua nempe non tam prodeſſe curent, quam præeſſe ſe oſtentent, non etiam poteſtatem eliminari infligendi, pro ut opus foret, pœnas etiam corporales, quibus nempe Fideles in officio cohibeantur: quo plane modo accipiendos Origenem hom. 6. in Iſajam, S. Gregorium Nazian. Orat. 1. Apolog., S. Hieronymum epiſt. 3. ad Nepot., & epiſt. 62. adv. Joh. Hieroſolym., S. Joh. Chryſoſtomum hom. 3. in Acta Apoſtol., hom. 1. in epiſt. ad Tit., hom. 11. in epiſt. ad Epheſ., hom. 4. in Iſajam, & de Sacerd. lib. 2, ac S. Bernardum de Conſid. lib. 2. cap. 6. oſtendit Doctiſs. Hallier de Eccl. Hierar. lib. 4. ſect. 2. cap. 1. art. 9. §. 5. Locus autem S. Joh. Chryſoſtomi, prout a Jannono allegatur, ita quidem habetur lib. 2. de Sacerd. ex interpretatione Germani Brixii Antiſiod. Epiſcopi edit. Pariſ. 1581. To. 5, non ita vero legitur in exemplaribus Græcis, aliiſque Latinis verſionibus. Verum non alterum ſententiæ profecto ſuæ interpretem adhibere præſtat, quam S. Doctorem ipſum, qui hom. 13. in cap. 4. epiſt. 1. ad Timoth. Oper. edit. ejuſdem Pariſ. Nivel. To. 4. ſic habet: *Sunt quædam in rebus humanis, quæ doctrina indigeant; ſunt item, quæ imperio... Malum non eſſe, docere minime convenit, ſed imperare, & magna vi auctoritatis prohibere: Judaicis item non intendere fabulis ſimiliter imperandum eſt. Cæterum ſiquidem ſubſtantias pauperibus diſtribuere, Virginitatemque ſervare opus ſit, ac de fide diſſerere, hic jam doctrina, & exhortatione agendum eſt. Idcirco utrumque poſuit Paulus;* Præcipe, *inquiens*, ac Doce &c. *Vides, ut imperare Sacerdotum neceſſe ſit &c* Quale vero, rogo, ejus ſententia Impetium eſſet, quod vi cogendi cateret? Cui concordans S. Gregorius Nazian., qui cæteroquin in Apolog. 1., & Orat. 2. ad Patrem totus in eo fuerat, ut Epiſcopo moderatione, benignitate, ac modeſtia opus eſſe ſuaderet, Orat. 1. de Pace tamen circa fin., quo tempore, quave ratione non amplius lenitate, ſuavitateque, ſed ſeveritate, aſperitateque utendum denique ſit, explicans: *Cum*, inquit, *manifeſto ſe prodit impietas, tum & ferro, & flammis... obviam oportet eamus, quam ut mali fermenti participes efficiamur &c.* Ante Eugenii (I. ex Gratiani fide ponit Raphael

Vo-

Volaterranus Anthropologiæ lib. 22, & poſt ipſum Jannonus, II. vero Duarenus, unde iſthæc opinionum diverſitas indicium haud obſcurum evadit dubiæ admodum credulitatis documento huic adhibendæ) ætatem uſu longe veteri Eccleſiæ Carceres jam veniſſe, ut de aliis nunc ſileam documentis, manifeſtum fit ex Lege an. 396. lata ab Arcadio, & Honorio L. 30. Cod. Theod. lib. 16. tit. 5. de *Hæreticis*, & L. 3. *Cunctí* Cod. Juſtin. eodem tit. Et licet *Decanicarum*, ſive *Diaconicarum* nomine Carceres Eccleſiaſticos revera deſignatos ab Arcadio, & Honorio dubitent Cujacius, & Dionyſius Gothofredus, venireque ibidem Secretaria, ſive Sacraria multis in Comment. ad hanc legem oſtendere conetur Jacobus Gothofredus, ut ex Laodicæno Can. 21, ac verſione Latina Bibl. Jur. Can. Juſtelli To. 1. p. 51, ex Codino de Offic. Aulæ, & Eccl. Conſtantinopolit. cap. 14 n. 24, ex Euchologio Græcor., ex Philoſtorgio hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 8: qua de Diaconicæ pro Sacrario acceptione conſulendi quoque Goarius in Not. ad Codinum loc. cit., Gretſerus Obſerv. ad eumdem lib. 3. cap. 10, Meurſius in Gloſſ. Græco-Barbaro p. 156, Ducangius in Gloſſar. edit. Ven. To. 2. p. 1375; dubitandum tamen haud eſſet, quin eo nomine Carceres etiam venerint, ſive eadem Sacraria pro Carceribus deſervirent, aperte liquet ex Novella 79. cap. 3, ubi Juſtinianus ſic loquitur: *Decanicæ præbuerunt quondam uſum Carceris, & Cuſtodiæ Eccleſiaſticæ*, velut eamdem ita retulit etiam Julianus Anteceſſor, habeturque repetita Capitul. lib. 5. cap. 225. hiſce verbis: *In Decanicis Eccleſiarum recludatur* (delinquens Clericus), *competenter pœnas luiturus*; ex Græcorum Paratitlis Bibl. Jur. Can. Juſtelli To. 2. p. 1335; ex S. Gregorio II. in epiſt. 2. ad Leonem Iſaurum, *Pontifices*, inquiente, *ubi quis peccarit... eum tanquam in Carcerem, in Secretaria, Sacrorumque Vaſorum æraria conjiciunt, in Diaconia, & Catechumenia ablegant*; atque demonſtrant Anton. Auguſtinus ad Novell. 79, Germonius de Sacr. Immun. lib. 1. cap. 2. n. 14; ac Jacobus Gothofredus loc. cit. To. 6. par. 1. edit. Lipſ. p. 166. Quod & demonſtratum a Cironio, a Joh. Acoſta, a Fileſacho, a Bingamo &c. ſuperius dictum eſt. Nec eſt vero, cur Eccleſiæ negotium faceſſere, invidiamque conflare ſubleſtiſſimæ fidei homines adnitantur, idcirco quod ab

ea

ea diſtrictæ ſæpius in Infideles corporales pœnæ ferantur. Iis enim corporales irrogari ab Eccleſia pœnas, Carceris puta, mulctæ pecuniariæ, flagellationis, exſilii &c. legitime poſſe docent, poſt S. Cyrillum Alex., a quo Judæos Urbe expulſos, Synagogas eiſdem ademptas, bona publicata, occupandaque Populo expoſita referunt Socrates lib. 7. cap. 14, & Nicephorus lib. 14. cap. 15, poſt S. Gregorium M., qui lib. 1. epiſt. 72, ſeq. edit. vet. ad Gennadium Patricium, & Africæ Exarcham eum laudat ob bella adverſus Chriſtiani nominis hoſtes ſuſcepta, atque ad Sacram adverſus Hæreticos pugnam fortiter adgrediendam adhortatur, poſt S. Leonem IV, qui contra Agarenos in pugnam tum ipſe deſcendit, tum Populo viriliter pugnandi auctorem ſe præbuit Can. 7. *Igitur* 23. q. 8, & poſt Alexandrum III, a quo Cap. 4. *In Archiepiſcopatu* Decret. lib. 5. tit. 17. *De Raptoribus* Saracenos Mulieres Chriſtianas, ac Pueros rapientes pecuniaria mulcta, & flagellis adficere Panormitanus Archiep. mandatus legitur, docent, inquam, Alexander Halenſis par. 2. q. 160. memb. 1, S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 8, ſeq. ad 2, S. Antoninus par. 3. tit. 3. cap. 2, Joh. Major in 2. diſt. 44. q. 2, ſeq., Alphonſus a Caſtro de Juſta Hæret. punit. lib. 2. cap. 14, Cajetanus in 2. 2. q. 10. art. 8, Dominicus Soto in 4. diſt. 3. q. un. art. 1, Antonius Cordub. in Quæſt. lib. 1. q. 57. dub. 4, Valentia To. 3. diſp. 1. q. 10. pun. 6, Toletus in Sum. lib. 4. cap. 2, Ledeſma To. 2. tract. 1. cap. 5, Thomas Sanchez in Sum. To. 2. lib. 2. cap. 1, Suarez de Fide diſp. 18. ſect. 2, Becanus To. 2. q. 4. cap. 13, Joh. Solorſanus de Jure Ind. lib. 2. cap. 20, Covarruvias par. 2. in Regul. *Peccatum* §. 10, ſeq., Bannez in 2. 2. q. 10. art. 10, Molina de Juſt., & Jure tract. 2. diſp. 105, & de Fide q. 10. art. 8, Freita de Juſto Imp. Aſiat. cap. 9, Joſephus Acoſta de procur. Indor. Salute cap. 13, Blancus demum de Polit., & poteſt. Eccl. To. 2. lib. 6. §. 9, aliique: quibus adſtipulatur Grotius de Jure B., & P. lib. 2, cap. 20. §. 49. n. 2. exemplo id confirmans Conſtantini M., a quo Licinio, & Menandri protectoris, a quo Perſis, ob Religionis cauſam, bellum inlatum eſt: cui & Maximiani Epiſcopi Vagienſis apud S. Auguſtinum epiſt. 50, qui ab Imperatore Chriſtiano auxilium contra hoſtes Eccleſiæ flagitavit, exemplum a Gratiano quoque relatum

Can. 2.

Can. 2. *Maximianus* 23. q. 3. ſubjungit ibid. in Not. Cui perperam adverſatur Coccéjus in hunc locum, & in cap. 25. §. 8. Quæ plane doctrina in Divino Jure fundamentum habere dignoſcitur, quo liquet Eccleſiam propagandæ ubique gentium Evangelicæ lucis poteſtate, jureque potiri, & defungi, Reipublicæ item Chriſtianæ formam in toto, quo late patet, Orbis gyro inſtituendæ, ideoque impedimenta removendi prorſus omnia, quibus Religionis profectus detineri poſſit. Itaque mentiri eſt in facie Pontificum, Conciliorum, ac Patrum, quin etiam totius Eccleſiæ tam veteri, quam novæ Diſciplinæ contumeliam irrogare, hanc Eccleſiæ poteſtatem adimere, aut eidem adſcititiam, unique Principum indulgentiæ acceptam referre velle. Principibus utique qua publicis delictorum vindicibus, qua Religionis, Eccleſiaſticæque Diſciplinæ tutoribus, ac defenſoribus incumbit pœnis corporalibus flagitioſos ab inferenda noxa abſterrere: quod nullo non tempore religioſe præſtitum innumeræ ab illis profectæ leges eloquuntur. Sed enim a Laicis Poteſtatibus iſtiuſmodi particulam Juris Eccleſiam mutuare non indiguiſſe, tot, ac tam liquidis demonſtratum eſt documentis, ut rem actam agere nec juvet, nec interſit. Vetus eſt vero commentum iſtud a Marſilio Patav., & Johanne Janduno jamdiu excogitatum, atque jactatum, queis adſtipulatus deinde eſt M. Antonius de Domin. de Repub. lib. 5. cap. 1, ſeqq., quod *Eccleſia nullum hominum punire poteſt punitione Coactiva, niſi concedat hoc Imperator*. Quem errorem ſane tanquam Evangelicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ adverſum, (Patrum etiam traditioni, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ valdequam abſonum multis adnotavimus), a Johanne XXII. Conſtit. *Licet* 10. Kal. Novemb. an. 1327. damnatum legere juvat apud Raynaldum ad hunc an. n. 28. Cui profecto damnationi ſuffragatos ultro citroque fuiſſe eum poſtea Galliarum Epiſcopos in Concilio Senonenſi an. 1528. in præfat., tum pridem Theologos Pariſienſes in Congregatione habita die 1. Septemb. an. 1330, velut ex ejuſdem Facultatis Tabulis liquet, atque in his Gerſonium de Poteſt. Eccl. Conſid. 4, Hervæum de Poteſt. Eccl., Petrum Alliacenſem, & Joh. Majorem eodem de Argum., Jacobum Almainum de Dominio nat., Civ., & Eccleſ. Concl. 2. in Append. Oper. Gerſonii To. 2. p. 966, in

in Opuſc. de Auct. Eccl. cap. 6, ac de Poteſt. Eccl., & Laica q. 3. cap. 2. certum eſt, & conſtans ex Franciſco Hallier, & ipſo adſentiente de Hier. Eccl. lib. 4. ſect. 2. art. 9. §. 1. Quæ omnia ab me dicta eo demum accipi volo, quo me dixiſſe certe profiteor, animo, ſenſuque, Poteſtatem erga utram que tam Eccleſiaſticam, quam Laicam obſequenti, demiſſoque, quove libentiſſimo me, dictaque mea omnia poſteriori huic emendanda, corrigendaque ſubjicio. Cæteroqui mihi probe conſcius nihil prorſus ab me dictum, quo priori illi vel levis inferri injuria, conflarique queat invidia. Quid enim, Lectoris fidem deprecor, toto qualicumque in hoc Opere meri de inopi ingenioli mei uno penu depromptum, quod non e Patribus, quod non e Pontificibus, quod non ipſis e Principibus hauſtum fuerit, eiſque ſincere a me propinatum, queis fontes adire per ſemet ipſos fas haud eſset? Hos ego Duces, a queis procul omnis abeſset ſuſpicio, preſso, inoffenſoque ſequendos pede, ſiquidem in omni Studiorum genere meorum propoſui, tum in hocce quammaxime, velut Operis initio præfatus ſum, quo de Religionis, quo de Reipublicæ agebatur ſumma: ne videlicet adeo difficiles utriuſque rationes, quas ſua in luce ponere, ſuoque firmiter confirmare loco illis datum fuiſse dumtaxat haud ignorabam, infirmis admetiri meis voluiſse viribus, tam ideſt audax, viderer; audaxque tam iterum, ut tanto, quanto illorum dumtaxat profligando auctoritatis pondus dignoſcitur par, frangendo me parem facerem impetui, quo, conferto velut agmine tam Proteſtantes, quam Pſeudo Politici in utriuſque perniciem efferate, effreneque abripiuntur. In culpam itaque tantum vocari ab iis demum haud feram invitus, queis erga Principes, erga Pontifices, erga Patres religio jam prorſus omnis deperiit.

VINDICIARUM APPENDIX,

ſive Pars III. Explicit.

ERRATA SIC EMENDENTUR.

Pag. 16. lin. 28. volontas voluntas, & ita deinceps. p. 29. l. 19. *volontate voluntate.* p. 56. l. 20. lectus fectus. l. 21. fectus lectus. p. 79. l. 25. digntatem dignitatem. p. 87. l. 26. reventi reverenti. p. 102 l. 12. *ſtullitia ſtultitia.* p. 133. l. 16. Hononymus Homonymus. p. 135. l. 5. iter inter. p. 151. l. 4. unuum unum. p. 155. l. 30. gente genti. p. 174. l. 15. Ethinicis Ethnicis, & ita paullo infra. p. 179. l. ult. abhorriſſe abhorruiſſe. p. 191. l. 15. pluvia pluvię. p. 199. l. 1. azylis aſylis, & ita ſępe. p. 203. l. 34. adultos adulteros. p. 206. l. 23. duplicis duplici. p. 208. l. 22. ajuvantem adjuvantem. p. 220. l. 23. recte rectę. p. 221. l. ult. pertinent pertinet. p. 251. l. 25. Temlorum Templorum. p. 266. l. 1. Conſtantinopolitanum Conſtantinopolitanam. p. 268. l. 32. ergo erga. p. 270. l. 15. Cluniaunſes Cluniacenſes. p. 274. l. 27. Sciptorum Scriptorum. p. 275. l. 33. telinquendi relinquendi. p. 287. l. 14. Piſt. epiſt. p. 288. l. 10. Myſſa Myſta. p. 298. l. 3. illum illam. p. 300. l. 23. quem quam. p. 301. l. 25. pediequa pediſſequa. p. 302. l. 7. Aquigranenſe Aquiſgranenſe. p. 306. l. 3. adſumpere adſumpſere. pag. 325. lin. 8. Chilpherico Chilperico. pag. 365. l. 4. patiter pariter. p. 374. l. 30. Doctrinis Doctoris. p. 379. l. 35. ſpectant ſpectat. p. 384. l. 32. Metenſum Metenſem. p. 393. l. 18. Benecto Benedicto. p. 396. l. 21. riſcpſit ſcripſit. p. 407. l. 1. Landuphum Landulphum p. 437. l. 16. adſumpere adſumpſere. p. 454. l. 1. confimata confirmata. pag. 465. l. 1. τιμῆτὺν τιμων τῶν. lin. 7. χωτουργίαι λειτουργίαι. p. 466. l. 5. Philom. Philem. p. 494. l. 29. Caſſiodonus Caſſiodorus. p. 497. l. 3. Princeps Principes. pag. 526. l. 32. cum cura. p. 527. l. 30. qnam quam. p. 532. l. 22. ſuperſtione ſuperſtitione, p. 539. l. 25. alera altera. p. 574. l. 20. confimat confirmat p. 588; l. 12. periprafibus periphraſibus p. 622. l. 16. deide deinde. p. 650. l. 29. alique aliique.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM
TOMI VI.

A

ACta S. Marci Evangeliſtæ antiquiſſima levibus alioquin a Tillemontii dubitationibus vindicanda, inque tuto ponenda ſibi ſumpſere Henſchenius, & Mazochius *pag.* 196, *ſeq.*

Ægypti olim Reges in eo gravi ſe dignos reprehenſione præſtitere, quod Regno ſtabiliendo præpoſteri id inſerint conſilii, ut miſcellam inducerent Religionem, cuilibet profitendi, quam mallet, Sectam facta ampliſſima facultate. Ita & apud Japonios permiſſa Religionis diverſitas Seditionum, Civiliumque bellorum perſæpe cauſſa fuit. *p.* 91.

Æthiopibus tam antiquus, quam frequens Excommunicationis uſus accidit; adeoque, ut nec ab eadem in Imperatores, ac Reges ipſos diſtringenda eorum Metropolitæ abſtinerent *p.* 603. Pœnas item corporales infligendi tam Clericis, quam Laicis antiquo, frequentique iiſdem in more poſitum erat *p.* 647.

Agobardum Lugdunenſem Archiep. nullam omnino Pontificiæ dignitatis, poteſtatiſque mentionem ingeſſiſſe falſo ſcriptis mandatum eſt ab Auctoribus Bibl. Eccleſ. *p.* 146.

S. Ambroſio ſummam per impudentiam arrogantiæ vertit Croulazius, quod Theodoſio Imp. Eccleſiæ fores intercludere non fuiſſet veritus: cujus ideo Sychophantæ temeritas dignis a Muratorio vapulat *p.* 602.

Ancyranæ Synodi Canon 12, quo Presbyteri Ordinatio, Epiſcopi abſque licentia, fieri prohibetur, ex quove Salmaſius arguendi id facilitatem olim anſam fruſtra arripuit, ideoque Presbyteris, æque ac Epiſcopis, Ordinationes legitime peragere adhuc dum fas eſſe, de Chorepiſcopis proculdubio capiendus eſt, veluti communiter docent Interpretes, & Collectores *p.* 477.

Antonini Pii Epiſtola ad Senatum, occaſione pluviæ Chriſtianorum Militum precibus a Deo impetratæ, data, qua ceſſare moleſtiam in Chriſtianos omnem juſſiſſe legitur, germana ſit ne, an ſuppoſititia diſputant viri Docti *p.* 191, *ſeq.*

Apoſtoli de obedientia Poteſtatibus dependenda loquentes quo rite demum accipi ſenſu debeant, liquido SS. Patres explicant *p.* 162, *ſeq.* Apoſtolis in fide infallibilitatem a Spinoſæ, & Clerici dubiis vindicandam, bonaque in luce locandam ſibi adſumpſere vel Budeus, & Witſius *p.* 480.

Apoſtolis a Chriſto D. regendæ Eccleſiæ tradita forma, ratioque eſt, (quod perperam inficias Moshe-

mius ivit), juxta quam cum Jurisdictione utique, Imperioque administrata ab ipsis Ecclesia est, inque administrationis partem advocati passim Episcopi sunt; apud quos perinde eadem ipsa Ecclesiæ administrandæ forma deposita *p.* 485, *seqq.*

Apostolicæ Sedis Legati, aliique Ministri ubique profecto gentium admittendi sunt; qui secus impedimento sint, dire infliguntur Anathemate *p.* 229.

Aquila genere Ponticus, quod post Baptismum Ethnicis adhuc inhærere superstitionibus delectaretur, excommunicatione ab Apostolis Ecclesiæ pulsus fertur apud S. Epiphanium, aliosque Scriptores *p.* 186.

S. Augustini celebris locus, quo videtur innuere Principum legibus jus Ecclesiæ bona possidendi adquisitum, probum in sensum, atque germanum explicatur *p.* 299, *seq.*

Asylum (cui voci loco Z subrogandæ litt. S) apud Ethnicos, Judæos, atque Christianos unde derivatum sit, ubi observatum, quo ab Auctore acceptum, qua subætate inductum, & quorum illustrius olim haberetur *p.* 199, *seqq.*, unde demum Asylum sic denominatum sit *p.* 202. Vide sis V. *Templum*. Asylorum jus a Tiberio Imp. haud fuisse sublatum multis ostendit Spanhemius *p.* 203. Ethnicis præter Fana pro Asylo erant Imperatores vita functi, eorumque Imagines, & Statuæ *p.* 204. Aquilæ item Romanæ, Romani quoque Populi, Græcorumque Legati, Tribuni Plebis, Ædiles, Præcones, Caduceatores, Vestales, Sacerdotes Jovis, Archontes Athenienses, Urbes nonnullæ illustres, Virorum celebrium Sepulcra *ibid.*

Asyli Sacri legem nedum inter Cæremoniales, ac Forenses, sed inter Morales etiam computandam adversus Covarruviam existimant Ritterhusius, & Zepperus *p.* 205. Ab iniquo Asyla delendi proposito nonnulli Principes ab Episcopis deterriti sunt *p.* 207, *seqq.* Asyli Jus in Gallia usque ad Franciscum I. illibatum obtinuit. *ibid.* Templis Asyli jura vindicare Episcopis jugiter tam officio cessit, quam cordi fuit *p.* 205, *seqq.*, & 209, *seqq.* Idem Jus ad Ecclesiarum Atria, & ad circumjacentes Areas ad 30, vel 40, vel 60. passus olim extendebatur *p.* 210, *seq.* Ad Cruces item, ad Cœmeteria, Hospitalia, Cœnobia *p.* 211, *seqq.* Asyli beneficio privantur Agrorum depopulatores, & Viarum prædones *p.* 212, *seq.* Item voluntarii Homicidæ, Sepulcrorum violatores, Raptores, Adulteri &c. *p.* 213, *seq.*, & 215. Templis Asyli Sacri jus sartum, tectumque servare pro virili parte fategere semper Rom. Pontifices *p.* 214, *seqq.* Apostatis, Hæreticis, Asyloque abutentibus istius beneficium denegatum est *p.* 215, *seq.* Asyli Jure gaudent Episcopium, Parochi domus, domusque Cardinalium extra Urbem *ibid.* Asylo demum indigni flagitiosi alii a Rom. Pontificibus declarati sunt *p.* 216.

Asyli Jus, ac beneficium Ethnicorum Fanis ab Ethnicis Principibus adtributum persæpe constat *p.* 216. Veræ Religionis intuitu potiori Templis Deo O. M. dicatis Asyli Jus illibatum servare Christiani Imperatores, Regesque officii lo-

co

eo habuere *p.* 217, *ſeqq.* At enim Principum legibus Aſyli jus Chriſtianis Eccleſiis haud collatum, ſed conſervatum dumtaxat intelligi debet *ibid.* Quo perinde ſenſu intelligendum fuerit Franciſci I. Galliarum Regis de Aſylis Edictum probe explicat Cl. Thomaſſinus *p.* 219, *ſeq.* Eccleſiæ legibus alioqui circa Aſyla Imperatorum, Regumque leges adprobe conformes oſtenduntur *p.* 220.

B

BEneficia conferendi, ſive ad eadem perſonas idoneas nominandi, ac Beneficiorum vacantium fructus percipiendi, independenter a Pontificio indulto, Imperatoribus, Regibuſque jus nullum profecto competit *p.* 315, *ſeqq.*, & 349, *ſeqq.* Vide-ſis VV. *Epiſcoporum Electiones*, & *Regalia*. Ad Beneficia pariter vacantia, aut primo vacatura nominandi primarum, uti vocant, Precum vigore, Imperatoribus, Regibuſque, nonniſi Pontificia ex indulgentia, jus competit *p.* 361, *ſeqq.* Vide V. *Preces primariæ*.

Beneficiis de Vacaturis providendi Expectativas, ut vulgo vocant, qua Pontifices ſibimet reſervarunt, qua Pontificum ex conſenſu, Synodi demum ſuſtulere *p.* 562, *ſeq.* Beneficia, ſive Præbendæ diſtinctos in titulos, eoſque perpetuos quidem, a fundis Eccleſiarum reliquis ſeparatæ, non ante Sæculum XII. cœpere: Nam uſque ad Sæculum V. Clericis diſtributiones ſingulis dari menſibus dumtaxat conſuebant; uſque ad Sæculum VIII. ex certa bonorum maſſa in communi ali Clerici ſolebant; & uſque ad Sæculum XI. ex certis Eccleſiarum fundis alimenta eiſdem præſtari *p.* 363, *ſeq.*

Bona Eccleſiaſtica Deo dicata, pro Sacerdotum congrua ſuſtentatione a publicis oneribus libera ſemper fuere *p.* 250, *ſeqq.* Apud Ægyptios, Græcos, Latinos, Ethnicoſque generatim omnes prædia, fundi, bonaque alia pro Templorum manutentione, ſuſtentationeque Miniſtrorum ampla gaudebant Immunitate *p.* 251, *ſeq.* Bonis quin inſuper ſponte oblatis ditari Templa, Sacerdoteſque abundare, ac diteſcere apud Ethnicos viſi perſæpe ſunt *p.* 252, *ſeq.*

Bonis Eccleſiaſticis Immmunitas a tributis, oneribuſque laicis aſſeritur ex S. Scriptura, juncta SS. Patrum interpretatione *p.* 253, *ſeq.* Eam e lege Naturali, Moſayca, & Evangelica inſinuat Apoſtolus; eamdemque ideo Divino e Jure deſcendere multis perſuaſum fuit Pontificibus, Synodis, Patribus, & Scriptoribus *p.* 255, *ſeq.* Bona Eccleſiis data eadem Dei, & Chriſti D. bona dicta ſæpe ſunt, quia Deo, & Chriſto D. dicata; unde juſtum, æquumque erat, ut omni ab onere irent immunia *p.* 256, & 300. Cujus idcirco Immunitatis, velut a Chriſto D. in Cruce vindicatæ, ſtrenuos, perpetuoſque ſe ſe vindices, aſſertoreſque dedere qua SS. Patres, qua Eccleſiarum Præſules, ac Romani quammaxime Pontifices non deſtitere *p.* 256, *ſeqq.* Gravi tamen, ac publica ingruente neceſſitate, ex Bonis Eccleſiaſticis aliquid conferri, ab ſe prius attamen impetrata facultate, ubi Laicorum facultates pares non eſ-

eſſent, benigne permittendum Romani duxere Pontifices *p.260, ſeq.*

Bonorum Eccleſiaſticorum Immunitati ubique locorum repetitis decretis proſpicere, eamque in tuto pro viribus collocare Synodis quam maxime curæ fuit *pag. 262, ſeqq.* Quarum ideo cura, ſtudioque effectum eſt demum, ut Gentium ubique, in Italia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Germania, Hungaria, Polonia &c. Bona Eccleſiaſtica perampla gaviſa ſint Immunitate *pag. 264, ſeq.* Talis autem, tanta, & tam arcte Imperatoribus erga bona Eccleſiarum religio perinde inſedit, ut repetitis eam legibus, non conferre utique, ſed confirmare ſerio ſtuduerint *p.265, ſeqq.* Siquæ vero Immunitati leges ſubinfeſtæ viſæ deinde ſunt, eæ vel robore prorſua omni fruſtratæ manſerunt; vel eis nullum in Eccleſiaſtica propterea bona Principibus jus adcrevit *p.266. ſeq.* Regum quoque tam beneficientia, quam religione bonis tam Eccleſiæ, quam Monaſteria locupletata ſunt, publiciſque ab oneribus prorſus exempta *pag. 268, ſeqq.*

Bonorum itaque Immunitatem Eccleſiis, ac Monaſteriis vel adimere, vel Principum indulgentia dumtaxat adquiſitam adſtruere fruſtra qua Proteſtantes, qua Pſeudopolitici defatigantur *p.272. ſeqq.* Fruſtra perinde bona adquirendi facultatem Principum legibus mox temperatam, mox abrogatam pugnant *p.275, ſeqq.* Ex bonis Eccleſiaſticis, juſtis, multiſque de cauſſis, aliquid in commune conferri Eccleſia ipſa conſentit *pag.279, & 301.* Lege Divina Sacerdotibus bona fuiſſe propria ex S. Scriptura fit manifeſtum *p.291, ſeq.* Videſis V. *Decima*. Jam ſub ipſa Apoſtolorum Ætate Bonis Eccleſiam ditari cœpiſſe, eademque adipiſcendi jure donatam veterum Patrum teſtimoniis liquido oſtenditur *pag. 293, ſeq.* Clericis, non Eccleſiis, bona relinquere Viduas prohibuit Valentinianus: quę tamen lex a Theodoſio deinde temperata, a Marciano demum ſublata omnino eſt *p. 298, ſeq.*

Brachium ſęculare invocandi facultas, ad delicta Clericorum punienda, Jure Canonico cum Veteri, tum Novo Epiſcopis ſępe facta conſtat *p.242, ſeq.* In quibus præſertim delictis Brachium invocandi ſæculare mos in Eccleſiam inductus fuerit, paucis indicatur. Nempe in delictis Seditionis, Invaſionis, Hęreſis, Schiſmatis, Inobedientiæ, Rebellionis, aliiſque atrocioribus, *ibidem*.

Buderus vir Lutheranus obedientiæ Romano Pontifici ab Imperatoribus dependendæ morem non ante S. Gregorii VII. ætatem cœpiſſe præpoſtero de ingenio ſuo, perverſoque commentus explodituſ *p.401, ſeqq.* A Maximiliano II. obſequium quidem Pio IV, non ſecus atque Gregorio XIII. a Rodulpho II, oblatum fuiſſe, non etiam obedientiam deſponſam ſubjungens refellitur *p. 456.* Carolum VI. item a voce obedientię caute abſtinuiſſe ſplendide *in verbo ſuo* mentitur *p. 458.*

C

CArolo M., quæ tribui Advocatiæ, obedientiæque ſacramento Leoni III. deſponſæ, quæque in Ordine Ro-

Romano habetur, Formulam veluti pſeudoepigraphum inficiasProteſtantes aliqui eunt; quos tamen oppido falli plurimi oſtendunt *p.* 442, *ſeq.* A Leone III. adoratum eumdem Imperatorem referentes Annaliſtæ plerique, quo ſano, proboque ſenſu accipi debeant: eos ideſt loquutos de ſalutatione ipſius in inauguratione præſtita conſentiunt ipſimet Gothofredus, & Salmaſius *p.* 443, *ſeq.*

Caroli M. celebre Capitulare, cui inſerta legitur Conſtantini M. lex de Epiſcopali Judicio legitimum proculdubio ipſius opus adverſus Criticos intemperantiores nonnullos oſtenditur *p.* 524, *ſeq.* Ab eodem Imperatore primum Jus Carceris, Fori, ac Territorii Eccleſiæ, Romanoque nominatim Pontifici factum dicere qui cum Richerio, ſubleſtiſſimæ pariter fidei homine, ſomniavit Jannonus ſufflaminatur *p.* 652, *ſeqq.*

S. Chryſoſtomus Joh. excommunicandi poteſtatem Eccleſiæ nequaquam abjudicavit, uti perperam adfirmare Philoteo Conſtantinopolit. Patriarchæ, ac poſt ipſum Seldeno placuit, ſed Excommunicationis dumtaxat abuſum reprehendit, temere nempe, ac tumultuarie jaculatæ, ſive tum etiam invaleſcentem exſecrationum uſum ſibi valide reprimendum adſumpſit *p.* 589, *ſeqq.* S. Doctoris locus alter de poteſtate Eccleſiæ pœnas infligendi corporales etiam Jannono tam nihil ſuffragatur, quam aperte imo adverſatur *p.* 653.

Clericis Immunitas, ceu Divino eiſdem jure debita, a Romanis imprimis Pontificibus unanimi, jugique vindicata conatu eſt, eorumque ideo a laico Foro in cauſſis omnibus tam Civilibus, quam Criminalibus exemptio propugnata *p.* 223, *ſeqq.* In Clericos violentas injicientes manus Anathemate, Pontifici M. reſervato, ab Innocentio II. plectuntur *p.* 226. Clericos in flagitiis deprehenſos a Laicis capi Francorum Regibus permiſſum quidem aliquando a Pontificibus eſt, a Synodo quoque Ilerdenſi, alteraque in Hiſpania, ita tamen, ut eorum de flagitiis judicium ferre ſolis Epiſcopis fas eſſet, eiſdemque judicandi actutum dimitti illi deberent *p.* 228, & 234, *ſeq.* Eadem pro Immunitate in tuto ponenda nulli unquam parcitum ab Epiſcopis operæ eſt: quorum in hoc ſtudium genere Clericos a Foro laico in cauſſis qua Civilibus, qua Criminalibus liberandi liquido ex Synodis adparet *p.* 230, *ſeq.*

Clericorum Immunitati tantum abeſt, ut Catholici Principes detrahere voluerint, ut repetitis potius legibus eam loco firmare ſategerint *p.* 237, *ſeqq.* Imperatorum legibus ideo Clericis Immunitatis adquiſitum jus obganniens Bohemerus exſufflatur *p.* 239. Principum ſiquæ leges Immunitati derogaſſe viſæ ſunt, ex vel ut iniquæ robore ſtatim omni caruere, vel ut injuſtæ abrogatæ penitus ſunt, vel aliquæ ſaltem benigno, proboque accipi ſenſu poſſunt *p.* 243, *ſeqq.*

Clericos Jure Naturali, Divino, Gentium, Canonico, & Civili tam quoad perſonas, quam quoad bona, poſſeſſioneſque Laicæ poteſtati obnoxios facere inani, fruſtraneoque conatu & Proteſtantes, & falſi Politici adnixi ſunt *p.* 275, *ſeqq.* Clerici indiſcriminatim uſque ad

ad Sæculum V. e diſtributionibus menſualibus ali ſolebant; uſque ad Sæculum VIII. deinde ex bonis Eccleſiarum in commune tributis; uſque ad Sæculum XI. ſubinde certis ex fundis indiviſis tamen; donec a Sæculo XII, ac deinceps e Beneficiis, ſive Præbendis in titulos perpetuos diſtinctis alimenta capere cœpere *p.* 363, *ſeq.* Vide V. *Beneficia.*

Coccejus uterque, Pater videlicet, & Filius intento, ſed inaniter, ſed inique, nervo in id incubuere toti, ut Jure Naturali, Divino, Gentium, Canonico, & Civili Laicæ poteſtati Clericos eſſe ſubjectos adſtruerent, eorumque Bona publicis oneribus, ac tributis obnoxia facerent. Magno congeſta in hanc rem ab ipſis apparatu documenta accurate excutiuntur, levique diſſolvuntur brachio *p.* 271, *ſeqq.*

Conſtantini M. Apotheoſis nulli ei prorſus vertenda crimini eſt, aut ignominiæ: utpote quæ vel ipſi ab Ethnicis fuit exſtructa; vel probo accipi a ſuperſtitione penitus libero ſignificatu poteſt *p.* 106, *ſeq.* Ejuſdem Imperatoris celebre dictum, quo ſemet Epiſcopum extra Eccleſiam inſcribere delectatus eſt, a Proteſtantibus iniquum, perverſumque in ſenſum intortum, quo probo, legitimo, rectoque demum accipi intellectu poſſit, ac debeat, multifarie demonſtratur *p.* 170, *ſeqq.* Conſtantini vitæ Scriptor an Euſebius Cæſar., an vero Acacius Luſcus fuerit, dubitant nonnulli; ſed Euſebius verius exiſtimatur *p.* 171. Eius Legem de Epiſcopali Judicio contra paucos inficiantes vindicandam, & tanquam vere germanum ejus fœtum valide propugnandam ſibi adſumpſere Viri Doctiſſ. qua Catholici, qua Proteſtantes *p.* 523, *ſeqq.*

S. Cypriano quam temere, tam perperam inſultat Pfaffius eum extra oleas vagatum obganniens, Epiſcopaliſque dominii ab eo jam tum primum jacta ſemina obmurmurans, ideo quod Epiſcopos poteſtate, dignitateque longe ſupra Presbyteros explicitiſſime, nec uno in loco extulerit *p.* 501.

D

Decanicæ, ſive Diaconicæ Carceres olim erant, ubi ad pœnitentiam agendam recludi Clerici flagitiis inquinati conſuebant *p.* 635. Carceres ante Eugenium I, aliis II, haud inſtitutos fuiſſe qui dicunt, in falſo laborare oppido oſtenduntur *p.* 651 *ſeqq.* In falſo pedem item poſuiſſe, qui a Carolo M. Jus carceris primum Eccleſiæ factum dicere ſomniarunt *p.* 652, *ſeqq.* Etſi vero denegari nequeat, quin Decanicarum nomine deſignari Eccleſiarum ſacraria olim ſolerent, eadem tamen pro carceribus etiam ad puniendа Clericorum flagitia deſerviſſe tam certum eſt, quam quod certiſſimum *p.* 654.

Decimæ Sacerdotibus, ac Templis dependere ſolemne tam erat, quam ſacrum apud Ethnicos, apud Hebræos, apud Chriſtianos, quin plures imo in eadem conferre divitias *p.* 252., *ſeq.* Decimas Judæorum & Templo, & Levitis perſolvi ſolitas diſcimus ex S. Paulo, ex Philone, ex Patribus, a quibus inde par, imoque potius eaſdem Sacerdotibus Evangelicę Legis perſolvendi debitum repetitum legitur *p.* 291, *ſeq.* Neque legem hancce de Deci-

Decimis mere Cæremonialem exputandam fore, ſed Moralem, quæ ideo obtineat adhuc, Doctoribus pleriſque arcte perſuaſum ivit *ibid.* Turpi proinde in errore obverſatum ſe ſe Sarpius oſtendit, dum non multo ante Caroli M. ætatem inductum Decimarum uſum prępoſtero de ingenio ſuo effutiit *p.* 292.

Decretalium libris Eccleſiaſticæ Diſciplinę capita inſerta ubique gentium, atque ſignatim in Gallia obtinere, ac integra obſervari a Doctiſſ. Thomaſſino, eiuſmodi rei calentiſſimo, rite obſervatum eſt *p.* 652.

Defenſores Patrimoniorum Eccleſiæ Judicum etiam partes, juſſu Pontificum, atque Principum voluntate, obire ſolebant, prohibitis a cauſſarum ad eos pertinentium cognitione laicis quibuſque Magiſtratibus *p.* 258, *ſeq.* Urbium Defenſores, Græcis *Syndici*, & in Aſia dicti *Agoræi*, conſtituendi vetus olim mos obtinuit: quorum imitatione Defenſores Eccleſiæ conſtituti paſſim leguntur, iique in Oriente ex ordine plerumque Eccleſiaſtico, e Laicis potiſſimum in Occidente deligi ſolebant; quibus officio cederet ab Eccleſia, armis etiam, injurias propellere; atque ubi impares ipſi eſſent, publici Judicis opem implorare *p.* 638, *ſeqq.* Defenſores inter hos illuſtriores audiebant, qui Romanæ Eccleſiæ defenſioni incumbebant, quibuſve majoris res momenti curandæ, ſuſtinendæque Romanis a Pontificibus demandari conſuebant: atque præclaro iſto quidem officio defungi Principibus ipſis gloriæ, religionique cedebat p. 640, *ſeqq.*

Devotus is olim hoc deſignabatur nomine, qui diris cunctis ob delicta ſe dignum impeti exhibuiſſet, eidemque ideo mala dicebantur exoptari vel a Deo, vel ab Angelis, vel ab Hominibus. Devotæ res etiam dici, iſtaque denotari voce ſolebant, quæ ſacro deſtinatæ uſui eſſent: unde Devotum triplex diſtinguere ſolemni erat in more poſitum, nempe *Devotum Sacerdotibus*, *Devotum Cæli*, *Devotum ex Homine* *p.* 575. Vide-ſis V. *Diræ*.

Diaconis olim in delicta inquirendi demandari ab Epiſcopis ſparta ſolebat. In Romana idcirco Eccleſia inde dicti *Judices Primicerii* leguntur, quod Judiciis ad vindicanda delicta indictis præſiderent *p.* 490.

S. Dionyſii Areopagitæ nomine, quæ circumferuntur, Opera, an ejus germanus ſint fœtus, varia eſt Eruditorum opinio *p.* 177, *ſeq.* Eorum facere auctorem Syneſium ullo abſque fundamento ſomniavit La Croze *p.* 468.

Diræ, exſecrationeſque, queis ideſt Dii flagitioſis, hoſtibuſque optabantur irati, Græcis olim, Barbaris, Latinis, atque Chriſtianis etiam uſu frequentiſſimo erant. Diverſas earum formulas ubertim nobis ſuppeditant Lapides, Scriptores, Supremæ Tabulæ &c, eæque adponi ſolebant Legibus, Statuis, Teſtamentis, Sepulcris, Libris, Epiſtolis &c. *p.* 566., *ſeqq*, 605, *ſeq.* & 634, *ſeq.*

Dodvvellus, Chriſtianos olim Conventus ad Agapes dumtaxat celebrandas, non etiam ad Euchariſtiam conficiendam, ſumendamque inſtitutos fuiſſe, indicique conſuevisſe imaginatus exploditur *p.* 189.

Dominica veteribus Chriſtianis Tem-

pla erant Domini cultui erecta, quæ diverſis item aliis deſignari nominibus ſolebant *p.* 183. Vide VV. *Martyria*, *Memoriæ*, *Tituli*, *Trophæa &c.*

E

Eccleſiæ Res aliæ ad Religionis ſubſtantiam, ad Religionis ſtatum aliæ dumtaxat pertinent, utræque tamen ſub Eccleſiæ degunt poteſtate, fatentibus ipſis Proteſtantium Doctioribus *p.* 79, *ſeqq.* Vide V. *Religio*. In Eccleſia Civilis Eccleſiaſticæ poteſtas ſubordinata ex fine, & ex forma dignoſcitur. Videſis V. *Poteſtas*. Eccleſia ſui proprio Regimini adminiſtrando, propriis ferendis legibus, ac propriis amplificandis rebus una ſibi ſolaque ſufficit, ullo Civilis abſque Poteſtatis interventu: quod ultro citroque Poteſtatibus ipſis Civilibus arcte perſuaſum extitit *p.* 151., *ſeqq.* S. Optati Milev. celebris, totieſque obiectus locus de Eccleſia in Republica conſtituta, non vice verſa ad incudem cum Albaſpinæo, & Baldnino revocatur *p.* 163, *ſeq.* Jure Templa conſtruendi ad Dei O. M. cultum a Deo ipſo cumulata Eccleſia demonſtratur *p.* 175, *ſeqq.* In Eccleſiam Judaiſini, vel Ethniciſmi imitatione Templorum uſum invectum commenti Hoſpinianus, & Midletonus haud audiendi *p.* 198. Videſis V. *Templa*.

Eccleſia Principum legibus non Jure utique, inſtitutionemque adquiſivit, ſed uſum dumtaxat, liberumque Juris proprii exercitium adepta eſt *p.* 218. Sanguinis cauſſis immiſcere ſe ſe abhorruit ſemper, abſtinuitque *p.* 246, *ſeq.* Eadem leges de rebus etiam temporalibus, quarum eſt domina, ferre legitime poteſt, laicaſque ideo eiſdem adverſas infringere *p.* 277, *ſeq.* Videſis V. *Leges*. Eccleſiam, atque Romanam quammaxime, aliaſque per Orbem, a prima ipſa ætate prædiis, boniſque aliis potitas, divitiiſque pro Clericorum, Egenorum, Viduarum, Infirmorum &c. indigentiis redundaſſe documenta pleraque, monumentaque demonſtrant *p.* 294, *ſeqq.* Vide-ſis V. *Bona Eccleſiaſtica*. Ab omni ſemper avaritiæ ſpecie Eccleſia ſummopere abhorruit, Clericoſque alienos eſſe deſideravit *p.* 298. Eccleſiæ, ac Monaſteria ante Sæculum X. Caſtris, & Civitatibus poteſtate Civili dominari cœpiſſe oſtendit Thomaſſinus *p.* 327. Ante ſæculum XI. Eccleſiarum bona in Beneficium concedi nondum cœperant *ibid.* Vide V. *Beneficia Eccleſiaſtica*.

Eccleſiæ Romanæ Patrimonia, quæ olim, & quot cum in Oriente, tum in Occidente *p.* 310, *ſeqq.* Horum nomine non fundi tantum, ſive prædia dumtaxat veniebant, uti falſo ſcripſit Jannonus, ſed Regiones integræ, quibus Curatorum, ac Defenſorum officio præfici ſolebant S. R. Eccleſiæ Subdiaconi, aut Diaconi, aut Presbyteri, ampla cum poteſtate in Epiſcopos ipſos etiam *ibid.* Ex Patrimoniis Orientis, præter annuas Aromatum, Balſami, Lini, &c. ſpecies, ac præter expenſas pro Miniſtris, annuatim Romæ auri talenta tria cum ſemiſſe præſtari ſolebant *p.* 311 Quæ deinde præſtatio cum Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ Patrimoniis commutata, demum a Leone Iſauro Fiſco adjudicata, ſub Nicolao II. de-

denuo Romanæ redintegrata Eccleſiæ eſt *p.* 312. Sub ejuſdem S. Romanæ Eccleſiæ dominio erant olim Alpes Cottiæ *ibid.* Neque Patrimonia illa ſane Principum juriſdictioni ſuberant; neque pendi ex illis tributa ſolebant, ut falſo dicere imaginatus eſt Jannonus *p.* 313, *ſeq.* Ante Sæculum VIII. Regalia majora, Ducatus ideſt, ac Provincias Eccleſia Romana jam obtinebat *p.* 326.

Eccleſiæ Catholicæ, non ſecus ac in Civitate omni bene conſtituta evenit, tres a Deo conditæ ſunt Poteſtates Electiva, Legislativa, & Judiciaria *p.* 374, *ſeqq.* Videſis VV. *Hierarchia*, *& Monarchia*. Poteſtatem ei Legislativam, & Judiciariam auferre, eamque in Principes transferre mirum quanto, & quam fruſtraneo deſudent Proteſtantes conatu! Ei tamen utramque Divina inſtitutione competere, Juriſdictionem videlicet, & Imperium invicte demonſtratur. *ibid.* In Eccleſiam Societatis æqualis Syſtema primus temere induxit Puffendorfius, quem poſtea magna ſequuti turba ſunt Proteſtantes *ibid.* Contra, Eccleſiæ tam Juriſdictionem, quam Imperium adſtruere ne leviter dubitarunt Spanhemius, & Hartmannus *p.* 480, *ſeqq.* Quin utramque contra Brouvnilas in Anglia, Remonſtrantes in Batavia, Reformatos alibi, alioſque propugnandam ultrocitroque ſuſcepere Proteſtantes, ac Confeſſioniſtæ oppido plurimi *p.* 482, *ſeq.* Quibus tamen dimiſſis, Eccleſiæ Poteſtas tam Legislativa, quam Judiciaria vindicanda ſuſcipitur invictiſſime ex Dei verbo ſcripto, & tradito *p.* 483, *ſeqq.* Vide V. *Juriſdictio.*

Eccleſiæ item Jus olim inerat Fidelium lites judicio finiendi, & adhuc dum ineſt Laicas ſuis infeſtas leges infringendi *p.* 507, *ſeqq.*, & 530, *ſeqq.* Videſis VV. *Leges*, *& Lites.* Juriſdictione coactiva, pœnas ideſt infligendi poteſtate ampliſſima, gaudet: Coercitionis jam vero pleræque ſunt ſpecies *p.* 550, *ſeqq.* Vide VV. *Excommunicatio*, *& Pœnæ.*

Eccleſiaſtica Politia in Veteri Synagoga, Deo jubente primum inſtituta, gradibus, & officiis a Moyſe diſtincta, a Davide, ac Joſaphato adaucta deinde eſt &c. *p.* 107, *ſeqq.* At ea poſt Urbis, Templique excidium immutata demum eſt, novæque inductæ cum nominibus dignitates *p.* 109. Vide V. *Synedrium.* In novam Eccleſiam ad Synagogæ inſtar Politia inducta non eſt, etſi cum Moyſis Regali Sacerdotalis Aaronis dignitas translata videri potuerit *p.* 127, & 135, *ſeq.* Videſis V. *Synagoga.*

Eccleſiaſticæ Immunitatis trifaria ſpecies eſt, nempe Perſonalis alia, alia Localis, Realis alia *p.* 199, *ſeqq.* Videſis VV. *Bona Eccleſiaſtica*, *Clerici*, *& Templorum Aſyla.* Eccleſiaſtica bona laicis ab oneribus, vectigalibuſque Jure tam Divino, quam Canonico exempta omnigeno argumenti genere demonſtrantur *p.* 250, *ſeqq.*

Eccleſiaſtica Beneficia in unius Eccleſiæ diſpoſitione manent, nec in ea, Regaliq; prætenſo jure, Principibus facultatis quidquam ineſt; videlicet neque vacantium fructus percipiendi, faciendique ſuos, neque vacantes conferendi Eccleſias, ſive perſonas ad eaſdem nominandi *p.* 315, *ſeqq.* Vide V. *Regalia.* Ec-

cleſiarum vacantium reditus, futuro Epiſcopo reſervandi, mox Œconomis, mox Archidiaconis, mox Epiſcopis vicinioribus commendati leguntur *p.* 318, *ſeq.* In Africa cuſtodia hæc uni Provinciæ Epiſcopo demandari ſolebat *p.* 349, *ſeq.* In Oriente Clericis, & Œconomis *p.* 350. Ita & in Hiſpania. *ibid.* In Italia, Gallia, Anglia, Germania &c. viciniori nunc Epiſcopo, nunc Clericis Eccleſiæ, nunc Œconomis *p.* 353, *ſeq.*

Epiſcopi dignitatem in Eccleſia loco poſt Rom. Pontificem ſublimiori, ac principi collocatam perpetui ſunt in prædicando; ejuſque ab Imperiali, Principalique independente poteſtate, quin & ſuperiore in adſtruenda diſertiſſimi ſunt Eccleſiæ Patres, Romani Pontifices, ac in Synodis Præſules ipſi *p.* 136, *ſeqq.* Voſſius ob id S. Ignatii Interpolatorem ſollicitans; Balſamon item reprehendere illos auſus, qui Epiſcopalem Imperiali dignitatem anteferant; Baſnagius quoque Imperatori fas adſtruens manus in Epiſcopos injiciendi; ac Joh. Clericus idcirco Auctori Conſtitut. Apoſt. indignatus ſe gravi dignos reprehenſione præſtant *p.* 136, *ſeq.*, 139, & 142. Epiſcopo quin etiam a Principibus obedientiam deberi, obſequiumque toti ſunt in demonſtrando Viri dignitate, numero, doctrinaque conſpicui *p.* 147, *ſeq.* Epiſcoporum ad pedes rei provoluti ipſorum interceſſione a pœna evadebant immunes *p.* 206, *ſeq.* Eorum tutelæ commiſſæ Sanctimoniales, Viduæ, Pupilli &c. inde ad Sæcularia trahi judicia nequibant *p.* 225. Sine Epiſcopis non conſtitui rite Principatus, ac Reges egregium S. Stephani Hungariæ Regis eſt apopthegma *p.* 241.

Epiſcoporum Electiones ut liberis Cleri, Populique ſuffragiis fierent, indeque Principum vis prorſus omnis procul abeſſet, nulli unquam parcitum eſt operæ a Synodis, a Pontificibus, ab Epiſcopis, a Patribus *p.* 327, *ſeqq.*, 329, *ſeqq.*, ac 331, *ſeqq.* Eaſdem pro religione liberas relinquere Imperatoribus quoque, Regibuſque perſuaſum fuit. Siqui contra uſurpare tentarunt, eorum leges a Synodis abrogatæ ſunt *p.* 334, *ſeqq.* Juxta hæc igitur in Eccleſiis ubique Græca, Italica, Gallicana &c. Epiſcoporum Electiones liberis Cleri, Populique votis fieri ſolemne fuit ſemper *ibid.* In Africa *p.* 336; in Hiſpania *p.* 337, *ſeq.*; in Italia *p.* 338, *ſeq.* Ubi tamen plurium deinde Cathedralium collationes, uti Sardiniæ, Corſicæ, Siciliæ &c. Romanis Pontificibus reſervari cœperunt *p.* 339. In Anglia *p.* 340, *ſeqq.*; in Hibernia *p.* 342; in Germania *ibid.*, *ſeqq.* Ubi demum Inveſituras dimittere Imperatores a Rom. Pontificibus adacti ſunt. *ibid.* In Polonia *p.* 344; in Svecia, & Norvegia *ibid.* Ad Electiones tamen Regium intervenire adſenſum, juſtis ex cauſſis, perſæpe Rom. Pontifices aut expreſſe voluere, aut tacite indulſerunt *p.* 345, *ſeqq.* Vide V. *Regalia*. Ad Eccleſias nominandi amplum Sabaudiæ Ducibus jus factum a Pontificibus eſt *p.* 346: factum & pridem Siciliæ Regibus abrogatum eſt poſtea, demumque coarctatum *p.* 547, *ſeq.* Factum idem perinde Galliæ, Hiſpaniæ, Hungariæ &c. Regibus *p.* 348, *ſeq.*

Epiſ-

Episcopos Divina institutione Presbyteris haud superiores esse; sed eorum demum supra Presbyteros dignitatem aut Ethnicorum, aut Judæorum exemplo fuisse elevatam communis est Protestantium error, qui multis, validissimisque prorsus evertitur *p.* 460, *seqq.*, & 463, *seqq.* Episcopos enim vero potestate, dignitateque a Presbyteris distinctos, supraque Presbyteros a Christo D. positos fuisse concors est, ac perpetua SS. Ecclesiæ Patrum doctrina, contra Protestantes sua in luce collocata *p.* 464, *seqq.* Ut nonnisi Episcopis coram fas Presbyteris esset Scripturas interpretari, vetus in Ecclesia mos erat *p.* 473. Episcopos Angelorum nomine designatos in Apocalypsi *cap.* 2, non vero accipiendas Ecclesias ipsas, uti perperam vult Salmasius, SS. Patrum est sententia, cui adstipulari Protestantes ipsi non dubitarunt *p.* 474, *seq.* De Episcopi dignitate Presbyterali longe excellentiori Patrum traditio probatissima Synodis pariter evasit, atque Pontificibus *p.* 478, *seqq.* Vide *V. Hierarchia*.

Episcopi Senatorum nomine alicubi adpellati leguntur *p.* 497. Promiscuo Episcopos, & Presbyteros nomine olim adpellatos liquet, quod Sacerdotium in utrisque idem esset; non quod eadem utrisque potestas inesset *p.* 499, *seq.* Christi D. Imaginem ab Episcopo geri, ac Christi D. teneri locum Patribus nonnullis dictum est *p.* 500. Inde forsan adorationis formula, qua salutari aliquando Episcopi a Fidelibus solebant *p.* 501. Hæc ipsa de Episcopo dignitate supra Presbyteros elevato doctrina Orientalibus arcte jugiter hæsit, atque Jacobitis quin etiam *p.* 502. Episcopis integram manere Jurisdictionem haud semel Imperatores ipsi jussere *p.* 505, *seq.* Nedum vero de Fidelium litibus cognoscendi sparta Episcopis olim incumbebat *p.* 507, *seqq.*, sed de Judicibus etiam ipsis, ac Præsidibus judicandi ampla ab Imperatoribus facta legitur facultas; eorum dignitas amplioribus Imperii dignitatibus exæquata, eisque plerisque de rebus aliis, ac personis cognoscendi demandata provincia, a Regibus quoque *p.* 526, *seqq.* Episcopi nomen unde derivatum: quid eo nomine apud Græcos, atque Latinos designatum: quod Juris apud Christianos eodem importatum. Diversis idem nominibus aliis Jus Patribus, & Scriptoribus denotatur *p.* 624, *seqq.*

Excommunicatio in Ecclesiam derivata non est ex Paganismo, ut impie Protestantes aliqui, nedum ex Nostratibus quidam, dicere somniarunt: contra quos ideo pugnant & Nostri, & ex ipsorum grege longe plures alii *p.* 559, *seqq.* Nec ex Judaismo, sive ad Judaicæ Synagogæ imitationem, ac tardius in Ecclesiam invecta est, merique humani reputanda est instituti, ut Protestantibus aliis perperam visum est: quos ideo & Nostrates, & ex Acatholicis oppugnant multi oppido *p.* 561, *seqq.* Sed Excommunicationis utique Divinam esse originem, eaque nedum a Civili Societate induci separationem, sed etiam Sacrorum interdici consortium contra inficiantes heterodoxos aliquos pro certo statuunt cum ex Catholicis ferme omnes, tum ex iis longe plures *p.* 562, *seqq.* Excommunicationis quæ-

quædam ſpecies Ethnicis olim, hodieque dum uſufrequenti veniſſe, dignoſcitur, ita Græcis, Perſis, Medis, Indis, Gallis veteribus, Romanis, Germanis &c. *p.* 564, *ſeqq.* Ejuſdem quoque ſpecimen, erant Diræ, Exſecrationeſque iiſdem frequentes, quę adponi paſſim ſolebant Legibus, Statuis, Sepulcris, Teſtamentis, Libris &c. *p.* 566, *ſeqq.* Inter Chriſtianos autem e Clericorum avaritia earumdem uſum manaſſe effutiens Eccardus non audiendus *p.* 567.

Excommunicationis uſus Judęis tam vetus, quam frequens erat *p.* 568, *ſeqq.* Recentem apud Judęos ejus ritum adfirmantes Baſnagius, & Seldenus rejiciuntur *p.* 570. Tres Excommunicationis ſpecies Judęis erant *Niddui*, *Schammathà*, *& Cherem*: Quas poſteriores duas in unam, eamdemque confundere, nonnullis adlibuit *p.* 570, *ſeqq.* Excommunicandi vero cauſſę apud Judęos 24. recenſeri vulgo ſolebant, quas omnes ad duas, Pecuniam, & Epicureiſmum reſtringendas duxit Baſnagius *pag.* 572, *ſeqq.* Excommunicationis effectum apud Judæos non ſpiritualem, ſed Civilem fuiſſe, a Sacris ideſt ſeparationem non induxiſſe, ſed a Civili dumtaxat Societate, Proteſtantes, qui adſerunt, næ magno ii obverſantur in errore *p.* 573, *ſeqq.*

Excommunicationis apud Chriſtianos aliqualis in veteri Synagoga prefulſiſſe ſpecies Patribus aliquibus viſa quidem eſt, ac in Scriptura Sacra conſpicitur, longo tamen inter ſe diſtare intervallo, ac Divinæ referri eam debere inſtitutioni & Scriptura, & Patres docent *p.* 576, *ſeqq.* Atque de Excommunicatione utique Matthæi locum *cap.* 18. *v.* 17, *ſeqq.* capiendum adverſus gentiles ſuos oſtendere neque dubitarunt Proteſtantium doctiores *p.* 578, *ſeqq.* Ita etiam de Excommunicatione loquitur diſerte S. Paulus 1. ad Corinth. *cap.* 5, *v.* 2, *ſeqq.*, quem fruſtra locum vexant Proteſtantes aliqui *p.* 580, *ſeqq.* Ita & ejuſdem Apoſtoli, & S. Johannis Evangeliſtæ loca alia de Excommunicatione capienda Proteſtantes ipſi conſentiunt *p.* 582, *ſeqq.* Qui vero Excommunicatione Civilem dumtaxat abrumpi Societatem, non etiam Sacram abdici cogitant, toto ii oſtio a veritate aberrant *p.* 584, *ſeqq.* In hac Divina Excommunicationis origine adſtruenda perpetui ſunt, conſentienteſque Eccleſiæ Patres *p.* 585, *ſeqq.*

Excommunicatione in ferenda proprio Epiſcopos paſſim abuti jure, atque æqui, juſtique extra limites prępcipites egredi calumniantes Heterodoxi caſtigantur *p.* 591. Vetuſtiſſimi in Eccleſia Excommunicationis uſus teſtes accedunt locupletes Epiſcopi in Synodis congregati *p.* 592, *ſeqq.* Quæ Excommunicatis interdicta eſſent late perſequitur Albaſpinęus *p.* 593. Criminoſos e corpore ſuo ab Eccleſia reſcindi oportere ſuadet ipſa ratio Societatis, ac Naturæ lex *p.* 594. Variæ Excommunicationis olim, uſurpatæ Formulæ, diverſique Ritus exhibentur *p.* 595, *ſeqq.* Sex item Excommunicationis ſpecies Eccleſiaſtica nobis paſſim documenta ſuppeditant *p.* 597. Neque vetera nobis deſunt Excommunicationis in Hæreticos, Apoſtatas, Schiſmaticos, flagitioſos &c. ejaculatæ ſępius exempla *p.* 597, *ſeqq.*

Ex-

Excommunicandi Jus, & ab Excommunicatione abſolvendi Imperatoribus Seldenus adſcribens putido in errore obverſatum ſe oſtendit: Nam potius in Imperatores ipſos, Regeſque Jus iſtud plus vice ſimplici diſtrinxiſſe oſtenditur Eccleſia p. 599, ſeqq. Maximi vero Excommunicatio tam ipſis a Principibus facta ſemper eſt, quam a ſuppedaneis fieri Judicibus ſæpe cautum fuit p. 609, ſeqq. Tam igitur fruſtra, quam falſo huncce Principes Excommunicatione feriendi deterrimum eſſe abuſum Proteſtantes exclamant p. 610. Figmentis itaque deputandum privilegium illud, quo, Regibus inſciis, Regios Excommunicare Officiarios nefas eſſe jactatur p. 611, ſeq. Legibus utique cautum a Principibus legitur, ut laiç ab Eccleſia Cenſurę executioni mandarentur, non ut de iis cognoſcere auderent ipſi p. 612, ſeqq.

Excommunicari tamen ab Epiſcopis Reges aliquos, eorumque Regna Interdicto ſupponi, Romano inconſulto Pontifice, ſingulari, prudentique conſilio, proviſum ab Apoſtolica Sede plus vice ſimplici legitur p. 615. Ad hęc ferri generatim Cenſuras, graviſſima noniſi de cauſſa, nec niſi ante magna adhibita cautela, & Patres, & Pontifices & monuere, & mandarunt ibid., ſeqq. Excommunicationis effectum ſpiritualem non modo, ſed etiam corporalem a S. Paulo deſignari 1. ad Corinth. cap. 5. v. 5, ſeqq. obſervant Patres: queis ex Proteſtantibus adhærent alii, alii repugnantes refelluntur p. 621, ſeqq. Excommunicatos denique Communione nedum ab Eccleſiaſtica, ſed a Forenſi, ſed a Civili, ſed a Politica excluſos liquet ex Jure Canonico tam veteri, quam novo p. 629, ſeq.

F

FAna Gentilium, a formula, quæ effari Augures ſolebant, atque Sacrum efficere, denominata Romanis quammaxime ſunt p. 204, ſeq.

Feuda non ante Sęculum XI. inſtitui cœpiſſe nitide oſtendit Muratorius, cui ferme conſentit Auctor Spiritus Legum p. 325, ſeq. Hinc falſitatis arguuntur Diplomata Lotharii, & Caroli Craſsi apud Ughellum, ubi Feudorum fit mentio; falſique convincuntur Molinæus, & Bignonius Feudorum nomen ſe legiſſe adfirmans ille in Chartis Childeberti I, & Clodovæi I.; iſte vero Beneficiorum nomine apud Marculfum Feuda ſignificari putans; refelluntur etiam alii Feudorum originem a Carolo M., aut a Clodovęo cœpiſſe credentes p. 326.

Feuretus proprio de ingenio, falſoque commentus eſt a Duce Bituricenſi compulſum Archiepiſcopum ad revocandum decretum, quo Clericos a Laico Foro exemptos declaraverat p. 250.

Fiſcum Eccleſiæ haud fore denegandum idcirco, quod ampla pœnas infligendi corporales etiam, citra ſanguinem attamen, gaudeat poteſtate, docent Gloſſa, Juriſque periti alii plures p. 635.

Flamines apud Ethnicos Sacerdotes tam Romę, quam in Municipiis, Supremorum intuitu Numinum, maximo habebantur in honore p. 221. Vide-ſis V. *Sacerdotes*.

Fodrum præſtatio erat olim Militaris pro Exercitus annona, quo de Vocabulo fuſe Ducangius *p.* 432.

Foro peculiari a Civili diſtincto potiri Eccleſiam res eſt dubitationis omnem prorſus extra aleam poſita *p.* 227, & 229. Quod ſane Forum a Laico prorſus immune unanimi docent ſententia Theologi, ac Juriſperiti *p.* 247, *ſeq.* Jam ſub Apoſtolis Forum Eccleſiæ conſtitiſſe proprium agnoſcere Proteſtantes aliqui non hęſerunt *p.* 485, *ſeq.* Qui viciſſim Eccleſiæ illud adimere qua Proteſtantes, qua falſi Politici audent, næ il Dei verbo & ſcripto, & tradito adverſantur, quo Eccleſiam Foro, Territorio, & Juriſdictione potiri liquet *p.* 497, *ſeqq*; quodque invictis eidem vindicatur iterum momentis *p.* 503, *ſeqq.*

G

GAlliarum Regni a Chilperico translationem in Pippinum, S. Zachariæ Pontificis M. auctoritate factam Rerum Franc. Scriptores tantum non omnes, in iiſque ſide profecto omni digni, teſteſque perquam idonei, unanimi tradunt, teſtatamque rem faciunt, ſententia *p.* 384, *ſeq.*

Gallicana in Eccleſia receptiſſimæ ſunt Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capita Decretalium libris inſerta, Cl. Thomaſſino teſte *p.* 652. Inter hæc receptæ ibidem ſunt celebres Innocentii III. Decretalis *Novit. p.* 520, *ſeqq*; Bonifacii VIII. altera *p.* 634; Johannis XXII. item Conſtitutio *Licet*, qua Marſilii Patav. doctrinis Eccleſiam poteſtate coactiva, niſi concedente Principe, carere, error proſcriptus eſt *p.* 656, *ſeq.*

Gervaſii Tilberienſis Regni Arelatenſis Mareſchalli egregia ad Othonem IV. de Imperatoris electione Romano adprobanda Pontifici ſententia *p.* 439.

Gladii ſæpius adſumpta ſimilitudo legitur ad ſpeciem animo ingerendam Juſtitiæ, poteſtatemque ſignificandam Judiciariam. Ita Gladium ante Romanum Pontificem in Juſtitiæ ſupremæ ſignum deferre, Langobardis ſolemne fuit *p.* 495. Sub Gladii rurſus ſpecie poteſtas Eccleſiæ pœnas inferendi pulcherrime deſignata legitur Lucę *cap.* 22. v. 38. *p.* 555.

S. Gregorio M. Expoſitio in Pſal. Pœnit. a pleriſque Criticis abjudicata probabilius vindicatur ab aliis *p.* 165, *ſeq.* Scitu valdequam digna pleraque S. Pontifex tradit de Patrimoniis Eccleſiæ Romanæ *p.* 310, *ſeqq*, deque eorum Defenſoribus *p.* 528, *ſeq.*

Gregorius IV. ab impacto a Sigeberto conſpirationis in Ludovicum Pium crimine abunde abſolvitur: quin eidem Imperatori Apoſtolicæ pondere auctoritatis ab ipſo confirmatum Imperium, ſuppreſſaque, quæ in eum commota fuerat, conſpiratio oſtenditur *p.* 444.

Grotio Eccleſiam pœnis etiam afflictivis, ſive corporalibus Infideles cogendi, puniendique facultatem ultrocitroque largiri non dubitanti refragatus inique Coccejus exploditur *p.* 655, *ſeq.*

H

HEbræis acceptæ leges pleræque ab Ethnicis promulgatæ referri debent *p.* 33. Patrata quin etiam apud Judæos Miracula imitari, & fin-

fingere haud infrequens Ethnicis fuit *p.* 98. Ab Hebræis iterum Asylorum jus, atque ritum Ethnicos mutuasse veri fit valdequam simile *p.* 200. Hebræorum Sacerdotibus ac Levitis Inedum Lege Moysis, sed & Artaxersis Edicto perampla a vectigalibus, ac muneribus exemptio adserta, & vindicata est *p.* 252.

Hebræis antiquissimus est Excommunicationis usus, cujus haud infrequens in S. Scriptura mentio, atque species occurrit *p.* 568, *seqq.* Hunc apud Judæos Excommunicationis usum obtinuisse non ante Machabæorum epocham adfirmans Basnagius, aut non ante Captivitatis Babylonicæ ætatem Seldenus autumans sufflaminantur *p.* 570. Duas, aut tres in specie Excommunicatio distingui Hebræis solebat, atque vigintiquatuor potissimum ob causas infligi *p.* 570, *seqq.* Vide-sis V. ***Excommunicatio***.

Heumannus Lutheranus homo, de Re Diplom. frustra multis ex Carolo M., Ludovico Pio, Pippino, Lothario, Ludovico Germ., Carolo Calvo &c. congestis absque delectu Diplomatibus contendit Imperatorum beneficio Ecclesiis, & Monasteriis Immunitatem adcrevisse *p.* 302, *seq.* Eorum sed enim bono in lumine Diplomata collocantur, ita ut inde nihil Immunitati detractum, quinimo eidem plurimum adjunctum liquido adpareat *ibid.*

Hierarchia Ecclesiastica suo e conceptu, rationeque Societatis æqualis systema prorsus excludit *p.* 373, *seqq.* In Ecclesia Monarchicum, & Hierarchicum a Christo D. regimen institutum fuisse, sive Legislativam, ac Judiciariam potestatem in Ecclesiam inductam de fide est, atque liquet ex S. Scriptura, docentque SS. Patres *p.* 377, *seqq.* Vide VV. *Ecclesia*, & *Jurisdictio*, & *Leges*.

Hierarchiæ Ecclesiasticæ nomine Sacer Principatus designatur, & comprehenditur diversis in Ordinum gradibus diffusus, & sacra potestas diversis officiorum generibus occupata. Ita cum S. Paulo sentiunt Patres, Scriptores, ac Theologi, consentiuntque Protestantium doctiores, ac moderatiores *p.* 459, *seqq.* Contra vero Christianæ Reipublicæ formam a Christo D. nullam institutam, Hierarchiæ gradus distinctos nullos, officia diversa nulla designata, nec Episcopos dignitate Presbyteris superiores factos crocitare Protestantes alii non desinunt *p.* 460, *seqq.*

Hierarchicam supra Presbyteros Episcopi dignitatem exemplo Synagogarum alii, alii Ethnicorum ad instar inductam autumant, qui ad unum omnes turpi obversari in errore ostenduntur *p.* 462, *seqq.* Nempe nitidis S. Scripturæ testimoniis *p.* 464, *seq*; atque duobus Hierarchiam ordine videlicet, & officio coalescere, utrumque vero diversis constare gradibus, & functionibus ostenditur ex SS. Patribus Græcis, & Latinis *p.* 465, *seqq.* Quorum sane plerisque locis magnam ad Episcopi supra Presbyteros dignitatem ostendendam inesse vim viderunt, fassique sunt ex Protestantibus ipsis plerique *p.* 466, *seq*, 469, *seq.* & 471, *seq.* Hanc vero Patrum de Episcopo supra Presbyterum gradu traditionem ratam facere, indubiamque magno & numero, & consensu Synodi, ac Pontifi-

tifices Summi non dubitarunt *p.* 478, *ſeqq.*

S. Hieronymus tantum abeſt, ut Presbyteri cum Epiſcopo coæquaverit dignitatem, paremque fecerit poteſtatem, velut inſignem per calumniam ei adpingere non verentur Heterodoxi, ut explicitiſſime potius Epiſcopum gradu ſupra Preſbyterum longe ſuperiori poſitum nec una ſimplici vice, nec uno adfirmet in loco *p.* 476, *ſeqq.* Ex S. Hieronymo igitur argumentum de lato diſcrimine Presbyterum inter & Epiſcopum, deque illius ſupra illum præſtantia rite deſumpſit, valideque urſit Turrianus, cui haud ſatis a Blondello factum probe advertit Pearſonius *p.* 477.

Hincmarus Remenſis inde laude valdequam dignum ſe præſtitit, quod Epiſcoporum pro liberis Electionibus fortiter, egregieque pugnarit *p.* 331, *ſeq.* Item, quod ab Eccleſiarum vacantium fructibus percipiendis laicos Principes omnino ſubmovendos, eorumdemque cuſtodiam Eccleſiarum penes Oeconomos manere voluerit *p.* 357, *ſeq.*

Hobbeſius quam impie, tam inepte ſtatuit Chriſti D. regimen in hoc Mundo fuiſſe meri conſilii, & doctrinæ, non etiam auctoritatis, & imperii: a Chriſto D. nullas editas leges, ſed Sacramenta dumtaxat inſtituta; atque Civilis perinde Poteſtatis juri cedere Scripturas interpretari, Fidei controverſias finire, Ritus, & Cæremonias ſtabilire &c. Quo plane deterrimo in errore pares ei deinde Proteſtantes alii ſtetere *p.* 376, *ſeq.*

I

Jannonus ſiniſtrorſum S. Johannis 18, 36. locum interpretatus explo-ditur *p.* 84, 162, & 285. Item cum Bodino &c. inficiatus Rempublicam abſque Religione cohærere rite nequire *p.* 127, *ſeqq.* S. Gelaſii loco turpiter abuti non veritus dignis vapulat *p.* 139. S. Pauli exemplum cauſſam apud Feſtum agitantis ſuam fruſtra prodit *p.* 166. Poſt Acatholicos nonnullos, perſecutionibus obtinentibus, publica Chriſtianis Templa defuiſſe, publico Religionis exercitio operam eos haud dediſſe crocitans refellitur *p.* 176. Cum Sarpio, aliiſque Heterodoxis Templorum Aſyla Principum uni beneficio accepta referenda fruſtra contendit *p.* 199, *ſeqq.* Poſt Gothofredum Theodoſii, & Arcadii legem de Epiſcopali Judicio, ceu ſubdititiciam inficiatus exſufflatur *p.* 238. Principum legibus adquiſitam Eccleſiæ Immunitatem, vel ademptam cum Dupinio falſo contendit *p.* 243, *ſeqq.* Cum Coccejo fruſtra deſudat, & fatigatur, ut Eccleſiaſticis qua perſonis, qua bonis Immunitatem, qua perſonalem, qua realem auferat *pag.* 271, *ſeqq.* Crambem toties a Proteſtantibus obtruſam perperam recoquit Eccleſiæ bona adquirendi facultatem ab Imperatoribus factam, viciſſimque abrogatam, atque temperatam obganniens *p.* 275, *ſeqq.*, & 290, *ſeqq.* Valentiniani legem, qua bona Clericis, non etiam Eccleſiis, ille relinqui vetuit, inaniter, iniqueque urget *p.* 298. Pluribus in Principum legibus plurimam, ſed fruſtra vim fecit, ut quæ vel nullæ fue-

fuere, vel fuerunt abrogatę p.303, ſeqq. Patrimonia Roman. Eccleſię prædia dumtaxat fuiſſe, & fundos, ex ipſiſque tributa Principibus, quorum Juriſdictioni eadem obnoxia fecit, pendi conſueviſſe adfirmans in Eccleſiaſticis Monumentis ſe parum verſatum oſtendit p.310, ſeqq., & 313, ſeq.

Jannono deterrimus, exſecranduſque Marſilii Patavini error putide adhæſit p.490. A Grotio Epiſcopi a Presbytero diſtinctionem, diſtinctamque poteſtatem ad Synagogæ formam in Eccleſiam inductam autumante non diſtat, & Epiſcopis Juriſdictionem, Forum, ac Territorium iuique abjudicat p.497, ſeqq. Inſignem per injuriam Eccleſiæ de litibus Fidelium judicandi facultatem adimit p. 507, ſeqq., deque lege Conſtantini M. de Epiſcop. Judicio litem movet inutilem cum Loyſęo, & Gothofredo p.523, ſeq. Perperam cum eiſdem, ac Fevreto Arbitri partes, non Judicis, Epiſcopis demandatas arguit p. 527. Quam temere, tam inique Lothario ſuccenſet, quod Clericos, Laicis amotis, Patrimoniis Eccleſiæ Judices dederit p. 528. Cenſuras ferendi morem, & ritum in Eccleſiam e Veteribus morum apud Romanos Cenſoribus deſcendiſſe ſplendide mentitus ſufflaminatur p. 560, ſeqq. Fallitur oppido Bonifacii VIII. Decretalem quamdam in Gallia haud fuiſſe receptam jactans p.634. Jus Carceris, & Fori Eccleſiæ demum Caroli M. beneficio, indulgentiaque adquiſitum cum Richerio crocitans exſibillatur p. 652, ſeqq.

Imperatores qua ex Græcis plerique, qua ex Latinis nonnulli propriam ſupra Eccleſiaſticam efferre poteſtatem affectantes duris, aſperrimiſque cum a Patribus, tum a Pontificibus excipi promeruere p. 1, ſeqq. Ex Proteſtantibus qui hanc ipſis Imperatoribus poteſtatem, circa Sacra aut aliquam, aut ſupremam adſcribere, pro aſſentandi præpoſtero ingenio, non dubitarunt, exagitantur. Vide-ſis V. *Proteſtantes*. Imperatorum leges circa Eccleſiaſtica vel Aſyla, vel Perſonas, vel Bona, aut robore prorſus omni fruſtratę manſerunt, aut probo accipi ſenſu poſſunt. Vide VV. *Aſyla*, *Bona*, *& Clerici*. Imperatores tam Ethnicos, quam Chriſtianos uſque ad Gratianum Pontificis M. titulo inſigniri delectatos, Jureque quin imo fuiſſe potitos ex Legibus ab eiſdem circa Sacra editis perperam arguit Vandalæus p. 284.

Imperatoribus fidei profeſſionem ad Romani Pontificis imperium, formulamque ab iis præſcriptam exigere religioni, officioque ceſſit p. 399, ſeqq. Fide quin etiam, obedientiaque Romano ſe devincire Pontifici. Quem obedientiæ Pontifici M. dependendæ morem non altius, quam a S.Gregorii VII. ætate repetens Buderus explodituſ p. 401, ſeqq. Obtinendæ Imperatorum opis, advocatiæ, defenſioniſque intuitu, Patricia eos dignitate exornare Rom. Pontificibus cordi fuit p. 403, ſeqq. Vide-ſis V. *Patricii*. Ex Patriciis Imperatores deinde facere, pro Religionis communi, Reipublicæque bono, Pontificibus ipſis opportuniua accidit, expeditiuſque p.433, ſeqq. Imperatoris in electione Pontificis concurſus ea ratione exigitur, tum ut ab

eo inferenda Reipublicæ pernicie Tyranni procul abigerentur, tum ideo quod Imperatoris ſit Eccleſiæ Advocatum, ac defenſorem agere, tum quod a Pontifice inſtauratum fuerit Imperium *p.* 437, *ſeq.* Jus itaque iſtud perpetuo ſibi vindicandum tam Pontifices adſumpſere *p.* 438, *ſeq.*, quam in Pontifice agnoſcere Imperatores ipſi non detrectarunt *p.* 440, *ſeqq.* Quin ideo fidei, obedientiæque ſacramento, cujuſce non una exhibetur formula, Pontifici M. ſemet obſtringere religioni duxere *p.* 442, *ſeqq.*

Imperatorum Legibus, Pactis, & Capitulationibus ſua Juri Canonico ſarta, tectaque ſervata jugiter auctoritas eſt, & ſua item Epiſcopis integra manere Juriſdictio religioſe juſſa *p.* 505, *ſeq.* Imperatoribus Excommunicandi, & Excommunicatos abſolvendi jus, idque juris Eccleſiæ quin etiam adtribuendi, vel ab ea auferendi facultatem amplam facere Seldeno haud verito obſtat tam Jus Divinum, quo liquet Excommunicationes ferendi poteſtatem uni Eccleſiæ demandatam, quam vetus, frequentataque in Eccleſia Diſciplina, qua conſtat Eccleſiam nullo non tempore a diſtringendis in Imperatores, Regeſque ipſos Excommunicationis jaculis abſtinuiſſe *p.* 599, *ſeqq.* Hunc vero deterrimum eſſe abuſum ab Eccleſia procul eliminandum obgarrire Proteſtantes non abſtinentes profligantur *p.* 610.

Imperium in Cæſares a Populo Romano, non jure proprietatis obtinendum deinceps, ſed jure dumtaxat adminiſtrationis tenendum fuiſſe transfuſum receptior, verique opinio ſimilior videtur, quam potior Juriſconſultorum pars tuetur, propugnatque *pag.* 22, *ſeqq.* Quod ipſum per ſingulos obiter Imperatores diſcurrendo, ſolidis oſtenditur documentis *p.* 23, *ſeqq.* Imperium cum Sacerdotio in eadem ſæpe copulatum unaque perſona Gentes apud pleraſque conſpectum eſt *p.* 103, *ſeq.* Utraque dignitas Imperialis videlicet, & Pontificalis apud Latinos etſi a Numa diſcreta fuerit, ab Auguſto tamen, aliiſque deinceps ab Imperatoribus Pontificatus M. arrogari cœpit *p.* 104, *ſeq.* An etiam vero a Chriſtianis Imperatoribus uſurpatus idem Pontificis M. fuerit titulus, lis eſt inter Eruditos, ac ſunt, qui affirment, viciſſimque, qui verius negent *p.* 105, *ſeq.* Quo demum ritu Pontificatus M. arripi ſoleret, inirique, obiter deſcribitur *ibid.*

Imperium Occidentis, quod an. 476. in Auguſtulo defecerat, in Carolo M. an. 780. a Leone III. inſtauratum eſt *p.* 433, *ſeqq.* Illud non jure belli Carolo M. adcrevit, uti perperam multi ex Proteſtantibus quammaxime pugnant; neque Græcis Imperatoribus ablatum in eumdem Carolum ultro translatum eſt, ceu viſum eſt aliis; neque jure pacti cum Græcis initi Carolus illud obtinuit, ut quidam volunt; neque demum Populi Romani Electione adquiſivit, ceu alii credunt: ſed in Carolo M. unius Pontificis M. voluntate renovatum eſt *p.* 434, *ſeqq.* Eadem Pontificum voluntate a Francis deinde translatum in Langobardos Imperium eſt; in Francos iterum tranſmigravit deinde, perindeque in Burgundiones, atque demum in Germanos *p.* 446, *ſeqq.* In Gallos iterato tranſfer-

ferri tam frustra procuravit Philippus cognomento Pulcher, quam in filios transfundi velut hæreditarium optavit Albertus Austriacus *p.* 441, *&* 452, *seq.*

Infideles Evangelicæ prædicationi haud obsistentes libertate, ac dominio spoliari nequeunt: secus impedimentum adferentes. Ita Catholicis persuasum est Doctoribus. Contraria Protestantium opinio, qua putant nefas esse Infideles Christianæ fidei dilatationi adversantes comprimere armis, in ultimas amandanda est Anticyras *p.* 389, *seq.* In Infideles iterum alia ob flagitia pœnas corporales distringere legitime in Ecclesiæ positum facultate post SS. Patres nonnullos docent de Schola Theologi, Jurisque periti *p.* 654, *seqq.*

Inscriptiones bene multæ superstitionis plenæ Christianis Imperatoribus positæ, non secus atque Imagines, Lapides &c., ipsorum haud lædunt fidem, aut famam labefactant; ut quæ vel ab Ethnicis fuerint consecratæ, vel ex consecratis olim Ethnicis Imperatoribus ad. positæ deinde Christianis fuere *p.* 106, *seq.* Inscriptio illa *Victoria* X. D. N., quæ in Nummis Pontificiis visitur, ad Christum D. referenda dubio procul est, non ad Græcos Imperatores, prout visum est Muratorio, & Blanco *p.* 416.

S. Johannis Evangelistæ factum, quo balneum ad lavandum ingressus, viso intus Cerintho, illotus actutum inde decessisse fertur, in dubium qui vocant, a Viris doctiss. valide refelluntur *p.* 584, *seq.*

Julianus, non Apostata utique, sed Apostatæ avunculus sacram quidem coinquinasse mensam fertur apud Theodoretum, non etiam ab Euzoio Excommunicatione perculsus est, uti falso putavit Basnagius *p.* 601, *seq.*

S. Julii I. P. M. illustris de Clericorum a laico Foro immunitate locus a Doctiss. alioqui Coutantio injuste vexatus, exagitatusque defenditur, inque tuto collocatur *p.* 223, *seq.*

Jurisdictio quid Jurisconsultis sit, importetque: quot apud Romanos olim constaret partibus *p.* 481. Eadem absque imperio, cogendique potestate concipi, esseque nequit *ibid.* A Christo D. Ecclesiæ Jurisdictio cum Imperio collata procul dubio fuit *p.* 482, *seqq.* Vide VV. *Ecclesia, & Potestas Ecclesiastica*. Tam Jurisdictio vero, quam Imperium variis in S. Scriptura verbis designatur, variisque a Patribus describitur phrasibus *p.* 483, *seqq.* Cum Jurisdictione, & Imperio Ecclesiam administrandam Apostoli cum per semet adsumpsere, tum Episcopis commendarunt *p.* 485, *seqq.* Itaque ab Ecclesia Jurisdictionis, & Imperii perpetuum factum usum testes accedunt locupletes dicto, factoque Patres *p.* 488, *seqq.*

Jurisdictionem Ecclesiæ qui contradimunt, & Imperium, veluti Protestantes, & Pseudo Politici, næii & Divini se juris prorsus ignaros, atque Divinæ se institutioni prave infensos manifestant *p.* 497, *seqq.* Vide-sis VV. *Ecclesia, & Episcopi.* Jurisdictionem Ecclesiæ competere non agnoscere nequivere, repetitisque legibus integram ei manere vice plus simplici Imperatores ipsi præcepere *p.* 505, *seq.* Jurisdictio rursus absque coercitione nec esse, neque concipi potest, nec insigni

absque

abſque piaculo Eccleſiæ denegari *p.* 550, *ſeqq.* Vide V. *Pœnas*.

L

LActantio Firmiano Librum de Mortibus Perſecutorum, Eccleſiaſticæ antiquitatis refertiſſimum, e Criticis ſunt, qui abjudicant, eique ſuppoſitum autumant, & ſunt viciſſim, qui verius vindicant, ac legitimum ejus opus exiſtimant *p.* 181, *ſeq.*

Lex Regia vulgo denominata, qua Populus Romanus fertur Imperii jus omne in Imperatores transfudiſſe, legitima ne ſit, vereque a Populo profecta, an potius ſpuria, deque induſtria conficta, multas hinc illinc, ac diverſas Scriptores in opiniones abeunt *p.* 21, *ſeqq.* Hujuſce porro legis fragmentum e Tabula ænea Capitolina exhibetur *ibid.* & *p.* 24, *ſeq.* Leges a Regibus profectæ. Vide V. *Reges*.

Legumlatores apud Ethnicos Orientales imprimis quinam, & quot illuſtriores habiti ſint: quas leges, quos apud Populos, & quo tempore leges protulerint: quibus, & qua de cauſſa latas ab ſe leges acceptas referre geſtiverint *p.* 33, *ſeqq.*, & 59, *ſeq.* Vide-ſis V. *Reges*. Cum hiſce Legibus Ethnicorum nonnullis æquiparare Chriſtianas temere auſus nonnemo, videndus, ut dignis vapulet pro commento, & impudentia *p.* 44. Ab Hebræis, primis veluti Legum fontibus, leges ab Ethnicis hauſtæ videntur *p.* 33, 44, *ſeq.* Ethnicos apud Occidentales, atque Latinos præſertim, quinam omnium primi de legibus ferendis cogitationem induiſſe videri queant: quibus Populis, & qua ſub ætate leges tulerint ſuas *p.* 48, *ſeqq.* Qui novis procudendis, rerum pro novitate inſudarint *p.* 49, *ſeq.* Qui Legum item exercendarum diverſas Actiones, Formulas, atque Notas excogitaverint, de iiſque ſcripto egerint *p.* 54, *ſeq.* Quæ Legum, qualeſque præcipuæ Collectiones antiquæ, a queis, & quo tempore confectæ *p.* 55, *ſeqq.*

Leges Civiles Eccleſiaſticis adverſæ, velut Eccleſiaſticæ libertati, & immunitati, infractæ vice plus ſimplici leguntur *p.* 226. Theodoſii, & Arcadii lex de Epiſcop. Jud. legitimo haberi loco debet, nec inde vel leviter Gothofredi, & Jannoni adverſa ſubmovere dubia valent *p.* 238. Leges Eccleſia de rebus etiam temporalibus, quarum eſt Domina, ferre legitime poteſt, ipſiſque adverſas ideo Principum infringere leges *p.* 277, *ſeq.* Leges ipſæ Principum, ſiquæ Eccleſiaſticis minus congruæ videantur, quo demum capi ſenſu poſſint, ac debeant *p.* 278, *ſeq.* Valentiniani legem Eccleſiaſticæ libertati incommodam, qua temperavit Theodoſius, qua Marcianus demum abrogavit *p.* 298. Leges alias Eccleſiaſticæ Immunitati, & libertati adverſas vel reſcindere Pontifices ipſi non dubitarunt, vel reſcindendi Principibus auctores dedere ſe ſe *p.* 304, *ſeqq.*, & 308, *ſeq.* Imperatorum etiam Leges ſacris, liberiſque Epiſcoporum electionibus infeſtæ a Synodis, prout opus foret, ſublatæ penitus ſunt *p.* 334, *ſeq.*

Leges ſibi congruas, beneque viſas, non ſecus atque Reſpublica quælibet, ſive bene conſtituta Societas, ſic Eccleſia, Jure cum Naturali, tum Divi-

Divino, potis eſt condere, ideoque Laicas ſuis infeſtas infringere *p.* 530, *ſeqq.* Jure Canonico itaque Civiles paſſim Divino, Naturali, aut Eccleſiaſtico minus conformes abrogatæ leges leguntur, earumque minus etſi diligentem, texuit Catalogum Bartholus *p.* 532, *ſeqq.* Eccleſiaſticæ dignitatis tuendæ, vindicandæque ſtudio induti & Synodorum Patres, & Summi Pontifices nullo non tempore a dica Legibus laicis, quoties Divinis repugnarent, aut Canonicis, conſcribenda deſtitere *p.* 537, *ſeqq.* Quid imo, quod legibus ſuis qna a Synodis, qua Sede ab Apoſtolica auctoritatem conciliare ſtudioſi fuere Principes ipſi, clavumque ſuis viciſſim infigi paſſi, aut robore fruſtrari omni, quotiea a recto, juſtoque aberrare compererunt? *pag.* 539, 543, *ſeqq.*; & 546, *ſeq.* Quo loci fuſius de egregia Friderici II, pro Eccleſiaſtica libertate, Conſtitutione, alteraque perſimili Caroli IV. *p.* 547, *ſeqq.* Suis denique legibus Laici Principes latas ab Eccleſia Cenſuras ſuum integrum ſortiri effectum juſſere, cohiberique inobedientes, non item de iis cognoſcendi jus ſibi arrogare voluerunt *p.* 612, *ſeq.*

Legislativa, & Judiciaria poteſtas Eccleſiæ, Divinæ abſque inſtitutionis in Evangelio explicitiſſimæ ſubverſione, atque Patrum unanimi ſententia Eccleſiæ utramque tribuentium inſigni abſque injuria, denegari nequit *p.* 480, *ſeqq.* Vide-ſis VV. *Eccleſia*, *Poteſtas Eccleſiaſtica*, & *Juriſdictio*.

Lites inter Fideles laicos definiendi poteſtate olim Eccleſia potiebatur ampliſſima *p.* 507, *ſeqq.* Ipſi facta nempe a S. Paulo: Unde patet eam nec ex Judaica diſciplina, nec ex Principum indulgentia profectam *p.* 509, *ſeq.* Accedunt liquida SS. Patrum teſtimonia, quibus eadem Eccleſiæ poteſtas confirmatur *p.* 511, *ſeq.* Facta quoque, quibus Epiſcopos cum per ſemet, tum idoneas per alias perſonas id officii frequentiſſime præſtitiſſe liquet *p.* 512, *ſeqq.* De hac iterum ſingulari Epiſcoporum ſparta diſertiſſima nobis documenta ſuppeditant Synodi *p.* 516, *ſeqq.* Qua perinde in obeunda provincia Epiſcopis adjutrices præſtare manus jubentur paſſim Judices, Comites, & Magiſtratus *p.* 518.

Litibus iterum Fideles inter laicos exagitatis finem imponendi jus ſibi competere ratione peccati diſerte adfirmarunt Rom. Pontifices *p.* 519, *ſeqq.* Ubi de celebri Innocentii III. Decretali *Novit* ſit ſermo, quam in Gallia haud fuiſſe receptam falſo dixere Petrus de Marca, & Boſſuetius *p.* 520, *ſeq.* Hanc iterum Epiſcopis integram Lites definiendi inter Laicos facultatem manſiſſe uſque ad Sæculum XIV. teſtis accedit perquam idoneus Benedictus XIV. *p.* 522. Ampliſſimam denique facere Epiſcopis neque dubitarunt Imperatores *p.* 522, *ſeqq.* Ubi fuſius de Conſtantini M. lege de Epiſcop. Jud. a Carolo M. deinde adoptata *pag.* 523, *ſeqq.* Eamdem Epiſcopis confirmare poteſtatem, & amplificare Reges quoque pro Religionis ſtudio non detrectarunt *p.* 527, *ſeqq.*

Lotharium Imper. Romanæ Eccleſiæ Exarchatum Ravennatem eripuiſſe ſcripſit Dulcinus, quem ideo falſi redarguit Rubeus, Berengario potius

tius id facinoris imputandum oſtendens *p.* 445. Lothario rurſus injuriam conflat Jannonus eumdem ideo redarguendum ſibi temere ſumens, quod Patrimoniorum Eccleſiæ Defenſores eoſdem Judices pariter agere ultro permiſerit *pag.* 528, *ſeq.*

Luciani Philoparides, ubi de Veteribus Chriſtianorum Templis egregia occurrit mentio, quo tempore fuerit elucubratus, diverſa eſt Criticorum opinio; quæ veri haberi poſſit ſimilior proponitur *p.* 189, *ſeq.*

Ludovici Pii Diploma apud Gratianum Can. 30. *Ego Ludovicus* diſt. 63, quo ampliſſimæ a Pippino, & Carolo M. S. Romanæ Eccleſiæ factæ Donationes confirmantur, a Pſeudo-Criticorum dubiis, ac cenſuris a iris doctiſſ. valide vindicatur, germanumque ejus opus multis oſtenditur *p.* 287, *ſeq.*

M

Magiſtratui Laico Eccleſiaſticæ poteſtatis copiam ab Eccleſia ipſa fieri tam licite, quam legitime poſſe, penes quam integra, ut corpus eſt, non penes Epiſcopos, qua ejuſdem ſunt capita, eadem depoſita fuerit poteſtas, dicere ſomniarunt Proteſtantes plerique *p.* 491.

Mameæ Alexandri Severi Matri, erga Chriſtianos animo haud iniquo affectæ, valde acceptus Origenes extitit, & cum ea litterarum commercium habuit *p.* 193.

Manus in Nummis, ac in Sigillis adponi ſolita Juſtitiæ exercendæ indicium erat, atque Symbolum Juriſdictionis. Signum item fidei, Juramenti, & hominii: quam idcirco Manus in Pontificiis denariis adpoſitionem haud rite pro Romanæ Urbis denotatione interpretati ſunt Le Blanc, Pagius, & Muratorius *p.* 425.

Maranatha Excommunicatio major erat: vox aliis Syriaca, Arabica aliis a voce *Dominus venit* deſumpta, atque *Devotum a ſpe Domini* denotans *p.* 571, *ſeq.*

Martyria, item Memoriæ &c. Veteribus Chriſtianis Templa erant, ſive Aræ Dei cultui, reique Divinæ dedicata *p.* 183, *ſeq.* Alteram apud Græcos voci huicce ſubeſſe ſignificationem dicere me alibi memini.

S. Matthæi cap. 18. v. 17, ſeq. locus perperam Decemviris, queis coram, juxta morem Judæis receptum, offenſor veniam poſcere deberet, aptant Proteſtantes aliqui: de Eccleſiæ namque Præſidibus intelligi Patres illum jubent *p.* 552, *ſeq.* Et qui de poteſtate remittendi peccata declarativa dumtaxat: quippe de poteſtate etiam effective peccata remittendi, & Cenſuras inſuper infligendi capi ille debet, veluti Proteſtantes alii fateri non gravantur *p.* 553, *ſeq.* Et qui eumdem locum de Magiſtratu Laico, aut de Synedrio Judæorum, aut de promiſcuo Fidelium cœtu intelligi debere contendunt, Proteſtantes alii ſufflaminantur *p.* 579.

Maximiliano II. Imperatori ægre, moleſteque ferenti, quod Coſmus Mediceus Magni Hetruriæ Ducis titulo a S. Pio V. adauctus fuiſſet, egregium Pontificis nomine reſponſum Commendonus Nuntius reddidit *p.* 456, *ſeq.*

Menſurnæ, ſic S. Cypriano dictæ, non

non erant niſi diſtributiones, quæ Clericis ſingulo quoque Menſe ab Epiſcopo impertiri ſolebant. Cujus in vocis intelligentia deceptum Rigaltium, neque S. Cypriani recte aſſequutum ſenſum, neque Pamelium ab eo merito redargutum oſtendit Fellus *p.* 363, *ſeq.*

Militiæ ſive Togatæ, ſive Paludatæ nomen quare ii olim prohibebantur, qui Pœnitentiæ legibus addicti ſemel fuiſſent. Explicitis hacce de re Veterum Conciliorum ſunt Canones, quos ſiniſtra aliqui interpretatione alierſum intorquentes explodunt *p.* 627, *ſeqq.*

Monarchiæ formam a Chriſto D. in Eccleſia Catholica inſtitutam, juxta quam Romano a Pontifice tanquam a ſupremo capite eamdem adminiſtrari deinde voluerit, docet S. Scriptura *p.* 377, *ſeqq.*, ac tradunt SS. Patres tam Græci, quam Latini *p.* 380, *ſeqq.*

Monetæ cudendæ jus, cum quo ſane Imperii ſummam neceſſario conjungi nemo non videt, Pontificibus Romanis factum non utique Græcis ab Imperatoribus fuit, velut ariolari ſtuduit Muratorius, illud ſubinde in Francos Imperatores tranſmigraſſe imaginatus *p.* 418, *ſeq.*, ſed eo pridem frui Pontifices cœpiſſe ſub S. Gregorio III, ac deinceps, quod & ſibi vindicare perinde, aliiſque benigne impartiri Epiſcopis Pontifices alii dignati ſunt, tam certum eſt, quam quod certiſſimum *p.* 425, *ſeqq.*, 428, *ſeqq.*, & 431, *ſeqq.*

Morinus, vir alioquin Eccleſiaſticæ peritiſſimus antiquitatis, a publicæ olim Pœnitentiæ uſu haud fuiſſe diſtinctum uſum Cenſurarum, nec ab interiori diſcretum Eccleſiæ Forum exterius imaginatus enormiter deceptus eſt *p.* 630.

Moyſes an Sacerdotio, extraordinario ſaltem, etiam inſignis extiterit, non una Eruditorum opinio eſt: nam alii negant, adfirmantibus verius aliis *p.* 125, *ſeq.* Moyſis Principatum cum Aaronis Sacerdotio in Evangelicam fuiſſe translatum Eccleſiam teſtis eſt locuples S. Paulus. Vide ſis V. *Eccleſia*.

Muratorius, ejuſque ex Sorore Nepos Clericorum cauſſis, qua Civilibus, qua Criminalibus Imperatores, Regeſque ſe paſſim immiſcuiſſe ex veteribus Chartis haud recte deduxere: in quibus ut pote vis ineſſe nulla facile demonſtratur *p.* 248, *ſeqq.* Falſa item uterque in opinione verſatus eſt, dum Eccleſiis Immunitatem Principum beneficio adquiſitam putavit *pag.* 268. Feuda non ante Sæculum XI. inſtituta fuiſſe recte advertit *p.* 325. Vide-ſis V. *Feuda*. Fallitur iterum ſplendide Urbis Romæ dominium penes Imperatores uſque ad an. 1346. manſiſſe pugnans, ac jus procudendæ Monetæ a Græcis Imperatoribus factum Pontificibus tranſiiſſe deinde in Francos Imperatores *p.* 418, *ſeq.* In eo tamen laude dignum ſe præſtitit, quod S. Ambroſium ab injuriis Crouſazii redimendum adſumpſerit *p.* 602.

N

NAturaliſmum ex Atheiſmo, Epicureiſmo, Pyrrheniſmo, Manicheiſmo &c. conflatum, tot videlicet, ac tam nefandis ex monſtris abortum, in Rempublicam inducere ſcriptis qui non exhorruere, Bodinus, Gothofredus a Val-

le, Bonaventura de Perierez, Baro de Hontan, Knuſen, Spinoſa, Hobbeſius, Tolandus, Svvift, Pœlius, Collins, Abbas de Villars, Voltaire &c. viden, ut a Viris aliis longe Doctiſſ. valide ſufflaminentur, digniſque vapulent *p.* 85, *ſeqq.*

Noriſio a Viro doctiſſ. rite obſervatum eſt in hiſt. Inveſt. non ante in Angliam Regaliæ abuſum a Willel. mol. cognomento Notho invectum, quam in Gallia obtinuiſſet, ubi a Carolo Calvo primum occepiſſe, ipſe putat: documenta etſi non deſint nec dum in Gallia ſub Carolo Craſſo Regaliæ jus obtinuiſſe *p.* 340, 355, & 359, *ſeq.*

Nummi Romæ cuſi cum Pontificum Monogrammate, quales S. Gregorii III, S. Zachariæ, Hadriani I. &c., documento ſunt liquido Imperii ſummam unos penes Romanos Pontifices jam tum ſtetiſſe integram *p.* 415, *ſeqq.* Qui profecto Nummi, neque Imperatorii, uti quidam volunt, neque Senatorii, ut quibuſdam viſum eſt aliis, ſed revera Pontificii habendi dubio procul omni ſunt *p.* 419, *ſeq.*

Nummis aliquibus inſertum etſi legatur Imperatorum nomen, non indicium eſt id dominii alicujus, quo in Urbem, ejuſque Ducatum ii potirentur, ſed honoris dumtaxat, quo inſignitos eos, veluti Patricios Urbis, Pontifices ipſi voluere *p.* 420, *ſeqq.*, 424, *ſeq.*, & 426, *ſeq.* Vide-ſis V. *Romanæ Urbis*. In Nummis item Pontificiis, non ſecus atque in Sigillis veterum Regum adponi Manus olim ſolita indicium erat Juriſdictionis, ac Juſtitiæ exercendæ indicium. Juramenti, fidelitatis item, & hominii, non ſupremi etiam Imperii *p.* 425. Vide V. *Manus*.

P

Paciarii munere, ad Pacem nempe Populos, vi etiam adhibita cogendi, eamdemque ſtatis ſaltem temporibus ſervandam, defungi olim Epiſcopis datum legitur. Queis imparibus, translatum id officii, juriſque deinde in viros Potentes eſt, qui numeris illud abſolvere prorſus valerent; atque demum in Principes ipſos, auctoritate tamen Romani Pontificis, ut horum eloquuntur litteræ *p.* 642.

Parabolani, quorum apud Veteres haud infrequens occurrit mentio, neque Medici erant, neque generis proletarii homines promiſcuo, infimoque de vulgo, ut pleriſque viſum, & perſuaſum ivit, ſed ita denominati ſunt ab animi magnanimitate, qua ægris inſerviendo magnis ſemet objiciebant vitæ periculis; erantque inferioris ordinis Clerici, quorum etiam ope utebantur Epiſcopi ad propulſandas, armis etiam, prout opus eſſet, injurias *p.* 636, *ſeqq.*

Paſcere in S. Scriptura tam Veteris, quam Novi Teſtamenti, juncta SS. Patrum interpretatione, Paſcendi officium cum poteſtate conjunctum ſignificare non dubium eſt, ſive Juriſdictionem coactivam etiam importare, atque Imperium. Sic olim apud Hebræos, ſicuti nunc apud Chriſtianos *p.* 483, *ſeq.*, & 556, *ſeqq.*

Patriciatus nomen Urbi Romæ adnatum eſt, eidem a Romulo inditum. Dignitas autem non altior, veluti nonnullis adlibuit, quam a Conſtantino M. eſt repetenda *p.* 404. Quæ tamen dignitas, præter nudum

dum Patris Imperatoris nomen, insignibus cum aliquibus conjunctum, nihil præterea Juris, poteſtatiſque importabat *p.* 405.

Patricia dignitate omnium primi Francorum Reges a Rom. Pontificibus, inque hiſce primo a S. Gregorio III. Carolus Martellus, & ab aliis deinceps alii, exornati ſunt; ut eos nempe qua Græcis, qua Langobardis, qua Romanis ipſis ſibi infeſtis objicere, iis reprimendis impares ipſi, poſſent *p.* 405, *ſeqq.* Eadem Patriciatus dignitate perinde Reges alii plures ab Orientis Imperatoribus adaucti paſſim leguntur *p.* 406, *ſeq.* Quorum uti. que abſque licentia, eamdem conferri dignitatem Romano a Pontifice Francorum Regibus potuiſſe nemini dubium eſſe debet *p* 407, *ſeq.*

Patriciatus dignitati adnexum fuiſſe dumtaxat officium Defenſoris S. Romanæ Eccleſiæ, non etiam dominium aliquod in Urbem, Ducatum, aut Exarchatum, ut perperam viſum eſt Petro de Marca, Ducangio, Eccardo &c. multis evincitur *p.* 410, *ſeqq.* Multo minus Imperatoriæ poteſtatis inſigne Patriciatum extitiſſe putandum eſt, ceu falſo Proteſtantibus aliquibus perſuaſum fuit *p.* 412, *ſeqq.* Judicis tamen partes objiſſe Patricios in cauſſis præſertim Sanguinis indubitata res eſt *p.* 424, *ſeqq.* Ex quo vero abuti deinde Patricii dignitate cœpere, Patriciatus abrogatus Romanis a Pontificibus eſt *p.* 430, *ſeqq.* Patriciatus denique officio manifeſte repugnat rei dominium *p.* 432, *ſeq.*

S. Pauli ad Rom. cap. 13. v. 1, & S. Petri epiſt. 1. cap. 2. v. 13. locus, quo probe accipi ſenſu debeat, ex SS. Patrum interpretatione liquido exponitur *p.* 282. S. Pauli rurſus 1. ad Corinth. cap. 6. loco non is utique, quem appingunt Seldenus, viciſſimque Baſnagius, ac Ligfootus, ſed is ſenſus ineſt, quem inſpexerunt SS. Patres, nec abnuunt ex Proteſtantibus ipſis oculatiores, cordatioreſque *p.* 509, *ſeqq.* S. Pauli locus alter 1. ad Corinth. cap. 5. v. 2, & ult. de Inceſtuoſo vere Excommunicato capiendus eſt, conſentientibus adverſus gregales ſuos Proteſtantibus aliis *pag.* 580, *ſeqq.* Ubi & luctus nomine Excommunicationem, & mali voce hominem Excommunicatum intelligi debere fatentur. De poteſtate item pœnas irrogandi corporales contra inficiantes Proteſtantes aliquos accipi debere adfirmant Patres, ac Scriptores *p.* 621, *ſeqq.*

Philippus Arabs, Pater, & Filius, Imperatorum primi Chriſtianæ Religioni nomen dediſſe ferantur etſi apud pleroſque, utrumque tamen Ethnica in ſua ad obitum uſque manſiſſe ſuperſtitione longe probabilius videtur, fiique manifeſtum imo veteribus ex Monumentis *pag.* 599, *ſeqq.*

Pœnas qua Spirituales, qua Corporales in flagitioſos decernere poſitum in Eccleſiæ poteſtate fuiſſe Chriſtifidelibus omnibus certum eſſe debet, & conſtans *p.* 550, *ſeqq.* Conſtat id ex S. Scriptura, cui concors adſtipulatur SS. Patrum cohors ita eam interpretantium *p.* 552, *ſeq.* Hæc duplex Eccleſiæ poteſtas belle ſub duplicis Gladii ſpecie, Clavjumque ligandi, atque ſolvendi deſignata legitur, & a Patribus deſcripta *p.* 555, *ſeqq.* Paſcendi quoque nomine magis ex-

primitur *p.* 556, *seq.* Sub Virgæ iterum specie *p.* 558, *seq.* Spirituales inter pœnas Excommunicatio atrocior est omnium *p.* 559, *seqq.* Vide-sis V. *Excommunicatio*.

Pœnas etiam corporales infligendi ex eodem plane, quo Spirituales irrogandi profluit, capite Ecclesiæ pariter dimanat ampla potestas *p.* 617, *seqq.* Enim vero Sacerdotibus tam apud Ethnicos, quam apud Hebræos pœnis flagitiosos afficiendi corporalibus facultas inerat *pag.* 618, *seqq.* Quorsum igitur eadem denegabitur Ecclesiæ, cui ab se conditæ hanc utique potestatem verbo, factoque Christus D. contulisse dignoscitur? *p.* 620. Ejus perinde usus potestatis Apostolis cum factus passim, tum faciendus Episcopis indicatus legitur *p.* 621, *seqq.* Atque ita Patribus arcte persuasum, & ita ex S. Pauli loco 1. Corinth. 5. v. 5, seqq. persuasum item Protestantibus compluribus, ex quibus refragantes refelluntur *ibid.* Episcopi nomine insuper eadem a Patribus, & Scriptoribus designata potestas ostenditur *p.* 624, *seqq.* Conferunt & ad eam confirmandam varia Disciplinæ olim frequentatæ capita *p.* 626, *seqq.* Confirmant & magis, ac magis Patrum, Episcoporum, ac Pontificum quadicta, qua facta, qua præcepta *p.* 630, *seqq.* Argumento sunt etiam diversæ Excommunicationis formulæ, Carcerum item antiquus usus, Episcoporum Ministri, Ecclesiarum Defensores &c. *p.* 634, *seqq.* Vide VV. *Decanicæ*, *Paraboloni*, & *Defensores*. Documento sunt præterea locupletissimo Conciliorum Decreta, quorum in Actis nihil occurrit frequentius, quam Carceris, flagellationis, Exsilii &c. mentio *p.* 642, *seqq.* Concordant Jus Canonicum, Canonicique Juris Interpretes *p.* 650. Quocirca potestatis hujusce particulam Ecclesiæ qui detrahunt, iniquam profecto rem facere coarguuntur *p.* 651, *seqq.* Quam Ecclesiæ sane detrahere in Marsilii Patav. errorem prolabi est a Johanne XXII. proscriptum *p.* 656, *seq.*

Pœnitentiæ legibus addicti Magistratum gerere, Militiæ nomen dare, publicoque defungi munere olim prohibebantur *p.* 627, *seqq.* Veteris hujusce Disciplinæ specimen in Jure Canonico adhuc dum conspicitur aliquod *p.* 629, *seq.* Publicam cum privata inepte confundens Pœnitentia Morinus, exteriusque Ecclesiæ ab interiori Foro haud discernens rejicitur *p.* 630.

Pontifex M. apud Latinos, a Numa primitus institutus, de Sacris nedum, sed de Civilibus etiam bene multis pro officio cognoscere poterat. Quo ex ordine, a queis ex Populo, quotuplex numero, & qua demum ratione deligi soleret. Electo majorum insignibus Magistratuum exornatum incedere utique concessum erat *p.* 94, *seqq.* Ejus munus, ac jus circa Sacra, & Civilia multiplex erat *p.* 96. Alterius potestati nullius obnoxius fere de omnibus e contra ferebat judicium *p.* 97. Quo ipso ferme loco apud Druidas Pontificis M. dignitas, ac potestas *ibid.* Pontificis M. apud Latinos iterum partes erant Sacris præesse cunctis non modo, sed de plerisque ad Reipublicæ regimen attinentibus decernere *p.* 493. Apud Romanos Pontifici M. sui aderant Lictores, & Apparitores,

res, loris, flagriſque armati, ad vindictam de reis capiendam, & propulſandas injurias *p.* 496. Complurium etiam Civilium Judex erat cauſſarum, pœnaſque infligere ſuarum tranſgreſſoribus legum poterat *p.* 508.

Pontifici M. apud Judæos eadem, quæ Synedrio, poteſtas, quin etiam potior inerat, ampliorque *p.* 120, *ſeqq.* Sub ætate Judicum eum penes Imperii ſumma integra ſtabat; tumque ad eumdem, Captivitate ſoluta, plena regreſſa eſt *ibid.* In Reges ipſos, præſertim Juda, (nam e Pontificis M. jugo Reges Iſraelis ex libris Talmudicis ſubtrahendos aliqui ducunt), Pontificis etiam poteſtas extendebatur *p.* 122, *ſeqq.* Fabellis deputanda eſt tamen, quæ apud Seldenum, & Salmaſium ex Talmudicis ſcriptis fertur traditio de Rege in Legem delinquente flagellationi ſupponi ſolito *p.* 124. Pontificis, ac Regis officia ita deinceps apud Judæos diſcreta fuere, ut ſupra Regiam demum erecta Pontificia dignitas, poteſtaſque fuerit *p.* 125.

Pontificis M. apud Chriſtianos dignitas, ac poteſtas ſuperiori, præ Imperiali, faſtigio a Deo ipſo poſita eſt: quod ſane poſt ſuam locatam perinde fuiſſe Epiſcoporum dignitatem etiam, poteſtatemque teſtes ipſimet non explodendi utique accedunt *p.* 138, *ſeqq.* Atque Pontificis M. imperio utique ſubjectos ſemet, Judiceſque ſuppedaneos agnoſcere Imperatores ipſi, ac pleriſque reverentię, obedientiæque officiis planum facere haud dereclarunt *p.* 148, *ſeqq.* Enim vero in Moyſe, & Aaron prefigurata Rom. Pontificis videri perſona non tantum poteſt *p.* 378. *ſeq*, ſed imo de Pontifice ipſo accipi dicta de Chriſto Rege, & Sacerdote debent *p.* 379. In Melchiſedecho rurſus Sacerdote, & Rege Rom. Pontificis ſimiliter prægeſta reputatur perſona *p.* 380. Quare Rom. in Pontificem poteſtatis utriuſque Sacerdotalis, & Regiæ confluxiſſe ſummam tam adfirmant Patres, & Scriptores *p.* 380, *ſeqq.*, quam confirmant Pontifices ipſi, Principeſque *p.* 383, *ſeqq.*

Pontificis Romani beneficio Regiis inſulis qui paſſim inſigniri Reges promeruere, quique viciſſim ingrati animi obſequium, aut ex Pontificis auctoritate ut firmitudinem Regnis adquirerent ſuis ampliorem, Romanæ Eccleſię Regna ſua aut facere vectigalia, aut fidei ſacramento obſtringere ſe ſe non dubitarunt, obiter recenſentur *p.* 384, *ſeqq.*, & 390, *ſeqq.* A Pontifice Rom. Occidentis inſtauratum eſt Imperium *p.* 434, *ſeq.* In Electione Imperatoris Pontificis adprobatio requiritur *p.* 437, *ſeqq.* Fidei, obedientiæque Sacramento Pontifici devincire ſe ſe Imperatores religioni duxere *p.* 442, *ſeqq.* Vide V. *Imperatores*. Pontificis Rom. Electio ſive ut Imperatoris confirmaretur ſuffragio, ſive ne abſque Imperialium Miſſorum interventu celebraretur, ad avertenda Schiſmata, provido conſilio a Pontificibus ipſis proſpectum eſt *p.* 287. Qui tamen mos & interceptus eſt paſſim, atque poſtremo ſublatus penitus *ibid.* Pontificis M. adprobatione pro Imperio adminiſtrando Imperatorem haud indigere falſo jactavit quondam Ludovicus Bavarus *p.* 289.

Pote-

Poteſtas Eccleſiaſtica origine Divina, Principalis e contra dumtaxat humana oſtenditur ex S. Scriptura, junctis vulgo Interpretibus tam Catholicis, quam Heterodoxis *p.* 8, *ſeqq.* Qui Poteſtatem laicam a Deo immediate eſſe pugnant, ab iis, qui contra eam mere humanæ eſſe inſtitutionis propugnant, & numero, & doctrina, & rationibus facile ſuperantur *p.* 13, *ſeqq.* Quotuplex ſit poteſtas hæc politica: quo modo a Deo profecta, quave ratione hominum inducta voluntate dici recte queat, & debeat, late explicatur *p.* 14, *ſeqq.* Quibus, & quot modis induci, aut mutari, aut etiam tolli Laicæ poteſtatis forma poſſit *p.* 16, *ſeq.* An pactis, ac promiſſis obligari queat *ibid.* Poteſtas denique Civilis tribus deſcribi rebus recte poteſt, Legibus, Judicibus, & Magiſtratibus *p.* 373.

Poteſtas Eccleſiaſtica a Laica non pendet; longe præ Laica præſtat, ſuperiorique poſita faſtigio eſt *p.* 70, *ſeqq.* Errores præcipui circa Eccleſiaſticæ poteſtatis formam, finem, & effectum enumerantur, unaque obiter exploduntur *p.* 72, *ſeqq.* Eccleſiaſticæ poteſtatis objectum res Spirituales nedum ſunt, ſed etiam ſenſibiles; quæ ideo a Laica diſtinguitur non ratione objecti, ſed ratione finis, & effectus *p.* 82, *ſeqq.* Hinc ex fine ita Civilis Eccleſiaſticæ ſubordinata evaſit, ut abſque hac illa perfecta ſubſiſtere nequeat, atque huic obnoxia eſſe debeat *p.* 129, *ſeqq.* Nec id diffiteri Thorndicius auſus eſt *ibid.*, aſt diſerte adſtruit tam S. Scripturæ veritas inconcuſſa, quam SS. Patrum concors traditio, atque Scriptorum unanimis doctrina *p.* 130, *ſeqq.* Inde ſequitur eorumdem ſententia Civili longe antecellere Eccleſiaſticam *p.* 136, *ſeqq.* Qui contra pugnant, Civilique Eccleſiaſticam ſubjugare tentant, a Patrum doctrina longius aberrare demonſtrantur *p.* 156, *ſeqq.*, & 160, *ſeqq.* Sicubi Poteſtas laica ad res Eccleſiaſticas extendiſſe ſe legitur, quo demum rite ab ipſa id factitatum ſit, expenditur *p.* 170, *ſeqq.* Alioqui poteſtati Regiæ in Eccleſiaſticis rebus obſequi religioni cedere recte pronuntiavit Boſſuetius, & adprobe demonſtrandum adſumpſit eximius Galliarum Epiſcopus alter *p.* 173, *ſeq.* Eccleſiæ poteſtas Divina inſtitutione tam Judiciaria, quam Legislativa ineſt *p.* 430, *ſeqq.* Vide VV. *Eccleſia*, & *Epiſcopi*. Collata item Eccleſiæ poteſtas eſt Lites inter Fideles etiam Laicos finiendi, Laicaſque infringendi leges ſuis infeſtas *p.* 530, *ſeqq.* Videſis VV. *Leges*, & *Lites*. Poteſtas iterum pœnas infligendi Spirituales, & Corporales *p.* 550, *ſeqq.* Vide VV. *Excommunicatio*, & *Pœnæ*.

Preces vulgo primariæ, quarum vigore Germaniæ, & Galliæ Reges jus habent idoneam præſentandi, ſive nominandi perſonam ad Beneficia vacantia, aut primo vacatura, vim nonniſi ex Pontificia conceſſione obtinent. Id inficias Proteſtantes euntes refutantur *p.* 361, *ſeqq.* A Rodulpho I. Precum harum uſus primum occepit, facta ei nempe a B. Gregorio X. facultate *p.* 364. Ex parte deinde, atque perſonali dumtaxat, non perpetua, uti falſo putant aliqui, Pontificio indulto Precum jus in Imperatores alios ad hanc usque diem defendit *pag.* 364, *ſeqq.* Neque ſane ex liberali Ci-

Civilitate tantum, & cautela, uti Proteſtantes alii dicere ſomniarunt, ſed ex neceſſitate Precum jus a Romano Pontifice expetendum, expectandumque fore Imperatores ipſi agnovere *pag. 366, ſeqq.*

Precum item primarum jus ratione *Adventus ad Coronam* Galliarum Regibus legitimum, independenter a Pontificio indulto, nullum competit. Publiciſtæ, & Regaliſtæ tam jus Precum iſtud, quam Regaliæ jus adſtruentes non audiendi *p. 369, ſeqq.* A Pontificibus attamen facta paſſim Galliarum Regibus eſt facultas ad Beneficia vacantia, aut primo vacatura nominandi *ibid.* Primus, qui ſui principio *Adventus ad Coronam* nominare ad Beneficia præſumpſit, fertur Henricus III. Cujus decreto tamen abſque mora Gallicanus Clerus contradixiſſe legitur, non ſecus atque ſimili alteri Henrici IV. ſubinde interceſſit *p. 371, ſeq.* Aliud haud abſimile Caroli VI. decretum a Carolo VII. abrogatum conſtat *ibid.* Modo denique non niſi deprecatorio ſibi utendum in nominandis ad Beneficia rati ſunt Francorum Reges ipſi, atque ita plane fieri debere Galli ipſi Juriſperiti haud inficiantur *p. 372. ſeq.*

Proteſtantes Laicæ Poteſtati, ac Magiſtratui Politico in Eccleſiæ regimine, Religioniſque ſacris aut primas, aut pares adſcribere partes quinam præcipui haud fuerint veriti *p. 5, ſeq.* Qui e Noſtris eos pone turpi hoc in errore ſequi non exhorruere *p. 6, ſeqq.* Qui Regiæ poteſtati Divinam tribuunt originem *p. 8, ſeqq.* Vide-ſis *V. Poteſtas.* Dictis, factiſque Proteſtantes ſecummet pugnant, dum Laicam ſuper Eccleſiaſticam poteſtatem efferre oſtentant, & contra Poteſtatem laicam ipſimet frequenter commovent rebellionem *p. 74, ſeqq.* Perſecutionum tempore publica Chriſtianis defuiſſe Templa crocitantes exſuſtlantur *p. 176, ſeqq.* Vide V. *Templa.* Primarum jus Precum Imperatoribus, Regibuſque, independenter ab Eccleſiæ indulto, competere ea pari, qua ipſis Regaliæ jus adquiſitum ratione perſuaſum habent, tam falſo putant, quam fruſtra pugnant *pag. 362, ſeqq.*, & *366, ſeqq.* Videſis VV. *Preces*, & *Regalia.*

Proteſtantes intento in id maxime incumbunt nervo, ut Eccleſiæ Juriſdictionem, & Imperium, ſive Judiciariam, ac Legislativam auferant poteſtatem *p. 374. ſeqq.* In Societatis æqualis ſyſtemate adſtruendo, & exponendo tam abnormiter ab vero abſcedunt, quam atrociter ſecummet digladiantur *p. 375, ſeq.* Errant putantes Imperatoriæ poteſtatis ſpecimen olim fuiſſe Patriciatum, ſive cum Patriciatu copulatam Imperatoriam poteſtatem; atque inſuper quidem in Pontificem ipſum *p. 412, ſeq.* Jure belli Carolo M. Imperium adquiſitum contendentes non audiendi *p. 433, ſeq.* Fidem, obedientiamque Rom. Pontifici ab Imperatoribus deſponderi conſueviſſe negantes ſplendidi redarguuntur mendacii *pag. 442, ſeq.* Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus, & officia ſubvertere, & Epiſcopos loco ſupra Presbyteros detrudere fruſtra conantur *p. 460, ſeqq.* Vide-ſis VV. *Epiſcopi*, & *Hierarchia Eccleſiaſtica.*

Proteſtantes, ut eorum moris eſt diſſen-

ſentire inter ſe ſe, in adſtruenda Eccleſiaſtica Juriſdictione non una incedere ſciunt via: nam indulgentiores alii juſtam, & amplam faciunt, alii vero iniquiores aut nimis arctant, aut omnino auferunt *p.* 482, *ſeq.*, 485, *&* 491. Inter hos injuria ſane agunt, qui Eccleſiæ Forum, ac Territorium adimunt *p.* 498, *ſeqq.*, & qui de Fidelium litibus cognoſcendi facultatem eripiunt *p.* 507. Vide VV. *Forum*, *& Lites*. Fruſtra vero de Conſtantini M., & Caroli M. lege de Epiſcopali Judicio litem aliqui movent, contra quos ipſorum e grege pugnant alii *p.* 523, *ſeqq.* Perperam interpretantur Matthæi locum 18, 17, *ſeq.*, qui de Eccleſiæ Præſidibus intelligi profecto debet, deque poteſtate tam effective abſolvendi a peccatis, quam ferendi Cenſuras, veluti ſobriores ex ipſiſmet conveniunt *p.* 521, *ſeqq.*, & 579, *ſeq.* Cenſuras iterum alii ex Paganiſmo, ex Judaiſmo alii in Eccleſiam profluxiſſe falſo imaginantur *p.* 559, *ſeqq.* Vide V. *Excommunicatio*. Tam inepte, quam impie Excommunicationis uſum ab Eccleſia prorſus eliminandum obgarriunt *p.* 610. Falluntur oppido, qui S. Pauli locum 1. Corinth. 5, 5, *ſeqq.* ad pœnas dumtaxat ſpirituales referendum autumant, ut quem de corporalibus etiam capi oportere ipſorum ex grege oculatiores alii perſpectum habuere *pag.* 621, *ſeq.* Vide VV. *S. Matthæi*, *& S. Pauli*.

Purgationis apud Ethnicos uſitatæ quinque dinumeravit gradus Theon Smyrnæus, quorum breve ſpecimen exhibetur *p.* 595.

R

REgalia jam ante Caroli M. ætatem Epiſcopos poſſediſſe, ampliora deinde ab eodem Imperatore fuiſſe illis collata multis oſtendunt Viri Docti *p.* 301. Regalium nomine duo veniunt dumtaxat. 1. Bona Feudalia Eccleſiis a Regibus collata, quarum ideo vacantium fructus Regum fiunt. 2. Beneficia Juris Patronatus Regii, quibus ideo vacantibus perſonas idoneas præſentare ad Reges pertinet *pag.* 315, *ſeq.* Hinc Regalium jure Regibus fas non eſſe ſive vacantes conferre Eccleſias, ſive Eccleſiarum percipere vacantium fructus contra Proteſtantes, Regaliſtas, & Publiciſtas late demonſtrandum adſumpſimus *p.* 316, *ſeqq.*

Regaliæ itaque prętenſo Juri, ab Eccleſiæ conceſſione independenter, obſtat imprimis Jus Naturale, ac Gentium, quo propriis Eccleſia bonis exſpoliari quopiam nequire conſtat *p.* 317, *ſ q.* Obſtat quin inſuper Diviuum Jus, quo Beneficia conferendi facultatem ad unam Eccleſiam ipſam pertinere certum eſt *p.* 319, *ſeqq.* Neque porro Regaliæ jus funjat, validumque facit uſus aut Beneficia conferendi, aut Bona percipiendi vacantia: nam uſus ejuſmodi aut dubius, aut illicitus, aut damnatus, aut Eccleſiæ demum indulgentia, ſi legitimus, inductus oſtenditur *p.* 322, *ſeqq.*, 325, *ſeqq.*, & 327, *ſeqq.*

Regaliæ Juri perinde, qua parte Eccleſiaſtica ſacrarum Electionum libertas eodem infringitur, jugi ſtudio, conatuque omni ſe ſe oppoſuere ubique gentium Eccleſiæ. Gal.

Gallicana *p.* 327, *ſeqq.* Romana *p.* 329, *ſeqq.* Græca *p.* 333, *ſeqq.* Africana *p.* 336. Hiſpanica *p.* 337. Italica *p.* 338, *ſeqq.* Anglicana *p.* 340, *ſeqq.* Germanica *p.* 342, *ſeq.* Polonica *p.* 344. &c. Regaliæ Jus tamen ſive Regius adſenſus in Beneficiorum collatione paſſim obtinere deinde cœpit ex Eccleſiæ tolerantia, vel indulgentia: cui tolerandi, vel indulgendi non una ſane, juſtaque fuit cauſſa *p.* 345, *ſeqq.*; fuit nempe Regum liberalitas in ditandis Eccleſiis; fuit Imperii, & Sacerdotii concordia; fuit & Seditionum evitandarum intuitus &c. *ibid.* Vide-ſis V. *Epiſcoporum Electiones*.

Regaliæ Jus rurſus, qua parte vacantium Eccleſiarum fructus reſpicit, eoſdem percipiendi Regibus, independenter a Pontificio indulto, nullum item competit *p.* 349, *ſeqq.* Eorum enim futuro Succeſſori reſervandorum cuſtodia aut Epiſcopo viciniori, aut Eccleſiæ Clero, aut Oeconomo commendari ſolebat, interdicta Poteſtate Laica qualibet eorumdem adminiſtrationi ſe ingerere *ibid.* Ita in Græcia, & Africa *p.* 350; in Hiſpania, & Italia *p.* 351, *ſeqq.*; in Gallia, & Germania *pag.* 353, *ſeqq.* Ubi Regaliæ abuſum a Carolo Calvo primum occepiſſe auguratur Noriſius, qui abuſus perinde Lotharium, ac Ludovicum II. pervaſit, & a quo poſtea recedere, Eccleſiiſque ablata reſtituere iiſdem religio fuit *p.* 355, *ſeq.* In Anglia item *p.* 359, *ſeq.*; in Germania rurſus *p.* 360. Denique Religionis intuitu Regaliæ jure (titulo fundationis, ac legitimæ conſuetudinis, juxta Caput 12. Concilii Lugdunenſis II, deficiente) Galliarum Reges ipſi uti renuere *p.* 360, *ſeq.*

Reges in adeunda Regni adminiſtratione pactis obligari, ac promiſſis cum multis declaratur exemplis, tum gravium probatur rationum pondere *p.* 19, *ſeq.* Regis Jus a Samuele deſcriptum 1. *Reg.* 8. an Deo, an Populo acceptum ſit referendum non una Doctorum opinio eſt *p.* 29, *ſeq.*, & 160. Veri eorum videtur ſimilior, qui Populi ſuffragiis illud deputant *ibid.* Et certe Regum inſtitutionem apud Ethnicos Juris mere humani intra limites hæſiſſe indubium eſt *p.* 30, *ſeqq.* Inde ſequitur a Regibus leges profectas nec humani extra Juris fines egredi: quod ipſum per Legislatorum tam veterum, quam recentiorum ſeriem obiter diſcurrendo liquido patefit *p.* 32, *ſeqq.* Regibus plus nimio tribuens, ideſt crimina pro libitu definiendi poteſtatem, ab iiſque definita ad naturæ leges pertinere adfirmans Hobbeſius exſufflatur *p.* 61, *ſeqq.* Quæ de Regibus loquuntur, S. Scripturæ loca, & SS. Patrum, explicantur ita, ut ſobriam reddant ſententiam *p.* 65, *ſeqq.*

Regibus monita bonæ frugis plena, mandataque perſæpe data ab Epiſcopis leguntur *p.* 145. Ipſis viciſſim jugem, religioſamque Sacerdotali de poteſtate, dignitateque exiſtimationem inſediſſe, eximiamque erga Epiſcopos, atque Leges Eccleſiaſticas obſervantiam hæſiſſe locupleti ſunt documento Sanctiones ab ipſis editæ paſſim, de quibus luſe *p.* 152, *ſeqq.* Hinc Franc. Regum poteſtate quammaxime leges plerumque Eccleſiaſticas fuiſſe conditas falſo adfirmaſſe Præſlæus,

Gouſtæus, Petrus de Marca, Baluzius &c. revincuntur *p.* 154. De Regibus obedientia præſtanda, obſequioque pendendo veteres olim Fideles jugiter ſe dedere ſollicitos: utque ſe dederent omnes deinceps, auctores ſe præbere Epiſcopi officio duxerunt *p* 167, *ſeq.* Regibus ipſis Epiſcoporum, ac Rom. Pontificis quammaxime protectione tum demum in Regno ſe tutos fore perſuaſum arcte fuit: quam ideo ſibi officio plurimo procurare fategerunt *p.* 168, *ſeqq.* Perſarum Regibus in more poſitum erat, ut Regia egredientibus ignis ipſis ſacer in foco præferretur *p.* 209. Inde profectum, ut ante Pontifices itineri ſe committentes Euchariſtia deferatur, morem jactans, in eumque invectus Ritterhuſius refellitur *ibid.* Regibus quamplurimis egregiæ ceſſit laudi religio, ſtudiumque cum bona Eccleſiarum amplificandi, tum eadem bona publicis ab oneribus ſervandi immunia *p.* 268, *ſeqq.* Vide ſis V. *Bona*. Quamplurimis item pro Religione cum Regiis infulis Romano a Pontifice inſigniri cordi fuit, tum Romano ſe Pontifici fide, obedientiaque devincire, ac Regna facere vectigalia fuit in votis *p.* 384, *ſeqq.* Inde vero potius in ipſos magnum profectum eſt emolumentum, quam damni quidpiam vel leve paterentur *p.* 390, *ſeqq.*

Religionis res aliæ ad ſubſtantiam, aliæ ad ſtatum attinent: utræque vero intra Eccleſiaſtici juris limites comprehenduntur, Proteſtantium etiam ſententia *p.* 79, *ſeqq.* Qui tamen parum ſibi cohærentes plus nimium Politico tribuunt Magiſtratui, Jus nempe circa Regimen Eccleſiæ publicum, ſeu exterius, Eccleſiæ reſervato uno privato, ſeu interiori *p.* 81, *ſeqq.* Abſque Religione ſtare bene comparata Reſpublica nequit: id inficiatus Boſſuetius refellitur *p.* 84, *ſeqq.* Religione abdicata, qui Atheiſmum, Naturaliſmum, Epicureiſmum, Pyrrhoniſmum &c. inducere haud exhorruere, obiter exploduntur *p.* 85, *ſeqq.* Gentes apud omnes in Republica prior Religioni factus ſemper eſt locus *p.* 87, *ſeqq.* Quin illud Legislatoribus excogitatum hæſit, ut quo firmiores evaderent, eo leges ab ſe latas Religione firmarent *p.* 88. Religionis contra diverſitas in Republica Seditionum cauſſa ſæpius extitit *p* 91. Vetus hæc ipſa de Religione a bene morata Republica indiviſa perſuaſio arcte Judæis, Perſis, Græcis, Latinis, Sinenſibus &c. inerat, Philoſophis item, Politicis &c. hęſit *p.* 100, *ſeqq.* In una Religione Chriſtiana vero perfectam conſiſtere Rempublicam ex utriuſque fine demonſtratur *p.* 127, *ſeq.*

Rodulpho I. Imperatori fruſtra, proterveque indignatur Hyppolithus a Lapide, Vir Lutherana pece a capite ad talos aſperſus, quod præter fas, ac modum Romano ſe Pontifici fide, obedientiaque non tam devinxerit, quam demiſerit *p.* 452.

Romanæ Eccleſiæ Patrimonia quę, & quot olim ſive in Oriente, ſive in Occidente *p.* 310, *ſeq.* Quæ inde, quantave annua obveniret eidem præſtatio: in quam ſubinde permutata, a quo erepta, & ſub quo redintegrata *p.* 311, *ſeq.* Eidem Eccleſiæ donatæ ab Ariperto Rege Alpes Cottiæ, quæ a Seguſio, ſeu verius ab Ebruduno incipiebant

p. 312,

p. 312, *ſeq.* Vide-ſis VV. *Eccleſia Rom.*, & *Rom. Pontifex*.

Romanæ Urbis, Ducatus, Exarchatuſque Ravennatis dominium a tempore S. Gregorii II. unum penes Rom. Pontificem ſtetiſſe integrum, non penes Romanum Populum, uti Cointio, & Carlio viſum, oſtenditur ex litteris Stephani II, S. Pauli I., Hadriani I, Johannis VIII. &c. *p.* 408, *ſeq.* Nec apud Francorum Reges, veluti perſuaſum fuit Ducangio, Petro de Marca, Ecardo &c., ex litteris fit manifeſtum S. Gregorii III, Senatus, Populique Romani, Stephani III, Leonis III, Alcuini &c. *p.* 412, *ſeqq.* Ex Nummis item S. Gregorii III, S. Zachariæ, Hadriani I, Stephani IV, S. Nicolai I., Johannis VIII. &c. *p.* 415, *ſeqq.* Turpi propterea laborant errore Goldaſtus Urbis Imperio potitos Imperatores uſque ad an. 1143. adfirmans; Le Blanc, & Pagius Urbis Imperium a Romanis ipſis Pontificibus in Francos Imperatores fuiſſe transfuſum autumantes; Fleurius, & Muratorius ejus dominium penes Imperatores uſque ad an. 1346. manſiſſe pugnantes, ac Nummos ideo præfatos Imperatorios fuiſſe, non Pontificios opinati; Carlius etiam Nummos illos Senatorios, ideoque penes Senatum Urbis Imperium ſtetiſſe uſque ad an. 800, quo ad Francos demum tranſmigrarit, & apud quos integrum manſerit uſque ad an. 1198, exputans *p.* 417, *ſeqq.*

Romanæ Urbis Dominio Græcos Imperatores jam ab anno 900. circiter omnino decollaſſe locuples accedit teſtis, nihilque ſuſpectus Conſtantinus Porphyrogenneta: quo unius teſtimonio liquet in falſo poſuiſſe ſane pedem Auctores Ephemeridum Florent. ex falſis quibuſdam Nummis arguentes Urbis Dominium apud Græcos uſque ad an. 1000. manſiſſe integrum *p.* 421, *ſeq.* A Francis viciſſim in Pontifices Urbis Dominium primo fuiſſe translatum autumans Petrus de Marca recte ſuggillatur a Pagio; & Pagius viciſſim exiſtimans a Pontificibus in Francos tranſmiſſum dignum ſe præbuit, qui a Georgio vapularet *p.* 422, *ſeq.* Vide-ſis V. *Nummi*. Abſolutiſſimo rurſus Urbis imperio potitos unos Pontifices oſtendit Jus cudendæ Monetæ; quo jam ſub Paſchali I. ſaltem fruitos illos conſtat *p.* 425, *ſeqq.* Vide V. *Monetæ*.

Romanus Senatus anno 552. juxta Pagium, aut 553. juxta Noriſium a Totila deletus Imperii ſumma potiri deinceps ab anno 728, quo a Græcis Imperium decollavit, uſque ad an. 800, quo in Carolum M. transfuſum fuit, uti dicere ſomniavit Carlius, haud certe potuit *p.* 419, *ſeqq*, & 428, *ſeqq.* Ideo Nummi toto e temporis intervallo procuſi, non Senatorii, ſed Pontificii erant procul dubio *ibid.* Sub Innocentio II. ſubinde inſtaurari Senatus utique cœpit, quin forte pridem ſub Agapito II. caput attollere videri jam potuit, ſub Pontificis obedientia tamen, imperioque degere compulſus eſt, ab eoque dignitatem, fide deſponſa, ſuſcipere *p.* 428, *ſeq*, & 431, *ſeq.*

S

SAcerdotes apud Gentes ubique ferme omnes Religionis officiis præfecti, ſummo, poſt Deos immortales, habiti honoris gradu, Legibus curandis, publicis imo Judiciis præpoſiti, cum poteſtate diſtringendi in flagitioſos pœnas leguntur paſſim *p.* 89, *ſeqq.* Apud Ægyptios in poteſtatis hujuſce ſignum imaginem ex Saphiro, quæ dicebatur *Veritas*, de collo gerere ſolebant *p.* 91, *ſeq.* Apud Græcos diverſa a diverſis officiis nomina ſortiebantur *p.* 93. Apud Latinos a Numa optimæ conſtituendæ Reipublicæ ea inita ratio eſt, ut primo curandis Sacris, ac perinde Civilibus etiam præficerentur Sacerdotes, eiſque Pontifex M. *p.* 94, *ſeqq.* Sacerdotium porro cum Imperio geſtum ab eadem perſona Gentes apud pleraſque legitur *p.* 100, *ſeq.* Vide-ſis V. *Imperium*.

Sacerdotes Ethnici Romanis maximo erant in honore *p.* 281. In Ægypto publicis alebantur ſumptibus *ibid.* Apud Gallos, Græcos, Indos, Æthiopes, Scythas, Perſas, Arabes, Turcas &c. magnis defungi ſolebant muneribus, ac magno haberi in honore *p.* 222. Multo igitur magis Dei, & Chriſti D. juſſu, Sacerdotes Veteris, ac Novæ Legis cunctis reverendi ſemper fuere *ibid.* Sacerdotibus iterum publica annuatim decreta erat annona *p.* 251. Jure Divino vero tam veteri, quam novo Sacerdotibus deberi ſuſtentationem, obedientiam, & reverentiam, & Scriptura, & Traditio ſuadent *p.* 280, *ſeqq.* Sacerdotibus item lege Divina poſſeſſiones fuiſſe proprias ex S. Scriptura patet *p.* 291. Apud Ethnicos Judicum etiam officio defungi Sacerdotibus datum erat, circa Sacra vero pleniſſima frui juriſdictione fas erat *p.* 491, *ſeq.* Apud Judæos olim, Ægyptios, Romanos, atque Chriſtianos perinde, Sacerdotibus proprium neque defuit Satellitium *p.* 495, *ſeq.* De Civilibus juſdicundi rebus facultate neque carebant apud Ægyptios, ac Tyrios, apud Lacedæmones, & Athenienſes, apud Græcos, atque Germanos, apud Latinos, & Romanos, & apud Judæos quammaxime *p.* 507, *ſeqq.*

Sacra veteres apud Romanos erant, quæ Pontificis auctoritate Djis immortalibus dicata ſolemniter erant. Sancta vero, quæ ſanctione a Pontifice M munita fuiſſent *p.* 96.

Satanæ flagitioſos tradendi poteſtas Apoſtolis facta liquet ex S. Paulo 1. ad Corinth. 5. v. 5. Quæ plane traditio geminam complectebatur pœnam, ſpiritualem, qua ſpiritus fidelium Communione defraudabatur, & corporalem, qua corpus Dæmoni excarnificandum defereba. tur. Ita Patrum interpretatio ſe habet, a qua aberrantes Heterodoxi complures abiiciuntur *p.* 621, *ſeqq.*

Sedulium Juniorem genere Scotum, atque Sæculi VIII. Scriptorem, primum fuiſſe, qui Presbyterum inter, & Epiſcopum diſtinctionem induxerit, atque hujuſce ſupra illum poteſtatem extulerit, perperam commentus eſt Meurſius *p.* 478.

Seldenus, inſignis, ac perpetuus Epiſcopalis ille poteſtatis hoſtis, labore tam præpoſtero, quam perverſo

ſo deſudare non deſtitit, ut Imperatoribus, Regibuſque excommunicandi jus adſtrueret, excommunicatos item abſolvendi, idemque Eccleſiæ jus attribuendi, aut retrahendi *p.* 612, *ſeqq.* Et idem paſſim in S Scripturę interpretatione hallucinatus, & SS. Patrum liquidis teſtimoniis injurius evincitur. Videſis VV. *SS. Matthæi, & Pauli*.

Severambium, quæ circumfertur, de Republica hiſtoria optimæ quidem Reipublicæ conſtituenda perbellum haberi poteſt exemplar, veritate tamen haud innititur, ſed merum, atque ingenioſum eſt commentum, de quo, ejuſdemque Auctore diverſas abeunt in opiniones Viri Eruditi *p.* 97, *ſeqq.*

Synagogæ veteris formam in Chriſtianam fuiſſe translatam Eccleſiam minus probabilius adfirmant plerique *p.* 127, 379, & 463, *ſeq.* Quamvis inficiari nequeat, quin hujus in illa ſpecies prefulſerit aliqua, & hæc juxta Melchiſedechi Sacerdotis inſimul, ac Regis ordinem fuerit inſtituta, illamque juxta cum Regali Moyſis Aaronis dignitas in hancce translata. *ibid.*

Synedrium a Moyſe primum, a Davide poſtea, & a Joſaphato perinde ſuum & exordium, & ſucceſſum, & incrementum fuiſſe nactum plurimis videtur, aliis contra rem fuiſſe puri nominis minus vere putantibus p. 109, *ſeqq.* A Synedrio rurſum an diverſa Synagoga exiterit, & an hæc item in rerum unquam ſubſtiterit natura, diſputant Viri docti, ac in diverſas ſcinduntur opiniones *p.* 111, *ſeq.* Synedrii tamen, ac Synagogæ duo præcipua erant capita *ibid.* Cauſſæ graviores ſive ad Religionem, ſive ad Rempublicam reſpicientes deferri ad illud debebant *p.* 110, & 118, *ſeq.* Poteſtas ejus in res etiam, dignitateſque Civiles extendebatur, atque pœnis ſpiritualibus nedum, ſed etiam corporalibus diverſis exercebatur *p.* 116, *ſeqq.* Singulariter de Tribu, de Propheta, de Pontifice, addunt alii de Rege quoque, Synedrii erat judicium ferre *p.* 118, *ſeqq.* Quod Judicii genus ademptum Regibus ipſis erat *p.* 123, *ſeq.*

T

TEmplum omnium primum apud Sinenſes exſtructum, ac Deo O. M. dedicatum ab Imperatore Hoam-Ti eorum in Dynaſtia tertio videtur *p.* 90. Ad Dei cultum Templa ædificandi jus a Deo ipſo Eccleſia procul dubio obtinuit *p.* 175, *ſeq.* Jam ſub ipſa Apoſtolorum ætate Templa erecta contra Heterodoxos oſtenduntur *p.* 176. Nihilque frequentius priſcos apud Eccleſię Patres, quam Altarium, Templorumque mentio *p.* 177, *ſeqq.* Quæ viciſſim Patrum exaggerantur a Proteſtantibus, teſtimonia Templorum antiquitati haud officiunt *p.* 179, *ſeqq.* Antiquitatem hanc præterea probant Imperatorum de iis ſolo æquandis Edicta *p.* 182, *ſeqq.* Probant & vetera Eccleſiarum monumenta, quibus liquet variis eadem fuiſſe nominibus decorata *p.* 183, *ſeqq.* Antemotas in Noſtros vel a Judæis, vel ab Ethnicis tempeſtates multa ubique Templa uſu jam venerant *p.* 186,

186, *ſeq.* Quin ea per Imperatores pleroſque Noſtris ædificare fas fuit *p.* 187, *ſeqq.* Quin imo nec Imperatores defuere, qui animum ad Ædes Chriſto Dom. exſtruendas pronum geſſerint, & qui Religionis ob cauſſam negotium Chriſtianis faceſſiri prohibuerint *p.* 190, *ſeqq.*, & qui ab aliis occupata Noſtris Templa reſtitui præceperint *p.* 193, *ſeqq.* Templorum denique in rei Chriſtianæ uſum erectorum antiquitatem oſtendunt Eccleſiarum ſingularium traditiones *p.* 195, *ſeqq.* Ubi de Templis Ethnica ſuperſtitione expurgatis, atque Chriſtiano ritu dedicatis Chriſto D., B. Virgini, S. Petro, Apoſtolis aliis, ac SS. Martyribus *ibid.* Ad Judaiſmi vero, vel Ethniciſmi imitationem a Chriſtianis ædificata Templa commenti Hoſpinianus, ac Midletonus exploduntur *p.* 193.

Templa pro Aſylis ſtatuere, non ad Laicam, ſed ad Eccleſiaſticam attinet poteſtatem *p.* 199., *ſeqq.* Jure Divino ſacra inniti Aſyla ex Sacra Scriptura innuitur, idque arcte Judæis perſuaſum erat *ibi.* Quæ, apud quos, & qua ſub ætate celebriora Ethnico ritu ædificata, dedicataque Templa obtinuerint *pag.* 200, *ſeqq.* Non eadem tamen, ubique, ac jugiter erga Templa religio Ethnicis inſedit *p.* 203, *ſeq.* In Templis tamen opes tuto condere ipſis cordi erat, *ibid.* Jam vero religionis erga Templa Chriſtiano dedicata ritu antiquiſſimæ teſtes accedunt longa SS. Patres ſerie *p.* 205, *ſeqq.* In ſarto quoque, tectoque eiſdem Aſyli jure ſervando, adſerendoque perpetuos, ſtrenuoſque ſe præſtare vindices in Synodis Epiſcopi nunquam deſtitere *p.* 209, *ſeqq.* Quod ipſum Romanis quammaxime Pontificibus curæ, officioque ceſſit *p.* 214, *ſeqq.* Quod Ethnicorum Templis Aſyli jus ab Imperatoribus adtributum legitur *p.* 216, *id* multo magis Chriſtianorum Templis illæſum, ut ſervaretur, Principibus curandum erat *p.* 217, *ſeqq.* Vide ſis V. *Aſyla*. Ad hæc Templorum prædia, fundique, congrua pro Miniſtrorum ſuſtentatione, publicis ab oneribus exemptione vel apud Ethnicos perfrui ſolebant. Multo itaque magis immunitate gaudere apud Chriſtianos Eccleſiarum bona oportebat *pag.* 250, *ſeqq.* Annua quin etiam Ethnicorum Templis annona decreta erat, quæ demum Militare in Ærarium transfuſa legitur *p.* 251; Jure potiori igitur Chriſtianis Eccleſiis a publico Ærario pendi Annona quandoque viſa eſt *p.* 252, *ſeq.* V. *Bona Eccleſ.*

Territorium, Forum, ac Juriſdictionem Eccleſiæ tam qui detrahunt, peſſimam rem utique faciunt, quam qui Principum beneficio id omne adquiſitum dicere ſomniarunt. Divino ſiquidem Jure totum id adeptam Eccleſiam fuiſſe certum fit, & conſtans ex Dei Verbo cum ſcripto, tum tradito *p.* 497, *ſeq.*, & 499, *ſeqq.*, quod & multa præterea confirmant documenta *p.* 503, *ſeqq.* Vide ſis VV. *Eccleſia*, *Forum*, *& Juriſdictio*.

Tertulliani Apologeticus, non homonymi Juriſconſulti utique, ſed Q. Septimii Flor. germanum dubio procul eſt opus *p.* 186, *ſeq.* Ejuſdem Tertulliani inſignis de Excommunicatione locus Apolog. cap. 39. Grotii, & Seldeni mire torſit ingenium: quorum intorta plane, ſiniſtraque reji-

rejicitur interpretatio *p.*587, *seq.*
Theodosii, & Arcadii celebris Lex de Episcopali Judicio, sive de Clericorum a Foro laico omnimoda exemptione, velut indubia ab iniqua Gothofredj, & Jannoni censura defenditur, atque legitima dubio procul omni demonstratur *p.* 238.
Trophæa loca erant olim, ubi & Martyres passi fuerant, & Martyrum peragi quotannis Festivitates solebant. Tituli quoque, nomine a Titulis Fiscalibus derivato, loca erant Sacra, vel Crucis signo, vel Martyrum Imaginibus designata, & Divino mancipata cultui *p* 184, *seq.* Titulos autem Fiscales prædiis, ad omnem procul usurpationem arcendam, imponere solemne erat. Quos prædiis Ecclesiarum perinde, nisi certo Ecclesiastici eadem juris esse constaret, adponi districte prohibuit S. Gregorius M. *p.*313, *seq.*

V

VAlentiniani III. Lex Ecclesiæ Forum abjudicans tum cum Imperialibus legibus aliis adversa pugnat fronte, tum aperte Juri Divino repugnat, & Canonico, tum a Patribus, & a Principibus ipsis diserte reprobata demum est *p.* 505, *seq.*
Van-Espenius Excommunicationem recens esse inventum, atque per decem Sæcula in Ecclesia ignotum temere crocitans dignis pro mendacio, audaciaque vapulat a Benedicto XIV. Doctiss. Pontifice *p.* 563. Eodem in errore turpiter versatus Dupinius pares dat pro temeritate pœnas *p.* 608.
Vassi olim non tam a Feudis, quæ possiderent, quam ab officiis, quæ Regibus, Ducibus, Comitibusque præstare solerent, ita denominati sunt *p.* 326.
Venetis quale cum Paulo V. de Immunitate Ecclesiastica dissidium intercesserit, & quinam utrinque pro studio partium viciſſim Scriptores præcipui steterint *p.* 307.
Vestales à Numa quatuor primum institutæ, duabus a Tarquinio Prisco, vel a Servio Tullio deinde adauctæ sunt: eæque magno Romanis in honore habebantur *p.* 221.
Vestararius in Romana olim Ecclesia quatuor inter Palatinas insigniores dignitates adnumerabatur: ejusque munus erat Vestiarii, Thesauri, & Cimelii custodia *p.* 423.
Viatores, atque Summotores olim apud Romanos etiam dicebantur Apparitores, & Lictores flagris, atque loris instructi ad propulsandas injurias, & ad Pontificis nutum paratissimi ad vindictam de flagitiosis, deque legum a Pontifice M. latarum transgressoribus actutum capiendam *p.* 496.
Vicedomini olim in Ecclesiis eas præstare consuebant vices, quas in Regum Aulis præstare Majoribus Domus erat solemne, scilicet totius Episcopii curam administrare. Eorum frequentior Romana in Ecclesio occurri mentio *p.* 351.
Virga in Jurisdictionis, sive potestatis Judiciariæ specimen, Imperiique symbolum egregie sæpius adsumpta legitur *p.* 494, *seq.* Et ita Virgę nomine pœnas infligendi potestas designari visa Patribus est, queis adstipulari vulgo Interpretes haud ambigunt *p.* 558, *seq.*

Voſſii temere Romanos in Pontifices jactata calumnia, quod Fidei quęſitoribus in Hæreticos inquirendi provinciam impoſuerint, quam Ethnicis eripiendam Judicibus duxerat Trajanus, excutitur, & expungitur *p.* 188, *ſeq.* Idem Presbyteris etſi dignitate ſuperiores Epiſcopos inficietur, a Presbyteris attamen jam Sæculi II. ſub initio diſcriminatos cum Salmaſio conſentit; quin imo ſecumet andabatarum more pugnans, jam a Sæculo I. unum dumtaxat in Urbibus Epiſcopi nomine auditum ex veteribus Eccleſ. monumentis obſervat *p.* 461.

MAG 703